SYNOPSIS
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS,
hodiernis MORIBUS ACCOMMODATA

TOMUS II

N° 663

Jus proprietatis auctor sibi vindicat

SACRATISSIMO ET AMANTISSIMO

CORDI JESU

CÆLESTIUM DONORUM FONTI

VIRGINIQUE DEIPARÆ

EORUMDEM DISPENSATRICI

OPUS HUMILITER DEDICATUM

SYNOPSIS THEOLOGIÆ DOGMATIC

TOMUS SECUNDUS

de FIDE

DEO UNO et TRINO,

de DEO CREANTE et ELEVANTE, *P**

VERBO INCARNATO

P. 7 *U*.

Auctore Ad. Tanquerey

EDITIO VICESIMA QUARTA

quam recognovit J. B. BORD, doctor in theologia,
theologiæ dogmaticæ professor.

Typis Societatis Sancti Joannis Evangeüstæ
DESCLÉE et SOCII

PARISIIS — TORNACI (Belg.) — ROMÆ

1935

Synopsis Tkeologa Dogmatics t. II, auctore Ad. TaNQUEREA, editio vicesima quarta 1933.

Nil obstat.

Parisiis, die 18 Augusti 1933.

P. V1GUÉ.

Imprimatur.

Parisiis, die 20 Augusti 1933.

Joannes Card. Verdier,

Archiep. Paris.

Imprimatur.

Tomaci, die 9 Augusti 1933.

J. Lecouvet, Vie. Gen.

Copyright 1926 by DESCLÉE & Co Paris.

PRÆFATIO

Seminarii Baltimorensis alumnis.

OBIS, dilectissimi in Christo discipuli, hanc *Synopsim theologice dogmatica specialis* scripsi, ut in ea sub forma brevi, simplici, licet aliquatenus scientifica, catholicae veritatis medullam habeatis, et amplectentes "eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem" potentes sitis "exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere" x. Otiosis igitur quaestionibus omissis, minus utiles nonnisi obiter attingo, illisque praesertim insto quae sive *prcedicationi* verbi, sive *hodiernorum errorum* confutationi inserviunt : hinc non semel ipsissima adversariorum verba refero, ut difficultates ab ipsis propositae, clarius perspici et efficacius dilui possint.

Argumenta ex Scriptura desumpta paulo fusius quam in ceteris Compendiis evolvi, non solum quia inter Protestantes versamur, qui sacrae Bibliae studio tam sedulo operam navant, sed etiam quia "omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus"2 Hinc merito *Leo XIII* ait 3 : "Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut ejusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam ejusque prope sit anima : ita nimirum omni ætate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt Quo melius autem horumce argumentorum vim capiatis, sacras paginas

"Nocturna versate manu, versate diurna

Omnia loca in hac Synopsi citata in ipso contextu legite 4,

* 7/7., I, 9. — ' *II Tim.*. Ill, 16-17.

3 Encycl. *Pravickntissimus,* 18 nov. 1893.

4 Nonnulli textus, frequenter a sacris oratoribus et theologis citati, ex industria omissi sunt, cum, contextu inspecto, illos ad rem non pertinere compertum fuerit.

eademque secundum hermeneuticæ regulas scrutamini, parallelis etiam locis sedulo inspectis : sic enim tum in biblicis tum in theologicis disciplinis mirum in modum proficietis \ Optandum sane foret ut eadem methodo argumenta ex Traditione expenderentur : cum autem res difficilis sit propter defectum temporis et librorum, satis erit Ecclesiae definitiones et S. Pontificum declarationes attente legere apud *Denzinger,* Enchiridion Symbolorum et definitionum, praecipuaque Patrum testimonia in *Selectis opusculis* a cl. *Hurter* editis.

Nec sufficit dogmata *Scriptura* et *Traditione* probare ; *ratio* enim " fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo "[2] ; hinc, praeeunte praesertim *Angelico Preceptore,* quomodo dogmata fidei nostrae non solum rationi non repugnent, sed cum sanae philosophiae principiis conveniant breviter ostendere conatus sum, et ad fusiorem horum argumentorum explanationem discipulos meos ad opera S. *Thome* remitto, quae studiosus theologiae candidatus indesinenter perlegere debet [3].

Brevitati simul et perspicuitati studeo : *brevitati* quidem, ut quæ nonnisi summatim hic attinguntur, *proprio labore* tum meditando, tum alia opera legendo pro opportunitate ampliare possitis; *perspicuitati,* ut clare doctrinam fidei intelligentes eamdem dilucide fidelibus exponatis : quod logicis divisionibus, stylo simplici multisque comparationibus prestare nisus sum, auspice B. Virgine Maria.

Si quis error, praeter auctoris intentionem, in hasce paginas irrepserit, a benevolis lectoribus emendetur.

Baltimore, die 7a Martii 1894, in festo S. Thomae Aq.

[1] Cum omnes textus in hac Synopsi citati, nonnisi ægre possent memorise commendari, opportunum duxi discipulis veniam dare ut, dum lectiones recitant, sacris Bibliis uti valeant : sic enim ingenii acum potiusquam memoriam colere possunt.

[2] *Vatican.,* Sess. ILI, cap. 4.

[3] Qui doctrinam S. Thomæ apprime cognoscere volunt, non solum *Summani theologicam,* sed etiam alia Sancti Doctoris opera legant, præsertim vero *Summam contra Gentiles, Quastiones disputatas, Compendium theologice,* et *Contra errares Gracoruni.* *

PRÆFATIO
IN VICESIMAM EDITIONEM

In hac nova editione, denuo penitus recognita,*positivam* simul ac *scholasticam* methodum magis ac magis harmonice consociare nisi sumus,juxta recentes Summorum Pontificum declarationes : ***Pii X*** in Encyc. *Pascendi,* 8 sept. 1907, merito scribentis : " Major profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda ; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat ***Pii XI,*** in epistola *Officiorum omnium,* ia aug. 1922, pariter dicentis : " Illa enim positiva methodus necessario quidem scholasticae adjungenda est, sed sola non sufficit

Quapropter S. Thomæ doctrinam non solum sæpius exposuimus, sed, in præcipuis quæstionibus, v. g., de Deo trino et de unione hypostatica, integros articulos allegavimus, ut professores textum Angelici Doctoris commentariis illustrent, et ita discipulos alliciant in scrutandam Divi Thomæ doctrinam. Testimonia Scripturae ac Patrum pariter recognovimus, quibus innixi scolasticam synthesim lucidius ac tutius exponere licet.

In nova editione augenda et emendanda, multum sane rofuerunt animadversiones et notae, quas clarissimrprofesres benigne nobis tradiderunt, inter quos *V. Arondel, ,-B. Bord, L. Hébert, R. Lortal, E. Mallet, P. Trucco, P. Vigué* et *E. Yelle,* quibus gratum offerre animum non minus jucundum quam æquum est.

Si quid tamen minus recti, praeter intentionem nostram, paginas nostras irrepserit, parcant benigni lectores, et id J4Jiobis manifestare dignentur, ut in nova editione corrigatur.

Issiaci, prope Parisios, die 2$a martii 1926, in festo Annuntiationis.

Ad. Tanquerey.

IN VICESIMAM QUARTAM EDITIONEM

D. Tanquerey, hujus operis celeberrimus auctor, in pace Christi piissime obdormivit, die 21 febr. I932· suæ vl^æ exitu, sæpe declaravit hanc *Synofistvi theologiŒ* continuandam esse et perficiendam in alumnorum favorem et catholicæ veritatis diffusionem.

Hoc votum peragere studuimus. Quare, jam in hac nova editione, pauca emendavimus, opera recentiora allegavimus, et plura in diversis tractatibus elucidavimus, ut diligenti lectori patebit : quod et in sequentibus editionibus facere conabimur, ut hæc tam utilis *Synopsis* semper perfectior evadat.

In Seminario Vivariensi, die 15a Augusti 1933, in Festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

F. CIMETIER. J. B. BORD.

INDEX RERUM

Brevis historia theologiæ dogmaticæ.

Ætas patristica (sæc. I-VIII).....2
Theologia ante-nicæna (sæc. I-IV) 2
Patres Apostolici et Apologetæ.....3
Controversistæ.....4
Scholæ theologicæ..... 5
Ætas Patrum majorum (325-461) 7
Ætas Patrum minorum (sæc. VI-VIII) . . . 12
Ætas scholastica (sæc. IX-XV).....16
Præparatio (sæc. IX-XI) 16
Theologiæ scholastica initia (sæc. XII) . . . 18
Theologiæ scholasticæ ætas aurea (sæc. XIII) . . 21
Theologiæ scholastica prolapsus (sæc. XIV-XV) . 27
Ætas moderna (sæc. XVI-XX) 31
Periodus progressiva (sæc. XVI-XVII) . . . 32
Controversistæ 33
Theologi scholastici..... 39
Theologia positiva 46
Perioduspaulatim decidens (1680-1830) 48
Intra ordines religiosos 49
Extra ordines religiosos 54
Periodus instaurationis (1830-1933) 55
In Germania 57
In Italia 59
In Gallia et Belgio 60
In Majori Britannia et America. 64
Conclusio.....66

De Fide.

Brevis historia tractatus delineatur 68
C. Vaticani decreta et canones 70
Objectum, utilitas, divisio Tractatus 74

INDEX RERUM.

Pars prior : de Fide ipsa.

Prcsvia defidei notione.....77
Variæ acceptiones vocis fidei . . . -77
Genuina fidei notio.....79
Falsæ notiones fidei.....84

CAP. I. De fidei objecto.

Art. I. De fidei objecto formali.....88
§ I. *De ipso objectoformali seu motivo fidei* . . .88
Thesis : motivum fidei est auctoritas Dei revelantis . 89
Quæstiones disputatæ.....92
§ IL *De motivis seu signis credibilitatis.* . . . 9^
De credibilitate revelationis . . . . -97
De certitudine requisita ad fidem 99
Art. IL De objecto materiali fidei . . . . *t°3*
§ I. *Quodnam sit?* IO5
De veritatibus formaliter revelatis . . . IO5
De veritatibus virtualiter revelatis 109
De objecto materiali fidei divino-catholicæ. . . 114
De revelationibus privatis.....119
§ 11. *De natura seu valore dogmatum fidei* . . .121
Hodiemi errores de natura et evolutione dogmatum . 122
Dogmata catholica sunt primario norma credendi . 124
Confutantur symbolismus et pragmatismus. . .129
111. *De incremento dogmatum* 132
Ab Adamo usque ad Christum 132
Post Christum, quo sensu dogmata sunt stabilia? . 134
— — Quo sensu proficiunt? . . . 139
— — Modus quo fit progressus . . . 143
— — Causæ et occasiones hujus profectus . 146
De obscuratione fidei.....147

CAP. II. De actu fidei.....149
Art. I. Prænotanda de actus fidei analysi. . .149
Art.IL De principiis ad actum fidei cooperantibus . 150
De gratia ad fidem necessaria.....151
De voluntate hominis quatenus fidem imperat . .156
De intellectu quatenus fidei actum elicit . . .163
Art. III. De ultima fidei resolutione . . . τ-ro

Art. IV. De proprietatibus acius fidei 174
De certitudine fidei.....
De obscuritate fidei.....I7y

CAP. III. De habitu fidei.....r8o

Art. I. De infusione habitus fidei.....180

Art. IL De subjecto fidei.....183
De hominibus viatoribus — — — — — — 183
De iis qui sunt in termino..... 187

Pars altera : de Theologia seu scientia fidei.

Prænotanda de theologia et fide.....189

CAP. I. De fontibus quibus theologia utitur . . 192

Art. I. De usu philosophiæ in theologia . . . 192

Art. II. De usu historiæ in theologia — — — — 199

Art. III. De usu scientiarum naturalium . . . 205

CAP. II. De methodo theologica..... 208

Art. I. De modo exponendi et probandi dogmata . . 208

Art. II. De methodo quoad conclusiones theologicas . 213

Art. III. De methodo in exponendis systematibus. . 215

Conclusio : De necessitate scientiæ theologicae . .216
De dispositionibus ad proficiendum in theologia. . 219

De Deo uno.

Brevis historia tractatus delineatur 222
C. Vaticani decreta et canones.....225
Objectum, utilitas et divisio Tractatus.....226

CAP. I. De Dei existentia.....228

Art. I. De demonstrabilitate existentjæ Dei . .228
Errores 228
Existentia Dei demonstratione indiget . . . 230
Existentia Dei certo demonstrari potest . . . 233

Art. II. Argumenta quibus existentia Dei probatur . 239

Art. III. De divinis nominibus.....247

CAP. II. De natura et attributis Dei. . 250

Art. I. De natura seu essentia Dei . 250

Doctrina catholica de natura Dei . 250
Doctrina scholastica de constitutivo essentiæ divinæ . 252

Art. II. De attributis divinis. . 255

Dt attributis Dei in genere. . 255
De attributis Dei in specie.
De simplicitate Dei .
De immutabilitate Dei . 262
De aeternitate Dei . . 264
De immensitate et ubiquitate Dei . 266
De infinitate Dei . 269
De unitate seu unicitate Dei . 272

CAP. III. De operationibus divinis . . 275

Art. I. De scientia divina . 277

De objecto hujus scientiæ. . 278
De ideis divinis et dotibus scientiæ . . 282
De speciebus et medio scientiæ divinæ . 286

Art. II. De voluntate divina . . 291

De objecto divinæ voluntatis . . 291
De dotibus divinæ voluntatis . . 295
De divisionibus divinæ voluntatis . 303

Art. III. De providentia et prædestinatione . 305

De ipsa providentia..... . 305
De prædestinatione et reprobatione .
Doctrina catholica de voluntate salvifica Dei
Theologorum systemata de prædestinatione . 322

Art. IV. De potentia seu omnipotentia Dei . . 328

Conclusio Tractatus : de beatitudine Dei . 331

De Deo Trino

Historia tractatus breviter delineatur . . 333
Excerpta ex Symbolo Athanasiano . 335
I^ateranense decretum de errore Joachim . 336
Objectum, utilitas et divisio Tractatus . . 337
Prolegomena : Brevis expositio mysterii . 339

INDEX RERUM.

CAP- I· Mysterium SS. Trinitatis revelatione probatur 347

Prænotanda : SS. Trinitas in V. Testamento adumbrata . 348

Rabbinica doctrina de Deo et Messia . . . 353

Theoriæ judæo-hellenicæ de Deo et λο'γψ . . . 354

Art. I. De trinitate personarum in unitate naturæ . 356

Recentiores errores — — — — — — — 356

§ I. *Thesis catholica ex N. Testamento probatur* .. 358

Quoad tres personas simul spectatas — — — — 358

Quoad singulas personas..... 364

§ II. *Traditione thesis probatur* 371

Testimonia ante-Nicæna . . . . . -372

Ex praxi Ecclesiæ 372

Ex Patribus — — — — — — — — 376

Testimonia post-Nicæna usque ad sæc. VI. . . 385

Profectus doctrinae a sæc. VI ad XX — — — — 389

Art. II. De divinis processionibus..... 390

De processione Filii per generationem . . . 392

De processione Spiritus Sancti per amorem . . 398

Corollaria de tribus personis — — — — — 405

Art. III. De divinis missionibus..... 407

De missionibus in genere — — — — — — 408

De missione invisibili 410

De missione visibili — — — — — — — 413

CAP. II. Expolitio scholastica mysterii.

Art. I. De cognoscibilitate mysterii SS. Trinitatis . 415

Errores exponuntur 415

Mysterium SS. Trinitatis non potest sola ratione intelligi vel demonstrari 416

Demonstrari nequit hoc mysterium repugnare . -419

Art. II. Analogiæ et explicationes philosophicæ . . 423

Comparationes et analogice. 423

Explicationes philosophica, et theologica . . .425

Theoria græcorum Patrum 426

Theoria Patrum latinorum, præcipue S. Augustini . 427

Theoria S. Bonaventuræ — — — — — — 429

Thomistica seu psychologica explicatio . . . 430

Duæ processiones — — — — — — — 430

Quatuor relationes reales.....432

Tres personæ realiter ab invicem distinctæ. . . 436

Art. III. .Consectaria exinde fluentia. . · -439
Proprietates divinarum personarum . 439
Nomina propria et appropriata.....44*
Regulae ad recte loquendum de SS. Trinitate . · 443
Conclusio : devotio erga SS. Trinitatem . · I 445

De Deo Creante et Elevante.

Historia tractatus **delineatur**.....447
Conciliorum **Canones**.....449
Objectum, utilitas, divisio Tractatus . . · · 452

CAP. I. De opificio mundi.

Art. I. De Cosmogonia **mosaica** 454
Dogmatica veritates certo revelata . . . -455
Corollaria de causa mundi..... 463
De ordine creationis in Genesi 465
De historico valore mosaics narrationis . . . 466
Judicium de variis systematibus disputatis . . . 469
Art. II. De Transformismo .....' 472
Transformismus *absolutus* fidei et rationi contradicit 474
Transformismus *mitigatus* est hypothesis probabilis . 477

CAP. II. De Angelis.

Art. I. De Angelis in genere . . 480
Notio et existentia angelorum . 480
Dotes angelorum naturales. - 49°
Angelorum gratia et lapsus ' 491
De ordinibus angelorum . I 494
Art. II. De Angelis custodibus ' 496
Existentia..... ' 496
Angelorum custodum erga nos obsequia . . 499
Officia nostra erga angelum custodem ' 5°°
Corollaria apologetica — — — — I 501
Art. III. De angelis malis . . . . ' 5°i
De tentatione diabolica . . . . ' 502
De obsessione et possessione diabolica I 5°4
De magia..... I 5°7
De magnetismo, spiritismo et hypnotismo . ' 5°9

CAP. III. De Homine.

Art. I. De hominis origine j17
De protoparentum creatione — — — 517
De unitate generis humani — — — . 520
De natura hominis . . . . . «521
De singulorum hominum ortu 523

Art. II. De hominis elevatione ad statum supernaturalem 526
l'ræviæ notiones de ordine naturali et supernaturali . 526
Existentia justitiae originalis in Adamo . . -534
Quæ justitia erat gratuita et supernaturalis . . . 539
Dona integritatis protoparentibus concessa. . . 542
Quæ dona gratuita et præternaturalia erant . . 549
Conclusiones exinde fluentes 551

Art. III. De hominis lapsu 553
De peccato protoparenhun {peccato originante) . -555
De peccato originali in Adce posteris . . . -561
Existentia originalis peccati in Adæ posteris . -561
Effectus originalis peccati in hac vita. . . -574
Effectus originalis peccati in altera vita . . -578
De natura originalis peccati — — — — — 583
Historicus conspectus opinionum — — — — 583
Errores hac de re 586
Theologorum variæ sententiæ. — — — — 588
Concordia dogmatis de originali peccato cum ratione . 596

De Verbo Incarnato et Redemptore.

Tractatus historia delineatur — — — — — 602
Fontes præcipui — — — — — — — 606
Objectu n, utilitas et divisio Tractatus . . -615

Pars prior : Incarnatio seu Christologia.

CAP. I. De Unione hypostatica.

Prænotanda : Genuinus conceptus unionis hypostaticæ . 618
Errores antiqui et moderni 622

Art. I. Existentia unionis hypostaticæ — — — — 624
Christus est vere Deus — — — — — — — 625
Ex Evangeliis Synopticis — — — — — — 626
Ex fide apostolicæ Ecclesiæ 632

Ex testimonio S. Pauli . 633
Ex testimonio S. Joannis . 635
Principia ad solvendas difficultates . 636
Christus est verus et integer homo . 640
Christus est simul Deus et homo in unica Verbi persona . 641
Scriptura probatur.....642
Traditione : per tria priora sæcula 645
Quarto et quinto sæc. : Ex damnatione Apollinarismi, Nestorianismi et Eutychianismi . 647
Scholastica expolitio unionis hypostaticæ .
Argumenta S. Thomæ de unione hypostatica . 650
Errores antiqui et recentiores de natura hujus unionis. 654
Systemata libere disputata — — — — . 655

Art. II. Consectaria unionis hypostaticæ . . 659
Duplex voluntas et operatio in Christo . 659
Unica filiatio in Christo — — — — . 662
Unica adoratio Christo debita . . 665
Communicatio idiomatum in Christo. . 667

Art. III. Concordia unionis hypostaticæ cum ratione . 670
Unio hypostatica rectæ rationi non repugnat . 670
Posita revelatione, hæc unio maxime convenit . . 673

CAP. II. De persona assumente.

Quænam sit persona assumens?. . 676
Num hæc persona aliquid amiserit? . . 678
De dotibus unionis 681

CAP, III. De natura assumpta.

Art. I. De gratia Christi 686
De gratia unionis..... . 686
De gratia habituali et virtutibus. . 688
De impeccantia et impeccabilitate Christi . . 693

Art. II. De scientia humana Christi . 696
De scientiae Christi perfectione . 697
De triplici scientia in specie . 701

Art. III. De dotibus voluntatis Christi . 707
De perfecta subjectione Patri . . 7°7
De libertate Christi — — — — 7°9
De potentia Christi — — — —

Art. IV. De appetitu sensitivo Christi .

Art. V. De corpore Christi . . . . .
De ejus passibilitate .
De ejus perfectione et pulchritudine . . 718
Conclusio : de amore et imitatione Christi . . 720

Pars altera : Redemptio seu Soteriologia.

Praenotanda de Christo mediatore et redemptore

De Christo mediatore . 722
De Christo redemptore

CAP. I. Existentia redemptionis.

Thesis fundamentalis 731
Scriptura probatur 732
Traditione probatur 738
Concordia hujus doctrinæ cum ratione 746

CAP. IL De modo et dotibus redemptionis.

Art. I. De modo quo peracta fuit redemptio. 749
De vicaria satisfactione Christi . 75°
De merito Christi — — — — — 752
De duratione satisfactionis et meriti . 753

Art. II. De dotibus redemptionis . 754
De universalitate redemptionis . - 754
De perfectione redemptionis 763
Corollarium : de Christo capite. 767

CAP. III. De opere præcipuo redemptionis seu sacrificio.

Art. I. De sacerdotio Christi 77°
Art. II. De sacrificio Christi. 773
Scholion de iis quæ mortem Christi secuta sunt . 782

CAP. IV. De necessitate redemptionis 785

Errores — — — — — — 785
Doctrina certa..... . 786
Doctrina communis — — — — 787
Controversia de rnotivo finali Incarnationis 789
Systema Thomistarum 79°
Systema Scotistarum — — — — 792

INDEX RERUM.

De consectariis utriusque mysterii.

Prænotanda de cultu 796

Art I. De devotione erga SS. Cor Jesu . 797

Art. II. De B. Maria Virgine. . 806

c 0 I. *De B. Virgine in se spectata* . . S06

De maternitate divina . 807

De sanctitate B. Mariæ Virginis.

Corollarium : de Assumptione B. Mariæ . . 824

De perpetua virginitate Mariæ . . 826

II. *De relationibus B. .Varia cum creaturis* 832

Mater spiritualis hominum 832

Coopératrix Christi in redemptione . 833

Regina hominum et Angelorum. 835

Mediatrix universalis gratiæ 835

§ III. *De devotione erga B. Virginem Mariam* 837

Devotio erga purissimum Cor Mariæ.

Scholion : de S. Joseph..... 841.....

Art. III. De cultu Sanctorum 845

Art. IV. De cultu reliquiarum et imaginum.

De cultu reliquiarum.....

De cultu imaginum..... 854

De cultu crucis. 858

INDEX AUCTORUM

IN HISTORIA THEOLOGIÆ RECENSITORUM·

Abælardus . IQ
Achery (d') . 48
Æneas l'arisiensis . 16
Agobardus. . 15
Aguirre (d') . 45
Alanus ab Insulis . 20
Albericus — — — — . I8
Albertus Magnus . 22
Alcuinus — — — — . IS
Ales (A. d') . 62
Alexander Halensis . 25
Alexander Natalis . 49
AUatius Leo - 3S
Allen (Alanus) Guil. . 34
Alliaco (P. de) . 29
Alphonsus de Ligori . 54
Alvarez Didachus . 40
Ambrosius (S.) . 9
Amort — — — — . 54
Anaslasius. . 18
Andreas Antonius . 26
Angles Jos. . 44
Annatus — — — — . 43
Anselmus (S.) . 18
Antoine P. G. . 50
Antonius a Matre Dei . 45
Aphraates (S.) . 9
Aquila (de) . 28
Arauxo (de) . 40
Arcudius — — — — . 38
Aristides — — — — . 4
Arnaldus Antonius . 36
Ascelinus — — — — . 18
Assem^nnus . 55
Assermet — — — — . 52
Athanasius (S.) . - 7
Athenagoras . 4
Augustinis (de) . 60
Augustinus (S.). . 10
Avitus Viennensis (S.) . 14

Babenstuder . 5ï
Baco (Baconlhorp) . 28
Bacon Rog. . 20
Bail..... . 41
BainvelJ.-V. . 62
Ballerini . 55
Ballester . 28
Balmès . 63
Bandinelli (Alexander III) . 20
Bannez . 40
Bannwart . 59
Barbcriis . 44
Barnabas(Pseudo) . 3
Bartmann . - 58
Basilius . 8
Bassolis . 28
Batiffol . 62
Baudunio . 44
Becanus Martinus 34
Beda Ven. . 16
Bellarminus (S.) . 58
Belluti . 44
Berengarius Tur. . IS
Bergier . 55
Bernardus (S.) . 19
Bemoldus . . 18
Berti — — — — 52
Biel — — — — 29
Bigne (de la) . 48
Bigoni . 60
Biliick . 33
Billot (Card.) . 60
Billuart . 49
Boetius . 15
Bolgeni . 50
Bonald (de) . ȯı
Bonaventura (S.) . 21
Bossuet . 36
Bouvier' . 61
Boyer . 61
Boyvin . 52
Bozio . 37
Brambring. . 65
Brownson . 65
Bulsano . 58

Cæsarius Arei. (S.) . 14
Cajetanus . 30, 37
Canisius Petrus . 33

« Numeri paginas indicant.

Canus Melchior. 36, 39
Capëran . • 63
Cappellari.
Capponi . • 41
Capreolus Joannes • 3°
Caryophibus . 38
Casa (Petrus de) . 2S
Casajoana. • 04
Casai Gaspar • 37
Cassander. ▮ 34
Cassiodorus *5
Catharinus. • 37*
Cellier • 57
Cercia • 59
Cliardon . • 51
Chastel . 01
Chifflet . 48
Cienfuegos • 50
Clemens Alex. . • 3
Clemens Papa . - 3
Clichtoveus • 33
Coeffeteau. - 35
Coghlan . • 65
Collet . • 53
Colonia (de) . 28
Combefis .
Contenson. . 41
Corblet . 62
Corluy • 63
Chrysostomus (S.) • 9
Cyprianus (S.) . . 6
Cyrillus Alex. (S.) . 8
Cyrillus Hier. (S.) . 8

Dalgairus . • 65
Dechamps. • 50
Denzinger . • 59
Deschamps (Card.) . • 63
Didache . • 3
Diekamp . ▮ 58
Dionysius . • 7
Dionysius (Pseudo) . . 12
Dobmayr . • 51
Dobneck Joannes • 33
Dominicus a Su Theresia • 45
Dominicus a SS. Trinitate • 45
Drouin • 50
Duhamel . • 54
Durand Barth . • 52
Durandus . . 18
Durandus a Sta Porciano . 28

Elipandus. • 14
England . • 65
Ephraem (S.) . . 6
Epiphanius . 8
Espence (d') • 35
Estius • 40

Faber Joannes . • 33
Fabri (Schmidt). • 33
Faustus • 14
Felix. • M
Ferrariensis, Sylvester • 3°
Feuardentius • 35
Fische . 4s
Fisher • 34
Florus . 17
Foresti . 44
Fosse (de la) • 53
Franzelin . . óo
Frassen . 52
Frimaria (de) . 28
Fulbertus Carn. . ı8
Fulgentius. . 14

Gardeil . 62
Gamerius . . 4S
Garrigou-Lagrange R. . 62
Garriguet L. . 63
Gerardus Bononiensis 26, 28
Gerardus Senensis . 28
Gerbert . 51
Gerbet . 61
Gerdil . 53
Gerhardus. . 28
Germanus Const. . 13
Gersonius . . 29
Gibbons (Card.). . 65
Ginoulhac. . 62
Gonet . 41
Gopper . 33
Gotteschalcus . . 16
Gotti. . 49
Gousset . 61
Granderath . 59
Grau. . 33
Gravina . . 38
Gregorius Arimin. . 28
Gregorius Nazi. (S.) . . «
Gregorius Nys. (S) . 8
Gretzer . 38
Groot (de). . 63
Guido de Perpiniano . 28

Guilhclmus Alvemus. . . 21
Guilhelmus Autissiodorensis . 21
Guitmundus 18
Günther.....57

Habert Isaac 46
Habert Ludovicus . . -54
Hadrianus I . . .15
Hallier Fr. 46
Harent — — — — — 62
Hauzeur.....45
Héfélé.....59
Heinrick 58
Hedley Hughes. . . .65
Henno.....52
Henricus Gandavensis . . 22
Henricus VIII . . . -34
Herbigny (d') 62
Hergenrœther . . . -59
Herinck . . . . -44
Hermas . — — — — 3
Hermes . 57
Hermias — — — — — 4
Herrera.....44
Hieronymus (S.) . . -9
Hilarius Parisiensis . . .61
Hilarius (S.) . . -9
Hincmarus 17
Hippolytus (S.). — — — 6
Hoffmeister . . . >33
Holcoth Rob. 28
Holstein — — — — — 48
Holtzclau — — — — — 50
Hosius Stanislaiis . . -34
Hugo a Breteuil. . . . iS
Hugo a Sto Victore - . . 19
Hugon E. — — — — 62

Ignatius (S.) . . .3
Irenaeus (S.) . . . 4
Isidorus (S.) . . . 15

Janssens.....63
Joannes ab Annuntiatione . . 45
Joannes a S'° Thoma. . . 40
Joannes Chrysostomus (S.). . 9
Joannes Damascenus (S.) . . 13
Juenin — — — — — 52
Jungmann. . . . - 63
Justinus (S.) . . —4

Klee. . 57
Kleutgen . . . *58
Kluppel.....52
Knoll a Bulsano. . . .58
Kollin Conradus . . .30
Kulm . . . . «58

Labat 41
Labauche L..... 63
Lafbret.....63
Lainez 41
Lamennais (de). . . .61
Lamiroy.....63
Lanfrancus 18
Latomus.....34
Lauria (B. de) 44
Lebreton J. 52
Lebrun.....52
Ledesma (de) . . . -4°
Legrand . . . . -53
Lemos (Thomas de) . . - 4°
Leo Magnus (S.) . . .11
Leontius Bys. 12
Lepicier . . . . · 63
Lessius.....43
Liebermann . . . -57
Ligorius Alp. (S.) - -54
Lindænus — — — — — 34
Lugo (de) . . . - -43
Luzerne (Card, de la). . · 55

Mabillon — — — — — 51
Macedo . . . · -45
Maffeius . . . · -55
Maimbourg . . . - 4^
Maistre Joseph (de) . ' -55
Malafossa . - - - · -44
Malou . . . . · 63
Mamachi . . . · -5°
Manning . . . . · ^4
Maranus . . . . · 51
Marcheti . . . . . -55
Mariales Xantes. · · -4°
Marin-Sola . . . · ^4
Martene . . . . · 51
Massoulié . . . - . 41
Massuet . . . . · 51
Mastrius - . . . · 44
Maximus . . . . * *3
Mayron 27
Mazzella . . . . -
Medina (Bart, a) . . . 4°
Meersch (Van der) . . · ^3
Melchior Cano . . · 3^>
Methodius (S.) . . . · ?

Migne . 02
Minutius Felix . 4
Moehler . 57
Molina 42
Montaigne. 53
Montfaucon 51
Morinus Joannes 47
Morinus Petros. 46
Muncunill. 64
Moratori . 55
[illegible] 5°

Natalis Hervcus 18
Neapoli (de) 18
Neobaoer . 5O
Newman (H. J.) 64
Nicolai 41
Nicolas . 61
Nicole 36
Noël. . . . 50
Noort (Van) 63
Norisios . 52
Novatianus 6

Ockam 27
Omnibonus 20
Origenes . 5

Paiva de Andrada . 37
Pallavicinus 43
Palmieri A. 60
Palmieri Dom. . 60
Papias 0
Paquet 66
Paschasius Radbertus. 17
Passaglia . 59
Paulinos Aquil. *5
Pegues (Th.) 62
Pepanus . 38
Perez de Avila . 37
Perron (J. Davy du) . 35
Perrone . 59
Petavius . 46
Petrus Aureolus 26
Petrus Lombardus . 20
Petrus Paludanus 28
Petrus Pictaviensis . 20
Petrus de Tarentasia . 24
Pierius 7
Pighius 33
Philippus a SS. Trin. 45
Platelius . 50
Plessis (d'Argentré) . 54
Plowden . SI
Pohle 58
Polus Reg. 34
Polycarpus (S.) . J
Pontius 46
Præpositus 20
Prat F. 62
Preuss 58
Prosper Aquitanus II
Prudentius 17

Quien (Le) 49
Quiz de Virues . 37

Rabanus Maur . Π
Radbertus Paschasius U
Raess 57
Ratramnus 16-17
Raymondus Sabundæ 29
Raynaudus 47
Reding 46
Regnier . 53
Regnon (de) 62
Remigius Lugd. U
Renalius . iS
Renaudot . 36
Ricbardus de Mediavilla 26
Richardus a Sw Victcre 20
Richelieu . 36
Ripalda . 43
Rivière J. . 62
Robertas Curtonus . 20
Robertus Pullus 20
Rocaberti . 49
Roskovany 59
Rozaven (de) 61
Rubeis (de) 50
Rubione (de) 27
Ruinart . 51
Ruis de Montoya 43
Ryckel (de) 29

Sainctes (de) . 35
Scheeben . 58
Scheffmacher . o
Schellstrate 55
Schmidt (Fabri). 33
Schneemann C0
Schrader . 61
Schultes . 62
Schwane . 59
Schwetz . 5^
Scioppins Caspar 46

Sçotus Erigena J. . . . 17
Scotus Joannes Duns . . -25
Scdlmayer.....51
Sfondrati.....45
Simond.....48
Simonnet.....50
Sophronius 12
Soto Dornin. . . 36, 39
Soto Petrus 37
Spalding.....65
Staphylus.....33
Stapleton 35
Staudenmaier 57
Storchenau 50
Suarez.....41
Sylvius.....46

Taille (M. de la) . . .«62
Tanner.....43
Tapper 34
Tatianus — — — — 4
Tertullianus — — — — 4
Theognastes — — — — 7
Theophilus Ant. — — — 4
Thomas Aquin. (S.) . . .23
Thomas âe Argentina . . 28
Thomas de Jorz. . . .26
Thomasius.....54
Thomassinus 47
Tillemont (Le Nain de) . . 48
Toletus — — — — • 41
Tostatus Alph. . • 29
Tournely — — — — • 54
Treger — — — — • 33
Tricassinus • 45
Turrecremata (J. de) . • 30

Ullathome . 64
Ulricus de Argentina. • 25

Valentia (de) . 42
Vasquez — — — — . 42
Vega (And. de). • 37
Veith — — — — • 51
Veronius — — — — • 36
Victoria (Fr. de) • 39
Viguerius — — — — • 41
Vincent — — — — . 61

Waddingus . 44
Walenbusch Adr. et Petrus • 34
Ward — — — — . 65
Weiss Nic. • 57
Wemer — — — — • 59
Wiest — — — — • 54
Wiseman — — — — . 64
Witasse — — — — • 54
Wolphelmus . 18

Ysambertus . 46

Zamora — — — — ' 44

PRÆCIPUA SIGLA

D A. = *Dictionnaire d'Apologétique du* P. d'Alès*

D B. = DeNZINGBR-BaNNWART, *Enchiridion symbolorum.*

D T. C. = *Did. de Théologie Catholique* (Vacant, Mangenot, Amann).

R. = JOURNEL (Rouet DE), *Enchiridionpatristicum.*
= *Revue Apologétique.*

R. B. = *Rrouc biblique internationale.*
= *Revue du Clergéfrançais.*

R. S. R. = *Recherches de Science religieuse.*

Præter auctores initio cujusque Tractatus allegatos, inter recentiores cfr. :

De fide : L. Lercher, S. J., *Defidem* t. IV *Instit. Theol. dogmat.,* Œniponte, 1930.

De Deo uno : R. Lortal, *La certitude sur l'existence de Dieu,* Avignon, 1930; J. Bittremieux, *Deusestsuum esse, creatura non...* 1930.

De Deo trino : J. Lebreton, *Les Origines du dogme de la Trinité,* t. I, 6e éd. et t. II, 1928.

De Deo Creante : R. M. Martin, *La controverse sur lepéché originel* au début du XVe s., 1930; Cuénot, Dalliez, etc., *Le Transjor-* Paris,Vrin, 1928; L.Gardette,

De Verbo incarnato : P. Galtier, *De Incarnatione et Redemptione,* Paris, 1926; L. de Grandmaison, *Jésus-Christ,* Paris, 1928; M. Lepin, *Le ChristJésus,* Paris, 1929; A. d'Alès, *De Verbo Incarnato,* 1930; B.-M. Morineau, *La Sainte Vierge,* Paris, Blond, 1929; J. Bittremieux, *De Mediatione universali B. M. Virginis,* quoad gratias, Brugis, 1928; *Doctrina Mariana Leonis XIII,* 1928.

BREVIS HISTORIA THEOLOGIÆ DOGMATIC; [1]

Cum ex historia et profectu alicujus scientiae argumenta in decursu tractatus adhibita melius intelligantur, huic novæ editioni brevem conspectum historiae dogmaticae praemittimus [2].

1. In hac historia *tres ætates* distingui solent :(a) Prima, quae octo priora saecula complectitur, *patristica* vocatur. Hæc non exhibet *integram* et *systematicam* totius theologiae dogmaticae synthesim, sed tantum *tractatus particulares,* in quibus dogmata nostra non solum exponuntur, sed etiam contra Gentilium impugnationes atque nascentes haereses strenue propugnantur.

(b) Secunda, quae *scholastica* dicitur, a saeculo IX° usque ad Concilium Tridentinum pertingit. Hæc est proprie ætas *Summarum theologicarum,* in quibus doctrina ex Scriptura et Patribus desumpta, dialectice et methodice exponitur, ope philosophiæ præsertim aristotelicæ evolvitur, et in unum corpus redigitur.

(c) Tertia, scilicet *moderna,* a C. Tridentino usque ad nos sese extendit. Qua ætate, ob impugnationes Protestantium et Rationalistarum, theologia non est exclusive scholastica, sed ex parte polemica et positiva, dogmata catholica ex fontibus revelationis demonstrans, antequam eorum cum ratione convenientiam exponat.

[1] Historiam integram et syntheticam theologiæ exhibet M. Grabmann, *Geschichte der katholischen Théologie seit dem Ausgang der Vàterzeit,* Freiburg-in-Br., 1933. Documenta valde utilia invenies ap. H. Hurter, S. J., *Nomenclator litterarius theologia catholica,* ed. 3°, Œniponte. Wagner, 1903 sq.; brevem vero conspectum ap. Scheeben, *Dogmatik* gallice redditum auctore *Bilet,* t. I, § 56-60. — Ad nostram synopsim Historiæ Theologiæ maxime profuerunt manuscripta quæ benigne nobis obtulit F. Cimetier, in Seminario Parisiensi professor.

[2] Brevem historiam *Apologetica* præmisimus *Tr. de Vera Religione;* historiam vero *Theologia Moralis* invenies inter *Prolegomena Theol. Mor.*

Art. I. Ætas patristica [1] (sæc. I-VIII).

2. In ætate/wfrâ/mx.tres periodi distinguuntur :(a)Theologia *ante-Nicana,* seu trium priorum sæculorum, quæ primum expositiva, deinde polemica, paulatim methodum magis scientificam excolere nititur; (b) Theologia *majorum Patrum,* a Cone. Nicaeno (324) usque ad S. Leonem (f 461), quam methodice exponunt et invicte propugnant, contra magnas hæreses, viri ingenio subtili, eruditione et eloquentia praediti; (C) Theologia *Patrum minorum,* quæ paulatim decidens, ex operibus anterioribus praecipua sua argumenta depromit

§ I. Theologia ante-Nicæna (I-IV sæc.).

Praenotandum. Doctrina Christiana, quam expolire, probare et in synthesim coordinare proprium munus est theologiae, in praedicatione Christi et Apostolorum, tota invenitur. Summa autem hujus prædicationis in libris canonicis Novi Testamenti et in traditionibus non scriptis consignata fuit. Quando exponitur doctrina in libris N. Testamenti contenta, quam minus proprie[3] hodierni vocant

1 Circa hanc ætatem consuli possunt : R. Ceillier, *Histoire des auteurs sacris et ecclésiastiqtus,* 23 vol. in-4®, Paris, 1729; 16 vol. in-40, Paris, 1858 ; Fessler, *Institutiones patrologia,* Œniponte, 1850, denuo edita a Jungrnann, 1890; Schwane, *Dogmengeschichte^z* tà.,* Freiburg, 1892 (gallice redditum a Degert, *Histoire des dogmes,* 6 vol., Paris, Beauchesne, 1903), vol. I; Hurter, *Hornenelator litterarius theologia catholica,* 3* ed., L I, Œniponte, 1903; Bardenhewer, *Patrologie,* 2* ed., Freiburg, 1901 (gallice redditum a Godet et Verschaffel, *Les Pères de ΓEglise,* 2À ed., 3 vol. in-8°, Bloud, 1905); *Geschichie der altkirchlichen Literaiur,* Freiburg, 1903 sq.; Harnack *, *Geschichie der altchristlichen Literatur bis Eusebius,* 4 vol., Leipzig, Hinrichs, 1893 δφ* P· de Labriolle, *Hist, de la littér. latine chrétienne,* Paris, 1920; præsertim vero Tixeront, *Histoire des dogmes,* 3 vol., Paris, 1905-1912; *Précis de Patrologie,* 4® ed., 1920; F. Cayré, *Précis de Patrologie,* 2 vol., Desclée, 1927-1930. — Selectos vero Patrum textus invenies ap. Roüet de Journel, *Enchiridion Pairisticum,* ed. 5a, 1922, Friburgi, in Germania.

3 Dico *minus proprie,* nam theologia N. Testamenti non ex scriptis tantum, sed ex *traditionibus* conflari deberet Theologiam N. Testamenti exposuerunt, inter catholicos : J. Tixeront, *H. D.,* p. 60-118; P. Batiffol, *L'enseignement de Jésus,* Paris, Blond, 1905 ; Prat, *La théologie de S. Paul,* I, Paris, Beauchesne, 1908; Tobac, *Le problème de la justification dans St Paul,* Louvain, 1908; — inter protestantes : B. Weiss*, *Lehrbuch der biblischen Theol. des N. T.,* 5a ed., Berlin. 1888 ; J. Holtzmann*, *Lehrbuch der neutestamentl.*

theologiam N. Testamenti, quatuor veluti stadia secerni possunt : (a) doctrina ipsius Christi primum ex *Synopticis,* deinde secundum *S. Joannem ;* (b) doctrina S. Pauli, qui dogmata divinitatis Christi et justificationis per gratiam prae ceteris illustrat; (c) doctrina ceterorum apostolorum (praeter Joannem); (d) doctrina S. Joannis, qui, ob sublimitatem sermonis de Verbo incarnato, *Theologus* a Patribus appellatus est.

4. Divisio. Ante *C. Nicænum,* quatuor tempora distinguere licet : (a) Patres *apostolici* fidem simpliciter *exponunt;* (b) *Apologetæ* eam contra Gentiles *propugnant* et philosophicis conceptibus illustrare conantur; (c) *Controversistæ* nascentes haereses *confutant ;* (d) *scholæ theologica* tertii saeculi doctrinam *magis methodice* declarant.

5. i° Patres apostolici revelationem, a Christo et Apostolis traditam, fideliter transmittunt et simpliciter exponunt, nempe : auctor *Doctrina apostolorum* (seu *Didachè},* circa an. 90 ; S. *Clemens* Papa 1 (f 98); S. *Ignatius* (f 107); S. *Polycarpus* (f 155) ; *Papias* (c. 150) ; *Pseudo-Barnabas* (Epistola, c. 130?); *Hermas* (Pastor, c. 140). Ab his autem primaevis auctoribus quaerenda non est scientifica et completa doctrinae Christianae expositio, quam nullo modo tradere tentaverunt, cum eorum scripta (plerumque epistolae) sint potius parœnetica, et nonnisi obiter de dogmatica doctrina tractent. Attamen, propter eorum antiquitatem, validissimum est eorum testimonium, eo magis quod doctrinam revelatam simpliciter tradunt, non autem eam philosophice interpretantur 2[3]

6. 2° Apologetæ 3. Mox autem religio Christiana, quam romani imperatores crudeliter persequuntur, variis argu-

Theol., Leipzig, 1896; G. B. Stevens*, *The Theology of the New Testament,* Edinburg, 1899; J. Bovon*, *Théologie du Nouveau Testament,* 2a ed., Lausanne, 1902 sq.

' Prima ejus epistola certe authentica est; secunda autem scripta videtur ante annum 150.

3 Optimam editionem Patrum apostolicorum edidit F. Funk, Tubingæ, 1901. Eorum doctrinam exponit Tixeront, *op. cil.,* I8, p. 119-168.

3 *P. G.,* t VI, et *P L.,* t. Ill; Otto *, *Corpus Apologetarum,* 3* ed., lenæ, 1886-1887.

mentis a paganis impugnatur. Ad tolerantiam imperatorum obtinendam, et ad præjudicia paganorum destruenda, Apologetæ (II* sæculi) christianismum exponunt et defendunt ', inter quos citandi sunt : *Aristides* (124-138 ?), *S. Justinus* (f 163-167), *Tatianus* (c. 180), *Athenagoras* (f 193), *Theophilus Antiochenus* (f 181-186), *Hermias, Minutius Felix* (180-190?), *Tertullianus* (c. 197).

Ex his plures, præsertim S. Justinus, Athenagoras, Theophilus, in suis scriptis religionem christianam cum philosophia Platonis præsertim et Philonis, conciliare conantur. Licet autem in hac conciliatione, theoriis philosophicis nimis indulgendo, de quibusdam dogmatibus (v. g., de generatione \rerbi) infeliciter passim loquantur, orthodoxam tamen doctrinam exprimunt quando a philosophicis speculationibus se abstinent.

7. 3° Controversistæ. Eodem saeculo jam pullulant variæ sectæ quæ genericam appellationem *Gnosticisme* obtinuerunt.

Eorum commune consilium est invenire aliquod systema quod doctrinam christianam, cum platonicis et neo-pythagoricis doctrinis, cum cosmogoniaet theologia variarum religionum Ægypti et Orientis in unum congerens, explicationem omnino completam afferat de Deo, mundo et homine. . Qui hoc systema perfecte calleret, veram γνωσιν haberet, scientiam scilicet superiorem fidei (πίστι), cujus est perfectio et explicatio.

Contra hanc falsam gnosim, quæ veram doctrinam christianam adulterabat,scripserunt S. Hippolytus, Tertullianus, et præsertim S. IRENÆUS[2]3 Hic, in suo tractatu *Adversus Hæreses,* gnosticæ speculationi opponit veram gnosim, scilicet " traditionem quæ est ab apostolis, et... per successiones episcoporum pervenit usque ad nos3.,.", et sic primum officium theologiæ christianæ diserte asserit, nunquam scilicet a Traditione et doctrina Ecclesiæ recedere. Speculationem autem circa fidem, in quantum potest, vitat Irenæus, Traditioni magis fidens quam humanæ philosophiæ.— In *Demons-*

1 Quorum apologetica argumenta jam exposuimus, *Theol. Fund.,* n. 39-43. Doctrinam eorum theologicam lucide exponunt Tixeront, *H D.,* L I, 244-280; J. Rivière, *StJustin et les Apologistes,* Paris, 1907, p. 159-338.

a P. G., VII. Cfr. A. Dufourcq, *Saint Irinie,* Paris, 1904; F. Vernet, D. T., voce *Irénle,* VII, 2394-2533; Tixeront, *op. dt.,* p. 239-280.

3 Adv. Hær.y III, c. 2-4; IV, 26, 33 : *P. G.,* VII, 847 sq., 1053 sq.; 1072 sq.

tratione apostolicæ prædicationis recenter edita (1907) modo exponit apologetico divinam religionis institutionem et praecipua dogmata, præsertim ea quæ ad Christum spectant.

8. 40 Scholæ theologicae. (A) Exeunte vero secundo saeculo, in ecclesia Alexandrina, florebat schola quaedam catechetica [1] quam, post Pantenem, rexit *Clemens* (ab an. 190 ad 202) et postea *Origenes* (ab an. 203 ad an. 230), qui primi tentaverunt systematice theologiam christianam exponere.

a) Clementis Alexandrini [3] praecipuum opus quod exstat, tres partes complectitur : *Exhortationem ad Græcos,* in qua variis argumentis apologeticis et polemicis lectorem ethnicum ad Christum convertere conatur ; — *Pcedagogum,* in quo varia dantur praecepta ut, duce Christo, in vita Christiana ethnicus conversus proficiat ; — *Stromata,* denique, in quibus scientificam fidei christianæ expositionem Clemens intendisse videtur, quam tamen ad exitum non perduxit : nihil enim aliud in hac parte fecit quam absque ordine multas quaestiones congerere. — Juxta Clementem, per philosophiam *fides* in *gnosim* ædificari postulat, quæ gnosis tamen fidem semper pro fundamento retinere debet. Hic jam habemus definitum munus theologi, cujus est uti ratione et philosophia ad veritates fidei exponendas et scientifice ordinandas. Nimis autem philosophiæ, et allegoricæ Scripturæ interpretationi innixa, Clementis synthesis non solum est imperfecta, sed in nonnullis erronea.

9. (b) Quod Clemens Alexandrinus in mente habuerat, Origenes, qui *Patris theologice* merito nomen sortitus est[3], in opere cui titulus *Deprincipiis* (περὶ ἀρχῶν), ad finem perduxit, et in systema reduxit omnem doctrinam christianam, ita ut prima Summa theologiæ a multis hoc opus nuncupetur. Attamen, licet ecclesiasticam prædicationem multum extollat*, sæpissime, Clementis ad instar, spiri-

[1] A. de la Barre, art. *Clément. d'Alex.,* in *D. T. C.,* 1.1, 805-824.

[3] *P. G.,* VIII-IX. Cf. Freppel, *Clément d'Alexandrie,* Paris, 1866; Bardy, *Clément. d'Alex.,* Paris, 1926; Patrick, *Clement of Alexandria,* Edinburgh, 1914 ; Tixeront, *op. cit.,* t. I, p. 281-296.

[3] *P. G.,* XI-XVII. Cfr. W. Fairweather, *Origen and greek patristic theology,* New-York, 1901; F. Prat, art. *Origène,* in *Diet, bibl.,* col. 1870-1889.; Batiffol, *L'Eglise naissante,* p. 358 sq.; Tixeront, *op. cit.,* t. I, P· 296-330.

[4] " Servetur vero *ecclesiasticaprcedicatio* per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad præsens in ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione".
I, præf. n. 2.

tuali sensui Scripturae potius quam litterali nimis fidens, et insuper speculationi plus sequo indulgens, in multos errores Origenes lapsus est, præcipue de inferioritate Filii et Spiritus Sancti, de præexistentia animarum et universali omnium instauratione; ejus tamen auctoritas, tam in Occidente quam in Oriente, maxima fuit * : ii etiam qui ejus errores impugnaverunt, multa ab eo depromere non dubitarunt.

10. (B) Eodem tempore, in Occidente :

(a) *Roma* florebat Hippolytus[2],3 qui contra Noetum lingua græca de Trinitate scripsit, et a plerisque operis, cui titulus Φτλοσοφουμχνα seu Omnium hæreseon confutatio, auctor habetur : in suis scriptis, erroribus non caret circa Trinitatem et Pontificis auctoritatem; audacius enim quam Irenaeus procedit, et speculationi latiorem aperit viam.

(b) Occidentalis tamen theologiæ auctor praecipuus TERTULLIANUS 3 està qui primus latinam linguam theologicis conceptibus accommodavit, ejusque juridica praecisione ad enuntianda dogmata felici exitu generatim usus est. Praecipua ejus opera dogmatica haec sunt : *De præscriptione, Adversus Praxeam, De Resurrectione carnis.* Infeliciter vero in Montanismum prolapsus est.

(c) Tertulliani discipuli fuerunt presbyter romanus Novatianus (postea hæreticus) qui in tractatu *De Trinitate* primum manuale latinæ theologiæ conscripsit4; et S. Cyprianus, carthaginensis episcopus, qui doctrinam de Ecclesia et de pænitentia diserte exposuit; erravit tamen in controversia de rebaptizandis haereticis 5.

1 " Reçu ou discute, condamné ou suivi, mais toujours exploité même par ceux qui l'ont contredit, Origène est resté le vrai fondateur de la théologie scientifique. L'Eglise d'Orient n'a pas compté d'explorateur, et, si l'on peut ainsi parler, de pionnier théologique plus hardi, ni de plus riche semeur d'idées". Tixeront, *op. rit.,* I, p. 330.

3 P. G., X. Cfr. A. d'Alès, *La Théologie de St Hippolyte,* Paris, 1906; K. J. Neumann*, *Hippolytus von Rom,* Leipzig, 1902; Tixeront, I, 322-328; Bardenhewer, § 54.

3 *P. L.,* I-III. Criticam editionem vulgavit Fr. Œhhler, Lipsiæ, 1853-54. Cf- A. d'Alès, *La Théologie de Tertullien,* Paris, Beauchesne, 1905.

4 T'. *L.,* 885-952. Cfr. A. d'Alès, *Novation,* Paris, 1925 ; H. Jordan, *Die théologie der neuentdekten Predigten Novations,* Leipzig, 1902 ; Tixeront, *Patrol.,* \ Bardenhewer. § 55.

5 P- IV — Criticam editionem operum S. Cypriani vulgavit *G. Hartel,* \ indobonæ, 1S6S-1S71. Cfr. E. W. Benson*, *Cyprian, his life, his time, his work,* London, 1897 : A. d Ales, *La Théologie de S. Cyprien,* Paris, 1922 ; Tixeront, *H. D.,* I, 418-427; Bardenhewer, § 51; Hurter, *Nomenclator,* 1' 76-S2.

h. (C) Post Origenem, in Oriente, præter *Methodium* qui contra Origenem multa scripsit, notatu digni sunt *Dionysius, Theognostes, Pierius,* qui scholam alexandrinam rexerunt, sed quorum scripta maxima ex parte perierunt.

In Occidente vero, post S. Cyprianum usque ad concilium Nicænum, nemo est qui inter theologos annumerari dignus sit.

§ II. Ætas Patrum majorum, a C. Nicæno ad S. Leonem (325-461).

12. Ecclesiæ pace reddita, elucet « magnum saeculum patristicum ». Tunc enim cum maj'ori studio revelationem perscrutantur philosophi christiani, ut eam in systema reducant, et formulis exprimant. In quo tamen negotio, quidam in varias *hæreses* labuntur. Cum autem Deus suae Ecclesiæ semper assistat, *doctores* suscitat qui contra haereticos veram doctrinam exponunt, et defendunt; et ex variis argumentis hinc inde agitatis, nova lux oritur quae non solum veritates impugnatas, sed complexum totius doctrinae christianae irradiat. Insuper, in *conciliis* contra haereticos, pressius definiuntur veritates revelatae, ita ut, in hac periodo multum crescat vehementerque proficiat dogmatum notitia et *scientifica expositio,* praesertim de Trinitate, Incarnatione et Gratia.

13. i° In Oriente, fere omnes controversiae circa dogmata Trinitatis et Incarnationis versantur.

(A) Contra *Arianos* qui divinitatem Verbi impugnant et a Concilio Nicæno (325) damnati sunt, strenue dimicavit usque ad mortem (373) S. Athanasius \ propterea Pater orthodoxiae appellatus. Inter ejus opera, imprimis recensentur quatuor *Orationes contra Arianos,* in quibus consubstantialitatem Verbi fuse propugnat, *Epistola de decretis nicænæ synodi, Epist. quatuor ad Serapionem,* ubi divinitatem Spiritus Sancti demonstrat.

(B) Post eum, contra arianos, semi-arianos et praesertim *macedonianos* qui Spiritus Sancti divinitatem negabant et a Concilio Constantinopolitano (381) damnati sunt, feliciter

l *P. G.,* t. XXV-XXVIII. Cf. G. Bardy, S. *Athanase,* Paris, 1914; F. Cavallera,.S. *Athanase,* Paris, 1908; Le Bachelet, art. *Athanase (Saint),* in *D. T. C.,* col. 2143-2178; Tixeront, *ofi. cit.,* p. 67-75.

decertarunt Magni Cappadoces, scilicet S. Basilius † 379 (præsertim in libris *contra Eunomium,* et *De Spiritu Sancto};* S. GREGORIUS Nazianzenus[2], Basilii amicus (330-399), in *Orationibus* quinque (n. 27-31), propter quas merito *theologus* vocatur; et S. GREGORIUS NYSSENUS[3], Basilii frater (f v. 395), qui non solum *contra Eunomium*^ sed etiam *contra Apollinarem* scripsit ad doctrinam catholicam de anima *rationali* Christi propugnandam, et insuper in *Magna Catechesi* universam doctrinam christianam contra paganos, judaeos et haereticos defendit : nimis tamen doctrinis platonicis et Origeni fidens, et speculationi deditus, non omnes errores vitavit.

(C) Eodem tempore, in Salamina, stat et acriter pugnat (non sine excessu) contra omnes haereticos cujuscumque nominis, sed praecipue contra Origenismum, S. Epiphanius[4] (v. 315-403) : cujus inter opera mentione digna sunt *Ancoratus* (de Trinitate et Spiritu Sancto) et *Panarium* (contra omnes hæreses).

(D) Hierosolymis, S. Cyrillus Hier. (v. 315-386) in 24 *Catechesibus* exponit catechumenis omnem revelatam doctrinam (de peccato, pœnitentia, fide et symboli articulis), et neobaptizatos initiat mysteriis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae.

14. (E) Tandem, adversus *Nestoriuni,* qui dogma Incarnationis pervertebat, asserendo Verbum Dei assumpsisse personam humanam, et proinde negabat B. Mariam vere Dei matrem esse, fortiter pugnavit S. CYRILLUS ALEX, († 444) : Nestorii errorem in suis scriptis *{De rectafide, Anathematismi, Adversus blasphemias Nestorii, De Incarnatione Domini}* confutavit, et ejus damnationem a Concilio Ephesino (431) obtinuit s.

1 *P. G.,* t. XXIX-XXXII. Cfr. P. Allard, *Saint Basile,* Paris, Lecoffre, 1903, et in *D. T.* C., † II, 441'455 ; Rivière, S. *Basile,* Paris, 1925 ; Bardenhew., § 67; Tixeront, † II, p. 77 sq.; Hurter, p. 147 sq.

2 *P- G.,* t. XXXV-XXXVIII. Cfr. Ulmann, *Gregorius v. Nazianz der Theol.,* Gotha, 1867; Benoit, *St Grégoire de Ndz.,* Paris, 1876; Bardenhewer, § 68; Hurter, p. 165 sq.

3 *P. G.,* t. XLIV-XLVI. Cfr. Vincenzi, *In Greg. Nysseni et Origenis scripta et doctrinam nova recensio,* Romæ, 1864-1869; Bardenhewer, § 69; Hurter, p. 156 sq.

4 *P. G.,* t. XLI-XLII. Cfr. Bardenhewer, §71; Hurter, I, p. 233 sq.

5 Athanasio et Cappadocibns doctrina affinis est Didymus Alexandrinus (v. 310-395) qui scholam Alexandrinam ultra 50 annos rexit, et doctrinam

15. (P) Nec prætermittendus est S. Joannes, propter aureum eloquentiæ flumen Chrysostomus[1] appellatus (344-407); etsi enim ethicos et asceticos sermones præcipue praedicaverit, pauca tamen dogmatica opera scripsit, v. g., *Quod Christus sit Deus,* necnon homilias *contra Anomœos.*

In *Syria,* præter Aphraatem[2] (c. 340) qui de rebus moralibus præcipue scripsit, floruit S. Ephraem[3] (t 375), qui non sohim commentaria in Scripturam edidit, sed etiam sermones dogmaticos et polemicos contra Gnosticos, Judæos, et contra Julianum Apostatam; præclara pariter de B. Maria Virgine scripsit.

16. [20] In Occidente, (A) orthodoxam fidem contra Arianos S. Hilarius[4], Pictaviensis episcopus (f 366), feliciter defendit præsertim in XII libris *de Trinitate.*

Adversus arianos scripsit etiam S. Ambrosius[5], Mediolanensis episcopus (f 397), *de Fide* et *de Spiritu Sancto*** : quin super doctrinam, Christianam de sacramentis *(De mysteriis, de Pcenitentid)* exposuit[7]. S. Hieronymus[8] (t 419), qui exegesi potius quam theologiæ incumbebat, opera tamen quædam dogmatica nobis reliquit, scilicet : *Adversus Helvidium,* de perpetua virginitate B. Mariæ; *AdversusJovinianum,* de virginitate, jejunio etc.; *contra Vigilantium,* de cultu sanctorum, et vita monastica, et *Dialogum contra Pelagianos.*

Christianam *de Trinitate* recte exposuit; qui tamen sæpe Origenis opinionibus nimis imbutus esse videtur. Cfr. *P. G.,* t. XXXIX; G. Bardy, *Didyme TAveugle,* Paris, 1910; Bardenhewer, § 70.

1 *P. G.,* XLXVII-LXIV. Cfr. Bardenhewer, § 74; Hurter, p. 239 sq.

3 R. Graffin, *Patrol, syriaca,* I-II. Cfr. J. Forget, *De vita et scriptis Aphraalis,* Lovanii, 1882; Tixeront, II, 202-209.

3 S. *Ephrœmi opera omnia,* Romæ, 1732-1746. Cfr. C. Eirainer, *Der hl. Ephraem der Syrer, eine dogmengeschichtliche Abhandlung,* Kempten, 1889; Tixeront, II, 209-221 : C. Emereau, 5. *Ephrem le Syrien,* Paris, 1919.

4 *P. L.,* IX-X. — Cf. Baltzer, *Die Théologie des Hilarius,* Rottweil, 1879; G. Rasneur, *L'homoïousianisme dans ses rapports avec forthodoxie,* in *Bev. d'Hist, eccles.,* t. IV, 1903 ; Bardenhewer, § 86.

5 *P. L.,* t. XIV-XVIL Cfr. Th. Forster*, *Ambrosius, Bischof von Mailand,* Halle, 1884; P. de Labriolle, *St Ambroise,* Paris 1908; Bardenhewer, § 90.

6 Eodem tempore scripti sunt etiam varii tractatus contra Arianos a Phcebadio, Agennensi episcopo, Gregorio, Illiberitano episcopo, et Faustino.

7 Libri *De Sacramentis* S< Ambrosio erronee ascripti sunt. — De pœnitentia contra *Novatianos* scripsit Pacianus, (t 390), Barcinonensis episcopus.

8 *P. L.,* L XXII-XXX. Cfr. Sanders, *Eludes sur St Jérôme,* Paris, 1903 ; Largent, *Saint Jérôme,* Paris, 1898 ; Tixeront, II, p. 243-250; F. Cavallera, *S. Jérôme et son œuvre,* Louvain, 1922; J. Forget, *D. T. C.,* t. VIII, 894-9*3.

17. (B) Sed prae omnibus eminet S. Augustinus [1] (354-430) in cujus laudes "effusi sunt omnium aetatum scriptores. Mirantur in ipso eruditionis copiam, ingenii sagacitatem, qua subtilissimas movet de difficillimis mysteriis quaestiones, unde theologiae scholasticæ stravit viam ; mirantur idearum nobilitatem, animi magnitudinem et fortitudinem... disputandi solertiam... ardentissimum pro veritate et justitia zelum, inexhaustam disserendi ubertatem ; vix est enim quaestio theologica quam non attigerit, vix haereticorum genus quod non impugnaverit, adeo ut librorum numero et varietate omnes superaverit patres " [2]

Inter ejus innumera opera et opuscula, theologo maxime utilia sunt -.*Enchiridion* ad Laurentium, in quo ad tria capita (de fide, spe, et caritate) christianæ religionis summam revocat; *Defide et symbolo,* in quo singulos symboli articulos accurate explanat; libri XV *de Trinitate,* opus miræ profunditatis et contemplationis; libri XXIV *de Civitate Dei,* opus exquisite eruditionis, ubi mirabiles divinæ Providentiae viæ exponuntur; Zte *diversis quaestionibus* (philosophicis, exegeticis, sed et dogmaticis) ; tandem varii tractatus *(De fide et operibus, De conjugiis adulterinis},* et varia *scripta polemica* adversus Manichaeos, Donatistas et Pelagianos.

(a) *Manichai* (eisque affines *Priscillianistce)* admittebant duo ætema rerum principia, unum boni, alterum mali : contra quos Augustinus, qui et ipse ante conversionem manichæus fuerat, scripsit innumera opuscula, v. g. : *De Moribus, De libero arbitrio, Contra Faustum, De natura boni,* etc.

(b) *Donatista* autem contendebant peccatores notorios ad Ecclesiam non pertinere nec proinde valide sacramenta conferre, nam juxta eos, non valent sacramenta extra veram Ecclesiam collata : contra quos Augustinus veram notionem Ecclesiæ statuit, et doctrinam de sacramentis exposuit, præsertim in septem libris *de Baptismo* [3].

[*] "S. Augustin est, sans contredit, le plus grand docteur qu'ait jamais possédé l'Eglise... En lui se résume et sur lui se ferme l'antiquité chrétienne latine, dont la pensée a trouvé dans son œuvre son expression la plus précise, mais avec lui aussi commence à poindre la théologie du moyen-âge qu'il a préparée, et dont les germes existent déjà dans ses écrits". Tixeront, II, p. 354.

[1] Hurter, 1,272. —*P.L.,* t. XXXII-XLV. Cfr. Portalié, art *AugustinfS.),* in *D. T. C.,* t. I, 2268-2472 ; Tixeront, II, 354-512.

[3] Contra *Donatistas* jam strenue dimicaverat S. Optatus, Milevitanus episcopus, in septem libris *De schismate donalistarum contra Parmenianum* (c. 370),

(C) *Pelagianos* vero, qui inter alia necessitatem gratiæ, et peccatum originale negabant, confutavit Augustinus in variis tractatibus *De peccatorum meritis et remissione, De natura et gratia, De nuptiis et concupiscentia,* etc., et in libris contra *Julianum* Eclanensem episcopum. Propter quod merito vocatus est *Doctor gratiæ.*

18. Jam vero Pelagiani quidam suos errores mollierunt, negantes tantummodo necessitatem gratiæ ad *prima* salutis exordia : contra hos *semipeTagianos* (seu Massilienses, a loco ubi praecipui degebant), scripsit Augustinus, *De gratia et libero arbitrio, De correptione et gratia, De prædestinatione sanctorum, de dono perseverantiæ.* Eumdem errorem (a Cassiano et a S. Vincentio Lirinensi admissum) profligavit S. Prosper Aquitanus [x], in libro *De gratia et libero arbitrio contra collatorem,* et in *Responsionibus ad capitula objectionum Vincentianarum* [2].

19. (C) Post S. Augustinum speciali mentione dignus est S. Leo MAGNUS [3], qui, dum cathedram apostolicam teneret, (440-461) fere omnes dogmaticos errores impugnavit [4], praecipue per *epistolas.* Inter has eminet *Epistola dogmatica ad Flavianum,* in qua dogma Incarnationis Domini tam exacte

in quibus de Ecclesia et Sacramentis orthodoxam doctrinam clare exprimit.

[1] *P. L.,* LI. — Cfr. Woerter*, *Zür Dogmengeschichte des Semipelagianismus,* Munster. 1900; Couture, in *Bulletin delitt. ecclts.,* Toulouse, 1901, 269-282; Bardenhewer, § 95.

[3] Cassianus (+ 435) scripsit septem libros *De incarnatione Domini contra Nestorium,* sed propter opera ascetica *{De institutis coenobiorum, Collationes)* præsertim celebris est. S. Vincendus Lirinensis auctor est duplicis *Commonitorii* (c. 434) in quo de traditione et progressu dogmatis in Ecclesia mire locutus est.

[3] T'. *L.,* LXXX-LXXXIV. Cfr. C. Bertani, *Vita di S. Leone Magno,* Monza, 1880-1881; Ph. Kuhn, *Die Christologie Leos I d. Gr. in systematischer Darstellung,* Wurzbourg, 1894; Bardenhewer, § 97; Ad. Regnier, *St Lion le Grand,* Paris, Gabalda, 1911.

[4] " Mysterium sacrosanctæ Trinitatis contra *Priscillianistas,* Incarnationis Filii Dei necessitatem contra *Judaos,* ejusdem cum Patre consubstantialitatem contra *Arianos,* naturæ humanæ proprietatem contra *Eutychen,* contra *Nestorium* personæ singularitatem, Ecclesiæ jura atque potestatem contra *Novatianos,* corporis mystici Christi unitatem contra *Donalistas,* gratiæ necessitatem contra *Pelagianos* eorumque reliquias, mysteriorum omnium veritatem, dignitatem, sanctitatem contra *Manichaos*... explicuit, asseruit, propugnavit ", Quesnellus, in Nuncupatoria suæ ed. præfixa, cit. ab Hurter, t I, 370.

exprimitur ut tanquam jegula fidei a Concilio Chalcedonensi (451) habita sit in damnatione hæresis eutychianæ, de qua in § sequenti agitur.

§ III. Ætas Patrum minorum, (sæc. vi-viii).

20. I. In Oriente. Quamvis praeterierit aurea ætas theologiae patristicae, sunt tamen in hac periodo aliqua opera de quibus loqui debemus, scilicet : opera mystica *Pseudo-Dionysii,* opera polemica occasione *controversiarum* hujus aevi scripta, et praesertim opera dogmatica 5. *Joannis Damasceni.*

(A) Circa finem saeculi V' (vel initio VIl), sub nomine Dionysii Areopagitæ', in Syria (vel in Egypto?) editi sunt, cum decem epistolis (plerisque dogmaticis), quatuor tractatus : *de divinis nominibus, de mystica theologia, de ccelesti hierarchia, de ecclesiastica hierarchia,* qui in toto medio aevo maxima fruiti sunt auctoritate (utpote vero Dionysio Areopagitæ attributi) et innumeris commentariis expositi sunt His in scriptis, auctor neoplatonicus de Deo ejusque attributis, de hierarchiis angelicis, de unione cum Deo per contemplationem altissime speculatur, jam præludens philosophico aedificio Revelationis quam Scholastici perficient, utendo multis lapidibus a Dionysio expolitis.

21. (B) Controversiae. Cum Concilium Ephesinum (431) contra Nestorium definierit *unitatem persona* in Christo, christiani quidam, duce *Eutychete,* ad erroneum sensum detorquentes expressionem a S. Cyrillo adhibitam (μία φυσι), contenderunt in Christo, post unionem, non esse nisi *unam naturam :* quem errorem damnavit concilium Chalcedonense (451). Cum tamen hoc decreto *monophysismus* non fuerit abolitus, et *nestorianus* error ex alia parte revixerit, doctrina catholica in *Concilio II Constantinop.* (553) iterum proposita fuit. In hac autem controversia eminet Leontius Byzantinus' (f 543) in libris *Adversus Nestorianos et Eutychianos.*

Definita vero duplici Christi natura, orta est controversia de duplici *voluntate et operatione* in Christo. S. Sophronius 3 (f 638),

---

l *P. G.,* t III-IV. Cfr. J. Stiglmayr, S. J., *Das Aufkommen der Pseudo-Dionysischen Schriften...,* Feldkirch, 1895; N. Nilles, S. J., In *Zeitschr.f kaih. Theol.,* XX, 1896, 395-399; Bardenh., § 100; B. Godet, *D. T. C.,* t iv, 429-436.

P. G., t. LXXXVI. Cfr. Fr. Loofs*. *Leontius von Byzanz,* Leipzig, 1887; Ermoni, *De Leontio Byzantino,* Paris, 1895; Bardenhewer, § 102.

JP. *G.,* t LXXXVII, 3147-4014. Cfr. Bardenh., § 104.

Hierosolymitanus patriarcha, et S. Maximus [a] (t 662), unus ex præcipuis Ecclesiæ græcæ theologis, fortiter dimicaverunt contra *Monothelismuml* qui in concilio III Constantinop. (680) damnatus est.

22. Notandæ sunt etiam controversiæ *de cultu imaginum (y* 26-840), in quibus catholica doctrina Germanum Constantinop. episcopum (t 740) et præsertim S. Joannem Damascenum in *Orationibus pro SS. Imaginibus* propugnatores habuit, et a Concilio II Nicæno (787) definita fuit

23. (C) S. Joannes Damascenus[3] (f 749?), præter multa opuscula polemica (contra Iconoclastas, Nestorianos, Monophysitas, Monothelitas, Acephalos, Manichaeos, Saracenos, etc.), et parvos tractatus dogmaticos *(de Trinitate, de hymno trisagio* etc.), magnum opus composuit cui titulus *Fons scientiæ* (Πηγη γνώσεω) inscribitur. In prima parte hujus operis *(Dialectica},* post philosophiæ definitionem, Aristotelis vestigiis inhaerendo, universam ontologiam exponit, et omnium vocum, quas SS. Patres Graeci adhibuerunt, sive disputando cum haereticis, sive fidei doctrinam enucleando, sensum verum determinat. In secunda parte *(De hceresibus}* omnium hereseon catalogum contexuit. Tertia pars vero (opus vere aureum) complectitur libros quatuor *De fide orthodoxa* 4, in quibus compendium totius theologiae christianae ordinatim exposuit : de Deo (lib. I); de creatione et providentia, de angelis, daemonibus et hominibus (lib. II); de redemptione (lib. III); de baptismo et eucharistia, de cultu sanctorum et reliquiarum, de canone Scripturarum, de malo, de novissimis (lib. IV). Hic jam habemus *Summam* quamdam theologicam, quae cum aliis Summis occidentalibus posterioris aevi merito comparari potest : unde Damas-

l *P. G.,* t XC-XCI. Cfr. H. Weser, S. *Maximi Conf. pracepta de Incarnatione Dei et deificatione hominis,* Berlin, 1869; Hefele-Leclercq, *Hist, des Conciles,* t. III, p. 401-425, 461-470; Bardenh., § 107.

a Quem cultum, iterum oppugnatum, strenue defendit Theodorus Studita (759-828) ‘‘illustrissimum hoc tempore Ecclesiæ orientalis lumen, sanctitate, scientia, zelo plane insignis ” (Hurter, col. 721).

3 *P. G.,* t. XCIV-XCVI. Cf. Ermoni, *S. Jean Damascène,* Paris, Bloud, 1904; Bardenh., § 108; M. Jugie, *D. T. C.,* t. VIII, 693-751.

4 “ Opus in antiquis græcis codicibus non comparet divisum in libros. Excogitata videtur ea divisio a latinis ad normam libr. IV Sententiarum Petri Lombardi cui Damascenus præivit exemplo ”. Hurter, I, 668.

cenus “ Græcorum Lombardus ” vel M primus scholasticus ” passim nuncupatur. Post ipsum autem, nullus invenitur auctor qui theologiae orientali jam fere mortuae vitam inspirare potuerit.

24. II. In Occidente. (A) Quinto et sexto sæculo, præter *Priscillianismum,* cujus reliquiæ, a Concilio Braccarensi (563) in Hispania, tandem profligatæ sunt, perfide serpebat (in Gallia et in Africa) *semipelagianus error* qui, per S. Augustinum et S. Prosperum non perfecte deletus, a Fausto, Reggiensi episcopo (t c. 490), in duobus libris *de gratia et libero arbitrio* (contra *Lucidi* prædestinatianismum scriptis) propugnatus erat : quem errorem a monachis Scythis denuntiatum S. Fulgentiusx, Ruspensis episcopus (t 533), doctrinæ S. Augustini fidelissime inhærendo, solide confutavit in tribus libris *De veritateprcedestinationis et gratice Dei,* et in libris (perditis) *Contra Faustum,* et *Concilium Arausicanum* //(529) a Bonifacio II approbatum (530) solemniter condemnavit. Cujus concilii præses erat S. Cæsarius, Arelatensis episcopus (470-543), qui, cum Avito, Viennensi episcopo (f c. 526), ad hanc hæresim extirpandam multum adlaboravita.

25. Exeunte autem octavo sæculo, præter controversias de processione Spiritus Sancti a Patre *et Filio* 3, et *de cultu imaginum* novus error in Occidente ortus est, *adoptianismus* scilicet (ultimus hæresis nestorianæ surculus), juxta quem Christus secundum naturam humanam non est Filius Dei naturalis, sed tantum adoptivus. In hunc errorem ab *Elipando,* Toletano archiepiscopo (t c. 808) et a *Felice,* Urgellitano episcopo (c. 799) admissum, insurrexerunt

l *P. L.,* t. LXV. Cfr. Fr. Woerter, *Zur Dogmengeschichte der Semipelage* III, *Die Lehre des Fulgentius von Ruspe,* Munster, 1900; Fessier-Jungmann, *Instit. Patrol.,* L II, p. 398-432.

3 *P.* Δ, L XXXIX et LXVIL Cfr. Malnory, *St Césaire, évlque d'Arles,* Paris, 1894; P. Lejay, *Le rôle théologique de St Césaire d'Arles,* in *Rev d hist. et de littér. relig.,* t. X, 1905, p. 145 sq., et in *D. T. C.,* t. III, 2168-2185.

3 Jam a sæculo sexto verba *Filioque* in Symbolo Nicæno ab Hispanis addita fuerant, ut dogma catholicum de processione Spiritus Sancti clarius exprimeretur ; quæ additio sæculo octavo ab ecclesiis francis recepta fuit. Orta autem de hac additione controversia inter Latinos et Græcos, Theodulfus, Aurelianensis episcopus (t 821), de hoc argumento disseruit Additio autem, quamvis a Leone III non probata, qui processionem *ab utroque* expresse tamen approbavit, paulatim etiam Romæ inducta est (cf. n. 661).

4 Cum decreta Nicæna (787) de cultu imaginum pravam interpretationem in Occidente recepissent, contra hunc cultum editi sunt varii libri (inter quos *libri carolini],* et concilia adunata. Qui tamen cultus, contra Claudium Taurinensem, a Theodemiro, Dungalo, Jonaet W. Strabone strenue propugnatus, sæculo nono mediante, ab omnibus ut legitimus habetur.

Hadrianus I, in Epistola ad Hispaniæ episcopos, Alcuinus (t 804, de quo infra); Paulinus Aquilejensis [1] (t 804), qui contra Elipandum scripsit *Sacrosyllabum*·, Agobardus [2] (f 840) : in variis conciliis (792-799) damnata, nova hæresis cito extincta est.

26. (B) In eadem periodo invenire est scriptores qui, confutandis erroribus operam non dantes, doctrinam scientificam, philosophicam, theologicam, ab antecessoribus a sæculis traditam, synthetice contrahunt, et quasi encyclopaedias concinnant.

Boetius (4807-524), romanus, præter libros quinque *de consolatione philosophice,* qui innumeros commentatores habuerunt, versiones edidit operum *Aristotelis* (v. g., Analyticorum), *Porphyrii* (v. g., Isagoge) etc.; eaque commentariis illustravit, et ita totius aedificii scholastici, Logicen scilicet, fundamentum posuit. Aliquot insuper theologica reliquit opuscula *(de S. Trinitate, de fide, de persona et natura etc.),* in quibus "utitur argumentis non tam ex Scripturis quam ex ratione revelatione illustrata desumptis, ita ut scholasticis quodammodo facem praetulisse videatur" [3].

27. Cassiodorus (477-570) qui sexto sæculo "eruditione, singulari industria, et diligentia omnes praecellit" [4], monachos Vivarii ad scientiam fovendam mire incitavit. In eorum usum, (præter alia opera historica) *Institutiones divinarum et scecularium lectionum* concinnavit, quæ tanquam introductio ad studium theologiae, S. Scriptura, et septem artium liberalium, a medio ævo adhibitae sunt [5].

28. S. Isidorus, Hispalensis episcopus (t 636), "canalis instar transfudit ad posteras aetates scientiae ecclesiasticae saeculorum priorum thesauros" [6]. Inter ejus opera, ad theologiam dogmaticam spectant *De ordine creaturarum, De fide catholica,* et libri tres Sententiarum seu *De summo bono.* Sed ejus præcipuum opus sunt libri viginti *Etymologiarum* qui compendiosam omnium disciplina-

[1] *P. L.,* XCIX, 151-182. Cfr. *ffist. littéraire de la France,* IV, 284-295; Hurter, t. I, 710.

[2] *P. L.,* CIV. Cfr. Chevalard, *S. Agobard, sa vie et ses écrits,* Lyon, 1869.

conciliis (792-799) damnata, nova hæresis cito extincta est.

[3] Hurter, I, 461. Hujusmodi opuscula multi in medio ævo commentati sunt. Etiam *de musica, de geometria, de institutione arithmetica,* etc., Boetius scripsit. Cf. P. Godet, *D. T. C.,* II, 918-922.

[4] Hurter, I, 523. Cfr. *P. L.,* t. LXIX-LXX ; P. Godet, art. *Cassiodore,*

[5] De S. Gregorio Magno (540-604) hic non loquimur, nam ejus opera minus in dogmatibus illustrandis versantur, quam in formandis moribus et instruendis pastoribus [1] (Hurter, col. 559); de quo agimus in Prolegom. ad Theol. Moralem.

[6] Hurter, I, 566. Cfr. *P. L.,* LXXXI-LXXXIV; E. Bourret, *L'Ecole chrétienne de Séville,* Paris, 1855, p. 59-193.

rum encyclopædiam, ex multis scriptoribus depromptam, exhibent, ex quibus in medio ævo quam plurimi hauserunt suam eruditionem.

2Ç. S. Beda dictus Venerabilis (673-735), natione Scotus, "nobilissimus hujus temporis magister", ait Alcuinus, quamplurima reliquit opera de omni fere argumento (scientific©, exegetico, historico, non tamen directe theologico) : a Bonifacio "candela Ecclesiæ" appellatus fuit, totum medium ævum sua scientia illustravit[1], et Doctor Ecclesiæ a Leone XIII renuntiatus est.

Alcuinus [2] (735-804), Caroli Magni magister, adjutor et consiliarius in restaurandis et promovendis studiis, et octavi sæculi illustrissimus theologus[3], præter epistolas et varia opera (liturgica, moralia, exegetica, hagiographica), nobis reliquit scripta dogmatica, nempe libros tres *de fide sancta, et individua Trinitatis* (compendium quoddam theologiæ, sacramentis exceptis), et aliquot opuscula *de Trinitate, de processione Spiritus Sancti,* et contra *Adoptianos.*

Art. II. Ætas scholastica (sæc. IX-XVI)[4].

PRÆPARATIO.

30. (A) Initio hujus ætatis florebat in Oriente tristissimi auctor schismatis, *Photius* (820-895) : contra quem scripserunt Æneas Parisiensis (f 870) et Ratramnus. Sed praecipua opera theologica noni sæculi, occasione controversiarum *de Prædestinationc* et *de Eucharistia,* scripta sunt.

(a) Contra *Gotteschalcum* (f 869) qui, duplicem distinguens praedestinationem, ad vitam scilicet et ad mortem aeternam, utramque

[1] Hurter, *op. cil.,* 631-641. Cfr. *P. L.,* L XC-XCV; Werner, *Beda der Ehrunirdige und seine Zeil,* Vienne, i881 ; Rawnsley, *The Venerable Bede,* Sunderland, 1903; P. Godet. *D. T. C.,* II, 523-527.

[2] *P- L.,* t. C-CI. Cfr. K. Werner, *Alenin und sein Jahrhundert,* Paderborn, 1876; Hamelin, *Essai sur la vie et les ouvres d'Alcuin* (thèse) Paris, 1877.

[3] Hurter, I, 701.

[4] Circa hanc ætatem consuli possunt : Hurter, *op. cit.,* t. I (1903) et II (1906); Scheeben, *Dogmatik,* t. I, vel *Histoire de la tbiologie,* éd. franç., Paris, 1S79; Simler, *Des sommes de théologie,* Paris, 1871; Hauréau, *Hist, de la Philos, scolastique,* 2e éd., Paris, 1880; Kleutgen, *Die philosophie der Vorzeit,* Munster, 1860-63; Toreilles. *Le mouvement thiologique en France depuis ses originesjusqu'à nosjours,* Paris, 1901. p. 1-35; P. Féret, *La j'aculté de théologie de Paris, et ses docteurs les plus célèbres,* Moyen-Age, 4 vol., Paris, 1894 sq., Quétif-Echard, *Scriptores ordinis Pradicatorum,* Parisiis, 1719; Wadding. *Annales ordinis Minorum* (ed. *Fonseca),* Roinæ, 1731- 1745; Gilson, *La Philosophie au Moyen-Age,* Paris.

necessitantem esse contendebat ', scripserunt, post Amolonem, ep. Lugdunensem' (t 852) : Rabanus Maurus 3, et præsertim Hincmarus 35 *de prædestinatione Dei et de libero arbitrio;* cum vero S. Remigius, ep. Lugdunensis (f 875) et alii *{Lupus Servatus, Ratramnus'),* Gotteschalci doctrinam (non tamen ex omni parte) benigne interpretarentur ad mentem S. Augustini, de hac quaestione scripsit, hortante Hincmaro, Joannes Scotus Erigena 5 librum *de prædestinatione,* sed infelici exitu : nam dialecticis argumentis nimis indulgens, in multos errores incidit6 7quos ei exprobrarunt Prudentius, ep. Trecensis (t 861), Florus, diae. Lugdunensis, et plures synodi. Occasione autem hujus controversiae, quaestiones *de prædestinatione* et *de prcescientia* Dei distinctius expositae sunt.

31. (b) Eodem tempore, de modo essendi Christi in Eucharistia 7 magna orta est controversia, præsertim inter Paschasium Radbertum 8, Corbeiensem abbatem (t c. 865) et Ratramnum 9, ejusdem monasterii monachum, occasione libri Paschasii *de corpore et sanguine Domini,* (an. 831 compositi, sed an. 844 editi). Ab utroque admittitur præsentia realis Christi; sed cum notiones substantiæ, accidentium et conversionis, et natura corporis eucharistici Christi non satis præcisæ essent, unusquisque in suo sensu abundat : Ratramnus (cui consentire videntur Amalarius Metensis, Rabanus Maurus et Florus), ut incorruptibilitatem corporis eucharistici intuto ponat, de ejus identitate cum corpore Christi historico et de permanentia panis et vini post consecrationem parum accurate loquitur : contra quem Radbertus statuit panis et vini substantiam

1 Cfr. Gaudard, *Gottschalk, moine d'Orbais, ou le commencement de la controverse sur la prédestination au IX* s.* (thèse), Paris, 1887; Héfélé-Leclercq, *Conciles,* t. IV, p. 137-186; 199-235. — * *P. L.,* t. CXVI.

3 Moguntinus episcopus, scriptor hujus ætatis forte omnium laboriosissimus (786-856), qui non solum in controversiis dogmaticis partes habuit, sed de omni fere argumento scripsit : de Scriptura sacra, de disciplinis ecclesiasticis, necnon et lib. XXII *de universo (P. L.,* CVII-CXII).

4 Remensis episcopus (806-882), qui in politicis et religiosis negotiis hujus temporis praecipuas partes egit, et insuper quam plurima reliquit scripta *{P. L.,* CXXV-CXXVI). Cfr. Schrors, *Hinkmar von Reims,* Freiburg, 1884.

5 *P- L.,* L CXXII. Cfr. Saint-René Taillandier, *Scot Erigène el la philos, scolastique,* 1843; Jacquin, *Le Néo-Platonisme de J. Scot,* in *Rev. des Sc. Phil, et Thiol.,* t. I, 1907, p. 534-625.

6 Pariter in opere *De Corpore et sanguine Domini,* cujus fragmenta tantum supersunt (liber enim *De Corpore et sanguine D.,* ei adscriptus, non est authenticus), circa transsubstantiationem et forsan realem Christi præsentiam in Eucharistia errasse videtur.

7 Schwane, *Dogmengeschichte,* III, 628 sq. ; Choisy *, *Paschase Radbert, Etude historique,* Genève, 1888; A. Naegle, *Ratramnus und die Eucharistie,* Wien, 1903.

t. CXX, 1267 sq. — » *P. L.,* t. CXXI, 403 sq.

non superesse facta consecratione, ipsumque corpus Christi eucharisticum esse corpus historicum : quod W. Strabo, Hincmar, Haymo et postea multi alii jure approbarunt, et Ecclesia definivit.

32. (B) Omisso decimo sæculo, in quo " nullum reperimus qui inter theologos vel polemicos referri possit " *, nisi forte excipias *Ratherium Veronensem* ', ad undecimum accedamus.

Hac aetate fidelium animos turbarunt *Berengarii* Turonensis (t 1088) errores circa eucharistiam : Fulberti Carnotensis (t 1028) discipulus, qui tam egregie scripserat de altaris sacramento 3, praesentiam realem Christi in eucharistia negare praesumpsit. Contra quem scripserunt Hugo de Breteuil (§ 1051)*, Adelmannus (t 1062), Bemolduss, Ascelinus, Deoduinus6, Renalius 7, Albericus (t 1088), S. Anastasius8, Durandus (t 1088) 9, Guitmundus (t 1090),o, Wolphelmus (t 1091), sed præsertim Lanfrancus (io o 5?-io 89) "omnium forte praecipuus hac periodo theologus, et in dialectica maxime valens, æræ lætioris aurora " ", cujus doctrina de Eucharistia in synodis romana et vercellensi (1050), qui Berengarium damnarunt, probata fuit. Eo etiam celebris est Lanfrancus quod in monasterio Beccensi, cujus prior erat, scholam famosam aperuit in quam undique accurrerunt egregii discipuli, imer quos S. *Anselmus,* scholasticæ theologiæ parens ".

Theologiæ scholasticæ historiam ad tria tempora revocamus : i° ejus *ortum* et *initia* (XII°s.); 2° ætatem *auream* (XIIIo s.); 3°*prolapsum* (XIV-XV° s.).

§ I. Theologiæ scholasticæ ortus et initia *3 (xn° SÆC.)

33. i° S. ANSELMUS »4, Augustæ Prætoriæ (Aosta) natus (1033), Lanfranci discipulus, post ipsum prior monas*

* Hurter, I, 873. — * id., 901- — 3 Ep. V, *P.* £., CXLI.
4 *Tr. de corpore et sanguine Domini, P. L.,* CXLII, 1321-1331.
s *P. L.,* CXLVIII, 1453. *P. L.,* CXLVI, 1439.
' *P. L.,* CXLVII, 299-302. —3 *P. L.,* CXLIX, 433-436.
' *P. L.,* CXLIX, 1375-1424- — 10 *P- T,* CXLIX, 1425-1513.
" Hurter, I, 1055.
" Prædictis annumerandi sunt Algerus Leodiensis (1070-1105?), Hildebertus Cenomanensis (1056-1133), qui de Sacramento altaris scripserunt, initio sæculi sequentis.
>3 De Wülf, *Histoire de la philosophie midilvak,* Louvain, iKO ; P. Féretj t. I. p. 1-164.
14 *P·* ■£·» CLVIII et CLIX. Cf. Card, d Aguirre, *Theol.* S. *Anselmi,* Salamancæ, 1678-1681 \ Franz. R. Hasse , *Austlm von Canterbury,* Leipzig, 1843-1S52; G. W. Church*, S. *Anselm,* London, 1870; Ragey, *Histoire de St Anselme,* Paris, 1S90; Bainvel, *D. T. C.,* **i1,** 1327-1360.

terii Beccensis, et postea abbas, archiepiscopus denique Cantuariensis, an. 1109 obiit. Inter ejus opera dogmatica eminent :(a) *Monologium* ubi de Dei natura, duce S. Augustino, subtiliter disserit, et *Proslogium,* in quo pro Dei existentia celebre proponit argumentum ontologicum ; (b) *De fide Trinitatis* et *de Incarnatione Verbi* contra Roscellinum Compendiensem ; (c) *De casu diaboli* (de mali origine) et *Cur Deus homo* " quo in opere, incarnationis necessitatem nimis urget " 1 ; (d) tandem *de conceptu virginali et peccato originali; de veritate; de libero arbitrio; de concordia* præscientiæ et prædestinationis neenon gratiæ Dei cum libero arbitrio. Quibus in operibus, quæstiones potiores theologiæ tractantur, dialogi plerumque forma; duo principia semper præ oculis habentur : *intellectus quærens fidem* et *fides queerens intellectum.*

34. 2° Hugo a S. Victore2 (1096-1141), qui, post Gulielmum de Campellis, scholam parisiensem S'* Victoris rexit, et de mystica multum scripsit; in libris *De sacramentis Christiana, fidei,* totius theologiæ dogmaticæ et moralis compendium tradidit, sic præludens, cum Abælardo, *Summis* theologicis quæ post eos cito prodierunt.

35.3° Paulo ante, methodo dialectica, jam in schola Beccensi 3 sobrie adhibita, ad theologiam exponendam Abælardus (1079-1142) magno plausu usus erat, primum Parisiis, et postea in monasterio S. Dionysii; non tamen sine excessu : nam, plus æquo rationi tribuens in rebus fidei, in multos errores incidit, præsertim de Trinitate, Incarnatione et gratia, quos ei exprobravit S. Bernardus (1091-1153), et plura concilia damnaverunt. Abælardi præcipua opera dogmatica sunt : *Introductio ad theologiam, Theologia christiana,* et *Sic et Non.* Hoc ultimo opere novam insuper induxit methodum : de variis argumentis theologicis testimonia Patrum colligit sibi opposita, discipulum rogans ut, juxta regulas in prologo propositas, ea conciliare conetur *.

* Hurter, II, 5-
* *P. L.,* CLXXV-CLXXVII. Cf. Mignon, *Les origines de la scolastique et H. de S. Victor,* Paris, 1895, 2 vol. in-8°; F. Vernet, *D. T. C.,* t. VII, 240-308.
3 Lanfranco probabiliter adscribi debet " Elucidarium, seu dialogué summam totius theologiæ complectens ".
4 G. Robert, *Les Ecoles et renseignement de la théologie pendant la première moitié du XIP s.,* Paris, 1909; Portalié, *Abélard, D. T. C.,* I, 35-55; Vacandard, S'. *Bernard,* II, p. 106-176; H. Hayd, *Abalard und seine Lehre in Verhàltniss lur Kirche und Dogma,* Ratisbonne, 1863.

36. 4° Hac methodo usi sunt qui, post Abælardum, scripserunt *libros Sententiarum;* cum hac tamen differentia quod oppositas sententias expresse conciliant, plerumque juxta theorias scholae S1* Victorisx. Ita auctor *Summa sententiarum,* olim Hugoni de S. Victore adscriptæ, nunc probabilius *Othoni,* ejus discipulo; et R.OBERTUS PULLUS (1085 ?-i I40)a.

Inter quos vero eminet PETRUS L0MBARDUS3 (f 1160). *Magister sententiarum* appellatus, qui, in *quatuor libris sententiarum,* fere integrum theologiæ corpus complectitur : de Deo uno et trino (lib. I), de creatione, angelis et homine lapso (lib. II), de incarnatione Verbi, de gratia et virtutibus, (lib. III), de sacramentis et novissimis (lib. IV) : quod opus sobria eruditione, nitida expositione lucidoque ordine conspicuum usque ad XVIum sæc., in scholis magistri commentariis exposuerunt

37.50 Post Magistrum Sententiarum, eodem sæculo, citandi sunt Richardus a S. Victore (f 1173), qui Hugonis sectans exemplum nisus est theologiam mysticam cum scholastica copulare* : ejus praecipuum opus dogmaticum *De Trinitate* (lib. VI) inscribitur s;— Rolandus Bandinelli (Alexander III) (t 1181) cui tribuendae sunt *Sententia,* an. 1891 editæ, quæ universæ theologiæ dogmaticæ systema complectuntur6; — Omnibonus (t 11S5), cujus *Sententia* recenter editæ sunt; — Alanus ab Insulis (t 1202), vel auctor (Nicolaus Ambianensis?) operis *De arte {articulis') catholica fidei, lib.* ***Vi;*** — Petrus Pictaviensis (t 1205), Lombardi discipulus, *Sententiarum lib.* K 8; — Robertus Curtonus (t 1218), *Summa theologica* (inedita); — Præpositivus (Gulielmus, t 1217) quem S. Thomas sæpe laudat?, cui

' " C'est à Γ/wZe *d|Abilard* que sont dus principalement les trois perfectionnements essentiels de la nouvelle théologie : l'idée de condenser, dans une *Somme* digne de ce nom, la synthèse de la théologie, l'introduction des procédés plus sévères de la dialectique, et la fusion de l'érudition patristique avec la spéculation rationnelle... D'autre part, seule, *Vécole de S. Victor* eut la gloire de sauver la nouvelle méthode, mise en grand péril par les témérités doctrinales d'Abélard". Portalié, art cit, col. 54-55.

' *P. L·.* CLXXXVI, c. 639-1010.

3 Protois, *Pierre Lombard,* Paris, 1881.

4 Hurter, II, 159. Cf. Féret, *op. cit.,* I, p. 120-129.

5 *P. L.,* CXCVI. Ex operibus mysticis *{Benjamin minor, Benjamin major}* pnesertim celebris est. —6 Hurter, II, 163.

7 *P. L.,* CCX. Forsan idem est Alanus ab Insulis ac Alanus de Podio, cujus est *Summa defide catholica, lib.* ***IV*** *(P. L.,* CCX. 305-430).

' *P. L.,* CCXI, 789-1280. — ' Hurter, II, 224.

Summa theologica scholastica, et *Postilla sententiarum* tribuuntur; Guilelmus *Alvernus* (origine) seu *Parisiensis* (episcopatu) t 1249, qui plura reliquit opera *{De Universo, de Trinitate, De Fide, De Sacramentis)* methodo tamen scholastica non satis elaborata3;— et Guilelmus *Antissiodorensis* (t 1230), cujus *Summa aurea* jam rigidam methodum ævi sequentis praenuntiat.

§ IL Theologiæ scholasticæ ætas aurea (xiii° s.)

38.i° Ab exordio invenimus Alexandrum Halensem, natione anglum, ordinis S. Francisci, qui Parisiis theologiam docuit, et ob ingenii subtilitatem, eruditionis vastitatem, doctrinaeque praestantiam, *irrefragabilis* appellatus est. Hortante Innocentio IV, ut fertur, *Summam theologiæ* condidit, omnium totius medii ævi amplissimam, quam concinnavit ex prolixis suis commentariis (ineditis) in Magistri sententias : verum, morte interveniente (1245), eam non absolvit 3. Scholæ franciscanæ pater merito habetur, et S. Thomas in scribenda sua Summa, Alexandri opus præ oculis habuisse dicitur.

39.20 S. Bonaventura 4 (1221-1274), scholæ franciscanæ magister præcellens, et splendidissimum (cum S. Thoma) theologiæ scholasticæ lumen, Alexandri Halensis, cujus vestigia semper sectatus est, forsan fuit discipulus in universitate Parisiensi (1242-1245), in qua etiam, cum S. Thoma, per plures annos (1248-1255), Scripturam sacram et

1 Noël Valois, *Guillaume dAuvergne,* Paris, 1880; Féret, I, p. 252-262.

' Hurter, II, 262.

3 Novæ editionis criticæ t. I vulgatus est, Quarrachi, 1924; Wadding, *Scriptores Ordinis Minorum;* Simler, *Des sommes, de théologie,* Paris, 1871, p. 97-133; Pr. de Martigné, *La scolastique et les traditions franciscaines,* Paris, 1888, p. 41 sq.; *D. T. C.,* t. I. 772-785; Hurter, II, 257.

Ab ejus discipulis, in primis a *Guilelmo de Melitona* (f 1260), hæc Summa continuata, non tamen perfecta fuit. En ejus divisio : Post proœmium de theologia, in P parte agitur *de Deo* uno (q. 2-41) et trino (q. 42 sq.); in IP, *de creatione* (q. 1-93) et in specie *de malo* (q. 94-107); in IIP, *de Christo* (q. I-25) et de reductione creaturarum ad Deum per legem, gratiam, et virtutes (q. 26-69) » tandem in IVa *de Sacramentis.*

4 Ch. Werner, *Die Psychologie und Erkentnisslehre des Joannes Bonaventura,* Vienne. 1876; Prosp. de Martigné, *op. cit.,* p. n6sq. ; E. Smeets, *D. T. C.,* L II, 961-986; Féret, II, p. 273-302; E. Gilson, *La Philosophie deS. Bonaventure,* Paris, 1924; P. L. de Caryalho ç Castro, O. M., 5. *Bonaventure', Le docteurfranciscain,* Paris, 1923,

libros Sententiarum commentatus est Potiora ejus opera [1] theologica sunt : *Commentarius* in libros quatuor Sententiarum, opus prægrande et præcipuum, in quo plerumque presse assectatur Alexandrum Halensum, sed accuratiore atque concisiore expositione eminet 2; — *Questiones disputata* (De scientia Christi, De mysterio Trinitatis, De perfectione evangelica); — *Breviloquium,* in quo per summa capita (De Trinitate Dei, De creatura mundi, De corruptela peccati, De incarnatione Verbi, De gratia Spiritus Sancti, De medicina sacramentali, De statu finalis judicii) coarctatur commentarius in Sententias; tandem, *Itinerarium mentis in Deum,* in quo de speculatione et contemplatione Dei profunde agit doctor *seraphicus.*

In suis operibus, intendit S. Bonaventura communes et approbatas opiniones retexere, et S. Augustino plerumque adhaeret; Platonicae philosophiae potius quam aristotelicae favet, voluntatem intelligentiae præponit, et mysticae contemplationi prae theorica speculatione incumbit [3].

40. Cui affinis est, etsi scholæ franciscanæ discipulus non sit, Henricus Gandavensis (c. 1220-1293), doctor *sollemnis* nuncupatus, cujus *Quodlibeta* et *Summa theologia* (in qua prolegomena tantum et doctrinam de Deo fuse tractat, sed nova et profunda methodo) ingenium sagax et subtile produnt

41. 30 Eodem tempore S. Albertus Magnuss (1206-1280), Ordinis Praedicatorum, vir mirae eruditionis, variis in locis (Hildeshemii, Friburgi Brisgoviae, Ratisbonæ, Argentinae, Coloniae) summa cum laude philosophiam ac theo-

[1] Ejus operum editio accuratissima in decem volumin. prodiit, Quaracchi, 1882-1902 : in quatuor primis invenitur *Commentarius* in libros quatuor sententiarum, et in quinto alia opera proprie theologica (Quæstiones disputatae, Breviloquium, Itinerarium mentis in Deum etc.) — ' Hurter, II, 325.

[3] Dante (Parad., eant. 11) inter S. Thomam et S. Bonaventuram hanc instituit comparationem:[44] L'un fu tutto serafico in ardore, — L'altro per sapienza in terra fue — Di cherubica luce uno splendore

[4] Hurter, II, col. 396-400. Cf. de Wulf, *Histoire delà philosophie scolastique dans les Pays-Bas et la Principauté de Liège jusqu'à la Révolutionfrançaise,* Louvain et Paris, 1895, p. 46-272; Féret, II, 227-246.

[5] J. Sighart, *Albertus Magnus, sein Leben und seine Wissenschafl,* bonne, 1857, gallice redditum, *Albert le Grand,* Paris, 1862; K. Werner, *Der heilige Thomas von Aquùw,* Ratisbonne, 1858; Féret, *op. cit.,* t. II, p. 421-444; Mandonnet, *D. T.* C., t. I, 666-674.

logiam docuit : cujus præcipua laus fuit philosophiam aristotelicam ab erroribus commentatorum arabum expurgare, eamque ad usus theologicos accommodare ; a Pio XI Ecclesiæ Doctor declaratus est, Aquinatem Colonise (1244), et Parisiis (1245-1248) discipulum habuit, eumque iterum Coloniae recepit (1248-1250), ubi S. Thomas philosophiam, Scripturam ac sententias, sub Alberto, interpretari cœpit. Praeter prolixa commentaria in Aristotelem, in Dionysium Areopagitam, in Scripturam Sacram, et varia opuscula mystica, Swww^duæ Alberto adscribuntur, scilicet :*Sumina theologice,* ultimum forte ejusdem opus, coeptum post Summam S. Thomae, quam quadamtenus complet, non tamen absolutum, et *Sumina de creaturis* (I. de materia prima, tempore, caelo et angelo; II, de homine), quae est magis philosophica quam theologica.

42. 40 S. Thomas x, Doctor angelicus, omnium scholarum catholicarum patronus, theologiae princeps, an. 1225, in arce Rocca secca prope Aquinum natus est. Neapoli, ordinem S. Dominici ingressus est an. 1244. Ab Alberto Magno, tum Coloniae, tum Parisiis in philosophia et theologia eruditus, (1245-1252), mox ibidem et ipse Aristotelem, Scripturam et Sententias exponere cœpit. Postea vero, variis in locis (Romae, Parisiis, Neapoli etc.) usque ad mortem (1274) docere et scribere non destitit.

Inter ejus innumera opera (exegetica, philosophica, polemica, mystica) 2, theologica tantum indicabimus, scilicet : *Commentarium in libros 4 Sententiarum,* quem junior (1253-1256) composuit; — *Qucestiones disputatas* de potentia Dei (5), de malo (16), de spiritualibus creaturis, de anima, de unione Verbi, de Virtutibus in communi, et praesertim de veritate (29), in quibus de praecipuis theologicis quæstionibus fusius, subtilius ac profundius tractat S. Doctor; — *Summam catholiccefidei contra gentiles* an. 1258-1260

1 Quétif, I, p. 271-348; Werner, *Thomas von Aquin;* de Rubeis, *Dissert, varia in S. Th.;* Touron, *Vie de S. Thomas,* Paris 1737; Féret, II, p. 443-486; Hurter, II, 307-320; Grabmann, *S. Thomas cTAquin,* trad. *E. Vansteenberghe,* Paris, 1920; L. H. Petitot, 5. *Thomas dAq.,* Paris, 1923.

* Cf. Mandonnet, *Rev. Thomiste,* Janvier 1909-Mai 1910; *Rev. Sc. Phil, et Thiol.,* 1920, p. 142-152; *Bibliographie thomiste,* Kain, 1921.

exaratam in usum eorum qui Maurorum conversioni operam dabant, in qua religionis christianæ fundamenta ac præcipuæ veritates non minus solide quam concise probantur : vix enim aliud opus exstat, in quo tot veritates tam paucis paginis continentur [1] ; — tandem *Summam theologicam* (1267-1273) præcipuum S. Thomæ opus,ad usum quidem *inàpientium* scriptum, sed ipsis theologiæ magistris utilissimum, quod præ ceteris nomen ejus reddidit immortale, etsi, præmaturæ mortis causa, non fuerit omnino absolutum.

Ad quod complendum adjectum fuit *Supplementum,* quod complectitur ea quæ deerant de sacramento pænitentiæ, et reliquis sacramentis, necnon et eschatologiam, ad verbum collectum ex commentario in libros Sententiarum. His operibus adjici debent *Quæstiones quodlibetales* (12), et varia opuscula (v. g., *Contra errores Græcorum, In Boetium de Trinitate, De articulis fidei et sacram.,* etc.) inter quæ eminet *Compendium theologiæ* ad fratrem Reginaldum, cujus primam partem (de credendis) tantum absolvit.

Doctrina S. Thomæ excellit eruditionis vastitate, simplicitate simul ac profunditate, speculationis securitate, argumentorum soliditate, rerum logico ordine, expositionis nitiditate, moderamine in opinionibus seligendis et propugnandis. Rationem a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, antecessorum doctrinas velut dispersa cujusdam corporis membra in unum collegit, miro ordine digessit et magnis incrementis adauxit. Ideoque a Summis Pontificibus ejus doctrina indesinenter summis laudibus celebrata et commendata fuit[23]

43. Inter primos S. Thomæ discipulos annumerandi sunt : Petrus de Tarentasia [s] (1225-1276), ejus coævus et in religione

[1] In priori parte, agit de veritatibus quæ *itaturaliter* prnbari possunt, nempe de Deo (l. I), de creaturis (l. II) et de motu creaturarum in Deum (l. III); in posteriori parte, de veritatibus quæ nonnisi revelatione probari valent, de Trinitate, Incarnatione, gratia et gloria (l. IV.)

[3] Doctrinam ejus philosophicam, ad intelligentiam doctrinæ theologicæ necessariam, exposuerunt, inter alios : Sertillanges, *La Philosophie de Saint Thomas d*Aquin;* E. Gilson, *Le Thomisme,* 2e éd., Paris, 1923. — Inter varias editiones operum S. Thomæ eminet ea quæ jussu *Leonis XIII* Romæ edita est; hucusque 13 vol. typis mandata sunt.

[3] Quetif, I, 350 sq.; Touron, *Hist, des hommes illustres de ΓOrdre de S. Dominiquey* I, 344 sq.; Féret, II, 487-495; Hurter, II, p. 389.

frater ac socius, cujus est *commentarius in 4. libros Sententiarum,* Parisiis (1265-1269) exaratus, qui postea Summus Pontifex (Innocentius V) electus est;— Ulricus de Argentina (t c. 1275) cujus est *Summa theologiæ,* recenter edita [1]; — et præsertim Ægidius Columna, (c. 1247-1316), romanus, doctor *fundatissimus,* ordinis S. Augustini, "primis theologiæ scholasticæ luminaribus accensendus" [2],*qui S. Thomæ Parisiis fuerat discipulus, et post ejus mortem doctrinam magistri (necnon et S" Augustini) strenue defendit, quin tamen in omnibus eam assectetur. Præter multa opuscula, philosophica et theologica, *commentarium* (imperfectum) in *libros sententiarum* composuit, et tractatum *de potestate ecclesiastica,* in quo jura primatus bene exponit et tuetur. Scholæ augustinianæ merito fundator et pater habetur.

44. [50] Joannes Duns Scotusa post S. Bonaventuram ordinis seraphici gloria, circa an. 1265 in Scotia natus, sub Guilelmo Warrone Oxonii studuit, cui in cathedra successit. Inde Parisios vocatus (c. 1301), et ibidem lauream consecutus, aliquot annis docuit, et postea Coloniam profectus est, ubi mox decessit (1308).

Paucis annis, multa opera conscripsit quæ in 12 in-fol. continen tur. Ad theologiam præcipue spectant *Opus oxoniense* (t. V-X), seu commentarius in 4 libros sententiarum, quem Oxonii composuit; — *Opus parisiense* (t. XI), prioris operis epitomen, in qua, omissis prolixis quæstionibus philosophicis, quæstiones theologicas easdem clarius et concisius tractat4; — tandem 21 *quæstiones quodlibetales* (t. XII), quæ affines sunt quæstionibus disputatis S. Thomæ.

Ob ingenii subtilitatem, communi suffragio *Doctor subtilis* salutatus est. Doctrinam fere universam S. Thomæ, Henrici Gandavensis, S. Anselmi, Richardi a S. Victore, Aristotelis, a cujus auctoritate se satis emancipat, *critice* expendit, et ab ea plus minusve

1 Cf. Grabmann, in *Zeitschr.f k. Theol.,* t XXIX (1905), ubi (p. 485-492) exhibetur conspectus Summæ theologiæ Ulrici.

3 Hurter, II, 481-486. Cfr. Nie. Mattioli, O. S. Aug., *Antologia Agostiniana,* t I, *Studio critico copra Egidio Romano,* Romæ, 1896; *Hist. Hit. de la France,* XXX, 421-566; Féret, III, p. 459-476.

3 Wadding, *Annales Ordinis Minorum,* an. 1304-1304 ; Pros, de Martigné, *La scolastique et les traditionsfranciscaines,* p. 249-427 ; P. Déodat de Basly, *Elude surJ. Duns Scot,* Rome, 1903; R. Seeberg, *Die Théologie des Duns Scotus,* Leipzig, 1900; P. M. Sevesi, *Sulla dottrina e santita del B. G. Duns Scoto,* Rome, 1903; P. Raymond, in *D. T. C. (Mangenot),* t. IV, 1865-1947; B. Landry, *Duns Scot,* Paris, 1922.

4 Hurter, II, 457. Cum. Operis Parisiensis liber 3" a Scoto perfectus non fuerit, ex majori opere Oxoniensi reliqua suppleta sunt.

recedit, sed absque studio et ira, solius veritatis inquirendæ vel determinandæ ratione habita : unde certo solidum et accuratum theologi» studium haud parum promovit et dilatavit, novamque scholam fundavit, quæ a veteri Alexandri Halensis et S. Bonaventure satis differt'. Quamvis enim non statim ab initio habitus fuerit in suo ordine pro duce et magistro communi, maximam postea adeptus est auctoritatem; innumeros habuit commentatores et discipulos, et multi nisi sunt ejus doctrinam ad quamdam summam revocare et in systema redigere.

45.Eodem fere tempore florebat Rogerus Bacon (t 1294), O. M., doctor *mirabilis, scientia experimentalis* promotor, eruditissimus non tamen a temerariis opinionibus liber. Ejus præcipuum opus, *Opus majus* dictum, est vere encyclopædicum : in *opere minori* quod prioris est velut compendium, inter peccata quæ in studio s. theologi® locum habere solent, recenset corruptionem textus S. Scripturæ, perversas illius interpretationes, ignorantiam linguarum, neglectum mathematicæ. Passim cum contemptu loquitur de Aristotelis philosophia, de Alberto M. et S. Thoma (quos pueros vocat), de summa Alexandri Halensis : propter quod sæpe præcursoribus Reformationis, immerito tamen, accensetur '.

46. 6° Contra Scotum pro S. Thoma stetit inter alios Thomas de Jorz, O. P., *anglicus* a patria dictus (t 1310), in *Commentariis super 4 libros sententiarum* 3. Sed et Scotus mox apologetas reperit *, inter quos eminent Petrus Aureolus, O. M. (1280-1340?), doctor *facundus,* qui Parisiis et Tolosæ Sententias exposuit, et Occami nominalismo minuta sua subtilitate viam paravit 5; — Antonius Andreas, O. M., patria hispanus, doctor *dulcifluus* (f 1320); — Richardus de Mediavilla, O. M., anglus (t 1307), doctor *solidus* qui Oxoniæ et Parisiis philosophiæ, jurisprudentiæ et theologiæ scholastic» operam dedit, et inter alia in Sententias commentaria scripsit; inter luminaria sui ordinis recensetur, Scoto tamen paulo inferior6. — Medius autem inter thomistas et scotistas stat Gerardus de Bononiat, ord. carmelitarum (t 1317),

' Hurter, II, 458 sq. — De discrimine inter doctrinam S. Thomæ et Scoti cfr. Scheeben, *op. cit.,* n. 1062; P. Raymond, 1. cit., 1872-1939.

' Hurter, II, 392-395; Féret, II, 329-370.

3 Hurter, II, 462. —4 *lb.,* 463 sq.

s Hurter, II, 463-465; Féret. III, 352*357·

4 *Ibtd.,* 468. Cf. Féret. II, p. 379'3^4- Inter classicos theologos annumerari non potest Raymundus Lullus (1235-1315) licet de theologia (sicut de omni re scibili) multa scripserit : " Nititur eliminare philosophiam aristotelicam ex theologia, illiusque terminis substituit alios hactenus inauditos, quibus sæpe conceptus nullus, nisi imaginarius, respondet", Hurter, II, 475.

7 Hurter, II, 4S7.

magister in theologia Parisiens! valde *sollemnis,* qui utriusque scholæ opiniones conciliare nititur.

§ III. THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ PROLAPSUS (XIV°-XVI° s.)

47. Ineunte sæculo XIV, doctrina scholastica paulatim prolapsa est in cavillationes et subtilitates. Cujus causa praecipua fuit *nominalismi* reviviscentia, sæculo prævio fere exstincti. Nominalistæ *realisntum* Thomistarum et *formalismum* Scotistarum aeque rejicientes, docebant universalia esse mera ingenii commenta, conceptus vel voces singularibus similibus communes; quapropter priorum magistrorum sanam tutamque doctrinam despicientes, sæpe meras dialecticae argutias discutiebant.

Hac aetate duo periodi distingui possunt : prior, in qua theologia *paulatim decidit;* posterior, in qua jam *instaurari* incipit.

I. — Toto sæculo XIV et ineunte XV, paulatim in subtilitates decidit theologia scholastica. Breviter recensebimus theologos qui *in variis ordinibus religiosis* et *extra hos ordines* celebriores fuerunt.

48. i° Ex ordine S. Francisci theologi quidam ultra Scotum et Petrum Aureolum progredientes, *nominalismo* favent excidiumque solidae theologiae scholasticae praeparant. Ita Franciscus Mayron, *Magister abstractionum* (t 1327), sed imprimis Gulielmus de Ockam (1280-1350?), vir ingenii sagacis, "quo tamen nimis abreptus, aequi limites excessit". Praetermissis operibus polemicis contra pontificiam potestatem, in quibus in apostolicam Sedem et in Joannem XXII totum virus effudit, de quaestionibus theologicis *subtilissime* egit in Commentariis *in Magistrum sententiarum,* in *centiloquio theologico,* (quo omnem theologiam speculativam sub centum conclusionibus complexus est), et in variis tractatibus (De sacramento altaris, de praedestinatione etc.) [1]. Haud pauci tamen inveniuntur ejusdem ordinis qui Scoti doctrinam orthodoxe exponunt : ita, v. g., Guilelmus de Rubione (fi. c. 1333), Joannes

1 Hurter, II, 525-530; Féret, III, 339-350. In suo ordine (ex quo an. 1331 expulsus est) Occamus adversarios habuit, inter quos citatur *Richardus Coningtonus* (t 1330)· Inter scriptores qui contra jura Sedis apostolicæ tunc scripserunt, Occamo adjungendi sunt *Marsilius Patavinus* et *Joannes de Janduno,* contra quos, inter alios, scripsit *Alvarus Pelagius,* O. M. (+ 1352).

de Bassolis (t c. 1347), Joannes de Colonia * (convent.), Gerhardus Odonis (t 1348) ·, et præ aliis Petrus de Aquila (t 137°)qui Scoti opus satis pulchre et sententiose abbreviavit, unde et *Scotellus* (sicut et ipsum opus) appellatus fuit ♦.

49.2° In ordine S. Dominici, Durandum a S. Porciano (t 1334) invenimus, qui S. Thomæ primum defensor, postea vero, proprio sensui nimium adhærens, acerrimus fuit impugnator, et singularium opinionum, immo et errorum, patronus tenax. Ita negavit concursum Dei cum causis creatis immediatum, et causalitatem sacramentorum[4]. Contra eum scripsit Herveus Natalis, O. P. (t 1323). Alius dominicanus hujus temporis, cujus doctrina non semper ab errore immunis esse videtur, est Robertus Holcoth (t 1349), qui ad Occami nominalismum accusatur deflexisse, et in quaestionibus de scientia Dei et prædestinatione a placitis S. Thomæ descivisse[6]. S. Thomæ vestigiis pressius inhæserunt : Joannes de Neapoli (t 1325), Petrus Paludanus (1342) et alii multi[7].

50.30 Eodem tempore, jam incipit splendescere Carmelitarum familia cum Gerardo Bononiensi (de quo supra, n. 46), post quem citandi sunt, Joannes Baco *{Baconthorf}* (t 1346), doctor *resolutus,* qui tamen nominalismo ansam praebet, et a S. Thoma sæpe dissentit[8]; Guido de Perpiniano (t 1342) " suo tempore famosissimus super omnes magistros parisienses ' ", sæpe *de Terrena* propter familiam dictus; Petrus de Casa (t 1348); Franciscus de Bachone (t 1372), doctor *sublimis;* et Joannes Ballester (t 1374).

51.40 In ordine S. Augustini, post Jacobum Capocci, Viterbiensem (t 1307), cujus præclara opera inedita manserunt[10], eminent Henricus de Frimaria (f c. 1350), Gerardus Senensis (t 1336)", Thomas de Argentina (t 1357), Alphonsus de Vargas *{Toletanus},* f 1366, qui Ægidii Romani doctrinam in suis commentariis illustrant; quibus adjungendus est Gregorius Ariminensis" (f 1358), ob suam duriorem de infantium non baptizatorum sorte *infantium tortor* appellatus, qui S. Augustini doctrinam de gratia nimis ad litteram et perperam interpretans, Baianismi et Jansenismi præcursor a multis habetur.

1 Hurter, II, 524. — « *Ib.,* 532. — 3 *Ib.,* 624.

4 Antonius de Fantis, qui non fuit ordinis Minorum, scripsit *Tabulam generalem scotica subtilitatis* (1430).

5 Hurter, II, 535. Scripsit *Commentaria in libros 4. sententiarum,* tractatum *de jurisdictione ecclesiastica et de legibus;* alia ejusdem opera (v. g., *de statu animarum sanctarum, quastiones theologica etc.)* inedita manserunt.

6 Hurter, II, 539. — 7 *Ib.,* II, 537 sq.; 628; 678. — » *Ib.,* II, 544.

» *Ib.,* 620. — " *Ib.,* II, 486. — » *Ib.,* II, 541. — " *Ib.,* II, 546.

52. 5° Inter innumera opera et opuscula Dionysii de Ryckel [1], (1402-1471), *carthusiani,* qui dictus est *doctor extaticus,* ad theologiam dogmaticam spectant : *Commentarii in libros Sententiarum,* in quibus summam tradit et epitomen controversiarum temporis præcedentis, deinde suam modeste exponit sententiam eamque probat ; et (aliis omissis) *Summa fidei orthodoxa.*

53. Tandem commemorari debet Gabriel Biel (i425?-i495), qui academiam Tubingensem noviter erectam illustravit, et circa finem vitae *Congregationi clericorum vita communis* se adjunxit. A quibusdam vocatur ultimus scholasticus; rectius diceretur ultimus *nominalista.* Ejus praecipuum opus *Collectorium* inscribitur, seu Epitome ex Guilelmo Occam in libros sententiarum [2].

54. 6° **Extra ordines religiosos,** eminet Petrus de Alliaco (1350-1420), non tam ob profunditatem doctrinae, quam ob partem quam 'tabuit in componendo Occidentis schismate. Ejus opera, (quorum multa inter opera *Joannis Gersonii,* ejus discipuli, inveniuntur) utilia sunt pro temporis illius historia, sed carent soliditate theologica λ Tuetur enim multos errores, v. g., de valore rationis, de concordia rationis cum fide, de auctoritate concilii supra Pontificem.

Joannes Gersonius (1363-1429), ejus discipulus, et successor (1395) in cathedra et munere cancellarii universitatis Parisiensis, una cum ipso anima fuit concilii Constantiensis (1414 sq.), eosdemque errores de ecclesia, primatu et conciliis propugnavit. Multa reliquit opera, præsertim ascetica et mystica [3].

Raymundus Sabundæ (f* 1437) in *Libro natura,* agit de homine et de iis quæ necessaria sunt ad cognoscendum seipsum et Deum, necnon officia exponit erga Deum et proximum [5].

Hic etiam nominandus est Alphonsus Tostatus (1399-1455), abulensis episcopus, eruditionis prodigium, qui in *Commentariis* in Scripturam, data occasione, innumeras quæstiones dogmaticas scholastica methodo pertractavit[6].

1 Hurter, II, 915. Dionysii Carthusiani operum nova editio, in t. 48 distributa ab anno 1896 prodire cœpit; quæ jam absoluta est.

2 Hurter, II, 985.

3 *Ib.,* II, 727-733; P. Féret, IV, p. 181-222.

4 Hurter, II, 791-798 ; P. Féret, IV, 223-274. In epistolis tribus *de reformatione theologia* hortatur studentes collegii Navarræ, ut posthabitis recentioribus, antiquiores legant (Guil. Alvemum, Bonaventuram, Durandum, Henricum Gandavensem, S. Thomam). ib., coi. 795. His epistolis affine est opusculum Nicolai de Clemangis (1367-1435?), Petri de Alliaco et Gersonii discipuli, *de studio theologico,* quod edidit *d'Achery* (Spicileg., I, p. 473).

5 F. Cicchiti-Suriani, *Sopra R. Sabunda teologo, filosofo e medico dei sec. XVstudio storico-critico,* Aquila, 1890. — 6 *Ib.,* II, 918-921.

55.II. Mox, favente Deo, subsequitur laetissima theologiæ scholastieæ instauratio. Cœpit S. Thomas jam in scholis splendere, et loco *Sententiarum,* sæpe explicatur *Summa Theologica* x.

In ordine Praedicatorum, cui palma est tribuenda, huic instaurationi jam viam paraverat strenuus S. Thomæ apologeta, Joannes Capreolus (f 1444) *princeps thomistarum,* qui in *Commentariis in libros Sententiarum* (Rutheni confectis) divi Thomæ doctrinam plerumque cum ipsis verbis magistri, clare et concise exponit, et ab omnibus tuetur impugnationibus a.

Cui adjungendus est Joannes de Turrecremata, O. P. (1388-1468), hispanus, an. 1439 cardinalis creatus, a Romanis Pontificibus in majoribus Ecclesiæ negotiis adhibitus, cujus est *Summa de Ecclesia,* dives armamentarium pro tuendis Romani Pontificis juribus, et varii tractatus theologici et polemici 3.

56.Sed agmen theologorum ducit Thomas DE VlO, seu CAJETANUS 4 (a patria Gaeta), ac thomisticæ doctrinae galeatus defensor (1469-1534), qui cardinalis creatus (1517) et in negotiis gravissimis a R. Pontificibus in consilium adhibitus, a studendo et scribendo nunquam destitit. Exegeta fuit laboriosus, non tamen traditionali sensui Scripturæ semper innixus, sed praesertim acutissimus interpres Summae theologicae; ejus commentaria in ed. leonina S. Thomæ inserta sunt Multa insuper reliquit opuscula theologica de variis argumentis.

Post eum citandi sunt Conradus Kôllins (1476-1536), qui Heidelbergæ et Colonise *Summam theologicam* exposuit (quam expositionem lucidissimam et subtilissimam an. 1512 publici juris fecit), et Lutheri varios errores confutavit; — Silvester Ferrariensis (1474-1526) qui classico commentario *Summam contra*

l Non desunt tamen illo ævo, etiam in ordine S. Dominici, commentaria Petri Lombardi. Cfr. Hurter, II, 1215 sq.

' Hurter, II, 805. Cfr. *Revue thomiste,* 1899, pp. 68 sq.; 317.; 507 sq.; 1900, pp. 50, 288, 505. Novam ejus operam editionem ediderunt *C. Paban* et *Th. Pigues,* Tours, 1900-1907.

3 Hurter, II, 880.

4 Hurter, II, 1201-1209. Cfr. Quétif-Echard, t. II, p. i4; Touroa, *op. cit.,* t IV, p. 1-76; Mandonnet, art. *Cajelan,* in *D. T. C.,* II, 1313-1329.

s Hurter, II, 1204. Cfr. Limbourg, *Zeitschr. jûr k. Theol.* 1880, IV, 239 sq·

Gentiles illustravit Didacus de Deza * (1444-1523), qui apologiam divi Thomæ adversus Scotistas aliosque in suis scriptis *(Nova defensiones, Defensorium.* instituit.

Art. III. Ætas Moderna (sæc. XVI-XX)3.

57. Hujus ætatis indoles. Theologia scholastica, quæ sæpius in subtilitates deciderat, ob falsas Nominalium theorias, sæculo XVI exspergefacta per Humanistarum et Protestandum impugnationes, mox novas vires suscepit, suamque methodum complevit, speculationes philosophicas cum critica investigatione textuum Scripturæ et Traditionis harmonice consociando. Cujus catholicæ instaurationis præcipuæ causæ fuerunt : (a) *artis typographic* inventio, quæ criticas editiones Bibliorum atque Patrum multiplicando, multo faciliorem reddidit textuum collationem; (b) *classicorum scriptorum reviviscentia,* et doctæ antiquitatis studium quæ catholicæ exegesi haud parum profuerunt, litteralem antiquorum documentorum sensum magis ac magis patefaciendo; (c) necessitas contra Protestantes posteaque Rationalistas strenue propugnandi ipsa fidei fundamenta, ex qua orti sunt novi tractatus de *Locis theologicis,* de *Ecclesia* et de *Revelatione* seu de *Vera Religione;* (d) *distinctio* inter theologiam *dogmaticam* et *moralem,* quæ ob utriusque incrementum instituta est, posteaque utriusque progressum iterum promovit; pariter distinctio inter theologiam *mere scholasticam* et theologiam *positivam,* cujus ope biblica et patristica argumenta fusius et accuratius exposita sunt ; (e) *multiplicatio specialium tractatuum* de tali vel tali dog-

' Hurter, II, 1212. —' *Ib.,* II, 1213.

3 Præter Hurter, Schwane et Scheeben, cfr. Gandolfus,Z>w. *historica de ducentis augustinianis scriptoribus,* Romae, 1740; Ungarelli, *Bibliotheca scriptorum e cong. cler. reg. S. Pauli* (seu Barnabitarum), Romae, 1838; Ziegelbauer, *Historia rei literarice ord. S. Bened.,* Viennae, 1754; Heurtebise, art. *Bénédictins,* in *D. T. C.,* II, 602 sq. ; Sommervogel, S. J., *Bibliothèque de la Cie deJésus;* Quétif-Echard, *Scriptores Ord. Pnzdicatorum,* Paris, 1719-21 ; A. Touron, *Hist, des hommes illustra de ΓOrdre de St Dominique,* Paris, 1743; Dupin, *Hist, de VEglise et des auteurs ecclésiastiques,* Paris, 1703; C. Werner, *Geschichte der kath. Théologie Deutschlands seit dem Trienter Concil,* 1866; P. Féret, *La Faculté de théologie de Paris et ses docteurs la plus célèbres,* Epoque moderne, 7 vol., Paris, 1900-19to ; aliaque opera infra citanda.

mate, ad penicius adversariorum difficultates solvendas et veritatem catholicam distinctius elucidandam.

58. Divisio. In hac ætate, tres periodi distinguuntur : P periodus *progressiva,* sæc. XVI et XVII, in qua, sub influxu C. Tridentini et catholicae reformationis, theologia in dies succrescit; 2°periodus*paulatim decidens,* a sæc. XVIII ad sæc. XIX priorem partem, per quam, ob perturbationes civiles catholicarumque Universitatum prolapsum, theologia minus scientifice excolitur; 30 periodus *instaurationis,* quæ jam ab anno 1830 coepit, et, ut speramus, per totum sæculum XXum continuabitur.

§ I. Periodus progressiva (sæc. xvi-xvii).

59. Errores hac ætate prævalentes sunt : (a) *Protestantismi* variæ sectæ, Lutheranismus scilicet, Calvinismus, Anglicanismus, quæ, occasione prædicationis indulgentiarum ortæ, revera negaverunt auctoritatem Ecclesiæ, S. Pontificis et Traditionis, Scripturam pro sola fidei regula habentes, simulque adulterarunt veram notionem prædestinationis, gratiæ et justificationis, necnon sacramentorum; (b) *Baianismus,* qui est quædam attenuatio Lutheranismi, docens supematuralia dona esse humanæ naturæ debita, et ita ordinem supernaturalem cum naturali permiscens; (C) *Jansenismus,* Lutheranismo pariter affinis in rebus ad prædestinationem et gratiam spectantibus, qui exaggerans infirmitatem humanæ naturæ lapsæ, docet voluntatem hominis non esse liberam sed necessario trahi a gratia vel concupiscentia.

Catholici theologi istos errores impugnaverunt diversimode : i° *Controversistce* directe contra Protestantes probaverunt auctoritatem Ecclesiæ, existentiam et efficaciam septem sacramentorum, genuinamque declaraverunt justificationis naturam; 2° *Scholastici* discrimen inter *naturale* et *supernaturale* distinctius exposuerunt, et inter se disputarunt de efficacia gratiæ et ejus concordia cum libero arbitrio, 30 *Positiva theologia* singula dogmata ex Scriptura et Traditione accuratius probavit. Ita sub his variis aspectibus verus adfuit progressus.

I. De Controversistis.

Contra **Protestantes**, statim ac suos errores docuerunt de indulgentiis, de justificatione, de numero et efficacia sacramentorum, et praesertim de auctoritate Pontificis, Ecclesiæ et Traditionis, multi surrexerunt defensores fidei catholicæ, inter quos eminent :

60. (A) In Germania :

Joannes Eckius [1] (1486-1543), vir eruditissimus, qui usque ad mortem strenuus et indefessus contra Lutherum in Germania et Zwinglium in Helvetia decertavit, cujus praecipuum opus fuit *Enchiridion locorum communium adversus Lutheranos;* — **Joannes Faber**' (1478-1541) qui, inter cetera opera, scripsit *Malleum in haresim lutheranam;* — cui in sede viennensi, cujus erat episcopus, successit **Fridericus Grau** (seu *Nausea)* [3], 1480-1552, qui et ipse multa contra haereticos scripsit; — **Joannes Dobneck** * *{Cochlaus* dictus a loco patrio Wendelstein in Franconia), 1479-1552, laboriosissimus forte post Eckium fidei catholicæ apologeta, cujus præcipuum opus est *De actis et scriptis Lutheri;* — **Michael Helding** [5] *{Sidonius* dictus), 1503-1561, insignis plane concionator; **Joannes Gropper** (1503-1559); — ex Ordine Prædicatorum, **Joannes Mensing** (t 1541), et præsertim **Joannes Fabri** (Schmidt), 1504-1558; — ex ordine S. Augustini, **Conradus Treger** (1480-1542) et **Joannes Hoffmeister** (1509-1547); — inter carmelitas, **Eberhardus Billick** (t 1557)[6]; — **Fridericus Staphylus** (1512-1564), laicus, qui forsan ipsum Eckium superavit; ejus opera præcipua, germanice scripta, dein latine versa, sunt : *De dissidiis hareticorum, Theologia Af. Lutheri trimembris* [7]; — postea S. **Petrus Canisius**[8], S. J., 1521-1597, cujus celeberrimum opus *Summa doctrina christiance* inscribitur.

61. (B) In **Belgio**[9] innotescunt : **Albertus Pighius** (f 1542), qui pontificiam potestatem eximie propugnavit in *Hierarchia eccles. assertione,* sed in libris de *Gratia et libero hominis arbitrio* caute legendus est, quippe qui de peccato originali et justificatione non semper solidam tradat doctrinam ; — **Jodocus Clichtovæus** [10] (t i543)> qui Parisiis didicit et docuit, et primus e theologis pari-

' Hurter, II, 1396-1401. Cfr. Wiedemann, *Dr. Johann Eck,* Ratisbon, 1865.

3 Hurter, II, 1402; Kettner, *De J. Fabri vita et scriptis,* Leipzig, 173;.

3 Hurter, II, 1404. — ♦ *lb.,* II, 1411-1414. — 5 *[b.,* π, I4I6.

6 *Zb.,* II, 1422-1442. — 7 *Zb.,* III, 19. — 8 *Zb.,* III, 196 sq.

9 *Zb.,* II, 1442 sq. — 10 P. Féret, II, 30-42.

siensibus contra Lutherum scripsit;— Ruardus Tapper (1488-1559), qui omnes alios forte præcellit; — Jacobus Latomus (1475-1544); — Guilelmus Damasus Lindænus (1525-1588), primis hujus temporis controversistis accensendus [1]; — Georgius Cassander[2] (t 1566) laicus qui erudite de rebus controversis scripsit, sed nimio pacis amore abreptus, plura doctrinæ capita plus æquo emollivit, spe lucrandi Protestantes; quos errores ante mortem retractavit; — Martinus Becanus [3,4] S. J. (t 1624), brevitate simul et soliditate necnon nitida argumentorum expositione conspicuus, qui de omnibus dogmatibus a Protestantibus impugnatis scripsit; præ ceteris vero ejus operibus *Afannale controversiarum* utilissimum est; — tandem, Adrianus et Petrus van Walenbusch «, duo fratres eruditione inclyti, qui *Tractatus generales de controversiis fidei* (1670) ediderunt, opus classicum et methodicum quod securim ad ipsam errorum radicem ponit.

In Polonia, Stanislaus Hosius[5] (t 1579) doctrinam catholicam verbo et calamo tam egregie defendit, ut dioecesim suam *Varmiensem* ab hæretica lue præservaverit; C. Tridentino sollicite profuit et sacram purpuram meruit; cujus inter opera eminent : *Confessio catholica, fidei Christiana* et *Confutatio prolegomenon Brentii.*

62. (C) In Anglia, contra Lutherum scripsit rex Henricus VIII[6] librum minime spernendum, cui titulus *Assertio septem sacramentorum s. rom. Ecclesia;* sed ipse mox, libidine victus, in schisma et hæresim prolapsus est. Inter eos qui, sive contra Lutherum sive contra Calvinum et anglicanismum strenue dimicarunt, eminent : J. Fisher, Roffensis episcopus [7], qui martyr occubuit an. 1535; non minus solide quam eleganter scripsit *Assertionis lutherana confutationem, de Eucharistia* contra Œcolampadium, *Sacerdotii defensionem* contra Lutherum, etc.; — Guilelmus Allen (Alanus)[8], 1532-1594, acerrimus Elizabeth reginæ adversarius, cujus opera præcipua sunt : *Certain brief reasons concerning the catholic faith, a Treatise made in defense of the lawful power and authority of priesthood to remit sins,* sed præsertim tractatus *de sacramentis in genere,* et *de sacramento Eucharistia;* — Reginaldus Polus[9] (1500-1558) qui, inter alia opera, contra Henri-

[1] Hurter, III, 186. — [2] *lb.,* II I, 34.

[3] Hurter, III, 720-723; Sommervogel, I, 1091-im.

[4] Hurter, IV, 81. — [5] *lb.*. III, 44.

[6] L. O'Donovan, *Henry VIITs Defense of the Seven Sacraments,* New-York, 1908.

[7] Hurter, II, 126g. Cf. Baumstark, *John Fisher, BisehoJ von Roff.,* Friburgi, 1876; Bridgett, *Life of Bl. John Fisher,* London, 1888.

[8] Hurter, III, 172. — [9] *lb.,* II, 140b.

SSL· 'ε-..-Jwssa

cum VIII, *Pro ecclesiastica unitatis defensione lib. 4* conscripsit, opus plane insigne; — Gregorius Martinl (t 1582) qui, præter optimam versionem anglicam S. Scripturæ, edidit opuscula quaedam, v. g., *A Treatise of schism.*

Thomas Stapleton 23(1545-1598) Bellarmino et Duperonio haud impar, cujus potiora opera sunt : *Principiorum fidei doctrinalium demonstratio methodica,* ubi luculenter demonstrat omnes de religione controversias suprema auctoritate finiendas esse; *Universajustificationis doctrina hodie controversa, De magnitudine Ecclesiæ romance, Antidota evangelica contra horum temporum hœreses.*

63. (D) In Gallia, contra Calvinistas dimicarunt ;

Claudius d'Espence (Espencæus) t 1571, qui de eucharistia et ejus adoratione, de privata et publica missa erudite scripsit 3; — Claudius de Sainctes 45 (Sanctesius), can. regularis O. S. Aug. (1525-1591), cujus inter opera eminent : *Examen doctrina calviniana et bezana de cana Domini, de rebus eucharistia controversis repetitiones,* ubi omnes priores theologos superat; — Fr. Feuardentius 5, O. S. Fr., Constantiæ natus (1539-1610), qui, præter commentaria in Scripturam, eruditum opus edidit, cui titulus : *Theomachia calvinistica profligata,* ubi errores sectae diligenter excutiuntur et refelluntur; — Nie. Coeffeteau, O. P. 6*(t 1623), cujus praecipuum opus, etsi non absolutum, fuit *Pro sacra monarchia Ecclesia,* quod contra M. A. de Dominis *(de republica ecclesiastica)* jussu Gregorii XV' scripsit.

Jacobus Davy du Perron 7 (i556-1618), ex nobili Normanniæ familia ortus, controversistarum Galliæ facile princeps, qui, post conversionem ab hæresi calviniana in qua eruditus erat, gloriose *Duplessis-Mornay,* Calvinistarum ducem, devicit, et, inter alia opera, scripsit : *Traité du S. Sacrement de ΓEucharistie, Réplique au roi de la Grande-Bretagne, Acta colloquii cum Mornæo;* pariter jura S. Pontificis adversus Richerium 8 strenue propugnavit. Ejus stili

1 *lb.,* III, 278. —2 Hurter, III, 175; cfr. H.Hollandus, *Vita Th. Stapleton;* Gillow, *Bio^r. Diet, ofthe English Catholics, N,* 526-529; Leuridan, *Rev. des Sc. ecclésiastiques,* LXXXIII, 1896,331-349 ; LXXXVII, 1898,193-211,327-342.

3 Hurter, III, 17; P. Féret, II, 101-118.

4 Hurter, III, 181 ; P. Féret, II, 123-130.

5 Hurter, III, 414; Féret, II, 244-255. —6 Féret, V, 207-225.

7 Hurter, III, 405-411; Féret, *Le Card, du Perron,* Paris, 1877; C. Constantin, in *Did. de Thiol. (A/angenot),* t. IV, 1953. — 8 Féret, IV, I-25.

puritatem, conceptuum sublimitatem et logicam connexionem, necnon historicam eruditionem laudant non solum catholici sed et protestantes non pauci.

Card. Armandus Richelieu [1], (1642), qui, etsi politicis negotiis implexus, scripsit quædam haud spernenda opera : *Les principaux points de la foi catholique, Méthode la plus facile et la plus assurée pour convertir ceux qui se sont séparés de TEglise,* ubi notas Ecclesiæ lucide exponit Franciscus Veronius[2] (1575-1649) ardentissimo zelo æstuans, disputator sagax et promptus, erudite et acriter contra Protestantes scripsit, præsertim : *Eègle générale de la foy catholique, Preuve de la Messe, Méthode de controverses,* ubi ostendit impossibile esse Pr'testantibus sua asserta ex Scripturis probare.

J. B. Bossuet [3] (1627-1704), aquila Meldensis, docilium protestandum doctor, contumacium malleus, in opusculo

tholicam exponit doctrinam ut multorum haereticorum praejudicia removerit; in insigni opere *Histoire des Variations des Eglises Protestantes,* Protestantismi genesim, mutationes et contradictiones aperte ostendit et exinde ejus falsitatem invicte demonstrat. Inter cetera ejus opera, specialiter commemoranda sunt : *Avertissements aux Protestants, Traité de la Communion sous les deux espèces, Instruction pastorale sur les promesses de Jésus-Christ à son Eglise.* — Auctores famosi libri *Perpétuité de la foi de l'Eglise catholique sur VEucharistie* [4] (1669 sq.), nempe jansenianismi praecipui fautores, Anton. Arnaldus (f 1694) et P. NICOLE (t i695)> qui, dum controversia de gratia per aliquod tempus sopita erat, contra Calvinismum doctrinam catholicam de Eucharistia aliisque sacramentis erudite et solide vindicarunt; quod opus postea complevit EUSEB. Renaudot (t 1720).

64. (E) In Hispania, præter Dominicum Soto et Melchiorem Canum, de quibus infra ubi de theologia scholastica, contra reformatores disputarunt :

^5 λX *:?<

[1] Hurter, III, 988; Féret, IV, 25-53.

[2] Hurter, III, 984; Féret, IV, 53-93.

[3] Hurter, IV, 752-767. Card. Bausset, *Histoire de J. B. Bossuet,* Faris 1814; A. Rebelliau, *Bossuet,* Paris, 1900; A. Largent, *D. T. C.,* II, 1049 10S9. — [4] Hurter, IV, 437-447· Cf. Féret, 1. IV, p. 249-279.

Alph. Quiz de Virues O. S. B., † 1545, qui, in *philippicis disputationibus,* Phil. Melanchlonis errores confutavit; — præsertim vero Petrus Soto', O. P., † 1563, firmissimum adversus Protestantes propugnaculum, cujus potiora opera sunt : *Institutiones Christiana, Assertio catholica fidei;* Martinus Perez de Ayvla [3] (1504-1566), *De divinis, apostolicis atque ecclesiasticis traditionibus;* — Andreas de Vega[4], O. M. († 1560), Segoviæ natus, Salmanticæ studuit et docuit, ubi Alphonsum de Castro, potens haereticorum flagellum, († 1558) collegam habuit. Ad Cone. Tridentinum a Carolo V missus, magnum momentum attulit cum Dorn. Soto, a quo tamen in multis dissidebat, ad decidendam controversiam de justificatione. Doctrinam autem a Tridentino definitam commentatus est in magno opere (bipartito) *De justificatione,* quod theologi magnis extollunt encomiis: Didacus de Paiva de Andradas († 1578) qui Tridentino interfuit concilio, et post *Orthodoxarum explicationum lib. X,* scripsit *Defensionem tridentino. fidei catholica lib. V.*

In Lusitania floruit Gaspar Casal [6], O. S. Aug., qui eruditum opus scripsit *de quadripartita justitia* (1563), ubi contra Protestantes catholica doctrina de justificatione erudite probatur, — posteaque *de sacrificio Missa,* præsertim adversus Melanchton.

65. (F) In Italia, jam Cajetanus, de quo supra, n. 56, lutheranos errores moderate quidem, sed docte confutaverat in variis opusculis *de sacramentis, de missæ sacrificio et ritu, de fide et operibus, de communione sub utraque specie, de invocatione sanctorum.*

Quam confutationem perfecit Ambrosius Catharinus (1487-1553), θ· ?·> patria Senensis, qui Concilio Tridentino interfuit theologus eruditissimus, et de omnibus fere quæstionibus theologicis scripsit, præcipue tamen *de peccato originali, de justificatione, de pradestinatione, de novissimis.* Vir singularis ingenii (cujus tamen opera sunt caute legenda) contra Lutherum, B. Ochinum, aliosque hæreticos multum dimicavit, sed cum multis etiam catholicis theologis (non exceptis sodalibus, v. g., Cajetano, Dom. Soto, etc.) acres controversias habuit, in quibus aliquando singulares, immo erroneas opiniones (v. g., de intentione ministri sacramentorum) tuetur, aliquando veritatem (v. g., Immac. Concept.) solide demonstrat. — Dignus etiam laude est Thomas Bozio[8], Orat., qui præclarum opus scripsit de signis Ecclesiæ (1591).

1 Hurter, II, 1461. — 2 *Ib.*, II, 1462. — 3 *Ib.*, III, 52.
4 *Ib.*, II, 1390-1392. — 5 Hurter, III, 59. — 6 *Ib.*, HI, 162.
7 Hurter, II, 137 . — 8 *Ib.*, III, 464.

Omnes tamen superat Sanctus R. Bellarminus [1] S. J. (1542-1621), qui, peractis studiis, Lovanium missus est (1569), ubi Summam S. Thomæ explicavit ; post septennium vero Romam reversus, de controversiis fidei magno cum plausu prælectiones suscepit. Has *Disputationes de controversiis fidei* edidit, ex quibus theologi et polemici argumenta sua hauserunt, ut Protestantes confunderent. In hoc opere non satis laudando, non agit auctor, ut dicit in Praefatione, "de metaphysicis subtilitatibus quæ sine periculo ignorari, et interdum etiam cum laude oppugnari possunt, sed de Deo, de Christo, de Ecclesia, de Sacramentis, de justificatione, de auxilio gratiæ, de arbitrii libertate, deque aliis permultis gravissimis et difficillimis quaestionibus quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta". A Pio XI Doctor Ecclesiæ declaratus est.

Defensionem Bellarmini a Protestantibus impugnati suscepit Jacobus Gretser, S. J. (1562-1625), Germanus, Ingolstadii professor, cujus tota vita jugis cum protestantibus pugna fuit. Innumera opera reliquit (17 vol. in fol.) inter quæ eminent *de SS. Cruce lib. V.,* in quibus "capita omnia controversiæ hujus quæstionis exhaurit" [2], magis tamen erudite quam critice.

Nec praetermitti debet Dominicus Gravina, O. P. (t 1643), Siculus, cujus sunt, præter alia opera, *Catholica prascriptiones* adversus omnes veteres et nostri temporis hæreticos [3].

66. Inter *Gracos catholicos,* quidam fuerunt qui contra Protestantes aut Schismaticos erudita opera scripserint Inter quos : P. Arcudius [4] Corcyrensis (Corfou), qui decennis Romam venit ibique obiit 1634; cujus potiora opera *De concordia Ecclesia occidentalis et orientalis,* et *De purgatorio,* erudite quidem sed stilo nimis acerbo scripta sunt; — Matthæus Caryophilus [5], Cretensis (f 1636), qui scripsit *de primatu papa* et *censuram confessionis fidei* seu potius perfidiæ calvinianæ, quæ nomine Cyrilli patriarchæ constantinopolitani circumfertur;— Demetrius Pepanus [6], Chius (t post 1667), qui contra Calvinum scripsit : *In illud symboli : Credo in unam... Ecclesiam ; De processione Spiritus S.; De magno et tremendo sacr. S. Eucharistia·,* — Leo Allatius [7], Chius (1586-1669), cujus inter opera præcipua sunt : *De Ecclesia occidentalis atque orientalis perpetua consensione, De utriusque Ecclesia*

[1] Hurter, III, 678-695; J. de la Serviere, *La théologie de Bellarmin,* Paris Beauchesne, 1908.

[3] Petavius, *De Incam.,* XV, 7. Cfr. Hurter, III, 728. — [3] *lb.,* HI, gag ♦ Hurter, III, 702. — [5] *lb.,* 706. — [6] *lb.,* IV, 130. *lb.,* IV, 122.

perpetua in dogmate de Purgatorio consensione, Concordia nationum Christianarum Asice, Africa et Europa in fide catholica; erudite, sed prolixe et satis acerbe scripsit.

II. De theologis scholasticis.

67. Theologia scholastica hac ætate a *Regularibus* exculta fuit, non solum in antiquis Ordinibus, sed etiam, et quidem eximie, in Societate Jesu recenter a S. Ignatio fundata; et insuper a *sæcularibus* non paucis. Semotis, ut plurimum, otiosis quæstionibus, theologi S. Thomam, S. Bonaventuram aut Scotum exponunt, et non pauci, præsertim inter eminentiores, biblica et patristica argumenta simul cum speculativis rationibus amice consociant.

68. (A) Inter Dominicanos floruerunt : Franciscus de Victoria [1] (c. 1480-1546), hispanus, qui, post studia Parisiis peracta, ibidem exposuit Sententias; postea vero, Hispaniam reversus, tanto lumine Salmanticensem scholam perfudit ut ejus parens censeri possit. Scientia theologica clarus, methodo (jam ex parte positiva) clarior, discipulis et fructibus quos per eos retulit theologia, fuit clarissimus. Præter *relectiones XII theologicas* in quibus inter alia de jure belli præclare disserit, commentaria conscripserat in S. Thomæ Summam, et in libros Sententiarum, quæ manserunt inedita.

Melchior Cano [2] (1509-1560), qui Francisci de Victoria Salmanticæ fuerat discipulus, et (postquam aliquot annis Pinciæ et compluti docuisset) eidem successit, splendorem hujus academiæ plurimum auxit. Ad concilium Tridentinum a Carolo V missus, ibi haud parum emicuit. Celeberrimum ejus opus *De locis theologicis lib. XII* inscribitur, quo parens fuit novæ theologicae disciplinae, quæ postea vocata est theologia fundamentalis seu introductio in theologiam : opus *vere classicum* ex quo etiam hodierni multa depromunt.

Dominicus Soto [3] (1494-1560), Melchioris Cani Sal-

[1] Hurter, II, 1367-1370; E. Dupin, XIV, 172-175.

[2] Hurter, II, 1370-1372; F. Caballero, *Vida del ill. M. Cano,* Madrid,

[3] Hurter, II, 1372-1376. Cf. A. Viel, *Dominique Soto,* in *Revue thomiste.* 1904-1907. Distinguendus est ab homonymo Petro Soto, de quo supra, n. 64.

manticæ collega fuit, et cum eo sedit (ut theologus Ordinis) in Concilio Tridentino, in quo facundia et doctrina maxime emicuit, ita ut ei reserendarum difficultatum ingruentium conficiendorumque decretorum (præsertim sess. VI) onus subinde demandaretur. Præter *commentarios in libros Sententiarum,* edidit *de natura et gratia lib. j,* in quibus decreta Tridentina (sess. V et VI) contra Lutheranos et Pelagianos commentatur *.

Dominicus Bannez 2 (1528-1604), in theologia magistros habuit Melchiorem Cano et utrumque Soto, condiscipulum Bartholomæum a Medina. Ipse autem in variis locis, Salmanticæ præsertim, theologiam professus est, et *scholastica commentaria* in varias partes S. Thomæ edidit. Ex hoc autem præsertim notus est quod Molinæ opinionem *de concordia gratice cum libero arbitrio* acerrime impugnavit, ut pelagianam, eique opposuit theoriam *præmotionis physicæ,* ' a Molina ut calvinianam rejectam :hinc enatæ sunt controversiae de gratiae auxiliis.

69. Doctrinam S. Thomæ pariter exposuerunt : in *Hispania* et *Lusitania* : Barth. A Medina 3 (f 1581), qui egregie primam secundæ commentatus est; Petrus de Ledesma* (t 1616) præsertim in *Tr. de divina perfectione, infinitate et magnitudine,* et *de divina gratia auxiliis;* Didacus Alvarez 5 (f 1616) in Disp. theologicis *de Incarnatione* et *de auxiliis divina gratia;* Thomas de Lemos6 (t 1629), qui in *Panopliagratia* de prædestinatione et gratia strenue thomisticas doctrinas propugnavit; Joannes a S. Thoma *l* (1589-1644),qui, præter cursum philosophicum, cursum theologicum edidit, in quo non minus nitide quam solide totam fere summam S. Thomæ elucidat; Xantes Mariales8 (t 1660), qui in *Bibliotheca interpretum ad universam Summam S. Thoma,* critice expendit quæ a scriptoribus antiquis et recentibus de scholastica theologia evulgata fuerant; Pr. de Arauxo? (§ 1664), Salmanticæ pro-

' Quod opus occasio fuit controversiæ cum Ambrosio Catharino (n. 65) et Andrea de Vega (n. 64) de interpretatione mentis Concilii Tridentini in his quaestionibus.

* Hurter, III, 389. Cfr. Eleutherius (Livinus Meyer, S. J.) *Hist, controv. de divina gratia auxiliis,* Anvers, 1705, Aug. Le Blanc (Hyacinthe Serry, O. P.), *Hist, contrcm.,* Anvers, 1709; Mandonnet, art. *Bannez,* in *D. T. C.,* II, 140; P. de Régnon, S. J., *Bannez et Molina,* Paris, 1888; Gayraud, *Thomisme et Molinisme,* Paris, 1889.

3 Hurter, III, 144. — * Λ., HI, 391. — s *lb.,* Ill, 659.

6 Hurter, III, 667. — *l lbx,* III, 915. — 8 *lb.,* HI, 937. _ 9 /3, jy $

(essor, et postea episcopus Segobiensis, qui docta *commentaria* reliquit; — in *Italia,* Seraphinus Capponi », a *Porrecta* (solo natali in Italia) dictus (1536-1614), cujus sunt *Elucidationsformel·les* in Summam Theologicam; — in *Gallia,* Joannes Viguerius', qui diu (1527-1550) Tolosæ docuit, et *Institutiones* ad naturalem et christianam philosophiam, maxime vero ad scholasticam theologiam, concinnavit, quæ postea sæpius editæ sunt; Ludov. Bail 3 (t 1669), qui, præter *Summam omnium conciliorum,* et aliqua opera contra Jansenianos, pium opus edidit : *La théologie affective ou St Thomas en méditation;* Vincentius Contenson * (1641-1674), cujus est *Theologia mentis et cordis,* in qua unicuique quæstioni considerationes asceticas subjicit : caute tamen legendus est, nam passim jansenianis favet; Petrus Labat5, Tolosanus (f 1670), qui *Theologiam scholasticam* edidit; sed in primis Joannes B. Gonet 6 (t 1681), strenuus thomisticæ theologiæ propugnator, cujus opera classica sunt : *Clypeus theologice thomisticce, Apologia Thomistarum, Manuale Thomistarum : AGIO'S.* MassoulIÉ, t 1706, *D. Thomas sui interpres;* et Joan. Nicolai7 (1594-1673), doctor parisiensis, qui opera S. Thomæ notis illustravit, et Jansenianos impugnavit præsertim in *Thesibus theologias de gratia.*

70. (B) Societatis Jesu professores doctrinam S. Thomæ generatim sequuntur, quin tamen adstrictos se esse intelligant nunquam ab eo recedere. Inter theologos qui in nova societate emicuerunt, speciali laude digni sunt :

Card. Fr. Toletus8, f 1596, doctrinæ profunditate atque eruditionis amplitudine illustris, præter commentaria philosophica et biblica, reliquit plura inedita scripta, e quibus JOS. Paria, S. J., digessit *Enarrationem in summam theol. S. Thomæ;* JACOBUS LAINEZ9 (1512-1565), cujus auctoritas tanta fuit in C. Tridentino, scripsit *Disputationes Tridentinas* recenter Œniponte editas, 1886. .41

Franciscus Suarez 10 (1548-1617), vir plane *eximius* sanctitate et doctrina, philosophiam Segoviæ et theologiam Abulæ, Segoviæ, Romæ, Compluti, Salamanticæ et Conimbricæ successive per 42 annos professus est. Principis instar

1 *Ib.,* III, 369. — 3 *Ib.,* II, 1378.
3 Hurter, IV, 191 ; Féret, IV, 184-192.
* Hurter, IV, 35. — *Sib.,* IV, 36. — 6 *Ib.,* IV, 318.
7 Hurter, IV, 39; Féret, V, 232-240.
8 Hurter, III, 247-255. — ' *Ib.,* III, 6.
,o Hurter, III, 376-385 ; cfr. Werner, *Franz Suarez.*

inter recentioris scholæ theologos eminet, *profunditate* ingenii, qua omnia fere tangit quae in unaquaque materia apte dici possunt, *claritate* plane insigni, *eruditione* immensa, qua omnes in qualibet quaestione cujusvis aetatis sententias dilucide refert cum argumentis quae modeste dein omnes in partes extendit[x].

Gabriel Vasquez [2] (1551-1604), Suarezii quodam sensu æmulus, per triginta annos D. Thomæ theologiam docuit Compluti et Romae, maxima auditorum admiratione et fructu. A nonnullis, propter ingenii acumen et profunditatem, *alter Augustinus* appellatus est. *Commentarium et disputationes in Summam Theologicam S. Thomæ* edidit (10 v. in foL, Lugduni, 1631), in quibus se prodit quaedam opinandi singularitas, qua nonnumquam sententias minus tutas vel etiam erroneas tuetur. Suarezii sententias saepe crisi subjicit, et ita fere se habet ad Suarezium ut Duns Scotus ad S. Thomam.

71. Gregorius de Valentia [3] (1551-1603), in Hispania natus, fere totam vitam in Germania (Dilingæ et Ingolstadii), duxit, ubi rem catholicam praelectionibus, disputationibus, scriptis strenue promovit Multa opuscula polemica *de fidei controversiis* scripsit contra Novatores, sed insuper *Commentaria theologica,* quae claritate, profunditate, et ingenii subtilitate conspicua sunt.

Ludovicus Molina [4] 1600), discipulus philosophi Petri Fonseca, praeter tractatum *de Justitia etjure,* commentaria scripsit in lam D. Thomæ, praesertim vero famosum opus, cui titulus : *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prcedestinatione et reprobatione* ; ubi suam theoriam exponit quae postea *molinismus* appellata est, et acerrime impugnata est a Bannezio aliisque Thomistis; subtile et clare quaestiones illas difficillimas pertractat.

[x] Editio recens habetur operum F. Suarez (Parisiis, 1856, 28 vol. in-40), quorum maxima pars *Commentarium ac disputationes in Summam Theologicam D. Thoma* complectitur. — Martinus Becanus (de quo n. 61) in sua *Summa theologia scholastica* clare Suarezii disputationes constrinxit.

[2] Hurter, III, 385-389.

[3] Hurter, III, 401-404. — [4] *lb.,* III, 148-151.

Leonardos Lessius [1] (1554-1623), in Brabantia natus, postquam per septem annos (1574-1581) Duaci philosophiam docuisset, theologiam Romæ didicit sub Suarezio, quam ipse postea Lovanii per longos annos tradidit. Ejus doctrinam de gratia facultas Lovaniensis (instante Baio?) et facultas duacena (instante Estio) censurarunt : nam a baianismo toto cælo distabat. Lessii opera *[Deperfectionibus tnoribusque divinis, de Dei nominibus,* variaque alia opuscula *de gratia* etc., necnon et commentaria (posthuma) in D. Thomam] " excellunt idearum nobilitate, expositionis nitore atque candore, comparationum luminibus ; non solum mentem illuminant, sed et affectum pascunt et accendunt cor ".

Joannes de Lugo [2], S. J. (1583-1660), qui Vallisoleti et Romæ (in collegio romano, 1621-1641) theologiam magno cum plausu professus est, et ab Urbano VIII (1643) Cardinalis creatus est. In theologia morali et dogmatica æque celebris, præsertim in *Tr. de Fide,* " aliorum theologorum opiniones atque argumenta accuratæ plane atque solidæ crisi subjicit, quæque ei probantur expolit, ultimaque veluti apposita manu perficit, adeo ut in quæstionibus quas ipse pertractat, prætermitti nequeat".

72. Post quos, mentione etiam digni sunt : in *Gallia,* Franciscus Annatus [3] (1590-1670), ruthenensis, qui strenue Jansenianos confutavit; — in *Italia,* Sfortia Pallavicinus [4] (1607-1667), qui præter celeberrimum opus *Istoria dei Concilio di Trento* ad intelligentiam decretorum Concilii valde utile, scripsit *Assertiones theologicas* minime spernendas; — in *Germania,* Adamus Tanner [5] (1571-1632), Gregorii de Valentia discipulus, qui Ingolstadii theologiam eximia cum laude docuit, cujus est *Universa theologia scholastica, speculativa, practica ad methodum S. Thomæ,* opus plane egregium. Scripsit etiam *Disputationes theologicas* in omnes partes Summæ theologicæ, et alia opera polemica; — sed præsertim, in *Hispama,* Didacus Ruiz de Montoya [6] (i562-1632) qui Cordubæ et Hispali professus est : *De Trinitate* scripsit opus vere aureum et plures quæstiones iæ partis Summæ theologicæ profundis ornavit commentariis; Joannes Martinez de Ripalda [7] (1594-1648), pro-

[1] *Ib.,* III, 619-31. — [2] Zi., III, 91X. — [3] Hurter, IV, 74.
[4] *Jb.,* IV, 192. — [5] *Ib,t* ni, 638-640. — [6] Zi., III, 661.
[7] *lb.,* III, 928.

pter egregium opus *De ente supematurali* celebris, in quo de gratia subtiliter et profunde disputat, aliquando tamen contra communem theologorum sententiam.

73. (C) Inter Franciscanos, alii Scotum, alii Bonaventuram sequuntur, (a) Inter priores recensentur : J. Malafossa », O. Min., qui, sub nomine Jacobi Bargii, edidit *Enarrationem expositionemque in l. i Sent. Scoti* (an. 1560), in quo 130 apparentes Magistri contradictiones solvere nititur; Jos. Angles', O. Min., qui scripsit *Flores theologicarum quastionum* (1584-1585); Fr. de Herrera 3, O. Min. reg. observ., cujus sunt *commentaria in 1 et 2 lib. Sentent.,* necnon *Manuale theologicum;* Joannes Ponce* f 1660, qui cursum theologicum scripsit ad mentem Scoti; Bonav. Belluti*, O. Min. conv., qui scripsit *de Incarnatione Verbi* (1645) ; Barthol. Mastrius6, ejusdem ord., qui *disputationes theologicas* elaboravit ad mentem Scoti, 1655-1664; Matthæus Ferchius7, ejusd. ord., qui *Apologiam pro J. D. Scoto* edidit, necnon *Epitome theologice* (1647); Brancatius de Lauria8 ejusdem ord., qui scripsit *Commentaria in 3 et 4 I. sentent.* (1653-1682), ubi solide et docte de Incarnatione agit, de virtutibus et de sacramentis; Joannes Bosco', O. Min. Recol., qui fuse et docte de theologia sacramentali disseruit ad mentem Scoti (1665); Guilelmus Herincx10, O. Min., *Summam theologia, scholastica et moralis ad mentem Scoti* edidit (1660-1663), quæ stili nitore et spirituali unctione conspicua est

74. (b) Alii vero propius S. Bonaventuram, immo et S. Thomam, accedunt, præsertim inter Capuccinos; quales sunt : J. Maria Zamora ", O. Cap., qui, in *Tr. de Deo Uno et trino* componit controversias inter S. Thomam, S. Bonaventuram et Scotum (1626); cujus est etiam doctum piumque opus *de eminentissima Deipara V. Maria perfectione* (1629);— L. Waddingus", Ord. Min., (t 1657) qui, præter *Annales Minorum* (opus eruditissimum), de B. Virgine præclara scripsit; — Theod. Foresti I3, O. Cap. (t 1637), qui de SS. *Trinitatis mysterio* commentaria edidit juxta mentem S. Bonaventuræ, ubi seraphicam doctrinam cum S. Thomæ placitis conciliat; Barthol. a Barberhs'*, O. Capuc., qui *cursum theologicum* ad mentem d. Bonaventuræ (1687) publici juris fecit; Marcellus Regiensis, O. Cap., qui in *Summa seraphica* (1669) S. Bonaventuræ doctrinam lucide exponit; Marcus a Baudunio 15, O. Cap., præter *paradisum philosophicum,* vulgavit *paradisum theologicum* unius ac trium doctorum angelici, seraphici et subtilis

' *lb.,* III, 5. —1 73., 142. — 3 73., 143. — * 73., 961. — s 73., IV, 20.
4 73., 20-21. — 7 73., 21. — 8 73., 351-355· — 9 Hurter, 331.
'° 73., IV, 48. — " 73., III, 943. — « 73., III, 962.
'3 73., III, 649. — «* 73., IV, 355. — « 73., IV, 33.

(1654); Franciscus Macedo', O. M. (t 1681), qui *Collationes doctrina S. Thoma et Scoti* edidit, cum differentiis inter utrumque et diligenter excussis commentariis Cajetani, Suarii et Vasquez; Carolus Jos. Tricassinus, O. Cap. (t 1691), qui, contra Jansenianos, doctrinam S. Augustini de prædestinatione, de hominis lapsi libertate, de gratia omnibus et singulis data, de natura originalis peccati erudite vindicavit[1]; Mathias Hauzeur[3], O. Min. (t 1676), qui propter librum cui titulus *Collatio totius theologia* (qui tamen ordinis et methodi defectu laborat) "Alensis, Bonaventuræ, Scoti subtilissimus et profundissimus conciliator" meruit appellari.

75. Ex **ordine S. Augpistini** : Basilius Pontius Hispanus, eruditione nemini secundus, inter alia suæ scientiæ monumenta, reliquit : *De sacramento matrimonii,* cum appendice de matrimonio catholici cum hæretica (1624); necnon *de sacramento confirmationis.*

76. **In ordine S. Benedicti** notandi sunt : August. Reding*, Helvetus, cujus præcipuum opus *Theologia scholastica universa* (1687) thomisticam doctrinam rigidam fuse ac solide propugnat; Cælestinus Sfondrati[6], 1644-1696, qui Rom. Pontificis jura contra Gallicanos defendit in opere *Regale sacerdotium Rom. Pontifici assertum,* cujus vero opus posthumum *Nodus prædestinationis* acriter impugnatum fuit tanquam pelagianæ hæresi favens, sed immerito, ut videtur; Saenz de Aguirre Cardinalis (1630-1699), cujus est *Theologia S. Anselmi,* magni æstimata, et *Defensio cathedra S. Petri,* an. 1582, contra declarationem gallicanam.

77. In **Carmelitarum** familia tunc floruerunt egregii philosophi ac theologi, qui cursum philosophicum et theologicum ediderunt, ubi doctrinas thomisticas solide et strenue propugnaverunt[7]. *Cursus theologici Salmanticensis* (1631-1679) auctores præcipui traduntur esse : Antonius a Matre Dei (t 1641), Dominicus a S. Theresia (t 1654) et Joannes ab Annuntiatione (t 1701) : hi miram d. Thomæ doctrinam fuse, nitide ac solide exponunt et contra impugnatores vindicant, praesertim contra Scotum, Molinam et Suarez. Brevius opus, *Summa theologia Thomistica,* quam Philippus a SS. Trinitate concinnavit (1653), soliditate ac perspicuitate insigne est[8]. Pariter Dominicus a SS. Trinitate (1616-1687), in *Bibliotheca theologica,* ea omnia lucide tradit quæ hodie in Tr. de Locis theologicis aut in Introductione in theologiam exponuntur [9].

[1] *Zb.,* IV, 361-367. — [2] *Zb.,* IV, 449. — [3] *Zb.,* IV, 82. — [4] *Zb.,* III, 890.
[5] *Zb.,* IV, 332. — [6] *Zb.,* IV, 384-390.
[7] Hurter, III, 918-920. — [8] *Ib.,* IV, 37-38. — [9] *Zb.,* IV, 423.

78. (D) Extra ordines religiosos, commemorandi sunt : Nic. Ysambertus*, Aurelianensis (1569-1642), eruditus in Sorbona theologiæ professor, cujus celeberrimum opus est *Commentarium in S. Thoma Summam ;* Isaac Habert' (t 1668), Doctor sorbonicus et episcopus Vabrensis, qui contra Jansenianos strenue et erudite dimicavit, et, praeter alia, scripsit : *De la chaire et de la primauté unique de St Pierre, Theologia Gracorum Patrum vindicata circa universam materiam gratia ;* Fr. Sylvius 3, Belga, 1581-1649, qui *commentarios* scripsit *in Summam S. Thoma,* breves quidem, sed doctos ac solidos, necnon opuscula *de motione primi motoris, de statu hominis post peccatum.*

GuiL· Estïus‹ (1542-1613), belga, Scripturæ (præsertim S. Pauli) celeberrimus interpres, qui edidit etiam egregios *Commentarios in 4. lib. Sententiarum :* solidus theologus scholasticus, immo doctor fundatissimus (Ben. XIV), caute tamen legendus est, nam ab erroribus Baii, cujus fuerat discipulus, non est omnino immunis.

Petrus Morinus5, (1531-1608), Parisiensis, praeter erudita opera de conciliis, tractatum digessit *De bono usu et abusu scientiarum,* ubi de ordine et methodo studendi et scientiam theologicam adipiscendi sapienter disserit.

79. Caspar Scioppius6, Palatinus (t 1649), e Lutheranismo conversus, acriter contra Protestantes scripsit : *Pro auctoritate Ecclesia in decidendis fidei controversiis, — Syntagma de cultu et honore sanctorum.* Franciscus Hallier?, Carnotensis, doctor sorbonicus (t 1659), egregium et eruditum opus edidit : *De sacris electionibus et ordinationibus,* necnon *de Hierarchia ecclesiastica.*

III. De theologia positiva.

80. Eadem aetate fundata est theologia *positiva,* ea nempe quæ, relictis philosophicis quæstionibus, tota versatur in exponendis ac probandis dogmatibus ex fontibus Revelationis.

Cujus parens merito habetur DIONYSIUS PETAVIUS8, S. J· (1583-1652), " aquilæ in morem alios praetervolans multumque post se relinquens ". Aureliani natus, post studia Parisiis peracta, biennio Biturici philosophiam edocuit. Natus 22 annos, societatem Jesu ingressus est (1605). Post

l *lb.,* III, 948. — ' *lb.,* IV, 65-67; cf. Féret, IV, p. 305.
3 Hurter, 953. — ‹ *lb.,* III, 484. — 5 Λ., III, 505. — 6 Z3., ΠI, 1020.
l Hurter, 1184; Féret, L IV, p. 305-311.
• Hurter, III, 965-978; J. Martin, *PHau,* Paris, Bloud, 1911.

novitiatum, theologiam in Mussipontano collegio audiit (1607-1610), et rhetoricam (1610-1621) docuit. Postea tandem Parisiis theologiam per longos annos (1621-1644) professus est : quibus elapsis, magnum suum opus *Theologica dogmata* edere coepit (1644-1650).

Inter ejus opera, omissis *editionibus* criticis veterum scriptorum (Synesii, S. Nicephori, S. Epiphanii, Juliani imper.), in quibus tamen nonnullas dissertationes (v. g., de pænitentia publica) notatu dignas inseruit, — omissis etiam operibus ad *chronologiam* et historiam spectantibus, ad *historiam dogmatum et theologiam dogmaticam* referuntur sequentia : variae dissertationes *De potestate consecrandi et sacrificandi, De ecclesiastica hierarchia, De libero arbitrio, De lege et gratia,* etc., sed imprimis *Theologicorum dogmatum tomi 4.,* in quibus de Deo uno et trino, — de Incarnatione, — de angelis et de opificio mundi, — et de ecclesiastica disciplina successive disserit. Opus eruditum, sincerum atque eleganti stylo scriptum, in quo invenies fere quidquid notatu dignum apud Patres de dogmatibus fidei invenitur; fons e quo etiamnum theologi praecipua sua argumenta depromunt.

81. Ejusdem societatis, ei tamen valde inferior, Theoph. Raynaudus [1] (1587-1683) qui Lugduni et Romæ philosophiam et theologiam docuit, innumeraque reliquit opera, quæ aucta et emendata vulgavit *P. Bertet;* inter quæ recensentur : *Theologia Patrum,* ad templorum et scholarum usum, *Christus Deus-homo;* et *de attributis Christi :* ibi erudita et curiosa inveniuntur, sed quandoque obscura, nec omnino probata.

Dogmata theologica a L. Thomassino [2], Orat., digesta (1680-1689), ubi agitur de Incarnatione Verbi, de Deo Deique proprietatibus, de SS. Trinitate et gratia, stupenda quidem eruditione conspicua sunt, necnon sublimitate in concipiendo et claritate in exponendo, sed quandoque diffusiori stilo scripta, nec semper omnino accurate.

Omittendus non est Joannes Morinus [3], Cong. Orat. (1591-1659) qui Rupellæ ex parentibus calvinianis natus, ad veram fidem ex lectione operum Du Perronii conversus (1617), multa conscripsit

[1] Hurter, III, 978.
[2] Hurter, IV, 416-423; cfr. J. Martin, *Thomassin,* Paris, Bloud, 1911.
[3] Hurter, III, 1153-1158.

ad Scripturam illustrandam, et Ecclesiæ doctrinam historicis disquisitionibus defendendam. Theologo maxime utiles sunt — modo cum delectu legantur — ejus commentarii historici *de disciplina in administrations sacramentipcenitentia,* et *de sacris Ecclesia ordinationibus.*

82. Quibus addendi sunt eruditi viri qui Patrum opera secundum sanæ criticæ regulas investigarunt et publici juris fecerunt, omninomodæ eruditionis apparatu illustrarunt. Inter quos : Margar. de la Bigne, Doctor Sorbonicus, an. 1672 vulgavit SS. *Patrum qui temporibus apostolicis floruerunt opera* edita et non edita; L. d'Achery, O. S. Ben., edidit *Spicilegium veterum aliquot scriptorum,* qui in Galliæ bibliothecis, maxime Benedictinorum, latuerant; F. Combefisl, O. P., 1605-1679, multas editiones et translationes græcorum operum concinnavit; Jac. Sirmond, S. J., 1559-1651, totius antiquitatis curiosus et sapiens indagator, contra Salmasium veræ critices jura defendit; Petrus Poussines (Possinus), S. J., 1609-1686; Joan. Garnerius (1612-1681), S. J., inter alia, edidit *Marii Mercatoris Augustino aqualis opera ;* Pet. Fr. Chifflet, S. J., † 1682; Jacobus du Fische, O. S. B., † 1693; J. Garet, O. S. B. † 1694; Luc. Holstein, Hamburgensis † 1661, vir singularis doctrinae et eruditionis[23]

83. Nec praetermittendi sunt qui Patrum doctrinam critice exponendo de theologia patristica bene meruerunt : Le Nain de Tillemont[3] (1637-1698), cujus praestantissimum opus est : *Mémoires pour servir à VHistoire ecclésiastique des six premiers siècles;* opus valde eruditum, sagaci diligentia concinnatum, notis criticis generatim accuratis ornatum, in quo tamen aliquando mens janseniana apparet, praesertim ubi de Romanæ Sedis auctoritate agitur; Ludov. Maimbourg * (1610-1686), quarumdam hæreseon historiam diligenter texit, v. g., *Histoire de ГArianisme, Histoire de ihérésie des Iconoclastes, Histoire du Luthéranisme ;* in opere *Traité historique de Гétablissement et des prérogatives de ГEglise de Rome,* Calvinianos quidem confutat, sed gallicanisme nimis favet.

ξ II. Periodus paulatim decidens (1680-1830).

84. Hujus periodi indoles. Sæculo XVI1° jam ad finem vergente, theologia a suo splendore paulatim defecit : cujus rei præcipuæ causæ esse videntur : acerbae nimis con-

[1] *Ib.,* IV, 161-170.

[2] De quibus cfr. Hurter, IV, 478-499. De Sirmond et Holstein, cfr. Hurter, III, 1073, 1081.

[3] Hurter, IV, 509. — [4] Hurter, IV, 514.

troversiæ a Jansenianis suscitatæ, — contemptus theologiæ scholasticæ quem induxerunt non pauci scientiarum ac litterarum cultores, — disputationes nimis subtiles inter diversas scholas ex quibus factum est ut gravissimae quaestiones nonnisi obiter attingerentur, — rationalism! progressus, necnon civiles perturbationes quae primum in Gallia, postea vero per totam Europam saevierunt. — Praecipui errores hoc sæculo vigentes fuere, præter Protestantismum et Jansenismum nondum penitus exstinctum : (a) *Gallicanismus* in Gallia, *Febronianismtis* in Germania, et *Josefihismus* in Austria, quibus plus aequo minuebatur auctoritas R. Pontificis et ex adverso nimia privilegia auctoritati civili tribuebantur in rebus religiosis; (b) *Rationalismus* seu *Deismus* qui revelationem, miracula et omne supernaturale rejiciebat. Rationalistas confutaverunt christiani Apologetæ, de quibus in *Theol. Fundamentali* egimus, n. 65. Ceteri autem theologi, contra Gallicanismum, in suis Prælectionibus aut in particularibus Tractatibus, auctoritatem Rom. Pontificis ejusque independentiam in rebus religiosis asseruerunt; insuper, contra Jansenismum, notiones ordinis supernaturalis et gratiæ elucidare non destiterunt; ita etiam sub hoc respectu aliquis fuit progressus.

Præcipuos theologos recensebimus tum *intra* tum *extra* Ordines religiosos.

85. (A) Inter Dominicanos : Jo. Thomas de Rocaberti[1] Ç1624-1699), in Catalaunia natus, post magnum opus *De romani pontifias auctoritate* (3 in fol.), *Bibliotheco.m maximam pontificiam* edidit (21 in fol.), in qua auctores melioris notæ qui hactenus pro romana sede scripserunt fere omnes continentur; — Natalis Alexander[2] (1639-1724), præter historiam ecclesiasticam, vulgavit *Theologiam dogmaticam et moralem* secundum ordinem catechismi Tridentini; — Car. Ren. Billuart[3] (1685-1792) hodiernis academiarum moribus accommodavit *Summam S. Thomæ*[4] ubi clare et solide doctrinam thomisticam propugnat contra Scotistas, Molinistas et Hon. Toumely; — Michael Le Quien (t 1733) *Panopliam* scripsit contra Schisma Graecorum, necnon *Orientem Christianum;* — V. Lud. Gotti*, Italus (1664-1742) scripsit *Theologiam scholastico-dogmaticam,* non minus perspicuitate quam soli-

[1] Hurter, IV, 375. — [2] Hurter, IV, 1173; *Diet, thiol.,* I, 769.
[3] Hurter, IV, 1346; *D. T. C.,* II, 890. — [4] Hurter, IV, 1353.

ditate conspicuam; — Ren. Hyac. Drouin [1] (f 1742) opus eruditum reliquit *de re sacramentaria* contra perduelles haereticos; — Bern, Maria de Rubeis[2], 5. *Thoma opera theologica* edidit Venedis, 1745-60, eaque notis criticis et apologeticis exornavit, et, praeter varia eruditionis opera, eximium tractatum scripsit *de peccato originali,* 1762;— Th. Maria Mamachi[3], in libro *Originum et antiquitatum Christianarum* Binghami errores correxit (1749-1755), et contra Febronium erudite scripsit *de ratione regenda Christiana reipublica deque legitima R. Pontificis potestate'* 1776-78.

86. (B) **Patres Societatis Jesu** theologiæ maxime operam dederunt: — Edm. Simonnet* (t 1733) *Institutiones* edidit ad usum seminariorum;— Fr. Noel (1729) compendium vulgavit operum Suarez valde utile; — Jac. Pl a t e l iu s[4]* egregiam Synopsim cursus theologici reliquit, 1661; — St eph. Dechamps [6] contra Jansenianos edidit *Defensionem censura s. Facultatis Parisiensis* (sub nomine *A. Ricardi),* 1645; quod opus postea expolivit atque inscripsit *De haresiJanseniana;* — Alvarus Cienfuegos[7], Cardin. (1657-1739), præter *Ænigma Theologicum** ubi obscure de Trinitate disserit, in *Vita abscondita* mira sed singularia scripsit de vita Christi in Eucharistia et de unione communicantis cum anima Christi; — J. J. Scheffmacher [8] (1668-1733) edidit *Lettres d'un Docteur allemand de V Univ. cath. de Strasbourg** ubi stilo ab omni acerbitate alieno, solide simul et clare de omnibus inter Protestantes et Catholicos controversis præclare disserit; — P. G. Antoine [9], Lunævillensis (1679-1743), cujus *Theologia universa speculativa et dogmatica* ob perspicuitatem et soliditatem merito laudatur; — nec minori laude digna est *Theologia Wirceburgensis* [10] quam ediderunt H. Kilber (f 1783), Th. Holtzclau (t 1783) et Ign. Neubauer (t I795)>— pariter *Theologia dogmatico-scholastica,* Romæ, 1767-1777,a J· B. Gener ", hispano, edita, eruditione literaria et sagaci monumentorum archæologicorum usu commendata; — Sigism. Storchenau", germanus, contra Rationalistas eruditum et solidum opus edidit *Die Philosophie der Religion** 1775-81, et *Zugaben zur Philosophie der Religion'* 1785-88; — Joan. Vinc. Bolgeni [13], Italus, contra Jansenistas scripsit *Esame della vera idea della Santa Sede** 1784; in opere *Delia Carita* (1788) contendit proprium caritatis actum esse amorem concupiscentia aliaque singularia in aliis opusculis expressit; — Alph. Muzzarellim, divinis humanisque litteris ornatus, religionis et jurium Ecclesia fervens apologeta,

* Hurter, IV, 1405.
' Hurter, V. 10-14.
3 Hurter, IV, 404. — * *lb.** 1114. — 5 *Ib.,* 327. — 5 *Ib.,* 772.
7 Hurter, 1020. — ' *Ib.,* 1046. — ' *Ib.,* IV, 1351. — » */b.,* v. 262-264.
" Hurter, 257. — " *Ib.,* 242. — *3 *Ib.,* 530. — « *Ib.,* 535.

multa scripsit opera, inter quæ : *Il buon uso della Logica in materia di Religione, 1787; Primato e infallibililà del Papa; LEmilio disingannato,* etc.; — Laurent. Veith (f 1796), inter cetera opera, edidit : *De primatu et infallibilitate Rom. Pontificis et Edm. Richert systema de ecclesiastica etpolitica potestate confutatum;* — Car. Plowden (t 1821), cujus est : *Considerations on the modern opinion of thefallibility of the Holy See.*

87. (C) Inter Benedictinos, (a) alii *speculativam* theologiam excolunt : Ludov. Babenstuber [1] (f 1726) philosophiam et theologiam Salisburgi docuit, et, præter *Philosophiam thomisticam,* lucidos tractatus theologicos scripsit de Deo uno et trino, de peccato originali, de Verbo incarnato, de S. missae sacrificio; Virg. Sedlmayr [2] (f 1772) edidit *Systema theologice dogmatico-scholasticce* juxta methodum Thomæ Aq., necnon *Theologiam marianam* et *Catalogum hæresum* una cum methodo disputandi cum acatholicis. — (b) Alii *positivam* theologiam illustrant : Joannes Mabillon [3] (t 1707), vir eruditissimus, qui, præter historica opera, scripsit *De re diplomatica et de studiis monasticis,* criticamque editionem operum S. Bernardi confecit, quæ veluti exemplar aliorum ejusdem generis habita fuit; Th. Ruinart (f 1709), Mabillonii discipulus, cujus præcipuum opus *Acta primorum martyrum sincera et selecta,* critice exaratum multum theologis prodest; Edm. Martene (f 1739), cujus opus *De antiquis Ecclesice ritibus in re sacramentaria* theologis utilissimum est; Car. Chardon (f 1711) cujus est *Histoire des Sacrements,* opus criticum et eruditum etiam nunc theologis valde utile; Remigius Ceillier, de theologia patristica bene meritus, scribendo eruditum opus : *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques* (usque ad medium sæc. XIII), Paris, 1729-1763; Prud. Maranus (t 1762) cujus opera *(Dissertations sur les Semiariens, La divinité de J. C.,* etc. et multæ Patrum editiones) magni æstimantur[4]; Ren. Massuet (t 1715) et Bernardus Montfaucon* [5] (t 1741), qui in edendis criticis Patrum editionibus maximam celebritatem merito adeptus est ob suam eruditionem et sagacitatem.

(c) Postea vero Martinus Gerbert (t 1793) theologiam simul speculativam et positivam satis feliciter consociavit in his et similibus operibus : *Theologia vetus et nova area prcesentiam Christi,* — *Demonstratio verce religionis verceque Ecclesice,* — *Principia theologice dogmaticce, Principia theologice sacramentalis;* Marianus Dobmayr, germanus (t 1805) reliquit *Theologiam dogmaticam,* opus satis eruditum.

[1] *Ib.,* IV, 1000. — [3] *Ib.,* IIP, 18.

[3] E. de Broglie, *Mabillon et la Sociiti de St Germain-des-Prés,* Paris, 1888.

[4] Hurter, IV, 1452.

[5] E. de Broglie, *B. de Montfaucon et les Bernardins,* Paris, 1891.

88. (D) In Congregatione Oratorii, duo sunt inter alios celebres : Caspar Juenin[1] (f 1707) qui vulgavit *Institutiones theologicas,* in quibus non pauci janseniani eiroris vestigia detegunt, sed præsertim eruditum *Commentarium historicum et dogmaticum de sacramentis in genere et in specie* contra antiquos et recentiores hæreticos; — Pet. Lebrun[3] (t 1729), qui eruditissimum, methodicum et pium opus scripsit : *Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe.*

89. (E) Augustiniani[3] tres recensendi sunt : Henricus Norisius[4] (t 1704) qui in *Historia pelagiana et diss. de synodo V acum,* doctrinam S. Augustini de gratia vindicat, et ostendit Origenis et Theod. Mopsuesteni errores de gratia merito damnatos fuisse : opus eruditum, in quo tamen Augustini opiniones exaggerat; Joan. Laurentius Berti[5] (t 1766) qui, jussu Superiorum, opus edidit *De theologicis disciplinis,* ubi scholæ Augustinianæ doctrina, præsertim de libero arbitrio et gratia, solide exponitur; cum in nonnullis capitibus ad Baii et Jansenii errores accedere videretur, aliud opus scripsit, nempe *Augustinianum systema de gratia* ab iniqua Bajani et Janseniani erroris insimulatione vindicatum ; Engelbertus Klupfel[6] (i733-i8ii), cujus sunt : *De statu natura pura, — De eximiis dotibus humana natura ante peccatum, — Institutiones theologia dogmatica,* breves, sed eruditæ.

90. (F) Franciscan! non solum Scotum exponunt et defendunt, sed etiam theologiam positivam excolunt. Joan. Gabriel Boyvin[7] *Theologiam Scoti* edidit, a prolixitate, subtilitate et obscuritate liberam et vindicatam, 1678;— Claudius Frassen[8] (t 171*)› præter *Cursum philosophia,* reliquit *Scotum Academicum,* in quo doctrinam Scoti exponit, dictisque Patrum sagaciter exornat, et contra adversarios vindicat; — Barthol. Durand (t 1720) cujus est *Clypeus scotistica theologia* contra novos ejus impugnatores; — Fr. Maria Assermet[9], qui *Cursum theologia scholastico-positiva*

[1] Hurter, IV, 737. — [2] *Ib.,* IV, 1313.

[3] Augustiniani hujus temporis specialem docent doctrinam de gratia et libero arbitrio, quam ex operibus S. Augustini desumptam esse affirmant. Contendunt nempe : (a) gratiam aliaque privilegia Adamo innocenti concessa non quidem ex justitia sed ex quadam Creatoris decentia esse debita ; (b) ideoque hominem lapsum non solum gratuitis fuisse spoliatum, sed vere in naturalibus vulneratum ; (c) in præsenti statu hominem non posse sese determinare absque efficaci Dei promotione, efficaciam autem gratiæ non ex motione physica, sed ex *victrici cUltctationc* oriri ; (d) gratiam vere sufficientem non omnibus dari ; (e) opera non esse supematuralia nisi ex caritate saltem virtualiter eliciantur. Cfr. PORTALIÉ, in *D. T.* C., voce *Augustinianisme.*

[4] Hurter, IV, 855. — [5] *Ib.*. IIP, 1-5. —[6] Λ., IIP, 564.

[7] Hurter, IV, 321. — [8] Λ., IV, 653; Féret, V, 194. —[9] Hurter, 656.

aggressus est, cujus tantummodo prodierunt *De Deo uno et trino, De divina gratia;* — Fr. Henno [1], qui *Theologiam dogmaticam et scholasticam* elaboravit, principiis scotisticis et thomisticis, in quantum licuit, accommodatam; — Laurentius Cozza [2] (1654-1729), Cardinalis, *Historiam polemicam de Grcecorum schismate* scripsit, in qua omnes controversiæ inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam erudite discutiuntur; necnon *Commentarios historico-dogmaticos in libr. S. Augustini de haresibus.*

91.(G) Societas **presbyterorum a S. Sulpitio** nuncupatorum, sæc. XVII° fundata ad clericorum institutionem, non paucos suscepit Doctores sorbonicos de theologia optime meritos. Quos inter : Petrus de la Fosse [3] (1701-1745), cujus sunt *Pralectiones theologica de Deo ac divinis attributis,* ad usum Seminariorum, opus soliditate ac perspicuitate merito commendatum; — Cl. Lud. de Montaigne* (1689-1767), "vir eruditus, studii et solitudinis amantissimus" [5], cujus sunt quædam ex operibus Tournelio tributis : *Pralectiones theol. de septem Ecclesia sacramentis (ab* H. Tournely); *Pralect. de mysterio SS. Trinitatis et de Angelis* (ab H. Tournely); *Pralect. de Opere sex dierum* (ab H. Tournely); *Pralect. de Gratia Christi Salvatoris;* quæ quidem opera eruditione, claritate et moderamine in seligendis opinionibus conspicua sunt; — Ludov. Legrand [6] [7] (1711-1780), præter censuras quas, nomine Sorbonae, adversus Rousseau et Marmontel redegit, elaboratum et lucidum scripsit tractatum *De Incarnatione Verbi,* necnon *De Ecclesia* et *De existentia Dei;* — Claudius Regnier [7] (1718-90), præter praeclarum et accuratum opus *Certitude des principes de la Religion,* exaravit *Tr. de Ecclesia,* quem commendant sapiens methodus, delectus probationum et stili nitor; in quo, etsi gallicanorum moderatorum theorias sectatur (prout mos erat inter Sorbonicos), independentiam potestatis ecclesiasticae in rebus sacris strenue propugnat [8].*

Inter **Lazaristas** eminet Petrus Collet [9] (f 1770), qui, præter opera biographica et moralia, scripsit *diss. de Jansenii systemate, propositionibus et censura,* necnon *Institutiones theologico-scholasticas* eruditione et perspicuitate praestantes.

92. (H) Inter *Barnabitas* floruit Hyac. Sigism. Gerdil [10] (t 1802), qui adversus incredulos plura scripsit, v. g., *Introduzione alio studio della religione, — Breve esposizione de? caratteri della*

[1] *Ib.,* 647. — [2] *Ib.,* 1040.

[3] L. Bertrand, *Bibliothèque Sulpicienne,* Paris, Picard, 1900, p. 278-282.

* *Ibid.,* p. 338-348 ; Féret, t. VII, p. 449. — [5] Hurter, IIP, 52.

[6] L. Bertrand, *op. cil.,* p. 361-394; Féret, VII, 452.

[7] Hurter, p. 442-449.

[6] Hurter, IIP, 267; Féret, VII, 475.

[9] Hurter, IIP, 53. — [10] *Ib.,* IIP, 522-530.

vera religione; et insuper jura pontificia strenue vindicavit in opere *De sacri regiminis ac prasertim pontifiai primatus profirio ac singu-*

Cisterciensis Stephanus Wiest, germanus, edidit *Institutiones theologicas* eruditione refertas

Fundator *Cong. SS. Redemptoris,* S. Alphonsus Maria de Ligorio' (1696-1787), præter opera moralia, de quibus in Theol. Morali egimus, pauca nec spernenda vulgavit apologetica, polemica et dogmatica, qualia sunt *Verita della fede,* — *Vindiciis pro suprema Pontifias potestate,* adversus Febronium, — *Del gran mezzo della preghiera,* ubi suam de gratia efficaci proponit theoriam, — *Trionfo della Chiesa.*

B. Jos. Maria Thomasius, *Theat.* (1649-1713), de liturgiæ historia optime meritus, edidit etiam *Institutiones theologicas antiquorum Patrum,* seu collectionem opusculorum Patrum secundum ordinem temporum simul et theologiae dispositam [3].

Maurus Cappellari [4], *Camald.,* qui postea S. Pontifex creatus est sub nomine Gregorii XVI, jura Ecclesiæ erudite propugnavit in egregio opere : ***II trionfo della*** S. *Sede e della Chiesa,* Romae, 1799.

Eusebius Amorts, *can. regul. cong. lateran.,* germanus (t 1775), præter multa opera moralia, eruditum concinnavit tractatum *de origine, progressu, valore acfructu indulgentiarum,* necnon *regulas de revelationibus, visionibus et apparitionibus.*

93. (I) Extra ordines religiosos, apud varias gentes catholicas, non pauci theologi speciali mentione digni sunt.

In Gallia : J. B. Duhamel [6] (1623-1705), Viriae in Normannia natus, cujus *Theologia speculatrix et practica,* stilo nitido scripta, methodum scholasticam cum positiva conjungit; — Car. Witasse? (t 1716), Doctor Sorbonicus, jansenianis erroribus infectus, lucidos tractatus reliquit *de Deo uno et trino, de Incarnatione, de sacramentis* Eucharistiae, pænitentiæ et ordinis; — Ludov. Habert [8] (t 1718), pariter Jansenianus, *Theologiam dogmaticam et moralem* scripsit; — Jac. Boileau [9] (f 1716) multa vulgavit theologica opuscula, inter quæ *Historiam confessionis auricularis* contra Dallæum calvinianum, et *De adoratione eucharistia ;* — C. du Plessis D'argentré (γ 1740), episcopus Tullensis, qui, præter alia opera theologica, exaravit *Collectionem judiciorum de novis erroribus,* qui ab initio sæc. XII ad an. 1713 proscripti sunt : opus eruditum theologis valde utile[10]; — Hon. Tournely ", (j 1729), cujus *Praelectiones theologica,* satis amplæ (16 in-8) merito laudantur pro sua

* *Ib.,* IIP, 234. —[1] Λ., IIP, 463-471. — [3] *Ib.,* IV, 977-984.
[4] *Ib.,* IIP, 1003 [5] *Ib.,* 203-204. — [6] *Ib.,* IV, 658.
[7] *Ib.,* IV, 739. — [8] *Ib.,* 740. — [9] *Ib.,* 741.
" Hurter, 1003; Féret, VII, 235. — Hurter, un ; Féret, VII, 207-217.

eruditione, doctrinæ soliditate, stilique perspicuitate, et ex quibus non pauci theologi argumenta deprompserunt; — Sylvester Bercier [1]*(t 179°)> Qub præter opera apologetica, reliquit *Dictionnaire théologique,* opus vastæ eruditionis, in quo tamen paucæ inveniuntur opiniones parum tutae; — Jos. de Maistre[3]* (f 1821), vir antiquae fidei et traditionum tenax, sagacitate ingenii et literario stilo praefulgens, inter alia opera, scripsit praeclarum opus *Du Pape,* in quo demonstrat quanti momenti fuerit et sit primatus institutio pro bono sociali populorum ; necnon *Les Soirées de St Pélersbourg,* ubi divinam Providentiam extollit;— Card, de la Luzerne[3] (t 1821), origine normannus, Lingoniensis episcopus, eruditus et prolixus scriptor, plurima scripsit mentione digna, praecipue : *Diss. sur Γexistence et les attributs de Dieu, — sur la spiritualité de l'àme et la liberté de Phomme, — sur l'excellence de la religion, — sur les Eglises catholique etprotestante, — sur l'amourpur de Dieu.*

In Belgio, Emman. Scheelstrate (t 1692), Antwerpiensis, vir in antiquitate ecclesiastica admodum eruditus, jurium primatus adversus Gallicanos fuit strenuus vindex [1].

94. In Italia : Ludov. Ant. Murator [1]5 (f 1750) de antiquitatibus multa erudite scripsit, praesertim *teLiturgia romana vetere;* — Fr. Scipio MAFFEius[6](f 1755), de theologia bene meritus propter historiam theologicam doctrinarum de gratia primis V sæc.; — Fratres Ballerini (Petrus f 1769 et Hieronymus f 1781) scripserunt eruditos tractatus *De vi et ratione primatus R. Pontificis; de potestate ecclesiastica Rom. Pontificum et Conciliorum generalium,* adversus Febronium, plurimaque alia opera historica et moralia 7; — Jos. Assemanus, Tripoli in Syria natus, Romam vero adolescens adductus, collegit *Codicem liturgicum Ecclesia universa,* opus eruditum, non autem absolutum, in re sacramentaria valde utile; — Joannes Marchetti (t 1829), vir magnae eruditionis, Jansenistas impugnavit juraque sedis apostolicæ strenue defendit, praesertim in operibus : *L'autorità suprema dei rom. pontefice, — Esercitazioni ciprianiche, — I tre capitoli.*

§ III. Periodus instaurationis§ (1830-1925).

95. Indoles hujus periodi. Post perturbationem gallicam et bella quæ tempore Napoleonis totam Europam

[1] Hurter, 270.

[3] Hurter, ibid., 727; cfr. A. de Margerie, *Le Comte de Maistre, sa vie, ses écrits, ses doctrines,* Paris, 1883.

[3] Féret, t. VII, 449-452. — < Hurter, IV, 530.

[5] *Ib.,* IV, 1471-1491. — [6] *Ib.,* 1491-1500. — *f Ib.,* III[3], 93-98.

* J. Bellamy, *La théologie catholique au XIX· s.,* Paris, 1904. — Pro hodier-

agitarunt, pax tandem rediit, et cum ea Theologia in catholicis universitatibus et Religiosis Ordinibus iterum floruit.

Duæ præsertim causæ *interna* ejus progressum promoverunt : ex una parte studia historica et biblica viam paraverunt theologiae positivae instaurationi; et, ex altera, innovatio philosophiae scholasticae, præsertim thomisticae, ejusque accommodatio recentioribus humani ingenii inventis, speculativam theologiam multo tutiorem et fecundiorem reddidit : ita enim amice consociari potuerunt duo elementa quæ scientificam theologiam constituunt. Jamvero studia critica primum in Germania, deinde in Gallia aliisque regionibus floruerunt, philosophiae vero scholasticae instauratio in Italia incoepta, postea in Lovaniensi Universitate peracta est — Causa vero *externa* quæ maxime fovit theologiae profectum, fuit Concilium *Vaticanum,* praecipue infallibilitatis pontificiae definitio : suprema enim auctoritate Pontificis ab omnibus accepta, theologi doctrinas romanas libentius atque tutius sequuntur, et ita errores devitant.

96. Errores tunc grassantes sunt : *indifferentismus religiosus,* sive *absolutus,* qui contendit Deum de nostris obsequiis parum curare, ideoque religionem ut rem inutilem negligit, sive *mitigatus,* qui docet cuivis licere religionem quam libuerit profiteri ; ex quo nascuntur*positivismus, agnosticismus,* immo, *materialismus* et *atheismus :* neglecto enim cultu, mox ratio humana sese imparem declarat ad cognoscendas res suprasensibiles, Dei existentiam, animæ spiritualitatem et immortalitatem, etc.; quia nihilominus sensus religiosus in multis manet, nova exsurgit theoria, *Modernismi* nempe, quæ profitens humana ratione Deum cognosci non posse, asserit tamen hominem, *sensus religiosi* ope, ad divinum aliquod ens et ad idealem quamdam perfectionem pertingere posse. Theologi itaque intelligunt quantum necesse sit ipsa religionis fundamenta demonstrare, videlicet humanæ rationis vim et efficaciam ad probandam Dei existentiam animæque immortalitatem, necessitatem et naturam religionis non solum naturalis sed et supematuralis, religionis christianæ divinitatem et necessitatem ei exclusive adhærendi, necessitatem supremæ et infallibilis alicujus auctoritatis ad quam recursus haberi possit : in his igitur omnibus

nis temporibus, cfr. recensiones editas in praecipuis *periodicis,* v. g. *Ephemerides theologica Lovanienses, Etudes franciscaines, Recherches de Science religieuse, Revue Apologétique. Revue bénédictine, Rev. des Sciences Philosophiques et Théologiques Revue thomiste, Ami du Clergé,* etc.

profectus erit theologicus, quem secundum varias gentes exponemus.

97» (A) In Germania, instaurationem theologiæ inchoavit B. F. L. Liebermann (1759-1844) in suis *Institutionibus theologicis,* quae doctrinae sanitate et expositionis claritate merito commendantur[1]. — Inter ejus discipulos recensetur NIC. Weiss [2] (f 1859), qui fasciculos literarios *Katholik* jam an. 1821 edere coepit, et, cum A. Raess, collegit *Bibliothek der katholischen Kanzelberedsamkeit,* 1829-1833. — Hos tamen superavit JOANNES Adamus Moehler (1796-1838) qui Tubingae et Monachi magna cum laude historiam ecclesiasticam cum disciplinis adnexis docuit. Inter ejus eximia opera *(Die Einheit der Kirche, Athanasius der Grosse Patrologie* [imperfecta], et variæ dissertationes) unum eminet *Symbolik* nuncupatum, in quo fidem protestantium et catholicorum juxta eorum symbola erudite, nitide, absque ulla acrimonia exponit et dogmata catholica invicte defendit [3]. — Dignissimus Moehleri successor fuit HENRICUS Klee (1800-1839), cujus sunt inter alia *Lehrbuch der Dogviengeschichte,* et *Katholische Dogmatik,* opus eruditum, etsi paucis erroribus maculatum, quo plurimum contulit ad excitandum denuo in Germania verum spiritum theologicum [4]. — Fr. Anton. Staudenmaier (f 1856) multa opera edidit, inter quae *Die christliche Dogmatik,* opus eruditum, sed non absolutum [5].

98. Hac tamen ætate, quidam theologi, Kantiana philosophia imbuti, in errorem inconsiderate lapsi sunt. Ita Georgius Hermes [6] (t 1831) qui in Introductione ad theologiam, *Einleitungin die Théologie,* erravit de natura fidei et motivorum credibilitatis, de argumentis quibus probari valeat Dei existentia, de gratiæ necessi tate, etc.; quos errores postea damnavit Gregorius XVI[7]. Haud dissimiles errores docuit Antonius Gunther [8] (t 1863), qui nimiam

[*] Hurter, IIP, 921. — [a] *lb., ibid.,* 956.

[3] Hurter, I. c., 769-773, qui animadvertit hujus libri lectione innumeros catholicos nutantes in fide confirmatos, et plurimos protestantes conversos esse. Cfr. Werner-Gams, *J. H. Moehler,* Ratisb., 1869; Goyau, *L'Allemagne religieuse,* Le Catholicisme, t. I, p. 24 sq,; et *Moehler,* Bloud, 1909.

[4] Hurter, [1]. c., 773*775- — [5] 73., 927.

[6] Hurter, 779; Goyau, *op. cil.,* p. 6-12.

[*l*] D. B., n. 1618-1621.

[B] Hurter, 936. Cfr. Knoodt, *Gunther,* 2 vol., Vienne, 1880.

auctoritatem rationi tribuens in materiis fidei, falsas notiones tradidit de distinctione inter scientiam et fidem, de dogmatum evolutione, de cognoscibilitate mysteriorum fidei, etc., quas reprobavit Pius IX [1]. Gunther laudabiliter se subjecit; sed duo ex ejus discipulis, *Baltzer* et *Froschammer,* pertinaciter istis erroribus adhaeserunt. Contra quos scripserunt, inter alios, Perrone, de quo infra, et Kleutgen.

Jos. Kleutgen · S. J. (f 1883), scholasticæ philosophiae et theologiæ in Germania instaurator, inter alia opera, scripsit : *Die Théologie der Vorzeit vertheidigt,* in quo catholicam doctrinam de fide, de Deo uno et trino, de Deo creante et elevante, necnon de Verbo incarnato strenue propugnat contra scholam Hermesii et Guntheri; *Instit. theologica de Deo uno et trino.* — Cui impar non fuit MATHIAS JOS. Scheeben [3] (f 1888), in omni fere theologica disciplina singulariter versatus, cujus præcipua opera sunt : *Mysterien des Christenthunis,* ubi sublimem doctrinam christianæ antiquitatis de mysteriis fidei declarat; et *Handbuch der catholischen Dogmatik,* opus valde eruditum et profundum, non tironibus accommodatum, sed iis valde utile qui in studiis theologicis proficere volunt, nondum tamen absolutum (1876-1885). — Opus simile publici juris facere coeperat J. C. VINC. Heinrich (t 1891), *Dogmatische Théologie,* eruditione, sana doctrina, argumentorum copia et expositionis nitore merito commendatum, sed pariter non absolutum.

99. J. B. Schwetz [4] (t 1890), in Universitate Viennensi professor, reliquit, præter *Theologiam fundamentalem, Theologiam dogmaticam catholicam,* doctrina et concisione conspicuam. — Fusiorem expositionem, nec minus eruditam, tradit Albertus Knoll a Bulsano [5], Cap., in *Instit. theologia dogmatico-polemicæ,* 1853-1859. — Joannes de Kuhn (t 1887), præter plurima historica et philosophica, reliquit *Katholische Dogmatik,* opus eruditum quidem (et speculativum) sed scholasticis theoriis satis oppositum [6]. — Dr Pohhle scripsit *Lehrbuch der Dogmatik in sieben Biichern,* anglice redditum ab A. Preuss : *Dogmatic theology;* — Dr B. Bartmann, *Lehrbuch der Dogmatik,* 1911; F. Diekamp, *Katholische Dogmatik nach den Grundsàtzen des h. Thomas,* 1921.

Opera historica theologis utilissima ediderunt : Jos. Antonius

[1] D. B., n. 1655-1658. — [2] Hurter, 1223. — [3] *Ib.,* 1232.
[4] *Ib.t* 1234. — [5] *Ib.,* 931. — [6] Hurter, 1229.

Schwank (t 1891), *Dogmengeschichte,* ubi dogmatum historiam in quatuor periodos distribuit, nempe ante-nicænam, patristicam, mediam et recentiorem aetatem '; Car. Jos. Hefele '(f 1893), *Conciliengeschichte,* quod continuavit Hergenroether[3] (t 1890) usque ad Tridentinum, opus valde eruditum, ad recte intelligenda Conciliorum decreta perutile; Ger. Schneemann *, S. *J.* (t 1884), *Acia et decreta conciliorum recentiorum,* collectio *Lacensis* dicta, cui Th. Granderath adjecit *Acta et decreta conc. Vaticani* necnon historiam ejusdem concilii; Car. Werners (t 1888), qui historica opera valde erudita de principibus theologiæ scholastic» reliquit, v. g. : *Der h. Thomas von Aquin; Franz. Suarez;* et alia de historia apologetic» et theologiæ in Germania, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christl. Théologie, — Geschichte der Kath. Théologie Deutschlands seit dem Trienter Concil.* Nec prætermitti debet Henr. Jos. Denzinger[6] (f 1883), cujüs *Enchiridion symbolorum et definitionum* a Bannwart auctum theologiæ studiosis valde utile est.

In **Hungaria,** Aug. de Roskovany (t 1892) documenta multa de variis quæstionibus, v. g., de primatu, de cælibatu, de matrimonio, de B. Virgine, sapienter collegit.

100. (B) In **Italia** catholicae theologiæ instauratio in Collegio Romano Patrum Soc. Jesu incœpta fuit. JOANNES PERRONE (f 1876), in præfato collegio professor, *Prcelectiones theologicas* edidit, postea in Compendium redactas, in quibus omnia dogmata lucide exponit, solide Scriptura et Traditione probat, et ab iihpugnationibus Protestantium et Rationalistarum vindicat, prætermissis tamen scholasticis quæstionibus ad intimam dogmatum intelligentiam necessariis; inter alia ejus opera, citari possunt : *de immaculato B. Mariæ conceptu, — de R. Pontificis infallibilitate, — de D. N. J. Christi divinitate — L'Ermesianismo*[7],

In eodem collegio Raphael Cercia, neapolitanus (t 1886), quosdam tractatus dogmaticos reliquit in quibus scholastic» quæstiones non omittuntur, *de Ecclesia, de Rom. Pontifice, de Trinitatis mysterio, de gratia Christi**. — Ibi etiam docuit Car. Passaglia, postea

[1] Hurter, 1255. In unaquaque periodo successive disserit de Deo, de Christo, de Homine, de Ecclesia et Sacramentis. Opus gallice redditum est in 6 vol. a *Degert,* Paris, 1903.

[2] Hurter, 1341.

[3] *Lb.,* 1311. Novam versionem gallicam cum notis criticis edit *D. Leclercq.*

[4] Hurter, 1311. — [5] *Λ.,* 1049. — [6] *Lb.,* 1178. — [7] *Lb.,* 1219.

[8] Hurter, 1221.

politicis opinionibus a Societate Jesu et Ecclesia aversus, qui tamen obiit cum Ecclesia reconciliatus, 1887 ; cujus potiora opera sunt : *De Ecclesia Christi,* opus eruditum, sed non absolutum, — *De immaculato Ddparce semper virginis conceptu,* valde eruditum, sed " sua mole lectorem opprimens "

Ibidem Card. G. F. Franzelin a, (f 1886), scripsit *De Deo uno, de Deo trino, de Verbo Incarnato, de Sacramentis in genere, de Divina Traditione et Scriptura,* et *Theses de Ecclesia Christi,* in quibus tractatibus, doctrinae soliditate et eruditione conspicuis, specialiter evolvitur argumentum ex traditione desumptum.

Dominicus Palmieri, in eodem collegio professor, edidit : *de Romano Pontifice, de Deo Creante et Elevante, de sacramento Pcenitentice, de Matrimonio christiano;* opera sane valde erudita, sed in quibus non satis stricte scholasticæ doctrinæ adhæret; Camillus Mazzella, ejus successor in Collegio Romano, scholasticis doctrinis, præsertim suarezianis, strictius adhæret, ejusque expositio est nitida et accurata, sed argumenta ex Scriptura et Traditione non sunt satis critice expensa; reliquit : *De vera religione et Ecclesia, De Deo Creante et Elevante, de Virtutibus infusis;* de Augustinis ejus collega, scripsit *de re sacramentaria,* et quidem satis erudite.

Doctrinam S. Thomæ ibidem præclare exposuit Card. L. Billot præcipue de *Deo uno* et *trino,* de *Verbo incarnato,* de *Sacramentis*^ de *Ecclesia,* de *Novissimis,* de *Virtutibus infusis,* de *peccato originali.*

Græcorum schismaticorum doctrinam exposuit A. Palmieri, O. S. A, *Theologia dogmatica orthodoxa.*

101. Angelus Bigoni, O. Min. (1779-1860), magnum opus theologicum concinnavit ex Scriptura et Patribus De *Christo reparatore* in quo novo ordine de universa fere theologia disserit [3].

Hodie, Romæ præsertim, theologia positiva simul et scholastica egregie traditur tum in Collegio Romano, tum in Collegio Angelico.

102. (C) In Gallia nonnisi sero incepta est vera theologiæ instauratio. Facultas enim theologica, quæ in antiqua Sorbona diu floruerat, nonnisi post an. 1876 de novo canonice instituta fuit; in Seminariis autem tantummodo elementa theologiæ tradi poterant. Pauci igitur theologi inveniuntur, et hi nonnisi obiter de rebus theologicis agunt. Nam præcipuum certamen est cum Rationalistis et Positivistis, et alibi recensuimus apologetas qui istos errores confutaverunt.

Alii tamen fuerunt errores, nempe *traditionalismus* et *fideismus,*

▮ *Ib.,* 1222. — * *Ib.,* 1228. — 3 *Ib.,* 1002.

vim rationis plus æquo extenuantes. *Traditionalismum* propugnavit L. de Bonald (t 1840), ratus omnem cognitionem, saltem quoad excitationem et primam explicationem, promanare a primitiva quadam revelatione quæ per traditionem transmissa fuit. Pariter F. de Lamennais (f 1854), dum necessitatem religionis contra indiflerentismum probare vellet, rationem individuam pronunciavit fallacem, et critérium veri esse universalem generis humani rationem ». Quem errorem confutavit, inter alios, P. D. Boyer, S.S. (t 1842), *Examen de la doctrine de M. de Lamennais considérée sous le triple rapport de la philosophie, de la théologie et de la politique,* opus eloquenter, sed forsan nimis festinate scriptum 3.

P. Gerbet (t 1864), qui primum traditionalismo adhæserat, judicio Sedis Apostolicæ humiliter se subjecit, et opus plane egregium scripsit, nempe *Considérations sur le dogme générateur de la piété catholique, suivies de vues sur le dogme de la pénitence.* Joan. L. de Rozaven, S. J. (t 1851), qui traditionalismum confutaverat qualis a P. Gerbet propugnabatur, alia scripsit opera vere theologica, inter quæ : *La Vérité défendue et prouvée par les faits contre les calomnies anciennes et modernes, — L'Eglise catholique justifiée contre les attaques d'un écrivain qui se dit orthodoxe.* — Traditionalismum pariter impugnavit M. A. Chastel, S. J. (t 1861), in operibus : *De l'origine des connaissances humaines,* et *De la valeur de la raison humaine.*

Fideismum innovavit L. Bautain (t 1867), docens solo rationis lumine cognosci non posse Dei existentiam, animæ spiritualitatem et immortalitatem, sed nonnisi *revelatione* has veritates certo nobis innotescere; laudabiliter tamen judicio S. Sedis se subjecit, et opera moralia stilo elegante scripsit, de quibus alibi. — Inter laicos, Aug. Nicolas, qui nimis tamen traditionalismo favit, plurima scripsit opera partim apologetica et partira theologica, quæ multos in fide confirmaverunt aut ad veram fidem adduxerunt; inter quæ : *Etudes philosophiques sur le Christianisme,* 1842; *L'Art de croire,* 1866; *La Vierge Marie et le Plan divin,* 1870.

103. Inter theologos qui theologiæ compendia scripserunt,.recensentur : J. B. Bouvier', episcopus Cenomanensis 11854; Cardinalis Gousset (t 1866); Vincent S.S. (t 1869) et Bonal S.S. (t 1904); in his operibus doctrina Ecclesiæ clare quidem et methodice exponebatur, sed argumenta ex Scriptura et Traditione non satis critice expendebantur. Hilarius Parisiensis, O. Cap., edere coepit *Theologiam universalem* satis amplam et eruditam, 1870, sed opus non absolvit; Cl. Schrader, S. J., origine germa-

1 Hurter, 995.

1 Hurter, 997; L. Bertrand, *Bibliothèque Suificùnne,* t. II, p. 140-149.

nus, sed in Gallia professor, *de Unitate Romana* et *de Triplia, ordine naturali, pratematurali* et *sufernaturali* erudite scripsit.

Theologiam *positivam* excoluerunt : J. M. A. Ginoulhiac (f 1S75), qui scripsit *Histoire du dogme catholique* usque ad Nicaenum Concilium; Theod. de Regnon, S. J., (t 1893), qui opus valde eruditum de Trinitate edidit, *Etudes de théologie positive sur la S'' Trinité;* J, Corblet (f 1886), *Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du Sacrement de Baptême... de ГEucharistie,* 1901. J. P. Migne (f 1875), etsi ipse non theologus, positivæ theologiæ profectui maxime adlaboravit novas editiones Patrum et Theologorum incudendo : præter *Theologice cursum completum,* ubi collegit celebrium theologorum optimos tractatus, aliaque hujusmodi, *Patrologice cursum completum* edidit, in quo inveniuntur opera omnium scriptorum latinorum usque ad Innocentium **III** (an. 1216), et omnium græcorum usque ad Concil. Florentinum : verus theologiæ patristicæ thesaurus. — Ita via parabatur studiis criticis et historicis quibus gradatim instauratur theologia catholica.

Hodie facultates theologicæ, Parisiis, Lugduni et -Tolosæ institutae, studium *positiva* theologiæ maxime promovent, quin tamen theologiam proprie *scholasticam* negligent : hæc autem speciatim colitur Andegavi et Insulis.

Plurima jam opera valde utilia prodierunt, quæ in variis Tractatibus allegabuntur. Inter quæ : J.-V. Bainvel, S. J., *De vera religione et apologetica; De Magisterio vivo et Traditione; De Ecclesia; La Foi et Pacte de Foi; Nature et surnaturel; La dévotion au S. Cœur de Jésus;* A. d'Alès, S. J., *La théologie de Tertullien; La théologie de S. Hippolyte; L'Edit de Calliste; La théologie de S. Cyprien; Le Diet, apologétique;* J. Lebreton, S. J., *Les origines du dogme de la Trinité;* M. de la Taille, S. J., *Mysteriumfidei de augustissimo Corp, et Sang. Christi sacrificio atque sacramento,* 1921; M. d'Herbigny, S. J., *La Théologie du Révélé,* 1921; *Theologica de Ecclesia;* F. Prat, S. J., *La Théologie de S. Paul,* 6e éd. 1920-1923; S. Harent, S. J., fidei tractatum edidit in *Diet. Theologice,* art. *Foi.*

A. Gardeil, O. P., *La Crédibilité et ГApologétique; Le donné révélé et la Théologie,* 1910; E. Hugon, O. P., *Tractatus dogmatici ad modum Commentarii inpracipuas queestiones dogmaticas Summa theologica,* 1920-1922; R. Garrigou-Lagrange, O. P., *Theologia fundamentalis secundum S. Thoma doctrinam,* 1918; *Dieu, son existence et sa nature;* R.-M. Schultes, O. P., *Introd. in historiam dogmatum,* 1924; P. Pègues, O. P., *Commentaire français littéral de la Somme de S. Thomas.*

P. Batiffol, *L'Eucharistie,* 1904-1913, *Leçons sur la messe, 1919·, Etudes d'histoire et de théologie positive,* 1905; *Le Catholicisme, des origines à S. Léon* (1909-1924); J. Rivière, *Le dogme de*

la Rédemption, 1914; L. Capéran, *Le Problème du Salut des Infidèles,* 1912; L. Garriguet, *La Sainte Vierge; Le Sacré-Cœur de Jésus;* L. Labauche, *Leçons de théologie dogmatique,* ubi historice et apologetice dogmata exponuntur (1908-1918).

DD. Lépicier, natione gallus, qui Romæ docuit, *Institutiones theologiæ dogmaticæ,* ad textum S. Thomæ concinnatæ.

104. (D) In Belgio, Universitas catholica Lovaniensis maxime studia philosophica et theologica promovet. Theologiæ instaurationi præiverat J. B. Maloul (1809-1864), Brugensis episcopus, qui non solum traditionalismum strenue impugnavit, sed etiam eximia scripsit opera ad fidem catholicam exponendam et vindicandam, inter quæ : *La fausseté du protestantisme démontrée, — L'Immaculée Conception de la B. V. Marie;* Nicol. Jos. Laforet[2] (1823-1872), inter alia, reliquit : *De methodo theologiæ,* sive de auctoritate Ecclesiæ Catholicæ tanquam regula fidei christianæ; *Les dogmes catholiques,* opus in varias linguas versum, in quo apologetice exponuntur et probantur singula dogmata. Bernardus Jungmann (t 1895), Professor in Univ. Lovaniensi, completum edidit cursum *Institutionum dogmaticarum,* positivum simul et scholasticum, soliditate simul et perspicuitate commendabilem.

V. Aug. Deschamps[3], Cong. SS. Redempt., Cardinalis (ιδιο-ι883), multa et opportuna edidit opera, nitide scripta, contra protestantes, liberales et incredulos, inter quæ : *Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation, — L'infaillibilité et le Concile, — La question d'Honorius;* Corluy, S. J., *Spicilegium dogmatico-biblicum* reliquit, ubi critice ad trutinam revocat præcipuos textus ad probanda dogmata usitatos.

Nostris diebus in Universitate Lovaniensi et in Seminariis philosophia neo-scholastica traditur, auspice Emo Card. Mercier, et tractatus theologici eduntur in quibus argumenta critica cum sana philosophia conjunguntur, auctoribus H. Lamirov, Van der Meesch, Tobac, etc. Commentarium S. Theologicæ valde eruditam edidit L. Janssens, O. S. B. — In Hollandia pariter florere incipiunt studia theologica, ut constat ex operibus de Groot, G. Van Noort, et aliorum, quæ in decursu hujus operis allegabuntur.

105. In Hispania eminebat initio sæc. XIX' Jac. Balmès (1810-1848), qui etsi in ætatis flore exstinctus, plurima scripsit opera ingenio suæ ætatis omnino accommodata, præsertim vero *El Protestantismo comparado con el Càtholicismo en sus relaciones con la civilisacion europea,* ubi, contra Guizot, erudite ostendit

' Hurter, 976. — ' 73., 1238. — ' 73., 1197

quantum Ecclesiæ debeat genus humanum1; — Valentinus Casajoana, S. J. (t 1889) *disquisitiones scholastico-dogmaticas* scripsit de theologia fundamentali et de Ecclesia, quæ in parte scholastica magis conspicuæ sunt quam in parte historica; Muncunill, S. J., *De Deo uno et trino,* 1918; *De Deo Creante,* 1922; F. Marin-Sola, O. P., *La Evolution homogènea dei Dogma catôlico,* 1922; gallice versum, *L'Evolution homogène du Dogme Catholique,* 1924.2

106. (E) In Majori Britannia, duo ad profectum theologiæ contulerunt : major libertas catholicis concessa, et multorum Protestantium conversio, qui in Universitatibus, præsertim Oxoniensi, educati fuerant.

Primus ecclesiasticorum studiorum instaurator fuit Nicolaus Wiseman 3 (1802-1865), vir eruditus, qui adhuc juvenis edidit *Horas syriacas,* ubi refellebat Protestantes qui ad linguam syriacam confugiebant ut negarent realem Christi præsentiam in Eucharistia, posteaque : *Lectures on the Catholic doctrine,* ubi agit de rebus inter Catholicos et Protestantes controversis; *Strictures on the High Church movement in Oxford,* ubi ostendit ecclesiam anglicanam esse schismaticam et jurisdictione carentem ; *Lectures on the realpresence,* ubi invicte Scriptura realem præsentiam demonstrat. W. B. Ullathorne, O. S. B. (1806-1889), intrepide propugnavit jura et doctrinas Ecclesiæ, et, inter alia, scripsit : *The Immaculate Conception of the Mother of God, — The anglican theory of Union, — The Endowments of Man.*

Inter conversos Oxonienses, eminent : J. H. 'Newman * (1801-189c) cujus litteraria fama non solum Majorem Britanniam, sed et totum mundum pervasit ; inter theologica ejus opera recensentur : *Apologia pro vita sua,* ubi motiva suæ conversionis exponit ; *On the development of Christian doctrine,* in quo incrementi dogmatum leges sapienter determinat; *On the doctrine of Justification,* ubi catholicam et protestanticam justificationis notionem simul confert; *Two Essays on Miracles,* ubi de miraculis cum biblicis tum ecclesiasticis agit; *The Arians of the Fourth Century,* opus ad controversy arianæ intelligentiam valde utile; *Difficulties of Anglicans,* ad solvendas Anglicanorum difficultates optime accommodatum; — H. E. Manning (1808-1892) plurima quoque egregia scripsit, inter quæ : *The grounds of faith, — The temporal Mission of the*

1 Hurter, 1010. —' *lb.,* 1222.

3 Hurter, 970; W. Ward, *Life and Times of Cardinal Wiseman,* London, 1897.

♦ Hurter, 1189; W. Barry, *Newman,* London, 1904, et brevius in *The Caihol. Endyclofadia,* t. X, p. 764-800; Bremond, *Newman,* Paris, 1907.

H Ghost, — The internal Mission of the H. Ghost, —Petriprivilegium, — The glories of the Sacred Heart, in quibus catholicam doctrinam tuto et simpliciter exponit; — W. G. Ward* (1812-1882), cui etsi laico concredita est cathedra theologiæ, quædam opera edidit, in quibus non solum pro catholica doctrina, sed etiam pro scholastica theologia invicte stetit : *Essays on the Churchs doctrinal authority, — Essays on Religion and Literature, — Witnesses to the Unseen, — On nature and grace, — Science, Prayer, Free Will and Miracles;* — J. B, Dalgairns' (t 1876) nitida et pia scripsit opera de sacra communione et de SS. Corde Jesu, *The Holy communion, — The devotion to the Sacred Heart;* Hedley, *The holy Eucharist;* D. Coghlan, *De SS. Eucharistia.*

107. (F) In Statibus Americæ fœderatis, ante fundationem Universitatis catholicae, nonnisi pauca inveniuntur theologica opera, quia sacerdotes, ministerii officiis indesinenter irretiti, vix aliquid scribere potuerunt. Commendantur tamen, inter alios : J. England, episcopus Carolopitanus (f 1842), cujus scripta, præsertim apologetica et polemica, stilo nitido exarata, primum edita in *The Catholic Miscellany,* post ejus mortem in t. V vulgata sunt 3; J. Hughes, episcopus Neoeboracensis (t 1865), qui invicte contra Breckenridge,dastorempresbyterianum,doctrinam catholicam defendit; Fr. P. Kenrick 4, archiepiscopus Baltimorensis (t 1863), qui præter *Theologiam dogmaticam* methodice et nitide exaratam, primatum Apostolicæ Sedis erudite demonstravit in *Primacy of dhe Apostolic See Vindicated;* M. J. Spalding 5 1872), archiepiscopus Baltimorensis, intrepide fidem catholicam variis operibus defendit : *Evidences of Catholicity, History of Protestant Reformation; D'Aubignls History of the Reformation reviewed and refuted;* Frid. Brambring 6, S. J., *de Incarnatione Verbi,* Woodstock, 1886; Card. Gibbons, cujus nitidum opus *The Faith of our Fathers* multos ad catholicam fidem convertit — Inter conversos eminebat Orestes Brownson *t,* (t 1876), qui fundavit et diu redegit ephemeridem *Quarterly Review* et postea scripsit in *American Catholic Quarterly Review;* multas dissertationes ibi edidit tum contra Protestantes, tum ad Liberalismum confutandum; et insuper quosdam libros : *The Convert,* ubi suæ conversionis historiam et motiva

1 Hurter, 1194; W. Ward, *W. G. Ward and the Oxford Movement,* London, 1889. — 3 Hurter, 1250.

3 Cfir. Messmer, *The Works of the Rt. Rev. John England,* Cleveland, *1908;* Hurter, 973; *The Cath. Encyclop.* t. V, p. 470. — 4 Hurter, 974.

5 Hurter, 1216; J, L. Spalding, *The Life of the M. Rev. M. J. Spalding.*

6 Hurter, 1217.

1 Cfr. H. F. Brownson, *Brvwnson's Early, Middle and Latter Life,* Detroit, 1898-1900.

declarat, *Liberalism versus the Church, The Spirit Happer.* — In collegio Woodstock docuerunt et quædam ex suis operibus scripserunt Card. Mazzella et de Augustinis, de quibus jam diximus η. ιοο.

(G) In regione Canadensi, A. Paquet *disputationes theologicas* edidit *in Summam S. Thoma.*

108. Conclusio. Concilium *Vaticanum* (1870) novum impetum theologicis studiis dedit; aliunde opera critica Protestandum et Liberalium de rebus catholicis theologos moverunt ad accuratius investigandos theologicos fontes, nempe Scripturam et Traditionem, ut ita efficacius solverentur innumeræ difficultates contra dogmata propositae. Quia vero multæ ex his difficultatibus e falsa philosophia oriuntur, præsertim e subjectivism© Kantistico, Catholici, ducibus Romanis Pontificibus, necessitatem intellexerunt ad traditionalem philosophiam redeundi, eam tamen hodiernis experimentis et moribus accommodando. Hodie igitur jam multi in suis operibus harmonico nexu consociant theologiam *positivam,* critice in suis fontibus expensam, et theologiam *scholasticam,* præsertim thomisticam, secundum praescripta *Pii X :* "Major profecto quam ante hac positivae theologiæ ratio est habenda; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat"; necnon *Pii XI :* "Illa enim *positiva* methodus necessario quidem *scholastica* adjungenda est, sed sola non sufficit". Ita præcavetur *Modernismus,* qui, ut alibi probavimus, ex falsa philosophia et ex falsa critica oritur.

Aliunde, in variis Universitatibus Catholicis, variæ eduntur *monographiæ* et *speciales* tractatus, in quibus quæstiones maximi momenti fuse discutiuntur sive historice sive speculative [1] [3] *Dictionaria* et *Encyclopedia* [2] digeruntur in quibus

[1] Ita, in Facultate theologica *Parisiensi*^ Patres Societatis Jesu edere coeperunt *bibliothecam historica theologia;* pariter, ex Facultate *Tolosana* plurima exierunt opera theologiæ positivae. Aliunde, in his Facultatibus non praetermittitur theologia scholastica, ut constat non solum ex operibus editis, sed etiam e compendiis lithographice a professoribus exaratis, Romæ, in Collegio Romano, S. J., et in collegio Angelico, O. P., traditur theologia præsertim Scholastica, quin tamen negligatur theologia positiva. Ita etiam in Universitate Lovaniensi.

[3] In Gallia, *Diction, de Théologie* (Vacant, Mangenot, Amann); *Diet. (TArchéologie chrétienne* (D. Cabrol); *Diet, pratique des Connaissances reli-*

omnia fere documenta elucidantur quæ ad completam theologicam synthesim desiderantur. Nihil igitur optandum manet nisi ut *novus Aquinas* oriatur qui hæc omnia veluti dispersa membra in unum corpus, in unam synthesim methodice et nitide colligat, novamque nobis praebeat *Summam theologicam* vere hodiernis moribus accommodatam.

oo

gieuses (J. Bricout); in Germania, *Kirchenlexicon* (Wetzer et Welte), cujus secunda editio a Card. Hergenrother incepta, et a Kaulen continuata, 12 vol. complectitur; in Statibus America Foederatis, *The Catholic Encyclopadia,* 15 vol.

DE FIDE

Brevis historia Tractatus delineatur.

109. Quamvis methodicos tractatus de Fide Patres non scripserint, dispersa tamen in eorum operibus inveniuntur varia elementa ex quibus Scholastici integram synthesim colligere potuerunt. Ita Apologetæ *varia motiva credibilitatis* proponunt ad demonstrandam, contra Judaeorum et Gentilium impugnationes, fidei Christianae veritatem[1]. Controversistæ, cum S. Irenæo (sæc. II0), *regulam fidei,* nempe apostolicam traditionem, in Ecclesiis, praesertim vero in Ecclesia Romana, fideliter servatam, egregie declarant[1]. *Notionem fidei* et *relationes interfidem et scientiam,* inter alios, Clemens Alexandrinus describit in *Stromatibus* (sæc. III). Fidei *dignitatem, necessitatem* et *efficaciam* commendat S. Cyrillus Hierosolymitanus (t 386) in *Catechesibus* ad Illuminandos. Pariter S. Hilarius Pictaviensis (f 366) de *fidei necessitate* in libro *de Trinitate* disserit. Præclara de fide scribunt in sermonibus aut homiliis : S. Basilius (f 379), *homil. de Fide;* S. Ephraem (f 373), Sermones 7 *de Margarita* seu de Fide, Sermones tres *de Fide;* S. Chrysostomus (t 407), *Homilia tres de verbis Apostoli " Habentes eumdem spiritum fidei n.*

S. Augustinus (f 430) jam fusius et magis methodice de fide disserit, praesertim in libris *de Fide et Symbolo, de Fide et operibus, de utilitate credendi :* in quibus aliisque operibus, praeclare scribit de fontibus fidei, de ipsa fide ejusque relationibus cum scientia. — Quaestiones autem practicas et morales de fide diserte exponit S. Cæsarius Arelat. (t 542) in *Sermonibus de Fide et necessitate bonorum operum.*

Sæc. VIII, in Oriente, S. Joannes Damascenus jam integrum habet tractatum *de Fide orthodoxa,* in quo non solum de ipsa fide, sed et de præcipuis mysteriis fuse disserit

IIO. Theologi catholici, jam a sæc. XIII scientifice de Fide disseruerunt, ut *virtute theologica,* cujus objectum, actum, subjectum, naturam ac necessitatem declarant. Inter quos :_ Alexander Halensis, O. M. (t 1230), *Summa theologice,* part. III, q. 68 sq.; S. Thomas Aq., O. P. (t 1274), 2* 2', q. 1-16; *De Veritate,* q. 14;

1 Quæ breviter exposuimus in *Syn. Thtol. Fund.,* n. 45-46.

1 Syn. Theol. Fund., n. 668-676.

S. Bonaventura, O. M. (t 1274)» *In Sent.* III, dist. XXIII sq.; Michael de Medina, O. M., *Christiana Paranesis,* sive *de recta in Deum fide,* Venetiis, 1564; J. Maldonat, S. J. (t 1583), *Disfiutatio de Fide;* Fr. Suarez, S. J. (t 1617), *De Fide;* Gregorius de Valentina, S. J. (t 1603), *Analysis Fidei catholica;* Mart. Becanus, S. J. (t 1624), *Summa Theologice,* part.· III, *De Virt. theol.;* Joannes de Lugo, S. J. (f 1660), *De virtute Fidei divina;* Salmanticenses, *Cursus theologicus, de Fide,* Lugduni, 1679; J. B. Gonet, O. P. (f 1681), *Clypeus Theologia Thomistica, de Virtutibus theolog.,* disp. I-VIII; C. R. Billuart, O. P. (t 1757), *Summa S. Thoma, De Fide;* H. Kilber, S. J. (t 1783), *De Fide,* in *Theologia Wirceburgensi;* Holden, (t 1662), *Divina Fidei Analysis,* ap. *Migne, Theol. Curs.,* VI, p. 791 sq.; D'Argentré (f 1740), *Analyse de la Foi divine.*

III. In præfatis tractatibus generatim etiam agebatur, præsertim a tempore Reformationis, de *regula fidei,* nempe de Ecclesia, de S. Pontifice, de Conciliis. Sed sæc. XVIII°, cum hujusmodi quæstio, utpote maximi momenti, fusius tractaretur, speciales tractatus de Ecclesia digesti sunt. Insuper, divisione facta inter theologiam dogmaticam et moralem, quæstionibus practicis alibi remissis, solæ quæstiones speculativæ in *Tr. de Fide* hodie disputari solent. Hæ vero multa incrementa susceperunt ex novis controversiis recenter agitatis, nempe circa psychologiam fidei et naturam profectumque dogmatum, ut in decursu Tractatus patebit. — Inter recentiores auctores laudantur : M. Scheeben, *Handb. der Kath. Dogmatik,* t. I (gallice redditum); C. Mazzella, S. J. *De virtutibus infusis,* Romæ, 1884; T. Bouquillon, *De virt. theologias,* Brugis, 1890; J. Nienhaus, *De actu fidei divina,* Monast., 1891; G. Wilmers, S. J., *De fide christiana,* Ratisbonæ, 1902; L. Billot, S. J., *De virtutibus infusis,* Romæ, 1901 ; S. Schiffini, *De virtutibus infusis,* Friburgi, 1904; Van Noort, *De Font, revel, et de Fide divina,* Amsteldami, 1906; C. Pesch, *Pralect. dogm.,* t. VIII, ed. 3a, 1910; Bainvel, *La Foi et Pacte de foi,* Paris, 1898, 1908; Gardeil, *La crédibilité et Papologétique; Le donné révélé;* P. Garrigou-Lagrange, *De revelatione;* Allo, *Foi et système;* P. Schultes, *Lntrod. in historiam dogmatum,* Parisiis, 1922; F. Marin-Sola, *La Evolution homogenea del Dogma catôlico,* gallice *DEvolution homogène du Dogme catholique,* Fribourg, 1924; S. Harent, *Foi, in D. T C.,* t· VI, 55'5 Γ4> θ· Brunhes, *La Foi et sa justification rationnelle,* 1927; P. Sertillanges, *Le catéchisme des incroyants,* 1929.

Concilii Vaticani decreta et canones de Fide *(Sess. III.)* [1]

Cap. III. De Fide.

XT2. *Definitiofidei.* (D. B„ 1789)' Cum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ \reritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. Hanc vero fidem, quæ humanæ salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. " Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium " λ

113. *Motiva credibilitatis.* (1790) Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum intemis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. Quare tum Moyses et Prophetæ, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt ; et de Apostolis legimus : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino coopérante et sermonem confirmante sequentibus signis *. Et rursum scriptum est : Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucemæ lucenti in caliginoso loco 5.

il4. *Necessitasgratia adfidem,* (1791) Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi cæcus, nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati6. Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

X15. *Objectumfidei,* (1792) Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.

1 Integrum textum C. Vaticani invenies ad calcem *Synopsis Theol. Fundamentalis.*

* Numeri hujusmodi ii sunt quibus utitur Denzinger-Ban. in *Enchiridion.*

3 *Hebr.,* XI, I. — * *Marc.,* XVI, 20. — s *II Petr.,* I, 19.

6 *Syn. Arausio. II,* can. 7.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur.

116. *Necessitasfidei.* (1793)

Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati, ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes [k], et ad se invitet eos qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur.

117. *Ecclesia fidei custos et magistra.* (1793)

Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur.

118. *Gratia datur ad fidem.* (1794)

Quocirca minime par est conditio eorum, qui per cæleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quæ cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

119. *Nulla justa causa fidem deserendi.* (1794)

Cap. IV. De Fide et Ratione.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quæ facta sunt, cognitum esse testatur, disserens

120. *Distinctiofidem interet rationem.* (1795)

[k] *Isa.*, XI, 12.

tamen de gratia et veritate, quæ per Jesum Christum tacta est pronuntiat : Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit : nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei '. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis 3.

121. *Fides est supra rationem,* (1796)

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem 4.

122. *Nulla dissensio inter fidem et rationem,* (1797)

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem, veritati illuminate fidei contrariam, omnino falsam esse definimus 5. Porro (1798) Ecclesia, quæ, una cum apostolico munere doçendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam6. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobate fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino.

123. *Fides et ratio mutuam opem hbi ferunt,* (1799)

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest,

'*Joan.,* I, 17. —1 *I Car.,* II, 7-9. — 3 *Matth.,* XI, 25.
♦*II Cor.,* V, 7.
5 *Cone. Lai.,* Bulla *Afostolid Regiminis.* —6 *Coloss.,* II, 8.

ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quæ sunt fidei occupent et perturbent.

124. *Qualis progressus est admittendus.*

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est, humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum, Christi SponSæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia [x]. (1800)

Canones : De Fide.

125. *i.* Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit. (1801)

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit. (1802)

5. Si quis dixerit, revelationem divinam extemis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit. (1803)

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula'certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit. (1804)

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quæ per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit. (1805)

[x] Vine. Lirin., *Commonit.,* n. 28.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint; anathema sit.

De Fide et Ratione.

(1816) *1.* Si quis dixerit, in revelatione divina, nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

(1817) *2.* Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit

(1818) *3.* Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Objectum, utilitas et divisio tractatus.

126. Connexio Tractatus cum præviis tractatibus. Demonstravimus in *Synopsi Theologiæ Fundamentalis* quasdam esse veritates divinitus revelatas, quas Ecclesia e *fontibus revelationis* depromit nobisque credendas proponit. His autem veritatibus firmum *assensum* praebere debemus *actum fidei* eliciendo.

Objectum itaque praecipuum nostri Tractatus est *actum fidei* exponere, declarando quodnam sit ejus *objectum,* quomodo *elidatur,* quaenam sint ejus *dotes;* postea vero, per modum *conclusionis,* expendemus quomodo veritates fidei modo scientifico exponi possint et *theologicam scientiam* efforment.

127. Utilitas : (A) ex ipso *objecto* elucet, (a) Fides enim, cum sit speciale Dei donum quo *participes* efficimur *divina velitatis,* est veluti *novum lumen* nostro *intellectui* fulgens, quo veritates humanae rationi impervias attingere valemus circa res maximi momenti, nempe finem nostrum ultimum mediaque ad eum attingendum necessaria; ideoque *tutum præsidium* contra multiplicium errorum pericula, et veluti *stella maris* seu *pharus* ostendens recti itineris viam inter errorum scopula; (b) *roboris et solatii*

fons perennis, quatenus *voluntatem* nostram *roborat* in memoriam revocando quidquid Deus pro nostra salute praestitit, quibus auxiliis infirmitatem nostram adjuvat, quaenam praemia aut tormenta nobis praeparantur, prout bone vel male egerimus; atqui his omnibus ad bonum strenue et constanter peragendum maxime movemur; quare credentes, ut ait 5. *Paulus,* " per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones..."1; iterum, mentis cordisque desideria satiando, pacem inducit et per animam diffundit; (c) *aurora et prælibatio visionis beatificæ;* nam vita aeterna essentialiter consistit in visione Dei : " hæç est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum " 2; atqui per fidem jam incipimus profunda Dei scrutari, Deum unum et trinum modo obscuro cognoscere, et quem misit Jesum Christum. Tantum igitur thesaurum investigare quanti sit momenti nemo non videt. Ut enim omnia uno verbo complectamur, fides, juxta *T'ridentinum* 3 est " *humante salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis,* sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire".

(B) *Ex erroribus* de fide hodie grassantibus. Nostris enim diebus, omnes fere controversiae quae catholicos inter et acatholicos agitantur, ad fidem reducuntur. *Positivistce* seu *Agnostici* omnem prorsus fidem religiosam eliminant, asserendo solum cognoscendi modum vere scientificum esse *experientiam* rerum sensibilium; *Déiste* seu *Rationaliste* contendunt solam rationem esse modum cognoscendi legitimum, ideoque fidem, imaginationi aut emotioni innixam, inanem esse, immo et rationi contrariam; *Protestantes liberales* naturam fidei, jam a Luthero et Calvino adulteratam, funditus evertunt, eam in vago quodam sensu religioso reponentes, et naturalem dogmatum evolutionem propugnantes; quorum errores tantisper emollire et inter Catholicos spargere conati sunt *Moderniste.* Maximi igitur interest fidei naturam accurate exponere, veramque dogmatum eorumque incrementi notionem tradere, ut contra praefatos errores catholica doctrina vindicetur, simulque via paretur conversioni eorum qui a veritate deflexerunt.

Hebr., XI, 33. Integrum legatur caput.
Joan., XVII, 3. — 3 Sess. VI, cap. 8, D. B

128. Divisio. Hic de necessitate fidei vitiisque eidem oppositis diserte non agemus, cum de his Moralistae disserantx; sed præcipue de *actu fidei,* de ejus *objecto* et *modo quo elidtur.* — Quia vero *fides* a *theologia* distinguitur, et cum ea tamen intimum nexum habet, quatenus nempe theologia *scientifice veritates fidei exponit,* per modum conclusionis de scientia theologica agemus. Unde duæ erunt partes :

Ia *De fide ipsa;* ubi, S. *Thomæ* vestigiis inhaerentes, dicemus de *objecto, actu* et *habitu* fidei : nam *actus* specificantur ab *objecto,* et ab actu ascendimus ad *habitum,* quo actum elicimus.

IIa *De scientifica expositione veritatum fidei* seu de *theologia,* prout in sequenti schemate exhibetur.

Pars prior *sola* vere tractatum *de Fide* constituit, sed, quia *theologia scientifice* exponit veritates fidei, ejus *nexum* cum fide, ejus *fontes* et *methodum* declarare opportunum duximus.

Prævia de fidei notione.

Pars prior : De ipsa fide, j

- Caput I. De objecto fidei.
  - Formali. De ipso motivo fidei.
  - Materiali. De motivis credibilitatis.
    - 'Quodnam sit?
    - De natura dogmatum fidei.
    - De horum incremento.
- Caput II. De actu fidei,
  - Prævia analysis fidei.
  - De ejus productione.
    - Principia quibus producitur.
    - Ultima fidei resolutio.
  - De ejus proprietatibus
    - Obscuritate.
- Caput III. De habitu fidei.
  - De infusione ejus.
  - De ejus subjecto.

'De Relationibus inter fidem et theologiam.

Pars altera : De theologia.

- De fontibus theologicis.
- De methodo theologica.

x De qua necessitate agimus in *Syn. thtol. moralisy* De virtute fidei.

PARS PRIOR : DE FIDE IPSA

Prævia de fidei notione.

Tria declaremus oportet : 1° *varias acceptiones vocabuli fidei;* 2° *genuinam fidei notionem;* 30 *falsas fidei notiones.*

I. Variae acceptiones vocis fidei x.

129. i° Quoad nomen, *fides, ex* verbo *fido,* græce πιστι (πειθω, persuadeo, πειθομαι, fido, mihi persuasum habeo), etymologice designat sive *confidentiam,* sive *persuasionem.*

20 Quoad sensum : Apud auctores *sacros :* (a) In *Vetere* Testamento, significat eam dispositionem qua justus non in creaturis, sed in Deo confidit, v. g. : "Justus autem in sua *fide* vivet " 2.

(b) In *Novo* Testamento frequenter adhibetur, et quidem ad varia designanda.

Ita significat : 1) *fidelitatem* seu firmam voluntatem adimplendi promissa : " Numquid incredulitas eorum *fidem* Dei evacuabit? " 3; 2) *promissionem* ipsam : " Primam *fidem* irritam fecerunt" *; 3) *persuasionem* de rerum *liceitate* vel *illiceitate :* " Omne quod non est *ex fide,* peccatum est " 5.

Sed fides designat duo praesertim : 1) *assensum mentis* quo credimus aliquid esse verum; ita in *ep. ad Hebræos* legitur : "Sine *fide* impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit"6; 2) *fiduciam* Deo tribuendam sive propter ejus infinitam bonitatem vel potentiam, sive propter ejus fidelitatem in promissis; v. g. : "Postulet in fide nil haesitans " 7.

1 S. Thom., 2a-2æ, q. 2, a. 1 ; Suarez, *de Fide,* disp. I, sect. I; Bouquillon, *De virtutibus theologicis,* Brugis, 1890, n. 4-9; L. Billot, *De virtutibus infusis,* Romæ, 1901, p. 201-210; S. Harent, *D. T. C.,* verbo *Croyance,* t. III, 2364-2396; *Fai,* t. VI, 56-83; Prat, *La Thiol, de S. Pauli,* t. I, 202-205; t· II» 281-284. *Habac.,* II, 4. — *3 Poni.TLI,* 3^

* *I Tim./Vfix — i Jtorh.* X1V, 23. — « *Hebr.,* XI, 6. — *1Jac.,* I, 6.

130. 3° Jamvero in usu *ecclesiastico* fides *assensum mentis* generating designat.

Hic autem operæ pretium est animadvertere fidem, quatenus assensum designat, quadruplici sensu intelligi : — (a) Sensu *latissime,* significat *quemlibet assensum,* sive propter auctoritatem loquentis, sive propter intrinsecam evidentiam, præstitum; quo sensu S. *Thomas* scribit : " Et adhuc magis extenso nomine, omnis certitudo quæ fit per rationem humanam, etiamsi ad visionem inducat, dicitur fides " ». In præsenti tractatu non agitur de fide hoc latissimo sensu accepta.

(b) *Lato* sensu, significat *assensum* cum errandi formidine. Hic non est firmus, sed plus minusve probabilis tantum, et ideo per se requirit voluntatis influxum. Tunc credere idem sonat ac *opinari.* De fide hoc sensu accepta pariter non agimus.

(c) Sensu *magis proprio,* designat assensum *certitudini morali* innixum, qui, ex una parte, *prudens excludit dubium* et ita ab *opinione* differt, et, ex altera, suo objecto firmiter adhæret *ex aliquo imperio voluntatis;* ita distinguitur a *scientia,* quae, etiam sine prævia dispositione morali, firmiter alicui veritati assentita.

Jamvero fides divina, de qua hic agimus, suo objecto firmiter adhæret sub influxu moralium dispositionum, ideoque ad certitudinem moralem refertur, sed aliquid speciale præ se fert.

(d) Sensu *stricto,* fides denotat firmum assensum *testimonio innixum :* duplici enim ex motivo alicui veritati assentimus, ex *intrinseca* evidentia (tunc habetur *scientia* sive mathematica sive metaphysica), et ex *extrinseca* evidentia seu testimonio (quo casu habetur *fides).*

Jamvero si testimonium est *humanum,* fides humana dicitur (v. g., fide humana credimus Caesarem Gallos devicisse) ; si *divinum,* fides divina vocatur (ita, v. g., credimus Christum vere esse Filium Dei).

Fides igitur divina est assensus omnino certus, divino testimonio innixus, ob auctoritatem Dei revelantis praestitus3.

1 *In IV Sent.,* 1. III, dist. 23. — Apud hodiernos, vox *fides* eodem sensu haud raro adhibetur, ut videre est ap. Ollé-Laprune, *De la certitude morale.* Paris, 1880, p. 212-216; ita, v. g., *Stuart Mill* ait (Examen de la philos, de Hamilton), p. 75 : "Nous croyons tout ce à quoi nous donnons notre assentiment ".

* De qua certitudine morali diximus in *Synopsi Theol. Fund.,* n. 27-33.

3 S. Thom., 2* 2*, q. 67, a. 3.

131. 40 Hæc autem divina fides *triplici* sensu accipitur : ut *actus* quo credimus : " *Fide* intelligimus aptata esse sæcula... " x; ut *habitus* quo ad credendum inclinamur : ‘‘Nunc autem manent tria hæc : *fides,* spes, caritas " 2; ut *objectum* quod credimus, immo ut summa totius christianæ religionis : ‘‘Non negasti *fidem* meam’’3; ‘‘Multa etiam turba sacerdotum obediebat *fidei"* 4.

In praesenti Tractatu sermo erit de fide sub hoc triplici respectu spectata, speciatim tamen de *actu* et de *objecto,* cum de *habitu* fusius in Theologia morali acturi simus.

II. Genuina fidei notio3.

Quo clarius fidei notio elucidetur, exponemus : i° descriptionem fidei a S. *Paulo* traditam; 2° *Vaticanam* definitionem; 3° *scholasticam* definitionem; 40 varias fidei *species.*

132. i° Paulina descriptio. Secundum auctorem *ep. ad Hebræos,* " est autem fides *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* ’’6, seu ἐλπιζομένων ὑπόστασι , πραγμάτων ἔλεγχο οὐ βλεπομένων.

Quæ definitio seu potius descriptio varie a variis auctoribus intelligitur : (a) Juxta 5. *Chrysostomum* aliosque Graecos, Apostolus significat fidem esse *firmam mentis persuasionem* qua futura bona anticipatam subsistentiam in mente fidelium nanciscuntur, et *adhasionem rebus qua non videntur* t. (b) 5. *Thomas* putat nomine *substantia* designari primam inchoationem in nobis caelestium bonorum quæ speramus, et vocem *argumentum* sumi pro argumenti effectu seu convictione, ita ut Paulina descriptio in hanc definitionem reduci possit : fides est habitus mentis quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus8. (c) Non pauci moderni exegetae censent, textu et contextu inspectis, ita intelligendam esse praefatam descriptionem : fides est vera inchoatio vitae aeternae in nobis, et *pro argumento*

τ *Htbi\y¥Ay* 3» et saepe in hoc capite.
3 / Cir, XIIIj 77-cfr. *Rom.y* X, 20. — 3 *Apoc.,* II, 13.

5 S. Thom., 2a 2*, q. 4, a. 1-6; J. de Lugo, *De virtute fidei,* disp. VIII, n· 30-35; Suarez, disp. VI, sect. 1-3; Bainvel, *La Foi et l'Acte de Foi,* Paris, 1908, p. 23-97; C. Labeyrie, *La Science de la Foi,* 1903, p. 177-187.
6 *Hebr.,* XI, 1.
7 Corluy, *Spicilegium dogmatico-biblicum,* Gandavi, 1884, p. 210.
8 S. Thom., 2a 2æ, q. 4, a. 1.

habetur rerum non apparentium *. Quæ expositio non multum differt a secunda, et aliunde litteralem sensum græci textus melius retinet.

133. 2° Vaticana definitio, (a) Quo lucidius contutarentur rationalistarum et semi-rationalistarum errores, præsertim Hermesii et Guntheri, Vaticanum concilium definivit fidem "virtutem esse supernaturalem qua, Dei aspirante et adjuvante gratia,abeo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis" [1]. Asserendo fidem esse virtutem *supernaturalem,* qua veritates revelatas credimus *non propter intrinsecam rerum veritatem,* sed *propter auctoritatem Dei revelantis,* rejicit æquivocationes *rationalistarum,* qui nomine *fidei* non aliud intelligent quam rationalem scientiam rerum ad Deum et ad religionem pertinentium; et *semi-rationalistarum,* qui contendunt fidem esse in nobis statum certitudinis seu persuasionis de veritate rei cognitæ, in quem statum inducimur per necessarium assensum rationis speculativae vel per necessarium consensum rationis practicæ [3].

(b) Ad vitandos autem *Modernistarum* errores, *Pius X* juramentum præscripsit, in quo fidei natura ita exponitur: [4] " Certissime teneo ac sincere profiteor, fidem non esse cæcum *sensum* religionis e latebris subconscientiæ erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatæ, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptæ ex auditu, quo nempe quæ a Deo personali, Crea-

1 Ita F. Prat, *La Théologie de S. Paul,* L I, Paris, 1920, p. 461-462, abi ait : " La foi est la réalité des choses que nous espérons, la preuve de celles que nous ne voyons pas... La foi est donc non seulement un gage, mais encore un acompte des biens espérés. Elle est, selon l'expression de S. Thomas, un commencement de vie étemelle en nous; parce que, suivant l'expression de S. Augustin, croire ce que l'on ne voit point, c'est mériter de voir ce que l'on croit. La foi est encore la preuve des choses qui ne se voient pas... Sans les avoir vues, nous savons par la foi qu'elles existent : la foi nous tient lieu de preuve ".

* Sess. III, cap. III, supra, n. 112, D. B., 1789.

3 Id constat ex Actis *C. Vaticani,* ed. Lac., p. 527; cfr. Granderath, *Constit. dogmatica,* p. 82, η. I ; Vacant, *Etudes thiol, sur les Const, du C. du Vatican,* Paris, 1895, t. I, p. 124-134. — Errores Hermesii jam reprobati fuerant a *Gregorio XVI,* 1835 et a *Pio IX,* 1846 (D. B., nn. 1618-1634); errores autem Guntheri a *Pio IX,* 1856 (D. B., 1655). — 4 D. B., n. 2145.

tore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus propter auctoritatem Dei summe veracis".

134. 3° Scholastica definitio. Fides spectari potest ut *actus* et ut *habitus* seu *virtus*.

(A) ficlef a S. Thoma dicitur[1] : "*actus intellectus assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis a Deo motæ per gratiam*", Verbis *veritati divinæ* implicite designantur *objectum* et *motivum* fidei scilicet *id quod* et *id propter quod* creditur : etenim divinæ veritati assentimus ob auctoritatem Dei loquentis.

Itaque fides ut actus definiri potest : *assensus supernaturalis quo intellectus, sub imperio voluntatis et influxu gratiæ, firmiter adhæret veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis*. — In hac definitione inveniuntur essentialia fidei elementa, nempe ejus *natura, causæ* ad ejus productionem concurrentes, intellectus et voluntas simulque Dei gratia, ejus tandem *objectum* materiale et formale.

(a) Fides, est actus ab *intellectu* elicitus, quo firmiter veritati revelatæ adhaeremus; nam "assentire proprie pertinet ad intellectum"[2] — Distinguitur proinde : a *scientia,* quæ veritatibus ordinis naturalis adhæret propter *intrinsecam* earum evidentiam ; ab *opinione,* quæ certitudine caret, dum fidei assensus est omnino firmus; a *religioso sensu,* qui imaginationi et sensibilitati potiusquam rationali motivo innititur; a *fide historica,* quæ humano innitur testimonio, dum fides soli divinæ auctoritati innititur; a *visione beatifica,* quæ clare et immediate percipit ea quæ nonnisi obscure et mediate fides cognoscit.

135. (b) Fides non est actus solius intellectus, sed sub imperio voluntatis producitur. Cum enim veritati adhæreat non propter ejus intrinsecam evidentiam, sed propter auctoritatem Dei, id fieri nequit nisi pie et reverenter voluntas auctoritatem Dei accipiat, et intellectum inclinet ad credendum. (c) Requiritur etiam *gratiæ* influxus : hic enim agitur de modo cognoscendi *supernaturali,* ad quem

1 Thorn., 2. 2., q. 2, a. 9.— Quæ quidem definitio hic proponitur tanquam synthesis totius tractatus, sèd nonnisi ex infra dicendis probabitur.

2 *De Verit.* q. 14, a. I, ad 3.

nullum jus habemus, et cujus propriis viribus incapaces sumus. Deus itaque gratia sua ad fidem nos *vocat* trahitque, intellectum illuminando et voluntatem movendo; ait enim *Vaticanum :* " Nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest sicut oportet ad salutem consequendam, *absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti,* qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati " — Merito igitur ait S. *Thomas* 2 : " Ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati divinæ, ex imperio voluntatis a Deo motæ per gratiam ".

136. (d) *Objectum* fidei *materiale* complectitur omnes et solas veritates divinitus revelatas, sensu infra explicando; *objectum* vero*formale* seu *motivum* non est intrinseca rerum evidentia, nec testimonium hominum, sed ipsa auctoritas Dei qui nec falli nec fallere potest, et nostram requirit obedientiam, cui proinde tuto fidere debemus.

137. (B) Ut eliciatur fidei actus, Deo placuit in ipsa justificatione infundere *fidei habitum^cxiyns* ope mens nostra primum *disponitur* ad assentiendum veritatibus revelatis, ut "plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium " praestemus.

Fides ut habitus definiri potest : *virtus supematuralis et theologica, mentem disponens ad assentiendum firmiter, propter divinam auctoritatem, omnibus a Deo revelatis.*

(a) *Virtus,* id est, qualitas bona ex se permanens, et sic ab actu fidei distinguitur, qui ex se transitorius est.

(b) *Supernaturalis,* id est vires et exigentias totius naturae creatae superans, ratione *objecti,* quod est revelatum et mysteria complectitur superrationalia; ratione *motivi,* quod est auctoritas Dei revelantis proindeque medium cognoscendi nobis prorsus indebitum; ratione *originis,* in quantum infunditur a Deo in animam simul cum gratia sanctificante.

(c) *Theologica;* nam virtus theologica ea est cujus objectum *materiale* est ipse Deus, et objectum *formale* seu motivum unum ex Dei attributis; atqui objectum primarium fidei est ipse Deus motivum autem auctoritas Dei revelantis, ut infra probabitur.

l *Vaticanumy* sess. III, cap. 3 de Fide, D, B., 1791.
l *Sum. thcol.*^ 2* 2æ, q. I., a. 9.

(d) *Disponens mentem,* id est totam animam, sive intellectum, sive voluntatem ad assentiendum veritatibus divinitus revelatis.

Cetera patent ex dictis de actu fidei.

138. 4° Variae divisiones fidei. Fides divina secundum diversos respectus spectari potest : (A) Ratione *objecti,* fides est : (a) simpliciter *divina,* quando id quod creditur, est a Deo revelatum, sed nondum ab Ecclesia authentice propositum, sive sollemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, v. g., S. Pontificis infallibilitas ante Cone. *Vaticanum* ;(b) *divina simul et catholica* seu simpliciter *catholica,* quando id quod creditur, non solum est a Deo revelatum, sed etiam ab Ecclesia propositum, v. g., infallibilitas S. Pontificis post Cone. *Vaticanum.* — Quae divisio est solum *accidentalis :* diversus enim modus quo veritas revelata nobis proponitur, ipsam fidei naturam non mutat.

139. (B) Ratione *subjecti,* fides dividitur in : (a) *formatam,* seu *vivam,* quæ cum caritate seu gratia sanctificante conjungitur; caritas enim est veluti forma virtutum, vitaque animæ, ut declaratur in *Tr. de Virtutibus;* (b) *informem,* seu *mortuam,* quæ est sine caritate in fidelibus peccatoribus. Hic animadvertere licet caritatem *non* esse formam *intrinsecam* seu *constitutivam* fidei, sed tantum formam *extrinsece* eam perficientem, quatenus neinpe per caritatem fides ita completur ut vitam æternam mereri possit. Fides igitur informis vere est fides : " Fides ipsa in se, ait *Vaticanum* etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens ".

(C) Ratione *modi* quo credimus, fides est : (a) *explicita,* quando veritati formaliter revelatæ et *in se* cognitæ assentimus, v. g., si quis Incarnationem Verbi *cognoscens* eidem assentit; (b) *implicita,* quando alicui articulo assentimus qui *in alio* explicite credito *continetur,* v. g., qui explicite in auctoritatem Ecclesiae credit, implicite omnibus veritatibus quæ ab Ecclesia docentur assensum praebet.

1 Sess. III, cap. 3, D. B., 1791.

III. Fidei falsæ notiones [1]

Fidei notionem adulteraverunt *antiqui Protestantes, Rationalists,* et *Semi-Rationalists, hodierni Protestantes,* necnon *Modernists.*

140. i° *Protestantes antiqui* contendebant fidem esse *fiduciam* qua quisque certo confidat sibi imputata esse merita Christi.

Triplicem videlicet fidem distinguebant : *fidem historicam,* quæ versatur circa res olim gestas, comminationes divinas, poenas peccatoribus inflictas, etc.; *fidem miraculorum,* qua credimus esse divinæ omnipotentiæ opera naturæ vires excedentia; *fidem promissionum,* quæ iterum duplex est : *generalis,* qua creditur salutem omnibus in Christum credentibus fuisse promissam; et *specialis,* seu *fiducia* qua *quisque confidit sibi, per imputatam Christi justitiam, peccata fuisse condonata.* Hæc est, inquiunt, fides vere salvifica [2], seu *ad salutem* necessaria. — Quem errorem damnavit *Tridentinum* [3] : " Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiae, peccata remittentis propter Christum,... anathema sit ". *In tr. de Gratia,* istum errorem confutabimus.

141. 2° *Fideists* et *Traditionalists* vires rationis nimis extenuant; contendunt siquidem *revelationis factum non posse cum certitudine demonstrari,* sed accipiendum esse e fide quadam communi quæ fundatur in revelatione primitiva, aut in antiquis traditionibus. Quod systema ducit ad naturalismum, quia supponit divinam revelationem nostræ naturæ deberi, cum hæc sit prorsus deficiens. — A *Vaticano* [4]

[1] Quoad *veteres* Protestantes, vide Moehler, *Symbolik,* gallice *La Symbolique,XxoÀ.* Lâchât, § 15-19; quoad *hodiernos,* cfr. E. Doumergue, *Les Etapes du Fidéisme,* Paris, Fischbacher, s. d.; E. Ménégoz, *Le Fidéisme et la notion de la Foi,* 1905; Babut, *De la notion biblique et de la notion symbolofidiiste de la Foi,* 1904; Snell, *Essai sur la foi dans le Catholicisme et dans le Protestantisme,* Paris, Téqui, 1911, p. 30-99.

[2] Ita Melanchton, Lutheri discipulus, de fide scribit *(Loc. theol.,* p. 93) : 11 Habes in quam partem fidei nomen usurpet Scriptura, nempe pro eo quod est fidere gratuita Dei misericordia, sine ullo operum nostrorum, sive bonorum sive malorum, respectu : quia de Christi plenitudine omnes accipimus — Fusius Calvinus, *Instit.,* l. III, c. 2, § 7 : " Nunc justa fidei definitio nobis constabit si dicamus esse divinae erga nos benevolentiæ firmam certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris et cordibus designatur

[3] Sess. VI, can. 12, D. B., 822. — [4] Sess. III, c. 4, D, B., 1799.

reprobatum est, juxta quod " recta ratio demonstrat fidei fundamenta. "

142. 3° *Semi-rationalistæ* dicuntur quidam catholici theologi qui, plus æquo rationis munus extulerunt in rebus fidei.

(a) Horum antesignanus, *Hermesius* nempe, fidem excogitavit *mere intellectualem,* asserendo *rationem praeficam* unicum esse medium quo homo assequi possit supematuralium veritatum cognitionem. Quare duplicem distinguebat fidem : fidem *cognitionis* et fidem *cordis :* prior consistit in consensu necessario qui *naturaliter* inducitur per argumenta *mere rationalia* pro veritatibus religionis christianæ, et in necessaria persuasione de veritate demonstrata; posterior, quæ per caritatem operatur, ideoque *adjuvante gratia,* plenam et liberam supponit submissionem veritatibus revelatis plenumque hominis obsequium divinæ auctoritati. Unde, juxta ipsum, *assensus intellectualis* veritatibus revelatis datus, gratiæ tribui non debebat, sed *rationipractica* rite excultae; *motivum* autem *fidei non est auctoritas Dei revelantis, sed quadam exigentia rationis practica.* (b) Quem errorem renovarunt *Gunther* et *Froschammer,* docendo ratione rite exculta percipi, intelligi et demonstrari posse veritates fidei, etiam mysteria, qualia sunt Trinitas et Incarnatio. Ita, juxta eos, fides cognitionis non vere a scientia distinguitur, sed est assensus rationalis qui sine gratia et libero voluntatis imperio præberi valeatx. Istos errores, jam a Gregorio XVI et Pio IX reprobatos, damnavit *Vaticanum* * *:* " Si quis dixerit in revelatione divina nulla vere et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit".

143.4° Inter *hodiernos Protestantes,* diversae sunt omnino fidei notiones apud *mysticos, orthodoxos* et *liberales.*

(a) *Mystici,* ut Methodistæ, Baptistae aliæque hujusmodi sectae, lutheranam fiduciam nimis extollentes, docent fidem esse vividum *religionis sensum* quo *sensibiliter experimur nos a Christo essejustificatos;* ideoque in coetibus suis hanc sensibilem fiduciam hymnis, prædicationibus, suggestione excitare conantur 3.

1 De Hermesianismo et Guntherianismo videre est J. M. Vacant, *Etudes thiologiques sur les Constit. du C. du Vatican,* Paris, 1895, t. I, n. 101-107; G. Goyau, Z**Allemagne religieuse,* Le Catholicisme, 1905, t II, p. 6-12; 43-53. — 3 D. B., 1816; 1618 sq.; 1634 sq.; 1655 sq·; 1666 sq.

3 J. Rogues de Fursac*, *Un Mouvement mystique contemporain,* Paris, Alcan, 1907; W. James*, *Varieties of religious experience,* gallice redditum ab Abauzit, *Eexpérience religieuse,* Paris, 1906.

PARS PRIOR : DE FIDE IPSA.

(b) *Orthodoxi,* quales sunt Anglicani, Presbyteriani aliique, contendunt fidem *primario* quidem *in fiducia* consistere, sed *secundario in assentiendo quibusdam veritatibus revelatis,* iis præsertim quæ in authenticis symbolis continentur. — In hoc autem non sibi cohaerent : si enim privatum judicium pro fundamentali principio habent, quaenam auctoritas hujusmodi symbola definiet atque aliis credenda imponet?

(c) Quam difficultatem percipiunt et urgent *Liberales,* ideoque asserunt fidem minime esse assensum veritatibus revelatis datum, sed actum *fiducia et amoris quo Deum tanquam Patrem amplectimur* eique intime conjungimur; eamque nasci in anima ex intimo contactu cum ente divino, et manifestari *emotionibus* reverentiae, timoris, adorationis atque amoris, quæ postea sub forma intellectualis conceptus exprimuntur; intellectuales vero conceptus perpetuo mutabiles esse, nec ad salutem requirix. Unde, juxta eos, fides est *sensus religiosus disponens mentem ad res religiosas immediate experiendas, et eisdem propter hanc experientiam adharendum.* — Inter eos, nonnulli hodie *Dei personalis* existentiam non agnoscunt, sed nomine Dei seu potius *divini,* quidquid veri, pulchri et boni est, intelligunt, et ita in pantheismum prolabuntur.

144. 5° *Modernistes*[2], Liberalium vestigiis inhaerentes, profitentur fidem, "quæ initium est ac fundamentum cujusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex *indigentia divini* oriatur." Haec porro divini indigentia latet primo infra conscientiam seu in *subconscientia',* postea, prævertente mentis judicio, peculiarem quemdam commovet *sensum* quem *religiosum* appellant : hic autem sensus res divinas obscure percipit. Unde fides, juxta Modernistas, nihil aliud est nisi *sensus religiosus res divinas per subjectivas et obscuras impressiones attingens.* Hæ autem impres-

* Ita, inter alios, **A. Sabatier,** cujus theoriam exposuimus in *Synopsi Theol. Fund.,* p. 706. Ita etiam Ménégoz*, *Publications diverses sur le fidiisme,* Paris, Fischbacher, 1909, t I, p. 83 : " Croire au Ressuscité sans l'avoir vu, voilà l'idéal de la foi chrétienne. Mais celui dont la foi ne saurait atteindre à cette perfection et dont l'esprit est travaillé par des doutes, c'est une grande consolation de savoir que ces doutes ne l'excluent pas du royaume de Dieu, pourvu qu'il soit un vrai disciple de Jésus-Christ et qu'il serve son Maître avec l'amour et le dévouement d'un Thomas". Immo, juxta eum, salvari potest qui bona fide existentiam Christi negat (ibid., p. 274), aut de Dei existentia dubitat, dummodo Enti divino se totum tradat (ibid., p. 48). Aliis tamen locis (t, I. p. 9, t. II, p. 191) asserit generatim fidem non dari sine aliquo intellectuali assensu.

• De *Modernisas* cfr. *Syn. Theol. Fund.,* n. 1030 sq.

siones spontanee exprimuntur quibusdam conceptibus qui *fidei dogmata* dicuntur; dogmata igitur sunt " interpretatio quædam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit " [1].

Proinde, juxta Modernistas, fides non recipit a Deo veritates revelatas, sed est veluti *creatrix dogmatum,* sibi efibrmans impressiones quas postea in formulis dogmaticis exprimit.

Ex hoc sensu religioso ortæ sunt omnes religiones, etiam Christiana : hæc siquidem in conscientia Christi, electissimas naturæ viri, vitali processu immanentiæ nata est. Singuli autem fideles, Christi experientiam in se renovantes, sensu religioso veluti quodam intuitu, Dei realitatem attingunt, eique adhærendo actum fidei eliciunt[2].

CAPUT L

DE FIDEI OBJECTO.

145. Cum actus ab objecto specificetur, incipimus ab *objecto fidei.*

Objectum autem fidei duplex est : *materiale* seu *id quod* creditur, et *formale* seu *motivum propter quod* creditur [3]. Prius dicitur *materiale,* quia est veluti materia quam fides attingit; posterius vocatur objectum *formale* quia fidei

$

1 Qaam fidei notionem expositam et damnatam invenies in Decreto *Lamentabili* (η. XXII) et Encycl. *Pascendi.* (D. B., 2001 sq., 2071 sq.)

2 Quorum mentem sic exponit protestans Bonifas*, *De la valeur religieuse des doctrines chrétiennes*, p. 4-5 : " La religion n'est pas une connaissance, c'est un sentiment. C'est le sentiment du divin. Et le divin, c'est tout ce qui est bon, tout ce qui est vrai, tout ce qui est beau, c'est la perfection, c'est l'idéal, c'est l'infini... Déistes et panthéistes se rencontrent ici sur le même terrain Cfr. E. Doumergue*, *Les Etapes du Fidiisme,* Paris, Fischbacher, s. d., p. 7-11.

3 J. de Lugo, disp. I, sect. 1, n. 1, rem comparatione declarat : si amatur medicina *propter* sanitatem, medicina est objectum *materiale* quod amatur, sed sanitas est objectum *formale,* quia quasi informat et vestit medicinam, quæ secundum se non moveret voluntatem.

4 Multi theologi aliam subdistinctionem afferunt : vocant motivum fidei *objectum formale quo* aut *sub quo,* et *objectum formale quod,* seu, ut aiunt, objectum *attributionis fidei* vocant objectum *fidei materiale primarium,* nempe Deum, ad quem ceteræ veritates revelate referuntur : quod quidem scitu necessarium est quando veteres theologi leguntur. Cfr. Billuart, *Defide,* diss. I, a. 1.

dat*formam specificam,* assensum fidei ab omni alio assensu distinguendo; dicitur etiam *motivum,* quia quatenus *notum* movet intellectum ad assentiendum firmiter veritatibus a Deo revelatis.

De *objecto formali* seu *motivo* primum agimus, quia objectum materiale attingitur a mente in lumine objecti formalis : ita non credimus mysterium Incarnationis (objectum materiale) nisi propter auctoritatem Dei revelantis (objectum formale). Postea de objecto *materiali* dicemus.

Art. I. De objecto formali seu motivo fidei.

146. Assensus fidei, cum sit legitima mentis adhaesio revelationi, non est caecus animi motus, sed rationabili innititur motivo, quod vocatur motivum fidei. Sedulo autem distinguendum est inter *ipsum motivum fidei,* quod est fidei elementum *intrinsecum* ac eam *specifice determinans,* — et *motiva* seu *signa credibilitatis,* ipsi fidei *extrinseca,* quorum ope praevie judicamus aliquam veritatem esse revelatam proiiideque credibilem vel credendam. Quia vero haec duo intime connectuntur, dicemus : i° de *ipso motivofidei;* 2° de *motivis* credibilitatis.

§ I. De ipso objecto formali seu motivo fideil.

147. Status quaestionis. Cum actus fidei ab intellectu eliciatur, motivum fidei non potest esse nisi id quod movet intellectum. Intellectus autem movetur ab evidentia; motivum igitur fidei est *quadam evidentia.* Duplex vero haberi potest evidentia, altera *intrinseca,* altera autem *extrinseca* humano aut divino testimonio innixa, (a) Juxta *semirationalistas,* motivum credendi nihil aliud est nisi intrinseca rerum evidentia quam ratione rite exculta acquirimus (n. 142).

[*] Cf. Suarez, disp. Ill ; Lugo, disp, i ; Salmanticenses, *De Fide,* disp. I, n. 49-80; Kilber, p. I, c. 3, p. 513 sq. ed. *Migne;* Mazzella, n. 301-353; Scheeben, *op. at.,* n. 667 sq.; Bouquillon, *op. at.,* n. 47 sq.; Vacant, *op. at.,* n. 560 sq.; Didiot, *Morale surnaturelle sptdale,* Paris, 1897, p. 158 sq.; Billot, *De virtutibus infusis,* th. 9; Bainvel, *op. at.,* p. 79-98; Labeyrie, *La Sdence de la Foi,* I9°3» P· ζθ2·21^.

(b) Secundum *Modernistas* motivum credendi est illa evidentia intrinseca quæ exsurgit ex conformitate rerum cum sensu religioso.

Doctrina autem catholica proponitur a C. *Vaticano* aperte definiente motivum fidei esse *auctoritatem Dei revelantis,* id est ejus *infallibilitatem in cognoscendo* et *veracitatem in dicendo* [1] : " Revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest"'.*

Quæ declaratio : 1. *Directe* percellit semi-rationalistas seu Guntherianos (n. 141); ex hac enim clare colligitur motivum propter quod credimus, non esse intrinsecam rerum evidentiam, sive immediate perceptam, ut fit in primis principiis, sive mediate, ut fit in conclusionibus a primis principiis logice deductis ; sed *auctoritatem ipsius Dei,* qui sive externe sive interne, sive mediate sive immediate nobis *revelat* veritates credendas. Assensus autem datus veritatibus a Deo revelatis merito vocatur *fides,* quia qui credit non videt intrinsecam rei evidentiam, *szA, fidens* divinæ veracitati, ejus testimonio acquiescit. — 2. *Indirecte* autem attingit etiam *Modernistas,* cum auctoritas Dei revelantis omnino differat a conformitate cum sensu religioso vel intuitione quadam religiosa.

I. Thesis catholica.

148. *Thesis :* Motivum fidei est auctoritas Dei reve lantis (seu infallibilitas in cognoscendo et veracitas i dicendo). *De fide* est contra Semi-Rationalistas ex *Vaticano* [3] * : " Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas *propter auctoritatem Dei revelantis credatur;* anathema sit ". — Probatur :

149. i° Script. Christus siquidem ejusque Apostoli doctrinam quam prædicabant semper proposuerunt tanquam ab omnibus *credendam propter auctoritatem Dei.* (A) Christus, de spirituali regeneratione ad Nicodemum loquens, aperte declarat hanc non posse humana ratione intelligi, sed *propter auctoritatem Dei credendam esse,* nempe aucto-

[1] Sess. III, cap. 3, n. 105, D. B., 1789. — [3] D. B., 1811.

ritatem Christi quæ eadem est ac auctoritas Dei. Dicit enim Nicodemo : " Amen, amen dico tibi, quia *quod scimus* loquimur, et *quod vidimus* testamur "[1]; quasi diceret : ea quæ doceo credere potes, quia ea certissime scio (en infallibilitas in cognoscendo); alibi addit : " Qui me misit *verax* est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo "[2] (en veracitas in dicendo). Christi autem testimonium idem esse ac Dei, constat ex his et similibus verbis : " Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est[3]... Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater "[4]. Eamdem doctrinam Judæis inculcat, dum affirmat se esse missum a Deo, in quem omnes credere debent, testimonium suum verum esse, quia Pater hujusmodi testimonium ratum habet. " Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me s".

(B) Ex doctrina S. *Pauli,* (a) Hic enim, fidem Abrahae extollens, animadvertit eum Deo credidisse, non obstante apparente impossibilitate rerum quæ promittebantur, quia nempe Ei omnino fidebat[6]. Jamvero, etsi hic agitur de fide *in promissis,* eadem est ratio credendi *praesentia* ac *præterita* quæ non videntur, videlicet auctoritas dicentis cui plane fidimus, (b) Insuper dum Paulus Evangelium prædicaret, fidem expostulabat non propter intrinsecam rerum evidentiam, aliudve motivum, sed propter revelationem Christi Jesu ac proinde *auctoritatem Dei :* " Notum enim vobis facio, fratres, evangelium... neque enim ego ab homine accepi illud, sed *per revelationem Jesu Christi"*[7]; et alibi : " Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi "[8]. Hinc fideles credebant non propter argumenta intrinseca, vel humanum testimonium, sed propter testimonium ipsius Dei : " Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud *non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei* "[9].

Hanc vero fidem esse omnino tutam ex eo probant Apostoli quod testimonium Dei majus sit hominum testimonio : " Si testimonium hominum accipimus, testimonium

[1] *Joan.,* III, II. — [2] *Joan.,* VIII, 26. — [3] *Joan.,* III, 33. — [4] *Joan.* VIII, 15.
[5] *Joan.,* VII, 16 ; cf. VIII, 12-59. — [6] *Rom.,* IV, 18-26.
[7] *Galat.,* I, 11-12. — [8] *Rom.,* X, 17. — [9] *I Thess.,* II, 13.

Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo... Qui non credit Filio mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod Deus testificatus est de Filio suo" x.

150. 2° Tradit. Patres saepe duplicem cognitionis modum distinguunt : *scientiam* quæ ratione acquiritur et *fidem* quæ auctoritate Dei innititur. Quapropter ad fidem excitandam, saepe ad *auctoritatem Dei* provocant, cui magis quam hominibus plene fidere valeamus.

Ita, inter Græcos, S. *Theophilus Antiochenus* sic alloquitur Autolycum, qui mortuorum resurrectionem creder·' nolebat 2 : " Sed cur non credis? An ignoras rebus omnibus fidem præire?... Quis autem aegrotans sanari potest nisi prius se ipse medico crediderit, aut quam artem quis aut disciplinam ediscere potest, nisi se prius tradiderit et cfediderit magistro?... Non vis tu te credere Deo, tot ac tantis pignoribus ab eo acceptis? "

Inter Latinos, S'. *Ambrosius,* loquens de fide in divinitatem Christi divino testimonio manifestata, ait : " Si Deo non credimus, cui credimus? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu : visus saepe fallitur, auditus in fide est. An asserentis persona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere : Deus asserit, probat Filius, refulgens sol fatetur, tremens terra testatur " 3. Ita etiam S. *Augustinus* declarat fidem in genere testimonio inniti, fidem vero christianam testimonio ipsius Dei : " Creduntur ergo illa quæ absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum quod eis *testimonium* perhibetur... 4 Caritas quæ omnia credit, non omni spiritui credit; ac per hoc omnia quidem credit, sed *Deo* (credit) " 5. Ita et *Cassianus,* ad probandum Incarnationis factum, scribit :6 "'Deus hoc dixit, Deus locutus est : mihi verbum illius summa ratio est ".

11Joan., V, g-io.
' Ad Autolyc., 1. I, η. 8, *P. G.,* VI, 1035-1038.
3 In Lucam, 1. IV, n. 71, *P. L.,* XV, 1634.
‹ Epist CXLVII, 7, *P. L.,* XXXIII, 599.
s De spiritu et littera, c. XXXII, n. 55, *P. L.,* XLIV, 236.
8 De Incarnat., 1. IV, VI, 3, R. 2055.

151. 3° Rationi consentaneam esse hanc doctrinam facile intelligitur. Id enim pro motivo fidei merito habetur quod efficaciter nostrum movet intellectum ad credendum Deo loquenti. Atqui auctoritas Dei revelantis efficaciter nostrum movet intellectum ad credendum; nam ejus infallibilitas in cognoscendo prohibet ne Deus fallatur, ejus autem veracitas prohibet ne nos fallat quando assentimus, et sic divina auctoritas assensum meretur. Utrumque autem necessarium est : nam si Deus posset falli, etsi non posset fallere, aut si posset fallere, etsi non posset falli, ejus verbis firmissime assentire non possemus ; utroque autem habito, assensus noster jam firmissimus evadere potest ac debet. Si enim tot veritates ex testimonio hominum accipimus, nonne irrationabilem et Deo injuriosum sese exhibet qui testimonium Dei, validioribus etiam argumentis firmatum, non accipit?

II. Quæstiones disputatae.

152. Etiam post *Vaticanum* tres præcipuæ quæstiones inter theologos disputantur : i° utrum *revelatio ipsa* sit *partiale motivum fidei* an *tantum conditio sine qua non;* 2° num *propositio* veritatis revelatæ *ab Ecclesia* sit *partiale* motivum fidei; 30 *quomodo* cognosci debeat revelatio ut sit *motivum formale fidei.* Controvertitur utrum *revelatio ipsa,* ut *increata* et *libera actio Dei revelantis,* sit *motivum partiale* fidei an tantum *conditio sine qua non.*

i° Omnes quidem fatentur factum revelationis esse saltem conditionem sine qua non fidei ; ad hoc enim ut credamus, non sufficit ut Deus sit infallibilis et verax, sed requiritur ut aliquid revelaverit. Sed dubitatur utrum revelatio sit, simul cum auctoritate Dei, partiale motivum fidei, an tantummodo aliquid præsuppositum, quod ex se non moveat intellectum ad assentiendum.

ISS· (A) *Thomiste,* plerique, cum *Suarez, Lugo, Mazzella,* etc., docent revelationem esse motivum partiale fidei, ita ut actus fidei sic enuntiari debeat : " Credo, quia Deus est verax et revelavit ". Probatur : —

(a) *Script.* Id enim est motivum partiale fidei quod æque necessarium est ad credendum ac auctoritas Dei; atqui in textibus supra

allatis declaratur fidem fundari non solum super veracitatem Dei, sed etiam supra ejus *testimonium,* ejus *locutionem :* " quia quod scimus loquimur, quod vidimus testamur", super divinam *revelationem :* " per revelationem Jesu Christi ", ac proinde eadem vis tribuitur revelationi ac auctoritati divinae.

(b) *Vaticanum,* quamvis rem non definiverit, insinuare videtur revelationem esse partiale motivum fidei, dum declarat nos credere propter *auctoritatem Dei revelantis.* Insuper in plerisque catechismis revelatio assignatur ut motivum partiale fidei : Credo, quia tu, infallibilis veritas, has· veritates revelasti.

(c) *Rat.* Illud est partiale motivum fidei quod *formaliter* constituit rationem testimonii et reddit auctoritatem Dei moventem ad assensum; atqui ita est de revelatione activa ; nam auctoritas divina *non loquens* non est formaliter testificans veritatem, nec movet audientem ad credendum; ergo revelatio activa seu locutio divina vere est, cum auctoritate Dei, motivum formale fideil.

154· (B) *Scotiste* * autem dicunt revelationem esse solum *conditionem sine qua non,* ac proinde actum fidei ita exprimendum esse : "credo quia Deus, qui revelavit, verax est"; dicunt enim illud non esse partiale motivum fidei, quod *ex se* non movet intellectum ad assentiendum veritati revelatae; atqui factum revelationis *ex se* non movet intellectum ad assentiendum, cum sola assertio per se non sit probatio; potest enim esse falsa; ergo. — Respondent *Thomiste* factum ipsum revelationis ex se quidem non esse sufficiens, seu totale fidei motivum, sed sumptum simul cum veracitate divina, vere intellectum movere ad credendum; affirmatio enim alicujus personae veracis certe nos movet ad assentiendum eis quæ dicuntur.

155· *Judicium de hac controversia.* Ratio dissensus ex eo procedere videtur quod theologi non eodem modo audiunt *motivumfidei. Scotiste* id tantum vocant *motivum* quod *in se* et *per se* continet vim movendi intellectum, dum *conditionem* appellant quidquid assensum trahit per vim aliunde acceptam. *Thomiste* vero motivi nomine designant quidquid *movet ad assensum per modum objecti, undecumque vim habeat movendi.* Ita quando credimus Christum esse Filium Dei, Scotistæ dicunt declarationem Christi : *Ego sum Filius Dei,* esse tantum conditionem, non motivum fidei, quia hæc verba possunt a quolibet proferri, etiam ab amente; Thomistæ autem fatentur præfata verba *materialiter* sumpta vim non habere movendi ad assentiendum, sed eadem

l Garrigou-Lagrange, *De Revelatione,* L I, p. 441-442.

* Scotus, *In IV Sent.,* lib. III, dist. XXXIII, n. 7. Cf. Aureolus, in Prologo, quæst. de Unit, theol., a. 3; Mastrius, *Defiàe,* q.

formaliter sumpta quatenus sunt testimonium Christi qui nec falli nec fallere potest, vere concurrere ad assensum, ideoque partiale esse motivum fidei. — Omnes autem concedunt veritatem esse credendam ut revelatam, et auctoritatem revelantis movere assensum plus quam factum revelationis.

156.2° Quaesitum insuper fuit num *propositio veritatis revelata,* quæ fit ab Ecclesia, sit partiale motivum revelatae fidei. *Affirmative* respondet *Michael de Medina* ». Negative autem communiter respondent theologi; et merito, (a) Ecclesia enim, veritates revelatas nobis credendas proponendo, eas docet *non suo nomine,* sed nomine Dei, et assensum nostrum postulat *propter auctoritatem Dei revelantis;* ergo auctoritas Ecclesiae non est motivum cur credamus, sed *authentica fidei norma* qua scimus aliquam veritatem esse credendam, (b) Id non est motivum fidei quod non formaliter movet intellectum et voluntatem credentis, sed tantum declarat revelationem jam existentem; atqui propositio ab Ecclesia facta non formaliter movet mentem credentis, sed tantum authentice proponit veritatem tanquam credendam *propter auctoritatem Dei revelantis :* ergo propositio ab Ecclesia facta non est vere *fidei motivum.*

157. Corollarium. *Actus fidei divina elicipotest sine Ecclesia authentica propositione* ab *acatholicis* qui *bona fide* ignorant infallibilem Ecclesiæ auctoritatem.

Thomista docent quidem propositionem veritatis revelatæ ab Ecclesia esse pro *catholicis* conditionem necessariam ad veram fidem divinam [a], cum *proxima fidei regula* sit infallibilis auctoritas Ecclesiae. Certum est etiam eos qui *culpabiliter* hanc regulam rejiciunt, non credere fide divina veritatibus revelatis quas admittunt, cum innitantur *privato judicio* plus quam divino testimonio. Sed qui *bona fide* Ecclesiæ auctoritatem ignorant actum fidei divinæ elicere possunt. Nam :

(a) Ut quis eliciat actum fidei, requiritur et sufficit, juxta *C. Vaticanum,* ut assentiat veritatibus revelatis *propter auctoritatem Dei revelantis :* atqui, independenter a propositione Ecclesiæ, potest quis cognoscere aliquot veritates fuisse a Deo revelatas, et eisdem assentire propter auctoritatem Dei; quamvis enim auctoritas Ecclesiæ sit *ordinarium* medium, quo certiores fieri possumus de revelatione alicujus veritatis, et *sola* sit *completa fidei regula,* adsunt alia

[l] *De recta in Deum fide,* L V, c. II.

* Cf. Marin-Sola, *L'Evolution homogène,* t. i, p. 206-229.

media, v. g., privatum studium, vel propositio privata, quibus certo constare potest Deum locutum fuisse : siquidem *historice* constare potest, ex dictis in *Tr. de Christo legato,* Christum esse divinum legatum, ac proinde quidquid docuit esse verbum Dei, et ut tale credendum; ergo acatholicus, qui in *bona fide* versatur, elicere potest actum fidei divinæ.

(b) Si Ecclesiæ propositio exigeretur ipsa fidei natura, nullus actus fidei, etiam primus, fieri posset sine tali propositione; atqui saltem primus actus fidei fieri potest et debet sine infallibili propositione Ecclesiæ : antequam enim, definitiones Ecclesiæ accipiamus ut infallibiles, *logice* necesse est ut fide divina credamus, proprio studio, sine ulla publica propositione, esse Ecclesiam infallibilem; secus enim adesset circulus vitiosus.

158. 30 Controvertitur etiam inter theologos *sub quo respectu* auctoritas Dei cognosci debeat *ut sit formale fidei objectum,* utrum *lumine rationis* an *lumine fidei.*

Jam vero difficultas in eo sita est quod actus fidei sit simul rationabilis ideoque ratione cognoscendus, et *supernaturalis* proindeque lumine fidei percipiendus.

Tria sunt praecipua systemata :

(a) *J. de Lugo* [1] putat motivum fidei cognosci quidem *ratione,* sed hanc cognitionem esse *supernaturalem,* quia Deus ad hanc concurrit gratia supernaturali. — Ex hoc tamen sequitur cognitionem hujus motivi non esse *essentialiter* supernaturalem : credo scilicet Incarnationem quia *scio* Deum esse veracem et revelasse Incarnationem. Ita fides est veluti *conclusio syllogismi :* ratio asserit credendum esse quidquid Deus summe verax revelat; atqui Deus revelavit Incarnationis factum; ergo illud credendum est.

159. (b) Secundum *L. Billot*[2], *Bainvel* aliosque, motivum fidei cognoscitur quidem *lumine rationis,* sed intellectus, quia non videt rem revelatam, assensum praebet *non propter ejus internam evidentiam,* sed propter *dignitatem et auctoritatem Dei revelantis,* qui jus habet plenum assensum exigendi. Fides igitur non est discursiva : credo quia auctoritatem Dei revelantis agnoscere *volo* eique *obedientiam* præstare, sicut puer credit parentibus quibus plane confidit. — Supernaturalitas vero actus fidei non venit ex objecto

[1] *De fide,* disp. VII. — [3] *De virtutibus infusis*^ p. 72-84 et 203, ed. 1901.

materiali et formali, sed " unice ex principio gratiae qua elevatur operative potentia

160. (c) Juxta *Thomistas* \ ipsum fidei motivum cognoscitur *lumine fidei,* cum nihil aliud sit nisi auctoritas Dei revelantis quatenus est *auctor ordinis supernaturalis;* et ita fides est vere *supernaturalis quoad substantiam,* quatenus participes nos efficit divini luminis; est tamen *rationabilis,* quia *motiva credibilitatis* quibus certo constat Deum esse veracem et revelasse, *ratione* cognoscuntur. — Credo igitur quia video in lumine auctoritatis Dei revelantis Deum veracem talem doctrinam revelasse. Motivum igitur fidei est simul *id quo* et *quod* creditur; id *quo* creduntur veritates aliæ revelatae, et *id quod* simul creditur, cum uno eodemque instanti credamus auctoritati Dei revelantis et veritati particulari quam revelavit.

Quam opinionem amplectimur ut magis consentaneam doctrinae *C. Vaticani* et magis aptam ad explicandum quomodo assensus fidei firmior esse possit quam cognitio motivorum credibilitatis.

Etenim motivum formale fidei debet esse supematurale eodem modo ac virtus quam specificat. Atqui virtus fidei, qua mysteria vere supernaturalia credimus, est *supernaturalis quoad substantiam;* ergo motivum fidei supematurale esse debet quoad substantiam. Porro non potest esse tale nisi cognoscatur ipso *lumine fidei;* si enim ratione cognoscitur, jam non est supematurale quoad essentiam : nam quod est supematurale entitative eo ipso est supematurale quoad cognoscibilitatem et lumine supernatural! cognosci debet.

§ II. De SIGNIS REVELATIONIS seu motivis credibilitatis

161. Revelatae veritati assentimur propter auctoritatem Dei revelantis; hic autem assensus non esset rationi consentaneus, nisi revelatio *signis quibusdam certissimis divinam* suam originem ostenderet : quæ signa dicuntur *credibilitatis motiva.* Itaque " voluit Deus, cum internis Spiritus Sancti auxiliis, *externa jungi revelationis suce argumenta,* facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias,

1 R. Garrigou-Lagrange, *De Revelatione,* L I, p. 458-514.

quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata [1] [2] — Dicemus : i° de *credibilitate* revelationis; 20 de *certitudine credibilitatis* ad finem requisita.

I. De credibilitate revelationis.

162. Thesis : *Revelatio Christiana certo credibilis est ex signis externis, præsertim^ miraculis et^prophetiis, quæ sunt signa certissima ejus divinæ originis omnium intelligen accommodata.* FI

De fide est contra Protestantes *Liberales* et *Modernistas,* "qui contendunt sola jnterna ftyperientÎA aut inspiratione privata homines ad fidem moveri : " Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, A. S. 13"

Dicitur : (a) *certo credibilis,* non autem *evidenter vera;* nam veritas evidenter vera ea est quæ intrinseca evidentia gaudet; atqui fidei mysteria *non* sunt *intrinsece evidentia,* sed sunt *certo credibilia,* quia certo constat ea fuisse a Deo revelata.

(b) *Ex signis externis,* quæ ex dictis in *Tr. de Religione,* n. 276, sunt signa certissima simul et omnibus obvia. Non negamus quosdam homines aliquando ad fidem sola illuminatione interna perduci; sed asserimus, secundum doctrinam Christi et Ecclesiae, miracula aliaque ejusmodi facta divina esse signa certissima revelationis, ideoque necessarium non esse ad fidem moveri per solam internam experientiam aut privatam inspirationem.

163. Probatur. (A) *Scriptura,* (a) Legatis Joannis interrogantibus : "'Tu es qui venturus es an alium exspectamus? " respondit Jesus : "'Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, etc. " 3. Exinde colligimus miracula Christi esse signa suae missionis.

(b) Praeterea Christus, in disputatione cum Pharisaeis, testimonium Moysis et aliorum prophetarum, testimonium-

1 *Concil. Vatie.,* de Fide catholica, cap. 3; D. B., 1790.
* *Vatie.,* sess. III, can. 3 de Fide, D. B., 1812.
3 *Matt.* XI, 3-5.

que Patris sui, per opera quæ operatur manifestatum, allegat iterum ut signa missionis suae x. Aliunde eos reprobavit qui non obstantibus signis, credere nolebant2; declaravit vero Judæorum incredulitatem reprehensibilem non fuisse nisi quia hujusmodi signis veritatem doctrinæ suæ demonstraverat : " Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite 3... Si opera non fecissem in iis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent " 4.

(C) Apostolis tradit potestatem miracula patrandi ut his divina origo doctrinæ quam praedicant probetur; revera : " Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino coopérante et sermonem confirmante sequentibus signis " s, id est *miraculis* quæ prædicationem comitabantur.

(d) Apostoli ipsi, ad probandum Christum esse vere Messiam et Filium Dei, ad *miracula* et *prophetias* appellant, multique ob miracula ab eis relata aut patrata in Christum credunt6;* Paulus fatetur fidem quam praedicat vanam esse, nisi Christus vere resurrexerit 7; Petrus argumenta allegat e miraculo Transfigurationis et e prophetiis desumpta 89

Ex quibus constat, secundum Christum ejusque Apostolos, dari motiva credibilitatis, eaque *non exclusive interna* sed etiam externa, ad credendum plane sufficientia.

164. (B) Traditione, (a) Tribus prioribus saeculis, Apologetae prophetiis et miraculis divinitatem christianæ religionis probant 9; et frequenter declarant sine validis argumentis credendum non esse : " Quomodo, ait S. *Justinus* I0, homini crucifixo crederemus eum esse primogenitum ingenito Deo et futurum judicem universi generis, nisi *prædictiones* circa ipsum confirmatas eventu videremus?

'*Joan.,* V, 36, 39, 45·
**Joan.,* V, 36-37; X, 25, 38;XII, 37; XIV, 10-12; XV, 24.
'*Joan.,* X, 37-38. — ⁴*Joan.,* XV, 24. — s *Marc.,* XVI, 20.
6 *AU., II,* 22,43; III, 16, 21,26; V, 12-16; VI, 8; VIII, 6-8, 25; XIII, 12; XIV, 3.
Î *I Cor.,* XV, 17. — 8 *II Petr.,* I, 16-19.
9 Quorum brevem conspectum exhibuimus t I.j *Proleg. in Apologeticam.* n. 39 sq.
'° *Apol.,* I, c. 53, *P. G.,* VI, 406.

(b) Quarto et quinto saeculis, Patres, quamvis fidei mysteria humanæ rationi impervia esse tradant, ideoque propter auctoritatem Dei credenda, non minus perspicue docent miraculis probandum esse hæc mysteria fuisse divinitus revelata. Ita, inter Græcos, S. *Chrysostomus* miracula declarat esse credibilitatis signa, quæ etiam probis necessaria sunt ut credantl : " Viden tunc maxime necessarium fuisse ut *miracula* ederentur, cum probi homines qui dictis attendebant, aderant? Hi enim et facilius crederi erant et gesta accurate observaturi. *Et quomodo notus fuisset sine miraculis?* " — Inter Latinos, S. *Augustinus* asserit mysteria credibilia esse, et credi non posse, nisi prius cogitaverimus ea esse credenda : " Nos ergo ad hos refellendos qui prudenter sibi videntur nolle credere quod videre non possunt, etsi non valemus humanis aspectibus monstrare divina quæ credimus, tamen *humanis mentibus etiam illa quee non videntur credenda esse monstramus* -... Quis non videat prius esse cogitare quam credere? *Nullus quippe credit, nisi prius cogitaverit esse credendum* 3.

165. (c) *Scholasticorum* vero mentem exponit 6*. *Thomas* dum ait : " Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur : habet tamen inquisitionem quamdam eorum per quæ inducitur homo ad credendum, puta quia sunt dicta a Deo, et miraculis confirmata 4... Non enim crederet nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi " 5.

II. De certitudine requisita in judicio credibilitatis.

166. Status quaestionis. i° Juxta omnes, motiva credibilitatis, praesertim *collective sumpta, ex se* plane sufficiunt ad *moralem certitudinem*6 gignendam, independenter a sub-

1 *In Joan.,* homil. XXIII, n. i, *P. G.,* LIX, 139.
2 *Defide rerum qua non videntur,* ɳ. I, *P. L.,* t. XL, 171.
3 *De pradest. sanctorum,* c. II, n. 5, *P. L.,* XLIV, 962. — S. Augustinum hic non agere de solis criteriis *internis,* ut quidam contendunt, inferri potest ex iis quæ dicta sunt de ejus apologetica in *Syn. theol. fund.*
4 *Sum. theol., 2.* 2., q. 2, a. I, ad I. — 5 *Ibid., 2.* 2., q. 1, a. 4, ad 2.
6 De qua diximus t. I, Proleg. in Apologet., n. 17-18.

jectivis dispositionibus, et non tantum pro tali vel tali homine, sed pro omnibus sive ignaris sive scientia præditis. Id sane constat, contra Fideistas et Modernistas, ex thesi praecedente et ex iis quæ diximus in 7r. *de Christo legato divino.*

2° Hæc certitudo debet esse *vera,* i.-e. *omne dubium prudens excludens,* non autem mera probabilitas etiam maxima. Quare ab *Innocentio XI, 2* martii 1679, hæc propositio reprobata est : " Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus "x; et merito, in decreto *Lamentabili,* damnata est hæc *Modernistarum* propositio XXV: " Assensus fidei *ultimo innititur in congerie probabilitatum* " 1. Fatemur equidem, inter argumenta quæ ad revelationem probandam adducuntur, quædam esse quæ *singillatim sumpta* sint probabilia tantum ; sed, ut recte ait *Pesch,* n. 292, " falsum est non posse ex multis argumentis per se probabilibus tantum oriri veram certitudinem ", præsertim quando hæc ad unum idemque probandum tendunt 3.

167. 30 Sed quæstio oritur num motiva credibilitatis ita sint cognoscenda ut singulis *absolutam* certitudinem afferant an *relativam* etsi veram. Etenim certitudo duplex esse potest : (a) *absoluta,* quæ innititur motivis ita validis, ut excludat dubium respectu cujuslibet intellectus etiam sagacis et acuti; quæ pariter multos gradus admittit : *scientifica* dicitur si critice et historice expenduntur motiva credibilitatis, *vulgaris* autem, si minus distincte et reflexe eadem percurruntur; (b) *relativa,* quæ proportionatur captui intellectuali alicujus et sufficit ad certitudinem rationabilem et prudentem producendam de motivis credibilitatis in simplicibus; v. g., auctoritas parentum, pastorum, etc., revelationis factum simplicibus proponentium *relativam* certitudinem eis affert, etsi veram.

168. *Controvertitur* autem inter Theologos utrum sufficiat ad actum fidei certitudo *relativa* motivorum credibilitatis, an requiratur *absoluta.*

1 D. B., n. 1171. — ' D. B., 2025.

3 Quod lucide exponit J. H. Newman, *Grammar of Anent,* London, 1874, p. 410 sq.; trad, française par M"* Paris, p. 327 sq.

(A) Pauci theologi, præsertim antiqui, docuerunt requiri *absolutam* certitudinem. Nam certitudo relativa excludit quidem dubium actuale, non autem radicitus impedit omne dubium in futurum : qui enim credit cum certitudine tantum relativa, v. g., ex auctoritate pastoris, potest, mutatis circumstantiis, concipere dubium circa fidem suam; atqui ad fidem veram requiritur illa certitudo quæ excludit omne dubium ; secus fides debita firmitate careret.

Aliter rem declarat *P. Rousselot*[1] : Motiva credibilitatis, inquit, in omnibus absolutam certitudinem afferre debent, sensu infra explicato, n. 295. Ipsi *simplices* hanc absolutam certitudinem habent ; nam auctoritas Ecclesiae catholicæ est motivum in se absolute demonstrativum, et aliunde etiam *simplices* hoc motivum tanquam absolute demonstrativum cognoscere valent ex *illuminatione gratiæ* quæ eos adjuvat.

169. (B) Plerique tamen theologi moderni, ut *Suarez, Lugo, Kilber, Mazzella, Franzelin, Card. Billot,* etc., docent *relativam* sufficere certitudinem [2]3 Etenim (a) ex *Script.* apparet Deum voluisse homines ab aliis hominibus edoceri, et ex ore eorum accipere doctrinam revelatam : " Labia sacerdotis custodient scientiam et *legem requirent ex ore ejus"* 3; " Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi " 4; Christus ipse ad turbas et discipulos dicebat : " Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia quaecumque dixerint vobis, servate et facite" 5. — Ex his aliisque textibus, et ex *generalipraxi,* sub Antiqua et Nova Lege, *veritates revelatas accipiendi quales a parentibus et sacerdotibus traduntur,* constat hujusmodi auctoritatem, quæ nonnisi *relativam* praebet certitudinem, sufficiens esse credibilitatis motivum.

170.(b) Ad rationabiliter firmiterque credendum, sufficit, in judicio credibilitatis moralis certitudo quæ prudens dubium *actu* excludat. Atqui hanc præbet certitudo *relativa,* cum, ex hypothesi, datis subjecti dispositionibus, mentem quietare valeat.

[1] *Rech. di Sc. Religieuse,* mai-juin 1910, p. 248-252.

*Cf. Suarez, disp. IV, sect. 5-6; Lugo, disp. V, η. 25; Kilber, ed. Migne, p. 545 sq.; Mazzella, n. 750; Harent, in *D. T. C.,* VI, 225.

[3] *Malach.,* II, 7. — [4] *Deuter.,* XXXII, 7. — [5] *Maith.,* XXIII, 2.3.

Major autem probatur ex eo quod secus fides plerisque impossibilis evaderet. Quomodo enim possent *pueri* et *rudes* diu et attente motiva credibilitatis expendere ut absolutam certitudinem acquirerent, quando carent tum ingenii acumine tum tempore necessario? Christus tamen voluit eos ad fidem venire, cum regnum suum non doctis tantum, sed etiam et praecipue parvulis offerat : " Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis " r. — Quoad *paganos,* sæpe non aliud motivum credibilitatis habent quam missionariorum auctoritatem vitae sanctitate firmatam.

In his et similibus casibus non habetur nisi *relativa* certitudo; sed, curti hæc sufficiat ad prudens dubium excludendum, nil prohibet quin ad fidem sufficiat. Si, in rebus humanis et scientificis, plerique homines etiam doctissimi longe plurima quæ norunt *aliorum auctoritate* acceperunt, absque personali investigatione, nonne æquum est ut, in rebus religiosis, parentum aliorumve magistrorum etiam fallibilium auctoritati fidamus?

171. (c) Ad *minorem* confirmandam, hæc addimus : si quid deest ex parte moralis certitudinis in judicio credibilitatis quoad dispositiones morales subjecti, id *Deus supplet per gratiam*2, dummodo homines faciant quod in se est. Gratia quidem non efficit ut motiva *ex se* insufficientia fiant *ex se* sufficientia, sed duo præstat, nempe ut vis motivorum objective sufficientium *magis perspicue apprehendatur,* et insuper ut motiva ad certitudinem *absolutam* gignendam imparia, sufficientem certitudinem moralem conferant simplicibus qui sedulo veritatem inquirunt.

172. *Solvuntur difficultates,* (a) Nec dicatur ad veram fidem requiri certitudinem quæ omne dubium, non solum præsens, sed etiam *futurum* excludat. Certitudo enim relativa, quæ præsens dubium expellit, dubia etiam futura præcavere potest. Nam, si, mutatis circumstantiis, simplices majore indigent evidentia, Deus

l *Maith.*, X, 25.

' De quo agit A. Gardeil, *La Crédibilité et l'Apologétique,* Paris, Gabalda, 1908, p. 97-13°· Qu° sensu autem gratia suppleat motivis insufficientibus definiri poterit e controversia inter J. B. Bainvel, in *R. P. A.*, t. VI, 190S, p. 163-181, et A. Gardeil, *ibid.,* t. VII, 1908, p. 178-201, 271-281.

providebit eis præbendo media ad majorem certitudinem acquirendam, v. g., eos inducendo ad consilium exquirendum doctiorum qui eos docebunt quomodo magis scientifice fidei fundamenta investigare valeant. Deus enim neminem deserit, ut ait *Vaticanum* [1]: "Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat et adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint, et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur",

(b) Si res ita se habet, urgent adversarii, etiam *falsa religio,* ut Mahumetanismus, potest esse *sufficienter credibilis,* utpote parentum testimonio innixa. — Non diffitemur quidem hujusmodi religionem esse aliquando *subjective* credibilem; sed putamus eos qui *bona fide* cam colunt, paulatim Deo juvante, amplexuros christianismum, aut saltem eas veritates quae necessariae sunt ad salutem; magnum tamen esse discrimen inter eos et Catholicos, cum hi certitudinem adipiscantur quæ veritatem reddit non solum *subjective,* sed etiam *objective credibilem,* et gratia juventur ad hanc veritatem omnesque alias veritates revelatas credendas.

173. Conclusio, (a) In omnibus requiritur vera certitudo de existentia revelationis; certitudo enim *relativa* dicitur talis non quia motivum credibilitatis *objective* insufficiens est, sed quia non omnes ejus vim sufficienter percipiunt, (b) Attamen adhibenda sunt etiam pro simplicibus motiva eorum menti accommodata quæ absolutam certitudinem conferre valeant, prout sunt prophetiae et miracula tam hodierna quam antiqua, præsertim resurrectio Christi, sanctitas quam etiam hodie manifestat Christiana religio, etc.

Art. IL De objecto materiali fidei \

174. Praenotanda. (A) Principium generale est *objectum materiale fidei divinæ esse omnia eaque sola quæ divinitus revelata sunt;* nam, ex dictis de motivo fidei (n. 147), id proprie creditur quod accipitur *propter auctoritatem Dei revelantis* seu quod stricte *cadit sub testimonio Dei* talem vel talem veritatem *manifestantis.*

[1] Sess. Ill, cap. 3; D. B., 1794.

[2] S. Thom., 2. 2., q. 1, a. 1-2; Suarez, disp. I; Lugo, disp. Ill; Salmantic., disp. I, n. 1-47; Kilber, p. I, a. 2, p. 441 sq. ed. Migne; Mazzella, n. 354-439; Bouquillon, n. 20-46; Billot, th. 10; Labeyrie, *La Science de la* 1903, P· 188, 201.

(B) Divisio. Quibus positis, de objecto materiali fidei tria investigabimus : i° *quodnam* sit objectum materiale fidei; 2° quaenam sit *natura dogmatum* seu veritatum fidei; 3° utrum et quomodo *dogmata crescere possint.*

§ I. Quodnam sit objectum materiale fidei.

Dicemus : i° de *ipso objecto ; 2°* de *modo* quo veritas fit *objectum fidei.*

I. De ipso fidei objecto.

175. (A) Omnes fatentur objectum materiale *primarium* fidei, (seu, ut aiunt Scholastici, *subjectum* vel *objectum attributionis,* vel *objectum formale quod)* esse *Deum* ut finem supematuralem ; eo sensu quod omnes veritates revelatæ ad Deum tanquam ad centrum referuntur. Etenim quæcumque revelata sunt, aut sunt *proprie divina* aut *ad meliorem Dei notitiam* et *amorem* conferunt.

Tota siquidem revelatio est *vita divina manifestatio* : hæc vita contemplatur in *Deo,* tanquam in *fonte,* — in *Christo mediatore,* qui ideo in mundum venit ut hanc vitam nobis largiretur : " Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant " 2, — in *hominibus* qui eamdem vitam, nempe gratiam per sacramenta accipiunt, per virtutum praxim et bona opera augent, et ita ad vitam æternam disponuntur, ubi Deum perpetuo videbunt atque diligent : " Hæc est autem vita ætema ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum " 3. — Merito igitur ait 5. *Thomas'* : "Si consideremus materialiter ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem ".

Deus autem præcipue revelatur *in Christo et per Christum ;* Dei enim attributa ejusque vita intima et supematurales cum creaturis relationes nobis manifestata sunt in Verbo Incarnato : ita ex eo quod Christus sit vere Filius Dei, novimus Deum vere ésse Patrem ; et ex eo quod conceptus fuerit virtute Spiritus Sancti, novimus Trinitatem personarum in Deo. Insuper Christus, qui tanquam Verbum secreta Patris apprime cognoscebat, eadem nobis manifestavit : "Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare " s. Christus igitur est,

* *Sum. theol-,* & 2æ, q. I. — 3 *Joan.,* X, io. — * *Joan.,* XVII, 3.
4 *Sum. theol.,* 2. 2., q. I, a- I· — 5 *Matth.,* XI, 27.

post Deum, principale fidei objectum, simulque scala qua ad ipsum Deum pertingimus.

(B) Inter revelata, alia ad *adificationem* spectant, alia revelantur per *concomitantium.* Ita, cuin *L. Billot,* triplicis generis distingui potest objectum fidei nostræ : 1) objectum *primarium,* scilicet Deus ipse; 2) objectum *secundarium,* nempe veritates de *fide* et *moribus* quæ ad ædificationem christianæ doctrinæ et sanctificationem nostram pertinent; 3) objectum *accidentale,* quod *concomitanter* tantum revelatur, v. g., patriarcharum genealogiæ, necnon quædam facta historica nuæ *ex se* nullam connectionem habent cum Christiana ædificationr.

II. De modo quo veritas flt objectum fldei.

176. Hic expendere oportet *quomodo* veritas revelari debeat ut sit fidei objectum. Hic agitur de revelatione *proprie dicta,* non autem de *sensu religioso* seu *voce conscientia* quam advocant *Liberales* et *Modernisiez z.* *Quaestio* est utrum nempe ad fidem requiratur revelatio *immediata* an sufficiat *mediata;* — utrum requiratur *formalis* an sufficiat *virtualis;* quid requiratur ut aliqua veritas sit objectum fidei *catholica?* — utrum requiratur *publica* an sufficiat *privata.*

177. Revelationem *mediatam* plane ad fidem sufficere, nec requiri privatam revelationem cuique factam, constat non solum ex iis quæ diximus de possibilitate et convenientia mediatæ revelationis *{De Relig.,* n. 199-201), sed etiam ex toto Tractatu *de Ecclesia,* ubi probavimus infallibilem auctoritatem a Christo institutam esse ad proponendas authentice singulis hominibus veritates revelatas. Fides igitur est plerumque *ex auditu* seu ex externa prædicatione verbi divini; in casibus tamen extraordinariis, ex interna seu immediata illuminatione concipi potest.

Manet ergo dicendum i° de veritatibus *formaliter* revelatis ; 2° de *virtualiter* revelatis ; 30 de requisitis ut aliqua veritas sit objectum fidei *divino-catholica;* 40 de *privatis* revelationibus.

i° De veritatibus formaliter revelatis.

178. i Praenotanda. (A) Sedulo distinguenda est veritas *formaliter* revelata ab ea quæ *virtualiter* tantum revela-

l Quod jam exposuimus *De Relig.,* n. 187, ed. 1925.

tur (a) Veritas formaliter seii in se revelata dicitur id quod significatur *directe vi terminorum* juxta sensum a loquente intentum et verbis manifestatum ; sic, v. g., quando dicitur : "Verbum caro factum est", formaliter Incarnatio Verbi revelatur, (b) Veritas virtualiter seu in alia revelata ea est quæ non directe in se revelatur, sed ex alia propositione formaliter revelata, *vere deducitur :* in qua conti-

tanquam in principio, causa vel radice, ut infra fusius irabitur, n. 188.

9. (B) Iterum veritas *formaliter* revelata potest revelari explicite aut implicite : (a) *explicite* quando *propriis* aut *cequivalentibus* terminis\a Deo enuntiatur : sic divinitas Verbi formaliter-explicite continetur his verbis : " In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et *Deus erat Verbum* " 2 : (b) *implicite,* quando *continetur formaliter in veritate explicite revelata,* sicut continetur propositio particularis in universali, aut pars in toto, prout infra declaratur, n. 181. Ita, si revelatur Christum esse hominem, eo ipso implicite revelatur eum constare *corpore* et *anima,* quibus constituitur homo.

Hæc autem enuntiari potest *clare,* ita ut ab omnibus statim intelligi valeat, vel *obscure,* ita ut non appareat nisi per accuratam analysim, vel decursu temporum.

180. 2° Asserta. (A) *Certum est omnes veritates formaliter-explicite revelatas esse objectum fidei divince.* Illud enim est objectum fidei divinæ quod a Deo proprie dicitur ideoque *propter ejus auctoritatem* creditur, ut patet ex dictis de motivo fidei ; atqui ita est de propositione formaliter-explicite revelata, cum a Deo propriis terminis proferatur et propter ipsius auctoritatem credatur.

Quando explicite revelatur propositio, *explicite* revelantur omnes veritates quæ sunt seu *substantialiter eumdem sensum* habent ac propositio-4upïÇiteXe^lata?v. g., si dicitur "Verbum *caro* factum est" 3, 'expUeUe tevelatur \rerbum *hominem* factum fuisse, quia ex contextu *caro* idem significat ac *homo.*

1 Circa, hanc distinctionem modus loquendi theologorum non est omnino idem ; sedulo igitur perpendi debent definitiones a variis scholis date, quales traduntur el explicantur apud Schultes, *op. cit.,* p. 106-115, 166-179.

•*Joan.,* I, i. — 3*Joan.,* I, i

181.(B) *Certum est pariter veritates formaliter-implicite revelatas esse quoad se objectum fidei,* excepto forsan casu speciali infra explicando, n. 184. Etenim illud est objectum fidei quod cadit sub testimonio Dei revelantis ; atqui ita est de veritatibus formaliter-implicite revelatis, quippe quæ a Deo proponantur non quidem ipsis terminis, sed *quoad sensum,* quatenus *in aliis* explicite revelatis *continentur.* Deus enim loquitur more humano, et ejus verba ex communi sensu hominum sunt interpretanda ; vult igitur nobis manifestare omnem veritatem quæ, quoad sensum, eadem est ac ea quam expresse revelavit aut formaliter sub ea comprehenditur.

182. Quod quidem melius patebit percurrendo praecipuos casus in quibus aliqua veritas implicite revelata dicitur.

(a) Si duo termini sunt *correlativi,* uno revelato, alter eo ipso revelatur; v. g., quando Deus Messiam sic alloquitur : " Filius meus es tu " x, implicite revelat se esse ejus Patrem, quia termini *filius* et *pater* sunt *correlativi,* ita ut unus non possit sine alio revelari.

(b) Revelata una e duabus *contradictoriis,* eo ipso damnatur altera, et vice versa; ita si revelatur insipiens esse in corde suo dicere : " non est Deus "2, implicite declaratur sapiens esse Dei existentiam agnoscere; nam duæ contradictoriæ non possunt esse simul falsae, proindeque qui revelat unam e contradictoriis esse falsam, eo ipso declarat alteram veram esse; pariter si revelatur *tres* tantum esse in Deo personas, eo ipso *quarta* excluditur.

(c) Quando explicite revelatur *totum actuale,* id est *in se* habens partes actu existentes, eo ipso implicite revelantur omnes partes ejus *essentiales,* nam totum nec esse nec concipi potest sine hujusmodi partibus; sic Deus revelando Christum esse hominem, *implicite* declarat eum corpore et anima constitui, cum hæ sint essentiales hominis partes. Idem vero dici nequit de partibus *accidentalibus,* sine quibus totum existere potest.

(d) Posita revelatione *totius potentialis,* quod habet *sub se* partes subjectivas, qualia sunt genus respectu specierum, species respectu individuorum, propositiones universales respectu singularium, *implicite* revelantur omnes partes quæ *essentialiter* in eo continentur; sic, v. g., revelata universali propositione "omnes homines resurgent ", implicite declaratur Petrum esse resurrecturum.

183.(C) Quando *duceprczmissce* alicujus syllogismi *explicite revelantur, implicite revelatur conclusio* quæ ex eis legitime deducitur; nam conclusio in hoc casu solummodo clarius declarat quod jam in praemissis dicitur; v. g., si revelatur omnes Apostolos Spiritum S. accepisse et simul Petrum unum ex Apostolis esse, eo ipso implicite revelatur Petrum accepisse Spiritum Sanctum.

184.(D) Remanet tamen *casus dubius* expendendus : num videlicet propositio particularis in universali contenta, *mediante aliquo facto contingenti,* sit objectum fidei ; v. g., num hæc propositio singularis "Pius XI est infallibilis" contenta in propositione universali " omnis S. Pontifex rite electus est infallibilis ", mediante facto contingenti, nempe facto canonicae electionis, sit de fide?

185.(a) Quidam inter antiquos theologos, v. g., *Bannez, Cajetanus,* negaverunt ; nam, aiebant, ut aliqua propositio sit objectum fidei, necesse est ut sit absolute vera : atqui propositio singularis, de qua agitur, non est absolute vera, cum ejus veritas a facto contingenti pendeat, quod incertum esse potest ; ergo.

186.(b) Hodie autem theologi *communiter* affirmant talem propositionem esse de fi^e, dummodo factum contingens sit *certum* certitudine omne prudens dubium excludente, sed eamdem de fide non esse, si factum contingens sit dubium. Etenim statim ac factum contingens certo constat, eo ipso evidenter apparet propositionem particularem contineri in universali, ac proinde a Deo implicite revelatam fuisse; v. g., in casu allato, statim ac factum canonicæ electionis Pii XI certum evadit ex unanimi consensu Ecclesiae, eo ipso evidenter apparet Pium esse unum ex his legitimis Pontificibus, qui a Christo privilegio infallibilitatis donati sunt Si vero factum contingens non est certum, tunc omnino verificatur ratio a prima opinione allata, scilicet conclusio incerta remanet nec de fide esse potest propositio particularis.

187. *Corollaria :* (a) Hinc, juxta hanc ultimam sententiam, de fide est hæc propositio singularis, aliæque similes : " C. *Vaticanum* est infallibile ", quia certo continentur in propositionibus universalibus revelatis.

(b) Non est vero de fide *quoad no5* 1 Christum esse præsentem

* Aliquid est *de fide quoad se* tantum, quando sufficienter revelatur quin tamen hæc revelatio nobis sufficienter constet ; est vero *defide quoad nos,* quando de revelatione et ejus sensu sufficienter nobis constat.

sub *tali hostia,* quia non absolute constat talem hostiam fuisse valide consecratam ; aut *hunc puerulum* neo-baptizatum esse in statu gratiae, quia non absolute certum est eum fuisse valide baptizatum, nisi forsan pro sacerdote qui Baptismum ministravit : ipse enim scire potest certitudine omne prudens dubium excludente baptismum rite fuisse collatum.

20 De veritatibus virtualiter revelatis.

188. Definitio. Veritas *virtualiter tantum revelata* seu *conclusio theologica* stricte sumpta definitur : *propositio per verum discursum certo et evidenter deducta e duabus præinissis, quarum una est formaliter revelata et altera naturaliter cognita, nec est aliunde formaliter revelata.* Dicitur :

(a) *Deducta,* id est illata per verum *discursum,* per syllogismum vere *discursivum,* non autem mere expositivum, ita ut *conceptus* in conclusione enuntiatus sit *vere distinctus* a conceptu in revelatione contentus et veluti *sequela* doctrinæ revelatæ. V. g., si dico : "omnes homines resurgent; atqui Petrus est homo; ergo Petrus resurget"; talis syllogismus non est vere deductivus sed solum expositivus, ostendens videlicet propositionem particularem in universali esse contentam. Si autem dico : " Deus reddet unicuique secundum opera sua; atqui Deus non potest ita agere nisi homo sit liber; ergo homo est liber"; hæc propositio est vere conclusio theologica, quia ex præmissa revelata deducitur per discursivum syllogismum, in quo scilicet minor non est mere expositiva, sed continet conceptum distinctum ab eo qui in majori exprimitur '.

(b) *Certo et evidenter,* ut sic theologica conclusio distinguatur a mera hypothesi, vel probabilitate.

(c) *E duabus præmissis,* etc. ; ita theologica conclusio differt a conclusione quæ defluit ex duabus præmissis revelatis, aut a conclusione mere rationali, quæ ex duabus præmissis naturali ratione cognitis deducitur.

(d) *Nec aliunde formaliter revelata.* Aliquando una eademque doctrina revelari potest *formaliter* et *virtualiter :* v. g., Verbi consubstantialitas *formaliter* revelatur in Scriptura, simulque *virtualiter,* quatenus deducitur ex eo quod Verbum sit a Patre genitum. Jamvero si hæc veritas, quatenus deducta, vocari possit conclusio

1 Aliam distinctionem proponit P. Marin-Sola, *{op. cil.,* ch. I-II); si discursus fit per modum *inclusionis,* veritas est vere revelata et definibilis ; si fit per modum *connexionis,* ideoque per transitum ad aliam realitatem distinctam, non est vere revelata. De quo infra, n. 194.

theologica, non est tamen conclusio *mere* et *stricte* theologica, sed nomen nobilius assumens, vocatur formaliter revelata.

Exempla conclusionum theologicarum esse possunt sequentes propositiones : Christus nunquam caruit gratia efficaci; Christus est impeccabilis; Christus etiam ut *hic homo,* dici nequit filius Dei adoptivus; Christi scientia immunis fuit ab errore : hæc enim ex veritate revelata deducuntur, mediante alia non revelata, nec aliunde sunt formaliter revelata.

Hinc una eademque propositio potest esse simul philosophice certa, conclusio theologica, et tandem formaliter revelata; v. g., existentia humanæ libertatis est veritas philosophica, insuper deducitur ex principio revelato " reddet unicuique secundum opera ejus " ac proinde sub hoc respectu est conclusio theologica; et tandem est veritas formaliter revelata, ut constat ex textibus allatis in *Tr. de Act. Humanis.*

189. Quæstio. Num conclusiones theologicæ sint objectum fidei? Controvertitur inter Theologos utrum veritas virtualiter revelata, seu conclusio mere theologica, sit objectum fidei divinae necne, et quidem non tantum *quoad se,* sed etiam *quoad nos.* Tres sunt hac de re opiniones :

190. (A) Juxta J/. *Canum, Vega, Vasquez,* aliosque[a], conclusio theologica est objectum fidei, etiam ante definitionem Ecclesiæ. Addit tamen *Canus* expresse revelata et conclusiones *non eodem modo* ad fidem pertinere ; conclusiones enim nonnisi *mediate* ad fidem spectant, quatenus ex revelatis *necessario colliguntur.* Illud enim, aiunt, est objectum fidei quod est sufficienter revelatum et propter Dei auctoritatem credi potest et debet : atqui ita est de conclusione theologica : (a) *sufficienter revelatur,* quia Deus, utpote cognoscens *necessariam connexionem* inter præmissam revelatam et conclusionem, non potest unam revelare quin alteram revelet; (b) aliunde *credi potest et debet* propter auctoritatem Dei, quia quando Deus revelat aliquam propositionem, eo ipso vult nos credere quidquid cum ea necessario connectitur. Unde negans conclusionem videtur negare ipsam praemissam revelatam.

Cui sententiæ affinis est opinio quam propugnat *M. Tuyaerts*[3], nempe omnia cum revelatione connexa ut de fide definiri posse tanquam sufficienter revelata.

[1] *Matth.,* XVI, 27.
[2] Cf. Melch. Cano, *De locis theol.,* lib. VI, c. 8, ad io; Vega, *in Trident* IX, c. 39; Vasquez, I p., disp. 5,
[3] *L'Evolution du dogme,* Louvain, 1919.

191. (B) Alii, ut *Suarez* et *Lugo,*[1] distinguunt : tenent theologicas conclusiones non esse quidem fidei objectum *ante definitionem* Ecclesiæ, bene vero *post* hanc *definitionem.*

(a) Priorem partem thesis ita probant : 1) illud non est objectum fidei divinae quod credi nequit *unice* propter auctom Dei revelantis; atqui conclusio theologica credi quit *unice* propter auctoritatem Dei revelantis, quia crertim quidem propter ejus testimonium, sed partim etia propter evidentiam naturalem unius e praemissis ex qujbus deducitur et propter consequentiam syllogismi ; ergo n propter solam Dei auctoritatem.

2) Ut aliquid sit objectum fidei, necesse est ut credatur prppter auctoritatem Dei, ideoque ut Deus intendat illud bis revelare, et hæc intentio certo constet; atqui neutrum 'existit in praesenti casu; nam, etsi theologica conclusio connexa est^ cum praemissa revelata, ab ea tamen distinguitur réalité c proinde Deus unam revelare potest quin eo ipso al m revelare velit ; quamvis enim ipse cognoscat necesriam connexionem inter utramque, liberum ipsi est unam manifestare et alteram humanae rationis investigationi relinquere; ergo non constat Deum velle tanquam fidei objectum proponere conclusionem mere theologicam. Quare dici nequit eum qui negat conclusionem hujusmodi eo ipso negare praemissam revelatam ; potest enim negare vel praemissam ratione notam vel consequentiam argumenti : porro eutrum a Deo revelatum est. Ergo conclusio theologica on est objectum fidei ante Ecclesiae definitionem.

(b) Posteriorem partem sic demonstrare nititur : 1) *Suarez :* Deus ipse testificatur et sua auctoritate firmat quidquid ab Ecclesia definitur, juxta illud : " Ille (Spiritus S.) vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque ixero vobis " [2] Atqui, ex hypothesi, conclusio theologica fuit ab Ecclesia definita; ergo cadit sub auctoritate Dei, et t objectum fidei divinae.

2) *Lugo* paulo aliter suum argumentum exponit : de fide est, inquit, omne quod ab Ecclesia definitur esse infallibi-

[1] Cf. Suarez, *de Fide,* disp. III, sect. XI; de Lugo, disp. I, n. 268-277.
[2] *Joan.,* XIV, 26.

liter verum; atqui conclusio theologica de qua agitur, fuit ab Ecclesia definita : ergo de fide est illam conclusionem esse veram ac proinde objectum fidei divinæ.

192. (C) *Thomistarum sententia,* (a) Primum quidem præfatas opiniones ita confutant. Ostendunt : i) *Suaresium* duas res plane distinctas omnino confundere, nempe inspirationem et assistentiam divinam. Ecclesia quidem *assistentis* privilegio gaudet, proindeque errare nequit, sed *non inspiratur* a Deo tanquam auctor sacer; atqui hæc assistentia non efficit ut objectum sit revelatum, sed ut Ecclesia errare nequeat circa veritates cum revelatione connexas. — Reapse Ecclesia aliquam veritatem duplici modo proponit, uno modo declarando eam fuisse a Deo revelatam, et hæc est objectum fidei divinæ; altero modo declarando eam esse simpliciter veram, vel connexam cum alia veritate^ revelata, et hæc certa est, immo objectum fidei *ecclesiastics;** sed non est objectum fidei divinæ.

Exinde sequitur argumentum *Lugonis* non valere; ex eo enim sequitur tantum id quod ab Ecclesia definitur esse *verum.* non autem proprie objectum *fidei divins, cum* non definiatur ut revelatum, sed esse tantum objectum fidei *ecclesiastics.*

(b) Insuper addunt : Ecclesia nova non condit dogmata, sed solum explicat et proponit fidei nostræ veritates jam in se revelatas; atqui Ecclesia nova conderet dogmata, si per aliquam definitionem de fide faceret quod antea divinæ fidei non erat objectum ; ergo definire nequit conclusiones stricte theologicas ut objectum fidei divinæ.

193. (c) Docent itaque conclusiones *proprie theologicas*, eas nempe quæ *virtualiter* tantum revelantur et *discursu proprie dicto* deducuntur, non esse vere revelatas quoad nos, nec posse definiri tanquam ad fidem spectantes; conclusiones autem quæ *discursu improprie dicto* e veritatibus revelatis colliguntur esse sufficienter revelatas et ab Ecclesia definibiles.

i) Præfatas conclusiones non esse objectum fidei *ante Ecclesis definitionem* iisdem fere probant argumentis ac

* Fides ecdesixstica dicitur assensus propter infallibilem Ecclesiæ auctoritatem præstitus iis veritatibus quæ, etsi non revelatæ, cum revelatis connectuntur.

Suarez, n. 191.— Easdem *non esse definibiles abjEcclesia* probant confutando argumenta Suarezii et Lugo n. 192.

2) Adsunt tamen conclusiones theologicae quæ ex veritatibus revelatis colliguntur discursu *improprie dicio,* quæ nempe*formaliter-implicite* in Scriptura aut Traditione continentur, etsi *obscure.* Antequam clare et evidenter constet eas ita in deposito revelationis contineri, multæ præcedunt disquisitiones multique discursus. Statim ac res certo elucidatur, hæc conclusio definibilis est Ita, v. g., Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis primum habita est tanquam conclusio ex dignitate et sanctitate Matris Dei deducta; postea vero perspectum est eamdem veritatem implicite contineri in traditione et in verbis Evangelii *"gratiaplena";* et, accedente Pii IX sollemni definitione, hæc veritas de fide catholica evasit.

194. (D) Inter recentiores Thomistas; *P. Marin-Solf* specialem opinionem acute et erudite prèponit[1]. Distinguit enim duplicem discursum, unum *inclusivum,* quo transitus fit de una veritate ad aliam per *metaphysicam explicationem* prioris ; alterum *mere connexivum,* quo fit transitus ad realitatem a priore distinctam. Jamvero, inquit, discursus *metaphysicus* est vere inclusivus, ideoque conclusiones theologicæ a revelatis deductæ principii metaphysici ope, etsi virtualiter tantum revelatæ, vere includuntur in revelatione ac *definiripossunt* ab Ecclesia. Ita ex eo quod revelatur Christum esse *hominem integrum etperfectum* merito deducitur *inclusivo syllogismo* eum præditum esse intellectu et voluntate, sensibus internis et externis, appetitu sensibili et irascibili necnon passionibus : hæ enim veritates includuntur in idea hominis integri et perfecti. Possunt quidem hæ conclusiones in mente quorumdam obscurari, ita ut V nonnisi post multos discursus clare constet eas in revelatis includi; sed quando res elucidata fuit, Ecclesia eam definire potest tanquam a nobis credendam^

195. Conclusiones. Patres Concilii *Vaticani* hanc quæstionem obiter attigerunt, eamque definire noluerunt :

1 *Z'Evolution homogène du dogme catholique,* ch. I-II. Ejus theoriae assensum præbuit P. Gardeil, *Rev. des Sc. Phil, et Thiol.,* 1924, p. 582.

quisque igitur in suo sensu abundet. — Attamen (a) non datur stricta obligatio credendi tanquam *objectumfidei divina* conclusiones theologicas, antequam ab Ecclesia definiantur; qui tales conclusiones negat, errat tamen, et propositio quæ directe opponitur conclusioni theologicae merito *erronea* vocatur (infra, n. 200).

(b) Quando Ecclesia definit aliquam theologicam conclusionem ut *veram,* hæc, stricte loquendo, *non fit objectum fidei divina,* et qui hanc negat non est proprie loquendo haereticus; sed merito vocatur *præsumptive hcereticus,* quia praesumitur negare infallibilem Ecclesiæ auctoritatem eamdem definientis.

(c) Aliquando contingit ut veritas, quæ primum tanquam virtualiter revelata habita fuerat, postea, re melius perpensa, formaliter implicite revelata appareat. Tunc nil prohibet quin, accedente Ecclesiæ definitione, fiat objectum fidei catholicæ. Ita, v. g.,existentia Purgatorii primum quidem a Patribus deducta est ex praxi pro defunctis orandi; sed post longas disputationes clare apparuit eam vere *inchidi* in hac praxi revelata, ideoque formaliter-implicite revelatam esse.

(d) Unde *in praxi,* quando Ecclesia aliquam veritatem definit tanquam *defide credendam,* quæ antea tanquam virtualiter revelata censebatur, omnes eam credere tenentur : id patet juxta sententiam Suarezii et Lugonis; id pariter concedunt Thomistæ, quia tunc agnoscent hanc veritatem, quam tantummodo virtualiter revelatam esse putabant, de facto formaliter-implicite revelatam fuisse.

3° De objecto materiali fidei divino-catholicæ.

Cum ad fidem *catholicam* non sufficiat revelatio divina, sed *authentica Ecclesice definitio* insuper requiratur, hujus notio declaranda est; *postea* de propositionibus agemus quæ *fidei catholicæ* plus minusve *adversantur* quatenus *censuris theologicis* plectuntur.

196. Notio veritatis fidei catholicæ. Ut aliqua veritas sit objectum fidei catholicæ, duæ conditiones requiruntur et sufficiunt : ut in verbo Dei scripto vel tradito contineatur sensu supra explicato, et ab Ecclesia tanquam

revelata proponatur sive *sollemni* sive *ordinario* et u/fiversali magisterio. Hæc sunt enim verba *C. Vaticanif* " Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive *sollemni judicio,* sive *ordinario* et *universali magisterio,* tanquàm divinitus revelata credenda proponuntur ".

(A) Jam vero sub nomine *sollemnis judicii* veniunt : (a) *Definitiones dogmatica* Conciliorum œcumenicorum vel Rom. Pontificum, aut etiam Conciliorum particularium quæ a SS. Pontificibus in forma sollemni approbatæ sunt vel ab universali Ecclesia receptae, prout declaratum est in Tr. de *Fontibus Revel.,* n. 956-961.

(b) *Symbola et professiones fidei* ab Ecclesia edita vel approbata *(De Font. Revel.,* η. 962-967).

197. (B) Sub nomine autem *ordinarii et universalis magisterii* includuntur *(De Font. Revel.,* η. 968-981)!

(a) *Consensus morahter unanimis Patrum aut theologorum.* quando, *ut divinæ traditionis testes,* indubitanter asserunt tale vel tale dogma esse a Deo revelatum.

(b) *Prcedicatio moraliter unanimis Episcoporum* quando aliquam doctrinam de fide credendam clare proponunt.

(C) *Communisfidelium sensus,* quando clare et certo fertur circa res alicujus momenti quæ ad fidem spectant et unanimiter tenet eas esse de fide credendas.

(d) *Praxis universalis Ecclesice cum dogmate connexa,* quando scilicet Ecclesia in sua liturgia, aut publica sacramentorum administratione, expresse docet aut manifeste supponit existentiam alicujus dogmatis; v. g., existentia angelorum custodum clare proponitur fidei nostræ per festum in eorum honorem institutum.

(θ) *Definitio implicita,* quæ, juxta communem sententiam theologorum, existit pro omnibus veritatibus quæ in *Scriptura* aut *Traditione* ita clare continentur, ut ab *omnibus primo intuitu* tanquam *revelatce* percipiantur, v. g., nativitas Christi in Bethlehem. Ratio est quia quando Ecclesia Scripturam et Traditionem nobis tanquam verbum Dei exhibet, implicite fidei nostræ proponit quæ in eisdem clare et manifeste continentur. — Id tamen negant pauci theo

logi, tum propter difficultatem practicam discernendi quid in Scriptura dilucide contineatur, tum quia Ecclesiæ prædicatio, non Scriptura, est proxima fidei regula.

198. De propositionibus fidei catholicae oppositis et de censuris theologicis x. Quando propositiones directe et immediate adversantur fidei catholicae, dicuntur *hæreticæ;* si indirecte tantum plus minusve ab ea deflectunt, aliis *notis* seu *censuris* inuruntur : de quibus pauca attingemus.

(A) Censurarum notio, (a) Duplex distinguitur censura : *ecclesiastica,* quæ *personas* directe afficit, et *theologica,* quæ directe ad *doctrinas* refertur, et communiter definitur : *judicium,* seu *sententia, qua nota prava et maligna cuidam*

) Censura autem *theologica* dividitur in *doctrinalem* et *judicialem :* prior a theologis fertur, et solum vim habet judicii a peritis prolati; hoc munus olim sacræ Universitatum facultates, sub directione magisterii ecclesiastici, exercuerunt, et quidem utilissime contra novos serpentes errores 13 Prohibetur autem ne privati theologi opinionibus, quæ libere in scholis propugnantur, ullam inurant censuram; nam, ut merito ait *Suarez* 3, " tales censuræ sine delectu prolatæ scandalum generant, et injuriosæ sunt, quia et infamiam inurunt, et interdum inducunt alia incommoda et detrimenta ".

Posterior a legitima auctoritate fertur, quæ si de censura *universali* et *infallibili* agitur, non competit nisi Romano Pontifici *ex cathedra* loquenti et generali Concilio. Sed

1 Antonius Panormitanus, *Scrutinium doctrinarum qualifcandis assertionibus, thesibus atque libris conducentium,* Romæ, 1709; Viva, S. J., *Damnatarum thesium theologica trutina,* Paduae, 1737; Cl. Montagne, *De censuris seu notis theologicis (Migne, Theol. Cursus,* I, im-1222) ; H. Quilliet, in *Diet, de Thiol. (Mangenot),* L II, 2101.

3 Ita Universitates *Parisiensts, Coloniensis, Lovaniensis* censuris plexerunt errores Lutheri, ut videre est ap. Du Plessis d'Argentré, *Collectio judiciorum de navis erroribus,* t. I, 358.

3 *De Fide,* disp. XIX, sect. II, n. 21. Cf. decretum *Innoc. XI,* 2 mart. 1676 apud Denzing.-Bann., 1216. Haec pariter attendantur quæ recte scripsit P. de Smet, S. J., *Des devoirs des écrivains catholiques dans les controverses contemporaines,* in periodico *Annales de Philosophie chrétienne,* avril 1886, p. 35.

insuper S. Pontifex potest, etiam quando *non loquitur ex cathedra,* damnare propositiones, et his censuris debetur assensus internus prudentialis, ut declaravimus in *Tr. de Ecclesia,* n. 844 sq. Quod etiam praestare potest per Romanas Congregationes, ibid., n. 845 sq. — Episcopi possunt quidem in propria dioecesi censuras ferre, non autem infallibiles.

(c) Duplici modo possunt illae censurae ferri : propositiones singillatim referendo *singulisque* debitam apponendo censuram, vel propositiones sigillatim referendo easque *in globo* condemnando, asserendo videlicet notas quasdam, in unum congestas, propositionibus respective convenire.

199.(B) De praecipuis censuris in specie. Inter varias censuras, aliae directe *ipsam doctrinam* propositionum attingunt, aliae *modum* quo propositiones exprimuntur, aliae tandem *effectus* quos propositiones producere possunt.

(a) Inter censuras quæ *doctrinam ipsam* afficiunt, praecipuae ita declarari possunt :

1) *Hæretica* ea est propositio quæ directe et immediate opponitur, sive contrarie sive contradictorie, veritati fidei catholicae. Sit igitur haec propositio de fide catholica " omnes homines resurgent "; *contraria* propositio " nullus homo resurget ", et *contradictoria* " aliquis homo non resurget " sunt haereticae, quia in utroque casu directe et immediate negatur quod de fide catholica tenendum est. Si vero aliqua propositio ut haeretica damnatur, contradictoria quidem, non autem contraria, de fide catholica erit, quia, juxta logicae leges, duae contradictoriae nequeunt esse simul falsae, dum e contra duae contrariae possunt esse simul falsae.

200. 2) *Proxima haresi* dicitur ea propositio quæ opponitur veritati ex *communi* consensu theologOruni, paucis tamen dissentientibus, de fide tenendæ, vel contradicit veritati non adhuc definite sed prope definibili, ut si quis Immaculatum B. Virginis Conceptumnegavisset paucis annis antequam definitus fuerit.

3) *sapient hæresinfi*est propositio æquivoca, sensum catholicum et haereticum admittens, ita tamen ut, ratione circumstantiarum, sensus pravus praevaleat : v. g., " *unus de Trinitate passus est", "fidesjustificat ".*

4) *Erronea* autem dicitur ea propositio quæ directe alicui conclusioni theologicae opponitur, seu veritati virtualiter tantum revelate:

sicut erronea damnata fuit a *Pio VI* propositio asserens Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae dioecesis [*] — Ex dictis supra inferri potest quid sit propositio *errori proxima* aut *errorem sapiens.*

5) *Temeraria Positive* ea propositio dicitur quæ doctrinæ communiter in Ecclesia receptæ adversatur, nec aliunde ulla ratione vere probabili innititur; sic v. g., ut temeraria damnata fuit a *Pio VI* propositio rejiciens doctrinam de limbo puerorum velut fabulam pelagianam; *negative temeraria* est propositio quæ, sine ullo probabili fundamento, aliquid asserit in rebus theologicis, ut si quis contendat alium, præter B. Virginem, a peccato originali immunem fuisse.

201. (b) Censura quæ *modum* attingunt quo propositiones exprimuntur, hæ sunt : *aquivoca, ambigua, præsumptuosa, captiosa, suspecta,* etc.; sed prasertim *male sonans* vel *piarum aurium offensiva,* ea nempe quæ, licet in bonum sensum exponi queat, nihilominus ex circumstantiis malum sensum præ se fert, qui pias aures offendit; sic ab *Alexandro VIII* hac ratione damnata est propositio : "confessiones, apud religiosos factæ, pleraque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ " '.

202. (c) Censura quæ feruntur propter *malos effectus* quos propositiones producere possunt, hæ sunt prasertim :

1) *Scandalosa* vocatur propositio quæ proximo occasionem ruinæ spiritualis prabet, sive inclinando ad peccata, sive a virtutibus avertendo, v. g. : "Si Deus pravidit vos esse damnandos, quidquid feceritis, in peccato vestro moriemini

2) *Schismatica* ea est propositio quæ unitati Ecclesiæ adversatur viamque scissioni parat; quando negat R. Pontificem suprema potestate gaudere, *hczretico-schismatica* vocatur, utpote hæresim continens; quando solum obedientiam R. Pontifici detrectaζ simpliciter schismatica dicitur.

3) *Seditiosa* ea est quæ ad tumultus in republica excitandos tendit : v. g. : " Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere ".

4) *Non tuta* ea dicitur quæ, attentis omnibus, propugnari nequit, quia periculosa videtur : hoc modo damnatæ sunt a S. *Offic.* propositiones septem ad Ontologismum pertinentes (18 Sept. 1861)3, item quatuor dogma transsubstantiationis spectantes (7 Jul. 1875)4.

• D. B., 1506. — ' D. B., 1310. — 3 D. B., 1659.
4 D. B., 1843.

4° De revelationibus privatis'.

203. Hucusque de revelatione *publica* diximus, quæ *per se* et directe *ad utilitatem totius Ecclesia* tendit; pauca de *revelationibus privatis* addenda sunt, quæ non ad universam Ecclesiam, sed ad *homines privatos diriguntur, propter eorum vel aliorum utilitatem, \icet indirecte* in bonum totius Ecclesiæ cedere possint; ita revelatio devotionis erga Cor SS. Jesu, S. Margaritæ Alacoque facta, etsi *privata,* multum sane toti Ecclesiæ profuit. Inquiremus : i° num sint credibiles; 20 num credendæ; 30 qualis auctoritas approbatis revelationibus accedat.

204. i0 *Revelationes privata possunt esse objectum fidei divina, et credi eadem virtute fidei qua credimus veritates publice revelatas.* Ita communiter contra quosdam, præsertim *Salmanticenses* a, asserentes assensum eis præstitum non ex fide oriri, sed ex alio lumine vel prophetiae vel discretionis spirituum.

(A) Auctor *ep. ad Hebraos* laudat fidem Noe, qui, Deo jubente, arcam exstruxerat, fidem Abrahæ, qui "obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem", fidem Saræ etc. 3, et quia hæc in principio tarda fuit in credendo, reprehenditur·*, sicut et reprehensus est Zacharias s. Atqui in his omnibus casibus assensus praebebatur revelationibus privatim factis; ergo tales revelationes possunt esse objectum fidei vere divinae.

(B) *Tridentinum* 6 declarat nonnisi *ex speciali revelatione* sciri posse quod Deus sibi elegerit, et conferendo hanc declarationem cum can. 15 : "Si quis dixerit hominem renatum... teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero praedestinatorum; A. S.", innuitur mentem *Tridentini* esse hoc ex speciali seu privata revelatione credi posse.

(C) Id omne est objectum fidei divinæ quod propter solam Dei auctoritatem creditur; atqui veritas privatim, aeque ac publice revelata, propter solam auctoritatem Dei revelantis creditur; ergo.

205. 20 *Revelationes privata, qua certo constant, credi debent ab eis quibus fiunt, aut ab eis propter quos fiunt,* et ad quos diriguntur; *credi autem possunt ab eis ad quos non diriguntur,* dummodo tamen *sufficientibus argumentis proponantur.* Etenim illud credere debemus quod certo moraliter scimus a Deo revelari, propter obedien-

1 Cf. Suarez, *de Fide,* disp. III, sect. 10; Salmantic., *de Fide,* disp. I, n. 134 sq.; Lugo, *op. cit.,* disp. I, n. 225 sq.

' Salmant., disp. I, dub. *4,* n. 104.

3 *Hebr.,* XI, 7-12. — * *Gen.,* XVIII, 13. — 5 *Luc.,* I, 20.

4 Sess. VI, cap. 12; D. B., 805, 825.

tiam Dei auctoritati debitam ; atqui, quando revelatio etiam privata nobis cum sufficientibus argumentis, v. g., miraculis, proponitur, certo moraliter scimus illud a Deo revelari ; ergo.

Raro autem evenit ut privatæ revelationes cum certitudine vera, etiam morali, probari valeant. Ut de his judicium ferri possit, hæc præsertim attendantur.

200. (A) Ex parte *materia,* si res revelata cum sacris Litteris, apostolicis traditionibus, Ecclesiæ definitionibus aut bonis moribus non consentit, manifesta est deceptio, nam, ut ait S. *Paulus* l.· " Licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit ". Idem dic, si unanimi Patrum et theologorum aut communi Ecclesiæ sensui opponitur; si vero sit contra communem theologorum sententiam, suspecta est et severe examinanda. Iterum si revelatio vel mala suadet, vel majus bonum impedit, vel bonis mala miscet, a Deo non est; si circa vana, inutilia et frivola versatur, valde suspecta est. Si revelationes sunt inter se contradictoriæ, prout de facto sunt nonnullæ circa passionem Christi, pro divinis haberi nequeunt, saltem omnes.

207. (B) Ex parte *persona,* si persona, cui fit revelatio, sit virtutibus, maxime *humilitate* et *obedientia* ornata, si a peccatis etiam levioribus abhorreat, si visiones non desideraverit, si sit sana mente et recte judicandi facultate prædita, si imaginationi non nimis indulgeat, si nullo morbo præsertim nervoso laboret, ejus testimonium accipi potest.

208. (C) Ex parte *effectuum,* revelatio divina non erit, si ad aliquid indecens vel impudicum excitet, vel superbiam foveat, si animam inquietam relinquat et ad mortificationem non inclinet, si revelationis subjectum de ea facile loquatur et glorietur : hæc enim omnia spiritui Dei contraria sunt. Caveant igitur animarum directores ne cito revelationibus credant, et a piis feminis decipiantur !l

209. 30 Quando Ecclesia privatas revelationes approbavit, v. g., revelationes *B. Hildegardis, S. Birgitta, S. Catharina Senensis, S. Teresia,* " sciendum est approbationem istam nihil aliud esse quam *permissionem* ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem post maturum examen : siquidem hisce revelationibus taliter approbatis licet *non debeatur necpossit adhiberi assensusfidei catholica, debetur tamen assensusfidei humana* juxta prudentiæ regulas,

* *Galat.,* I, 8.

' Regulas hic breviter indicatas evolutas invenies apud Benedict XIV, *de Canon. Sanet.,* l. II, cap. 32; lib. III, cap. ult; Schram, *Institut, theol. mystica,* part. II, cap. 4 ; Ribet, *La Mystique divine,* t. II, c. XVI ; Poulain *Les Grâces d'oraison,* ch. XX-XXIII.

juxta quas nempe tales revelationes sunt *probabiles* et pie credibiles " '. Ex hac igitur approbatione concludi nequit illas revelationes genuinas et veras esse, sed solum probabiles; possunt tamen pie et prudenter accipi et a fidelibus ad aedificationem legi, nec licet eas contemnere ; non possunt autem in probationem alicujus theologicæ thesis ut *certum* argumentum adduci.

§ II. De natura seu valore dogmatum FIDEI[2].

Veritates fidei catholicæ, de quibus egimus, sæpe *dogmata* vocantur : de quorum natura seu valore accurate disserendum est, cum *Liberales* et *Modernisiez* hanc notionem omnino corruperint.

Praenotanda.

210. i° Variæ acceptiones vocabuli dogmatis[3]. *Dogma* (gr. δόγμα, a verbo δοκεω) quinque praecipue significat : (a) *opinionem* cui firma præbetur adhæsio[4]; (b) *decretum* seu *legem* cui sedulo parendum est[5] : quo sensu leges ab Apostolis latæ in concilio *Hierosolymitano* vocantur δόγματα[6]; (c) omnes *veritates Christianas* sive speculativas sive practicas[7]; (d) veritates *formaliter revelatas* ideoque ab omnibus firmiter credendas; (e) veritates non solum *reve-*

* Ita Bened. XIV, *op. cit.,* l. II, c. 32, n. n. — Idem dicendum est de apparitionibus et revelationibus quæ contigisse perhibentur in variis locis, v. g., *Lourdes, La Salette.* Respondit enim S. *R. C.* 12 maii 1877, n. 3419, ad 2 : " Ejusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum *permissas* tanquam pie credendas fide solum humana, juxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam ", Quod iterum declaravit Pius X in encycl. *Pascendi.*

* Th. de Régnon, S. J., *Etudes de théol. positive,* Paris, 1892, t. I, p. 1-49; J. Lebretoq, *Dogme et Critique* in *Rev. prat. d'Apol.,* t. IV, 1907, p. 193-221, 527'535; Wehrlé, *De la nature du dogme,* in *Rev. biblique,* Juil. 1905, p. 323 sq.; L. de Grandmaison, in *Etudes,* 1898, t. 76, p. 341 sq., 478 sq., et in *Bulletin de lilt, ecclés.* (Toulouse), Janv. 1906; Portalié, S. J., in *Etudes,* 1905, t. 104, p. 145 sq.; R. Garrigou-Lagrange, *Le sens commun, la philosophie del'être et lesformules dogmatiques,* Paris, 1909, p. H7-2O7;A. Gardeil, *Le Donné révélé et la Théologie,* Paris, 1910, p. 77-150; Allô, *Foi et systèmes,* 1908; Schultes, *op. cit.,* p. 5-45.

3 Dublanchy, in *Diet, de Théol.-Vae. (Mangenol)* voce *Dogme,* 1574; H. Pinard, *Diet. Apologét. (d'Alès)* t. I, 1122.

‹ Epictetus, Dissert. III, c. IX, n. 12

s *Esther,* III, 8, Septuagint. vers. — 6 *Act.,* XVI, 4.

l S. Justinus, *I Apol.,* n. 26, *P. G.,* VI, 369; Clem. Alex., *Strom.,* l. VII,

latas, sed etiam ab Ecclesia tanquam *divinitus revelatas infallibiliter propositas,* n. 196.

Dogma stricto sensu designat *veritatem fidei divina et catholica:. Formula* autem *dogmatica* seu *formulcefidei* sunt expressio seu determinatio doctrinæ revelatæ per scientificos terminos.

Deus siquidem nobis revelavit, præcipue per dilectum Filium suum, quasdam veritates quæ sunt veluti *participatio* infinitæ veritatis quam Ipse ab ætemo in seipso contemplatur. Has autem veritates expressit conceptibus humano ingenio accommodatis. *Dogmata* igitur sunt affirmationes ex humanis notionibus confectæ ad exprimendam cognitionem soli Deo propriam.

211. 20 Hodierni errores de natura et evolutione dogmatum. *Modemista,* vestigiis *Liberalium* inhaerentes, naturam et stabilitatem dogmatis penitus evertere conati sunt. In eo concordant quod, intellectualem agnosticismum et immanentismum plusminusve profitentes, valorem intellectualem dogmatum negant, simulque eorum indefinitam evolutionem propugnant, aliter tamen et aliter.

(A) *Symbolismum,* post A. Sabatier [x], profitentur praecipui Modernistæ, *A. Loisy, G. Tyrrell* et auctores libelli *IIprogramma dei Modernisti*

(a) *Dogmatum natura.* Dogmata fidei, juxta eos, non sunt nisi conceptus mere humani circa res divinas. Tria nempe elementa in dogmate inveniuntur : elementum *religiosum,* a sensu intimo ortum ; — elementum *intellectuale* et philosophicum, procedens ex intellectus attenta cogitatione circa res religiosas ; — elementum *auctoritativum,* quod ex Ecclesiæ definitione provenit : hæc definitio *formulas dogmaticas* constituit. Hinc, ratione *utilitatis,* dogmata multum quidem prosunt ad sensum religiosum excitandum et nutriendum; ratione autem *veritatis,* res divinas non exprimunt ut *in se* sunt, sed tantum modo *symbolico :* non sunt enim veritatis genuina expressio, sed repræsentationes plus minusve symbolicæ.

(b) *Dogmatum evolutio.* Exinde sequitur *formulas dogmaticas,* etiam ab Ecclesia definitas, *vicissitudini* esse obnoxias : hæ enim vitæ evolutionem sequuntur, novisque credentium aspirationibus et cogitationibus indesinenter accommodari debent. Unum est

[1] *Esquisse d'une Philosophie de la Religion.* Cujus systema exposuimus in *Syn. Theol. Fundam.*, 1925, n. 1026, 1033.

[*] Quorum erroros declaravimus ibidem, n. 1030-1041.

quidem elementum immutabile, nempe sensus religiosus; formulæ autem dogmaticæ, cum veritatem absolute non exprimant, immutabiles esse nequeunt, sed perpetua *evolutione* immutantur. Quapropter cum reverentia accipi debent formulæ quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam judicaverit; sed a credente adhibendae sunt quatenus ipsum juverint ad sensum religiosum fovendum. — Ad factum autem quod spectat, hujusmodi formulæ non solum accidentaliter, sed *substantialiter* immutatae sunt, et dantur *alia aliis contradictoria.*

212. (B) *Pragmatisinumt* seu philosophicum systema eorum qui intellectuales notiones interpretantur in ordine ad *actionem,* fidei catholicae accommodare tentavit *E. Le Roy*[1], falso putans ita efficacius solvi hodiernorum difficultates contra dogmata nostra.

(a) Animadvertit imprimis dogmata, si intellectualiter sumuntur, esse *incogitabilia,* quia exprimuntur terminis philosophicis jam obsoletis, qui, si *litteraliter* intelliguntur, anthropomorphismo favent, si vero *symbolice,* in agnosticismum tendunt Quapropter in dogmaticis formulis duplex sensus distingui debet : prior *negativus,* quo damnantur errores ideoque praecluduntur falsæ viæ doctrinam catholicam exponendi; posterior *positivus,* qui non intellectualiter est intelligendus, sed in *ordine ad actionem,* quatenus nobis imponit *modum sentiendi, cogitandi et agendi* relate ad res divinas. Ita dogma praesentiae realis Christi in Eucharistia *negat* hanc praesentiam esse mere symbolicam aut figurativam et insuper *affirmat* fidelem relate ad hostiam consecratam se habere debere sicut ad Christum ipsum visibilem factum [3], Præscribitur quidem talis agendi modus quia sub formulis dogmaticis latent objectivæ realitates huic agendi modo respondentes. Cum autem hae realitates non definiantur, anthropomorphismus vitatur. — Dogmata igitur habent valorem *practicum, negativum, non* autem *positivum.*

(b) Exinde intelligi datur quo sensu evolvantur dogmata : immutabilis est quidem *practica directio* quam tradunt, sed mutabiles omnino sunt cpnceptus intellectuales quibus exprimuntur *.

1 De quo jam egimus in *Syn. Theol. Fund.f* n. 1035.

2 *Dognie et critique.* p. 6-12.

3 *Op. cit.*. p. 26 : " De même encore le dogme de la présence réelle veut dire qu'il faut avoir en face de l'hostie consacrée une attitude identique à celle qu'on aurait en face de Jésus devenu visible

4 u On voit en outre comment les dogmes sont immuables et comment néanmoins il y a une évolution des dogmes. Ce qui est invariant dans un dogme, c'est l'orientation qu'il donne à notre activité pratique, c'est la direction suivant laquelle il infléchit notre conduite. Mais les théories explicatives, les représen-

I. Doctrina catholica proponitur.

213. *Thesis :* Dogmata catholica sunt veritates credendae, quibus exprimuntur res divinæ prout in se sunt, saltem analogice, non autem symbolice aut practice tantum : sunt igitur norma credendi extrinseca.

Certum est ex *Vaticano* aliisque documentis infra allegatis.

214. i° Declaratur, (a) Praenotamus inter veritates credendas quaedam esse *facta historica,* quæ *univoce* et sensu proprio accipi debent, qualia sunt, v. g., Christus natus est ex Maria virgine, passus, crucifixus, mortuus et sepultus, S. Pontifex est infallibilis, etc.; alia autem sensu *metaphorico,* v. g., *sedet ad dexteram Patris,* i. e., omnipotentia fruitur.

(b) Sed, quando agitur de *mysteriis divinis,* formulæ dogmaticæ *analogice* intelligi debent.

Quod *auctoritate* constat. Id jam notaverant, post S. *Thomam* [1], scholastici theologi de divinis nominibus et attributis agentes, etiam naturali ratione notis. Cum Deus non sit in eodem genere ac creatura, sed omnino *transcendens,* nihil *univoce* de utroque praedicari potest.

Aliunde quæ praedicantur de Deo et creaturis non dicuntur *mere aquiuoce,* quia non intelliguntur sensu prorsus diverso, sed *analogice,* id est secundum *quamdam proportionem :* ita Deus dicitur sapiens, quia in eo invenitur quidquid perfectionis est in humana sapientia, altiori modo, et quidem demptis hujus limitibus et imperfectionibus. Dici autem nequit Deum esse sapientem tantum sensu *negativo,* aut sensu mere *causativo,* quatenus est fons sapientiæ, sed sensu *positivo*

Jamvero idem fere dici potest de *mysteriis* revelatis. Deus ea manifestat per conceptus humanos, e rebus creatis

tâtions intellectuelles changent incessamment au cours des âges selon les individus et les époques, livrées à toutes les fluctuations et à toutes les relativités que manifeste l'histoire de l'esprit humain". *{Dogme et Critique,* p. 33-34).

[1] *Sum. theol.,* I, q. 13, a. 5.

* " Cum igitur dicitur, *Deus est bonus,* non est sensus, Deus est causa bonitatis; vel Deus non est malus. Sed est sensus, id quod bonitatem dicimus in creaturis, præexistit in Deo; et hoc quidem secundum modum altiorem. Unde ex hoc non sequitur quod Deo competat esse bonum, in quantum causât bonitatem; sed potius, e converso, quia est bonus, bonitatem rebus diffundit".

desumptos qui non *univoce* nec *æquivoce,* sed *analogice* intelligi debent.

Quod colligitur e *Vaticano* (sess. III, cap. *4)* : " Ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur tum *ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogia..."* [1]; et insuper ex professione fidei jussu *Pii X* emittenda, profiteri debemus ut ab Ecclesia definitum fidem esse " *verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptæ ex auditu,* quo nempe, quæ a Deo personali, Creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis " [2]

Rem exemplo declaremus : quando revelatur Christum esse vere Filium Dei unigenitum, etsi inter humanam divinamque generationem sint maxima discrimina, adsunt tamen quædam analogiae, v. g., transmissio ejusdem vitae ab uno in alium. — Ita vitatur *anthropomorphismus,* quia a Deo removentur imperfectiones humanæ generationis; et *agnosticismus,* quia hoc conceptu generationis aliquam notionem *positivam,* etsi *inadcequatam,* accipimus relationis inter Patrem et Filium existentis. Non sufficit igitur se gerere erga Filium sicut et erga Patrem, sed credere oportet Deo competere vere paternitatem, etsi altiori modo quam in creaturis.

(c) *Non autem symbolice.* Siquidem notiones divinitus revelatæ non sunt intelligendæ sensu ita diverso a sensu proprio ut inter utrumque nulla sit proportio, sed sensu proportionate ad divinam excellentiam.

(d) *Nec practice tantum.* Fatemur equidem præcipuas veritates fidei *ultimo* revelari ut incitemur ad vitam pie agendam; id autem minime prohibet quin sint veritates ordinis *intellectualis,* quibus primum assentiri debeamus antequam secundum eas vivamus.

215. 2° **Probatur.** (A) *Scriptura. Christus* enim ejusque *discipuli* nobis manifestant *veritates credendas,* quibus exprimuntur res divinæ quales a Filio cognitæ erant, quibusque assensum præbere debemus sub poena damnationis.

(a) *Christus,* seu Filius Dei incarnatus, vere nobis revelavit de Deo quædam secreta quæ ipse accurate novit : " Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius

[1] *D. B.,* 1796. — [2] *D. B.,* 2145.

et cui voluerit Filius revelare...1 Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius (aliter Deus) qui est in sinu Patris, ipse enarravit 2... Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem " 3. Nos igitur *revelationem accipimus* ab Eo qui res divinas *videbat.* Deus igitur vere nobis locutus est non solum in prophetis, sed in dilecto Filio suo 4; dantur itaque veritates e caelo delapsae, quas *ex auditu* discere valemus, quaeque igitur non sunt mera symbola rerum divinarum neque mera agendi regula, sed *norma credendi.*

Etenim praefatis veritatibus *assensum intellectualem* praebere debemus. Christus enim sub pœna damnationis id praecipit : " Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur " 5.

(b) Evangelium autem quod *Apostoli* praedicant, non est quid vagum et symbolicum, aut solum norma agendi directiva, sed complectitur praecipua *facta vita Christi,* præsertim ejus resurrectionem, et *doctrinam* quam ipse *proposuit* sive speculativam sive practicam; Apostoli sese exhibent tanquam *testes* factorum quæ viderunt et *relatores* seu *expositores* doctrinæ quam ab ipso Magistro acceperunt; docentque neminem salvari posse nisi prius *credat* veritates a Christo revelatas : " Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus nos testes sumus...6 7 Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis... 7 Quod vidimus et audivimus, annuntiamus, vobis..."8 — Quam vero fidem necessariam esse ad salutem, ex his aut similibus verbis constat : " Nolite omni spiritui credere... omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est... Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo "9. Teste igitur Joanne, non sufficit

* *Matth.,* XI, 27; cfr. *Luc.,* X, 21-24.
3 *Joan.,* I, 18. — 3 *Joan.,* VI, 45-46. — 4 *Hebr.,* I, 1.
5 *Marc.,* XVI, 15-16.
6 *Ad.,* II, 32; cfr. I, 8; III, 15; X, 39, etc.
7 *II Pdr.,* I, 16. — 8 *IJoan.,* I, 3. — 9 *IJoan.,* IV, 1-3; 15.

diligere Deum, sed necesse est *credere,* contra Gnosticos et Judaizantes, Jesum esse simul hominem et Filium Dei.

Inter Apostolos, *Paulus* maxime hujus fidei necessitatem praedicat. Aperte declarat se nihil *tradere* nisi quod *accepit* a Christo[1]. Jam vero, in plerisque epistolis, *doctrinam* tradit non solum practicam, sed etiam *speculativam;* speculativos Gnosticorum errores confutat eisque opponit Christianam christologiam ; vanas quidem et subtiles quaestiones rejicit, sed doctrinam de necessitate fidei et caritatis, de gratia Dei per Christum concessa, de divinitate Christi ejusque sacerdotio et opere satisfactorio lucide exponit, non symbolice, sed intellectualiter. Quare fidem exhibet ut obsequium *intellectus,* cognitionem imperfectam, per speculum et in aenigmate, sed quæ augeri potest et fieri sapientia, id est, cognitio magis intellectualis[2]

216.(B) Traditione idem constat : — (a) *Ex Patrum doctrina,* qui aperte docent tanquam haereticos ab Ecclesia ejiciendos esse eos qui a doctrina Christi et Apostolorum dissentiunt ; fideles teneri, sub poena damnationis, firmiter et immutabiliter adhaerere dogmatibus Christi et Apostolorum, qualia ab Episcopis et præsertim ab Ecclesia Romana tradita fuerunt[3].

217.(b) *Ex praxi Ecclestce :* i) ex modo instruendi catechumenos ante baptismi susceptionem, qualis in *catechesibus* servatus fuit ; ex *traditione* et *redditione* symboli, quæ ideo fiebat ut catechumeni praecipuorum fidei articulorum claram expositionem cognoscerent, eisque explicite adhaererent[4].

2) Ex *damnatione hæreticorum,* qui ab Ecclesia ejiciuntur, plerumque saltem, non propter eorum agendi rationem, sed quia *sensum traditionalem* dogmatum rejiciebant, v. g., ne-

« *I Cor.,* XV, 1-8; XI, 23.

* *Rom.,* VI, 17; *I Cor.,* II, 6; III; 2; XIII, 12; *II Cor., X, 5; Ephes.,* II, 2; V, 6; *Coloss.,* I, 10; II, 4; VI, 16, etc.

3 Ita, inter alios, S. Ignatius, *Phil.,* VII, VIII, p. 305, 307 ed. Funk; *ad Magn.,* XIII, p. 240; *ad Ephes.,* XVI, p. 227; S. Irenaeus, *Cont. hares.,* l. I, c. 10; l. III, ce. I, 24; *P. G.* VII, 549, 843, 966; Tertul., *Deprascript., cc.* 21, 25, 28, 31, 37; *P. L.,* II, 33, 37, 40» 44, 5°; Clem. Alex., *Strom.,* VII, *P. G.,* IX, 532. — ‹ *D. T. C.,* t II, 1981 sq.

gando veram et integram humanitatem Christi, divinitatem Verbi, ejus consubstantialitatem, aut existentiam duarum naturarum et duarum voluntatum in Christo : ad quos erro-res confutandos, Ecclesia verbis intellectualem sensum exhi-bentibus utebatur, v. g., δαοούσιο , Θεοτόκο , ἐν δύο φύσιν, et e sinu suo ejiciebat eos qui eadem accipere nolebant in sensu definito.

Nec satis erat ea accipere tanquam practicam normam agendi. Nestoriani siquidem fatebantur Christum esse ado-randum, sed quia vocem Θεοτόκο et veram unitatem personæ in Christo rejiciebant, anathemate perculsi sunt, ut constat tum ex actis C. *Ephesini,* tum e canonibus *C. Constantino-politani* /Z, in quibus damnantur " Nestoriani Deum Ver-bum Filium et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, et honorem, et dignita-tem, et adorationem, unam personam, unum Filium, et unum Christum confingunt dicere : sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellec-tuali, secundum compositionem (συνθεσιν) sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt ". Ex quibus similibusque decretis constat Ecclesiam a nobis postulare non solum certam agendi rationem, sed assensum datum propositionibus et verbis quorum sensus clare defi-nitus est (D. B., 216).

218. 3) Ex modo quo *præparantur* et *enuntiantur* for-mulæ dogmaticæ. Quando Ecclesia novas condit fidei formulas, non vacua symbola aut vocabula proponit, sed divinas realitates humanis verbis exprimit, quæ, post lon-gam maturamque investigationem, aptiora judicat ad veri-tatem revelatam exponendam.

Ita v. g., ad perfectam æqualitatem Filii et Patris exprimendam, vocabulum quaerit quo res absque æquivocatione declaretur : plura proponuntur et expenduntur, sed unum eligitur quod præ ceteris hanc æqualitatem enuntiet, nempe ὁμοούσιου ; jamvero ex discussio-nibus quæ definitionem præcesserunt, ex contextu (Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, etc.), ex disputationi-bus multis quæ definitionem subsecutæ sunt, sensus hujus vocabuli clarius determinatur, non solum negativus, sed etiam positivus, nec ut norma tantum agendi, sed tanquam regula cogitandi et credendi.

Porro idem fere dici potest de ceteris dogmatibus, ut ex infra dicendis de quolibet dogmate melius intelligetur.

II. Confutantur symbolismus et pragmatismus.

219. i° Auctoritate, ex damnatione errorum Modernistarum. (a) *Symbolismus* ita damnatur a S. *Officio,* n. 22 dec. *Lamentabili : "* Dogmata quæ Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e cælo delapsae, sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit "[1].

(b) *Pragmatica* vero *dogmatum interpretatio* ita reprobatur, n. 26 : " Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, id est tanquam norma praeceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi"[2].

Utrumque pariter systema late confutatum est in Encycl. *Pascendi* [3], necnon in professione fidei jussu ***Pii X*** emittenda.

220. 20 Ratione theol. (A) *Rejicitur symbolismus.* — 1) Symbolismum *cum fide catholica consistere non posse* non solum ex thesi ipsa jam constat, sed etiam ex iis quæ diximus de *potestate docendi* in *Tr. de Ecclesia,* n. 664 sq. et *de Traditione* in *Tr. de Fontibus Revelationis,* n. 939 sq. Ibi enim probatum est a Christo institutam fuisse *auctoritatem infallibilem* ad *doctrinam* christianam fideliter custodiendam tanquam sacrum depositum, eamque *authentice interpretandam* ac tuendam contra falsas adversariorum interpretationes. Revera per novemdecim sæcula, Ecclesia hoc munus strenue implevit, usque ad sanguinem haereticis resistendo pro tuendo genuino dogmatum sensu, schismata potius patiendo quam dogmaticarum formularum adulterationem. Jamvero si dogmata sunt *mera symbola* ad pietatem fovendam inventa, insulsum est sane eorum litteralem sensum hoc modo propugnare.

2) Neque hujusmodi theoria *sibi constat.* Vult siquidem praecipua ethicae Christianae principia integra servare, simulque eruit fundamenta quibus hæc innituntur. Caritas erga

[1] D. B., 2022. — [2] D. B., 2026. — [3] D. B., n. 2087 sq.

Deum et proximum, æquitas et justitia, modestia, temperantia et castitas, ceteræque virtutes christianæ *tanquam fundamenta prcesupponunt fidem* in Deum omnium hominum Patrem, et in Christum Deum-Hominem, qui pro nobis omnibus passus et mortuus est, necnon in vitam æternam quæ tanquam premium bene agentibus promittitur. Jamvero si hæc omnia sunt vacua symbola, quæ nihil aliud exprimunt nisi aspirationes nostras versus aliquid divinum, cur necesse est seipsum abnegare ad diligendum, non obstantibus passionibus pravisque tendentiis, ens aliquod plus minusve vagum et proximum frequenter nobis infensum? Ad bonum arduum assidue agendum, nonne requiritur auctoritas suprema clare et imperative suam voluntatem manifestans, exemplar virtutis perfectum, sanctio efficax, ut jam probavimus in *Tr. de Vera Religione,* n. 152-160.

221. (B) *Confutatur pragmatismus.* Pragmatismus ab E. Le Roy excogitatus, difficultatem propositam minime solvit. Contendit siquidem dogmata nobis non innotescere nisi in ordine ad actionem et *sub specie actionis.* Actio autem dupliciter intelligi potest : (a) si intelligitur tantum ut *praxis* quædam, v. g., cultus, adoratio, oratio, tunc habetur agnosticismus : siquidem adoramus Deum Trinum, Filium Dei, Eucharistiam, quin tamen sciamus utrum necne Deus sit vera persona, Filius sit proprie a Deo genitus, Christus realiter et substantialiter præsens in Eucharistia; et ita ratio agendi nostra irrationalis est ; utquid enim adoramus Eucharistiam si dubitamus num Christus realiter in ea sit præsens? Irrationalis pariter modus agendi Ecclesiae e sinu suo ejicientis Nestorianos qui adorabant Christum, etsi vocabulum Θεοτόκο rejiciebant, (b) Si, nomine actionis, intelligitur etiam actio cogitandi, ex hoc sequitur nobis præcipi non solum normam agendi, sed *normam cogitandi intellectualiter,* et ita incurritur periculum anthropomorphism!, nisi recurratur ad analogiam, sicut supra exposuimus. Neque in hoc casu ratio manet *autonoma :* suam enim normam cogitandi non ab intrinseco, sed ab extrinseco principio accipit, nempe ab Ecclesia et a Deo.

222. Animadvertimus autem *utrumque errorem falso inniti philosophico fundamento* », nempe veritates religiosas a *sensu religioso* oriri et *intuitu* quodammodo *sensibili* percipi; exinde concludunt Modernistæ religiosas notiones, experientia acquisitas nonnisi singulis individuis prodesse. — Quod quidem omnino falsum est. Veritates enim religiosae, sicut quaelibet aliae, intellectu percipiuntur, ideoque universalem veritatem prae se ferunt quæ ab omnibus percipi et omnibus prodesse potest, ut demonstratur in *Psychologia.*

223. *Solvuntur difficultates,* (a) Notiones humanae, inquiunt Modernistæ, res divinas ne *analogice* quidem exprimere valent; nam inter eas notiones et res divinas nulla datur proportio.

Resp. Nulla est proportio *aqualitatis,* concedo; nulla est proportio *imaginis* et *similitudinis,* nego. Cum enim Deus nos creaverit ad imaginem et similitudinem suam, eo ipso quædam image et similitudo divina nobis inest, vi cujus Deum *analogice* cognoscere valemus.

224. (b) *Instant :* Hæc proportio non est nisi *negativa,* quatenus de Deo negamus limites quæ sunt in creaturis.

Resp. Hæc proportio est simul *negativa,* quatenus Deus est omnino *transcendens;* et *positiva,* quatenus sub negationibus latet notio *vere positiva,* etsi inadæquata. Ita, v. g., intelligere divinum omnino transcendit intelligere nostrum ; attamen ambo in eo concordant quod veritatem percipiunt, etsi non eodem modo, nec eadem perfectione.

225. (c) *Instant iterum :* Notiones humanæ de dogmatibus *philosophicis* terminis exprimuntur; atqui philosophia est essentialiter mutabilis; ergo notiones dogmaticæ pariter mutari debent.

Resp. Distinguo minorem : philosophia est mutabilis in *suis systematibus,* concedo; in *sua substantia,* nego; nam adest *philosophia perennis,* de qua omnes vere sapientes consentiunt, præsertim inter Christianos. Jamvero dogmaticæ expressiones a conciliis adhibitæ mutuantur ab hac perenni philosophia aut saltem juxta hanc intelligendæ sunt. — Tales sunt, v. g., notiones *natura,* et *persona, causa* et *effectus, legis moralis* et *conscientia.* Si vero verbis utitur scholasticis, v. g., *materia* et *forma, substantia* et *accidentibus,* non eo ipso definit in sacramentis esse materiam et formam *sensu proprie scholastico,* sed in eis inveniri duplex elementum, unum quidem *indeterminatum* et *determinabile,* alterum

1 Quod eximie declaratur in Encycl. *Pascendi,* D. B., 2072-2088.

autem *determinans,* ex analogia cum corporibus. — A fortiori quando inter varias scholas catholicas agitantur quæstiones de ipsa essentia personalitatis, Ecclesia nullum systema imponit, sed ea tolerat quæ cum dogmatibus concordant.

Ecclesia itaque suis definitionibus vero dogmatum profectui non obstat, ut mox dicemus, sed obstat ne dogmata falsis philosophi» systematibus adulterentur.

§ III. De incremento dogmatum ».

226. Status quæstionis. i‹› Quo melius doctrinam catholicam statuamus, quædam distinctiones sunt necessariae. (A) Dogmata dupliciter crescere possunt : (a) *per novam revelationem,* quando scilicet illud quod antea non erat revelatum, postea a Deo revelatur : tunc adest *progressus simpliciter, n.* g., talis est institutio septem Sacramentorum, quæ in A. Lege abscondita, postea a Christo revelata est; (b) *per explicitant propositionem* alicujus veritatis antea obscure et implicite revelatæ, et tunc adest *progressus secundum quid,* ut in casu infallibilitatis S. Pontificis, quæ jam a Christo fuerat revelata, sed nonnisi in C. *Vaticano* clare et explicite ut dogma fidei proposita fuit.

(B) Duo tempora distinguere oportet : (a) unum quod ab Adamo usque ad Christi et Apostolorum tempora inclusive se protendit; (b) alterum ab Apostolis, id est, a morte S. *Joannis,* ultimi Apostolorum, usque ad nos.

227. 20 Jamvero omnes concedunt in *prima epocha,* ab Adamo nempe ad Christum, fidei articulos crevisse simpliciter, seu, aliis verbis, revelationem fuisse *successivam* et *progressivam,* Deo benigne hominum ingenio ac necessitatibus

' S. Thom., 2» 2«, q. i, a. 7 ; *De veritate,* q. 14, a. 12; Moehler, *La Symbolique,* traduction franç., Paris, 1852, t. II, p. 53 sq.; J. H. Newman, *An essay on the Development of Christian doctrine,* ed. 1890; Franzelin, *de Traditione,* th. XXII-XXVI; Scheeben, vol. I, n. 597 sq.; Vacant, *op. cit.,* n. 838 sq.; P. de la Barre, *De la vie du dogme calh.,* Paris, 1898, p. 145-257 ; Bainvel, *De Magisterio vivo,* 1905, p. 117-146; L. Billot, S. J., *De sacra traditione contra novam haresim evolutionismi,* Romæ, 1907 ; L. de Grandmaison, *Le divelop. du dogme chrltien,* in *Rev. prat. d'Apol.,* 1908, t. VI, pp. 5, 81, 401, 881; H. Pinard, in *Diet. d'Apol., (cTAlès),* voce *Dogme,* p. 1121-84; E. Dublanchy, in *Diet, de Thiol.,* voce *Dogme,* t. IV, 1599 sq. ; A- Gardeil, *Le donné revili,* p. 151-184; A. Palmieri, *Il progresso dommatico nel concetto cattolico,* Firenze, 1910 ; Schultes, *op. cit.,* p. 210-296; Marin-Sola, *op. cil.*

sese accommodante, eorumque mentes pedetentim prépa-rante ad altiorum mysteriorum manifestationem. Nostri non est propositi hic revelationis historiam texere; præcipua stadia breviter recolere satis erit.

(A) Prima revelatio facta est *Adamo innocenti,* cui saltem revelata sunt ea omnia quæ necessaria sunt ad salutem, nempe existentia Dei supernaturaliter providi et remuneratoris, et insuper quædam præcepta positiva, ut infra exponetur *(De Deo Creante,* n. 867).

(B' *Patriarchates* revelatio, ab Adamo ad Moysen variis patriar-chis facta, præter fidem in Deum remuneratorem, complectebatur confusam alicujus redemptoris promissionem, præcepta ritusque, præsertim circumcisionem, ad servandum monotheismum, tuendam notionem *specialis Providentia* erga familiam Abrahæ, et præfigu-randa quædam ex mysteriis postea revelandis.

228. (C) *Mosaica* revelatio patriarchalem complectitur et am-pliat, distinctius divina attributa manifestando, multaque præcepta moralia, ceremonialia et judiciaria promulgando, quibus populus Israeliticus efficacius ab idololatria et polytheismo removeatur. — Ad hanc revelationem integre servandam, authentice explanandam et successive ampliandam missi sunt *Propheta,* qui invicte *mono-theismum,* adversus contrarias Israelitarum tendentias pravaque finitimarum gentium exempla, integrum servaverunt, incmo magis ac magis perspicue prædicaverunt. Itaque, decursu temporum, per revelationes Prophetis successive datas, notiones clariores prae-valuerunt inter Judæos, præcipue circa Deum ejusque attributa, Providentiam specialem erga populum Israel, Redemptionem et promissi Messiæ regnum. Ita via parabatur christianæ revelationi. *(De Religione,* n. 299-342).

(D) *Christiana* tandem revelatio mosaicam accipit, sublatis tamen ceremonialibus et judiciariis, et mirifice perficit, atque ad omnes populos extendit. Ibi Deus manifestatur non solum ut Dominus ac Creator, sed etiam et præsertim ut *Pater,* qui ex infinita bonitate nos in filios adoptavit, et a servitute peccati redemit per *Filium* suum unigenitum qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, atque nos indesinenter sanctificat per *Spiritum Sanctum,* qui datus est nobis. Tota lex in duobus praeceptis contrahitur : *Deum* vide-licet amare debemus ut *Patrem,* homines vero ut *fratres* et *cohare-des* ejusdem regni caelestis quod paratum est iis omnibus qui Deum et proximum diligunt. — Hæc autem revelatio fuit primum *domi-nica,* per Christum scilicet facta, deinceps *apostolica,* nempe per Apostolos divino afflatu inspiratos '.

1 Censent quidam, cum Palmieri, novarum veritatum revelationes non am-plius factas fuisse post Pentecosten. Communius tamen ac verius alii docent

229. Itaque *ab Adamo ad Christum et Apostolos* dogmatum incrementum factum est non solum *quantitativum,* quatenus novae veritates revelatae sunt, sed etiam *qualitativum,* in quantum novae revelationes veteribus perfectiores apparent

Dici tamen potest omnia dogmata *aliquo modo* et *remote* contineri in duabus veritatibus ab initio revelatis, existentia Dei auctoris ordinis supematuralis, et speciali ejus Providentia circa hominum salutem : in *esse* enim divino includuntur omnia quae in Deo *ceternaliter* existunt, et in divina ac *supematurali Providentia* omnia quæ *temporaliter* a Deo dispensantur circa hominum salutem.

230. 30 Exponendum igitur manet quodnam incrementum admitti possit in *secunda epocha,* id est, *a completa cetate apostolica* usque ad finem temporum. Ad quod lucidius declarandum, dicemus quo sensu dogmata sint *immutabilia,* et quo sensu *progredi* valeant

I. De stabilitate dogmatum.

231. Stabilitas dogmatum dupliciter impugnata fuit : (a) *Montanistæ, Manichcei, Fraticelli* et *prœcones evangelii cetemi* in Medio Ævo, *Anabaptistes, Swedenborgiani* et *Irwingiani* inter Protestantes, contenderunt, etsi diversimode, novam oeconomiam instituendam fore quæ christianæ œconomiæ succederet, et in abundantiori effusione Spiritus Sancti consisteret; (b) ii Protestantes qui *privatam inspirationem* admittunt, putant novas revelationes in Christiana oeconomia fieri sicut in Veteri Testamento.

232. *Thesis :* Revelatio Dei publica ita ætate apostolica completa est, ut neque nova œconomia neque novæ publicæ revelationes exspectandæ sint. Thesis, nunquam sub hac forma definita, ita manifeste continetur in universali Ecclesiæ prædicatione ut merito *de fide* dicenda sit.

novas veritates manifestatas esse Apostolis usque ad eorum mortem : ita prophetiæ in Epistolis et Apocalypsi contenue, inspiratio librorum apostolicorum, aliaque hujusmodi nonnisi post Pentecosten manifestata sunt. Cfr. Bainvel, *De Magisterio,* n. 125.

i° *Probatur* Script. (A) *Nova œconomia non est instituenda.*

(a) In *Ep. ad Hebræos,* Novum Testamentum Veteri comparatur tanquam perfectum et consummatum cum imperfecto et inchoato, ita ut Novum, præter suam perfectionem, sit *firmum* et *immobile,* dum Vetus, propter suam imperfectionem, abrogandum erat : " Nam si illud *prius* (Vetus Test.) culpa vacasset, non utique *secundi* locus inquireretur... Dicendo autem *Novum,* veteravit prius..."[1]. Exinde Apostolus, exponens prophetiam Aggæi ubi dicitur : " Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et cælum ", ait : " Quod autem *adhuc semel* dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ sunt *immobilia.* Itaque *regnum immobile* suscipientes, habemus gratiam..."[2]. Ergo Novum Testamentum vere est immobile, nec per aliam oeconomiam mutandum.

(b) Ibidem [3], sacerdotium tam intime cum religiosa oeconomia connectitur, ut, eo immutato, necesse est ut religionis forma seu oeconomia pariter immutetur : " translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat "; atqui, teste eodem Apostolo, sacerdotium novæ Legis perpetuum est, nec unquam abrogandum : " hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium"; ergo nunquam erit nova religionis forma.

233. (B) Nec augebitur fidei depositum *novis revelationibus.* Nova revelatio non est exspectanda, si Apostolis manifestata fuerint omnia quæ revelanda erant, eorumque successores sint solummodo dogmatum jam revelatorum *custodes* et *expositores.* Atqui utrumque constat, (a) *Prius* quidem, nam Christus aperte declarat se Apostolis jam revelasse, aut per Spiritum S. revelaturum esse ea omnia quæ manifestare intendit : " Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem... Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis (in memoriam revocabit) omnia quæcumque dixero vobis " [4]; quæ quidem verba, contextu inspecto, satis clare ostendunt Apostolis revelanda

[1] *Hebr.,* VIII, 7, 13. — [3] *Hebr.,* XII, 27-28. — [3] *Hebr.,* VII, II sq.
[*] *Joan.,* XVI, 12-13; XIV, 26.

fuisse, sive in die Pentecostes, sive in decursu vitæ, ea omnia quæ Christus revelare volebat. Insuper Apostolis præcipit omnia docere quæ ipsis revelata sunt ita ut nil novi post eorum mortem sit exspectandum : " Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis " x.

(b) *Posterius* autem constat : i) ex agendi ratione Apostolorum qui doctrinam praedicant non quasi a se inventam, sed a Christo ipso traditam, cui nil addere, a qua nil subtrahere fas sit; hanc igitur doctrinam vocant *fidem, verbum* seu *normam fidei, didascaliam, traditionem* a, ita ut rejiciendum sit omne evangelium ab evangelio Christi diversum : " Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit " 3. 2) Ex disertis verbis quibus doctrina Christiana tanquam *depositum* perhibetur sedulo custodiendum. " *Formam* habe sanorum verborum, *quæ a me audisti*... O Timothee, *depositum* custodi, devitans profanas vocum novitates "4; ex quibus constat Apostolorum successores ea solum, quæ ab eis didicerunt, docere debere, eaque ut sacrum depositum custodire cui nil addi, vel a quo nil detrahi licet. Hinc egregie ait *Vincendus Lirinensis* 5 : " *Depositum,* inquit, *custodi.* Quid est *depositum?* id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum : quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam : in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens ".

234. 20 Tradit. (A) Primis Ecclesiæ saeculis jam expresse credebatur nil addi posse doctrinæ ab Apostolis traditae, nil ab ea detrahi. Ita *Clemens Rom. :* " Quare inanes et vacuas curas relinquamus, et ad gloriosam et venerandam *traditionis nostra regulam* veniamus " 6. Hæc autem regula

« *Matth.*. XXVIII, 20.

1 Then.*. II, 13; ***II* *Cor.*. X, 5; ***II*** *Then.*. II, 14, etc.

3 *Galat.*. I, 8. — Animadvertendum est tamen his verbis non excludi revelationes fidei depositum augentes, sed tantum eas quæ eidem adversarentur.

4 ***II*** *Tim.*. I, 13; Z *Tim.*. VI, 20.

5 Vine. Lirin., *Commonit.,* η. 22.

Ep. ad Corinth.. VII, 2, ed. Funk, I, p. 109.

nihil aliud est nisi praedicatio Christi et Apostolorum : " Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo"1. — Idem urget S. *Ignatius :* " Studete igitur *confirmari in doctrinis Domini et Apostolorum* " 2. Teste *Eusebio* 3, discipulos hortabatur ut " apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent Necnon S. *Polycarpus :* " Ideo relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur " 4.

Contra Gnosticos, qui philosophicis speculationibus Evangelium adulterabant, S. *Irenæus* lucide docebat regulam fidei ab omnibus tenendam esse doctrinam apostolicam Ecclesiæ commissam ab eaque fideliter servatam : "Traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur"; in ea contineri omnem veritatem, eique firmiter adhaerendum esse : " Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in ea contulerint omnia quæ sint veritatis : ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae "5.

Contra haereticos, *Tertullianus* plane asserit nil novi inducere licere, sed acceptam a Christo doctrinam fideliter servare : " Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt " 6. — *Clemens Alex,* pariter haereticos impugnat quatenus ecclesiasticæ traditioni oppositos : " Homo Dei esse et Domino fidelis esse desiit qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum hæreseon desiluit opiniones "7. Quod non minus clare asserit *Origenes :* " Sed nos illis (haereticis) credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis " 8.

1 *Ibid.,* XLII, i, ed. Funk, p. 153.
3 *H. E.,* l. III, c. 26, *P. G.,* XX, 287.
3 *Magnes.,* XIII, I, Funk, p. 241.
4 *Philip.,* VII, 2, Funk, p. 305.
s *Adv. hares.,* l. III, c. 2-4, l. IV, 26, *P. G.,* VII, 847-855, 1053 sq.
6 *Deprascript.,* c. VI, *P. L.,* II, 18.
i Stromai., VII, 16, *P. G.,* IX, 531.
8 *In Matth. comment.,* n. 46, *P. G.,* XIII, 1667.

Ex his multisque aliis testimoniis luculenter patet non solum novam oeconomiam, * sed nec novas revelationes exspectandas esse.

235. (B) *Ex praxi Ecclesia,* quæ : 1) e sinu suo expulit omnes qui sive novam oeconomiam sive novas revelationes admittebant, v. g., *Montanistas, Manichaos, Fraticellos* et *pracones ceterni evangelii;* 2) quotiescumque de haeresi damnanda aut de dogmate definiendo actum est, nunquam ad novas revelationes appellavit, sed sedulo inquisivit quid hac de re in Scriptura vel apostolica Traditione contineretur.

Ita 5. *Stephanus* Papa, in decreto contra Rebaptizantes, in memoriam revocat principium jam receptum : " Nihil innovetur, nisi quod traditum est"1. *C. Milevitanum II,* 416, declarat "non aliter intelligendum esse quod ait Apostolus... nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit"2. *C. Constantinopolitanum II,* 553, disertius etiam affirmat tenendam esse fidem "ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Jesu Christo sanctis Apostolis et ab illis in universo mundo prædicatam ", quam quatuor Concilia explanaverunt, " omnia vero, quæ non consonant his quæ definita sunt ab iisdem quatuor sanctis Conciliis pro recta fide... aliena pietatis judicantes, condemnamus et anathematizamus " 3. Et ita de ceteris.

236. (C) Ex apertis *Ecclesice declarationibus,* præsertim *C. Vaticano,* ubi statuitur : " Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante *novam* doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente *traditam* per Apostolos revelationem seu *fidei depositum sancte custodirent, etfideliter exponerent* " 4. Quare divina revelatio " continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt " 5.

Ex quibus collatis patet integram revelationem aetate apostolica fuisse completam, ideoque novas revelationes publicas minime exspectandas esse.

* *P. L.,* III, 1128; D. B., n. 46. — 3 *Ibid.,* n. 102 (66).
3D. B., 212; cfr. n. 220, 221.
‹ Sess. IV, cap. 4, D. B.; 1836. — 5 Sess. III, cap. *2,* D. B., 1787.

II. De profectu dogmatum.

237. Etsi dogmata sunt substantialiter immutabilia, aliquem tamen progressum accidentalem admittunt, (a) Id negarunt *antiqui Protestantes* qui contendebant " Scripturam eamque solam totam esse Protestantium religionem ", ideoque Ecclesiae nullum jus esse dogmata auctoritative explicandi, et tanquam totidem corruptelas rejiciebant omnes dogmaticas definitiones. Hodierni tamen Anglicani non pauci concedunt definitiones, a primo ad quintum saeculum ab Ecclesia indivisa conditas, accipiendas esse, ceteras vero, quæ a sola Ecclesia Romana procedunt, esse rejiciendas, (b) *Semi-Rationalistæ* autem, duce *Gunthero,* talem progressum admittunt, ut, scientiarum et philosophiæ ope, dogmatum *sensus haberi possit alius* ab eo quem antiquitus Ecclesia definierat. Longius procedunt *Modernistes,* quorum placita superius jam exposuimus, n. 211.

Contra quos errores, exponemus : i° *veram naturam* profectus dogmatici; 2° *modum qtto fit* profectus; 3 *causas* ejusdem.

i° De natura profectus dogmatici.

238. *Thesis Ia :* Progressus dogmatum non in eo consistit ut eis sensus tribuendus sit alius ab eo que intellexit Ecclesia.

De fide est contra *Guntherum,* ex definitione *Vaticana* [1] : " Si quis dixerit fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia, A. S. " Quæ definitio etiam *Modernistas* attingit.

Theoria guntheriana merito reprobata est. Nam : (a) doctrinam christianam concipit non ut *divinum depositum,* sedulo servandum et auctoritative exponendum, sed magis ut *philosophicam* doctrinam, humanis ingeniis perficiendam; hoc autem Patrum et Conciliorum menti esse omnino contrarium, ex testimoniis supra allatis, n. 234 sq., jam constat.

[1] Sess. III, can. 3., De fide et ratione, D. B., 1818.

(b) In explicanda hujusmodi doctrina, præcipuas partes tribuit philosophiae, et magisterium transfert ab Episcopis ad philosophos, ita ordinem hierarchicum a Christo institutum evertens.

(C) Nec minus pervertit ordinem inter rationem et fidem; secundum doctrinam catholicam, in rebus divinis ratio fidei subest, ideoque statim ac constat aliquam veritatem esse revelatam, eam credere debemus, ut* postea melius eam intelligere valeamus : *Crede ut intelligas;* juxta Gunther-rum vero, ratio fidei præit, eamque sibi subjicit : *Intellige ut credas.*

(d) Ita etiam evertitur infallibilis auctoritas Ecclesiæ : quando enim hæc aliquam veritatem definit, non verba et inanes formulas, sed veritates per verba sensu obvio expressas fidei nostræ proponit; jamvero, si postea harum definitionum mutatur sensus, jam non est progressus, sed adulteratio; ideoque Ecclesia non est indefectibilis. Ita pariter perit substantialis immutabilitas quam supra vindicavimus.

Cavendum est igitur, et quidem maxime, ab iis Modernisas, qui, sub prætextu progressus ac criticæ, dogmata intelligere volunt sensu altiori et profundiori quam hucusque ab Ecclesia fuerunt intellecta.

239. *Thesis IIa :* Progressus dogmatum in eo tantum consistit quod doctrinae revelatae clarior et uberior praebeatur explicatio.

Certum est ex *Vaticano* dicente : "Crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed insuo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia "x.

Probatur. Ut *existentia* dogmatici progressus pateat, requiritur et sufficit ut sint aliquæ veritates obscure et implicite tantum in fontibus revelationis contentæ, et aliunde Ecclesia jus habeat easdem dilucide et diserte explicandi et proponendi. Atqui utrumque constat.

' D. B., 1809.

240. (A) In fontibus revelatis *veritates qucedam obscure tantum et implicite continentur,* (a) [1] Deus enim revelans humano ingenio sese accommodare voluit. Jamvero ea est humani ingenii natura ut veritates apprehendat *non omnes simul, nec integre* et *intuitive,* sed eas *analyst* dividendo, *synthesi* componendo, *comparationibus* et *analogiis* illustrando x. Aliunde mens nostra, in his veritatibus percipiendis, non se habet mere passive, sed *active,* agri instar plus minusve fertilis, in quo idearum semina, proprii laboris et divinae illuminationis ope, crescere possunt fructusque novos proferre. Deus itaque, ut nostro ingenio se accommodaret, non revelavit simul et synthetice omnia dogmata, sed ea quæ magis necessaria erant *explicite* et *clare* manifestavit; alia autem *implicite* et *cequivalenter,* alia tandem omnino *obscure,* ut homines inducerentur ad intensius mentem suam revelationi applicandam, spe novos aspectus in profunditate depositi christiani reconditos detegendi.

Ut rem illustremus exemplis, Deus quidem lucide revelavit Christum esse Filium suum unigenitum, sed nonnisi *cequivalenter* eum esse sibi æqualem et consubstantialem. Clare etiam manifestavit Verbum carnem factum fuisse, sed nonnisi *obscure* unionem inter divinam et humanam naturam factam esse secundum personam seu hypostasim.

(b) Insuper doctrina catholica, utpote *universalis,* omnibus temporibus et nationibus, omniumque ingeniis accommodari debet; atqui talis accommodatio fieri nequit sine fusiori et lucidiori principiorum explicatione. Ita dogmata Trinitatis, Incarnationis et Eucharistiæ, quæ modo simplici et minime philosophico in Scriptura declarantur, possunt ac debent, decursu temporis, modo magis scientifico expoliri; quod fit *philosophice* ope, quæ verborum sensum accuratius determinat, exponendo videlicet quid sit intelligendum per *naturam, personam, substantiam, accidentia,* etc.; ex quo profundior ac plenior enascitur dogmatum cognitio.

(c) Aliunde veritates revelatæ tam *profundæ* et *multifor-mes* sunt, ut successu temporum, novi aspectus in earum investigatione detegantur, præsertim cum ratio humana,

[1] Quod optime declarat J. H. Newman, *o/. cit.,* præsertim pan. I, c. I p. 33 sq., c. n, p. 55 sq.

lumine fidei adjuta, revelationis majorem intellectum assequendi sit cupida. Ita ab initio quidem revelatur Christum esse vere hominem ; sed nonnisi post *accuratas* investigationes definietur ei inesse animam vere rationalem voluntatemque a divina voluntate distinctam.

Nonne Protestantes ipsi Scripture studio incumbunt eo precise fine ut magis explicite cognoscant ea quæ nonnisi obscure in ea continentur? Nonne pariter gloriantur falsam suam de justificatione doctrinam per multa sæcula plerisque saltem fuisse penitus ignotam, et a *Luthero* in sacris Litteris tandem feliciter inventam? Pono hoc nihil aliud est nisi admittere progressum in cognitione dogmatum.

241. (B) *Ecclesia jus habet ea quæ obscura et implicita sunt dilucide et diserte definiendi.* Quod patet ex *potestate docendi,* et quidem *infallibiliter,* divinitus ei collata, ut probatum est in *Tr. de Ecclesia,* nn. 624 sq., 664 sq.

Idem pariter constat *ex praxi Ecclesiæ,* quæ hoc munus a primis sæculis exercuit Ita *regulam fidei* catechumenis impositam ante baptismi susceptionem decursu temporum *ampliavit,* ad fusius et lucidius fidem catholicam contra novas hæreses definiendam. Ita pariter, in *Conciliis* præsertim *œcumenicis, novæ dogmatum formulez* indesinenter promulgate sunt, quo efficacius errores refellerentur et quo clarius instruerentur fideles : in Nicæno, consubstantialitas Verbi contra Arianos definitur; in Constantinopolitano I, divinitas Spiritus Sancti contra Macedonianos; in Ephesino, B. Mariæ divina matemitas contra Nestorianos; in Chalcedonensi, duæ naturæ in Christo integræ et inconfusæ contra Eutychianos diserte agnoscuntur, etc.

Jamvero si in dogmatibus maximi momenti quæ recensuimus aliquod fuit incrementum, nonne etiam majus expectandum est in illis fidei veritatibus quæ veluti sunt consectaria fundamentalium dogmatum, v. g., quoad cultum Christi, B. Virginis et Sanctorum, quoad sacramentorum elementa et efficaciam, aliaque hujusmodi? Protestantes plerique hoc legitimum fuisse, immo necessarium primis Ecclesiæ temporibus libenter fatentur, quo melius errores vitarentur; si vero Ecclesia talem habuerit potestatem prioribus sæculis, cur eamdem retinere non potuit et exercere

posterioribus? Numquid Spiritus Sanctus, a quo tunc illuminata fuerat, eam subito deseruit contra manifesta Christi promissa qui Apostolis eorumque successoribus dixerat : " Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi " x?

Quod etiam evidentius patebit, modum exponendo quo dogmata creverunt.

2° Modus quo fit progressus dogmaticus.

242.(A} Omnes theologi fatentur dogmata, in eorum propositione, crescere saltem triplici modo :

(a) *Lucida* et *scientifica propositione* eorum quae antea quidem *explicite* credebantur, sed *obscure* et *modo populari :* hic habetur progressus ex simplici et populari ad *scientificam* expressionem dogmatis. Sic mysterium SS. Trinitatis primum obscure traditum fuit sub hac generali formula : " Credo in Deum Patrem, et in Filium et in Spiritum Sanctum ", in qua non declaratur sub quo respectu Deus sit unus, sub quo respectu sit trinus : hinc ortae sunt controversiae, et Ecclesia successive definivit Filium Patri esse consubstantialem, Spiritum Sanctum una cum Patre et Filio esse adorandum, Filium a Patre procedere per viam generationis, Spiritum Sanctum ab utroque procedere, etc.; quæ quidem omnia plus minusve obscure in Scriptura et primitiva Traditione continebantur. Qui progressus competit etiam veritatibus quæ fide explicita a Fidelibus credi debent, quales sunt Trinitas et Incarnatio.

243. (b) *Explicita propositione* eorum quæ nonnisi *implicite* in fontibus revelatis continentur : hic habetur major progressus, nempe ex fide implicita ad fidem explicitam; qui quidem pro veritatibus explicite ab omnibus credendis admitti nequit, sed tantum pro aliis, v. g., pro quibusdam consectariis Incarnationis, numero sacramentorum, Immaculata Conceptione B. Virginis, etc. Ita, ex eo quod in Christo duplex est natura, divina et humana, concluditur in eo esse pariter duplicem voluntatem.

* *Matt.*. XXVIII, 20.

244. (c) *Diserta et doctrinali propositione* eorum quæ *obiter,* aut *praxi* tantum proposita fuerant; hic progressus valde affinis est præcedenti, nec proinde competit nisi veritatibus secundariis quas explicite credere necesse non est. Aliquando enim doctrina non modo doctrinali sed modo *praetico* proponitur. Ita dogma primatus R. Pontificis implicite continebatur in consuetudine universali deferendi quaestiones fidei ad R. Pontificem *(De Ecclesia,* n. 717-740). Validitas baptismi ab hæreticis collati non fuerat quidem ab initio diserte tradita, sed implicite continebatur in *praxi* non rebaptizandi ab hæresi conversos, quæ Romæ et in praecipuis vigebat ecclesiis; postea vero, orta inter S. Cyprianum et S. Stephanum controversia, res expresse definita fuit

Attamen dici nequit dogmata *primario* et *principaliter* in *praxi* inveniri ; praxis enim ipsa quamdam doctrinam supponit et nihil aliud est nisi ejus manifestatio. Ita praxis ad R. Pontificem recurrendi supponit doctrinam primatus jam in textibus Scripturæ et Traditionis contentam. — Aliquando tamen praxis viget antequam doctrina clare et explicite enuntietur, prout factum est in praxi non rebaptizandi conversos ab hæresi.

245. (B) *Controvertitur* autem utrum necne progressus fieri possit veritates *virtualiter tantum revelatas* seu *conclusiones theologicas definiendo,* ita ut hæ de fide divina credi possint ac debeant. De qua controversia jam supra, n. 189 sq. dictum est Non pauci, ut *Suarez, de Lugo, Haunoldus, Schiffini, L. de Grandmaison* putant Ecclesiam posse definire non solum tanquam de fide *ecclesiastica,* sed etiam tanquam de fide *catholica* veritates *virtualiter* tantum revelatas ; neque in hoc esse *novam revelationem,* sed *authenticam manifestationem* veritatis jam virtute in objecto formaliter revelato contentæ; hanc autem manifestationem fieri ex assistentia Spiritus Sancti, quæ æquivalet revelationi aut eam consummatx. Quæ opinio probabilitate non caret. Eamdem opinionem, alio tamen modo, propugnat *P, Marin-*

' Suarez, De fide, disp. ΠI, sect. XI, η. I; cfr. Schiffini, *De virtutibus· infusis,* Frib. Br., 1903, P· *44

Sola, docens veritates virtualiter revelatas esse definibiles, quando ex revelatis per modum *inclusionis* deducuntur (supra, n. 194).

In *praxi,* quando aliquid tanquam de fide ab Ecclesia definitur quod antea pro mera conclusione theologica habebatur, vi hujus definitionis percipimus veritatem, de qua agitur, implicite, etsi obscure, in veritate formaliter revelata contineri, ideoque eam credimus non ut conclusionem theologicam, sed propter solam Dei auctoritatem.

246. *Corollarium.* Tria *stadia* in dogmatum profectu distinguere licet (A) Si agitur de veritatibus *explicite credendis,* v. g., Trinitate, Incarnatione : (a) veritas *simplici* ac *populari* modo creditur, v. g., credo in Jesum Christum Filium Dei ; (b) investigatur quibus verbis hæc veritas *scientifice* exprimi valeat, v. g., quo sensu Christus dicatur Filius Dei, quænam sint ejus relationes cum Patre; et sæpe dubia aut errores oriuntur, v. g., sabellianismus et subordinatianismus; (e) Ecclesia tandem, re attente considerata, unum verbum eligit quo veritas catholica lucide ac scientifice declaratur, v. g., Filius declaratur Patri *consubstantialis.*

(B) Quoad veritates *secundarias* non explicite ab omnibus credendas, tria pariter stadia, modo tamen diverso *'.primum,* quando, nulla urgente controversia, veritas implicite solum tenetur vel in principio universaliori, vel in usu et praxi magis quam in distincta prædicatione ; *secundum,* quando doctrinæ punctum obscure vel implicite antea propositum a nonnullis impugnatur, ita ut per aliquod tempus veritas apud multos obscurior fiat ; *tertium,* quando, inquisitione facta, sub assistentia Spiritus S., res sive sollemni judicio sive communi Ecclesiæ sensu in manifestam praedicationem transit et omnibus credenda proponitur.

N. B. Assimilari igitur potest hic profectus incremento quod in *scientiis humanis* invenitur. In his enim : 1) percipiuntur prima principia modo quodam *intuitivo,* sed *generali et confuso;* 2) hæc autem ab intellectu agente, analysis et discursus ope elaborata, modo clariori et distinctiori cum suis conclusionibus intelliguntur; 3) tandem conclusiones ita deductæ cum ipsis comparantur quo tutius detegantur eæ quæ veræ sunt. Ita, quoad revelationem ; *s)fide* firmiter apprehendimus veritates revelatas, quæ sunt veluti *principia* seu veritas a Deo data *(donné révélé);* 2) his autem veri-

tatibus mentem applicamus, analysis et discursus ope, easdem lucidius intelligimus et ex eis conclusiones deducimus; 3) tandem conclusiones cum ipsis veritatibus revelatis comparamus, ut ita constet conclusionem nihil aliud esse nisi legitimam explicationem veritatis a Deo datæ ».

30 De causis hujus profectus.

247. Profectus dogmaticus fit per *cooperationem Dei et hominum,* ut patebit ex descriptione causarum quæ ad eum concurrunt.

Causa efficiens *prima* est Spiritus Sanctus, *secunda* autem Ecclesia docens; causae *dispositivæ* sunt Patres, theologi ipsique fideles; causa *instrumentaits* est ratio humana fide illuminata; causae *occasionales* sunt hæreses; causa *finalis* est honor Dei et sanctificatio animarum. Quod breviter declarandum est

(A) Causa *efficiens* duplex est : (a) *prima* et principalis est *Spiritus Sanctus,* qui veritatem, quam notam fecerat, sua assistentia non solum tuetur sed lucidiorem reddit, Ecclesiam illuminando, juxta promissum Christi : " Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis " 2 ; (b) *secunda* et proxima est *Ecclesia docens,* quæ, assistente Spiritu Sancto, auctoritative explicat res implicite et obscure antea traditas, per definitiones S. Pontificis vel Conciliorum, aut etiam per magisterium ordinarium, prout exposuimus in *Tr. de Font. Revel.,* η. 955-971·

248. (B) Causæ *dispositivæ* seu præparantes sunt *Patres, theologi* et ipsi *fideles.* Cum enim Ecclesia sit corpus mysticum Christi, Spiritus Sanctus illuminat non tantum caput sed et membra. Attamen horum cooperatio est tantum *ministerialis,* quia tanquam ministri revelatam doctrinam explicant, et *prceparatoria,* quatenus non definiunt dogma sed materiam definiendam praeparant, formulas inveniunt aut auctoritatem ecclesiasticam ad veritatem definiendam impellunt. Quam cooperationem praebent præsertim Patres et theologi scientificis investigationibus, sed etiam fideles,

l A. Gardeii, *Le donni rhtlt;* L. de Grandmaison, *R. P. A.,* 15 sept 1908, p. 887 ; B. Alio, *Germe etferment, Rev. des Sc. ph. et th.,* janv. 1907.

*Joan., XIV, 26.

præsertim in iis quæ ad cultum et devotionem spectant[x]. De quibus jam egimus in *Tr. de Font. Rev.*, n. 972-981.

249.(C) Causa *instrumentalis* est *ratio fide illuminata.* Explicatio enim dogmatum fit mediante intellectu, qui doctrinam revelatam clarius intelligere nititur vel ex ea conclusiones deducere; intellectus autem de rebus fidei tuto inquirere nequit nisi fidei lumine adjutus.

250. (D) Causæ *occasionales* sunt *hæreses,* quatenus theologi dogmata diligentius considerant ad efficacius errores confutandos, secundum hæc Augustini verba[2] : "Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur : et ab adversario mota quaestio, discendi existit occasio", — Reapse haereses Sabellianorum et Arianorum occasiones fuere definiendi relationes inter Patrem et Filium; errores Nestorianorum et Eutychianorum opportunitatem praebuerunt clare exponendi unionem hypostaticam Verbi cum humana natura; errores Pelagianorum et Semi-pelagianorum impugnando, S. Augustinus exposlivit doctrinam de peccato originali et de necessitate gratiae.

251. (E) Causæ *finales* seu motiva sunt *honor Dei* et *animarum sanctificatio;* ita Pius IX Immaculatam Conceptionem B. Mariae definivit "ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae", etc. Explicitior enim cognitio dogmatum lucidius Dei sapientiam et bonitatem manifestat, et ad pietatem fovendam maxime confert : quo clarius enim Deus cognoscitur eo ferventius diligitur.

Scholion : de obscuratione fidei.

252. Profectus dogmaticus non est semper continuus; sed fieri potest *quasdam veritates per aliquod tempus obnubilari, non ita tamen ut prævaleat generalis obscuratio veritatum gravioris momenti.*

1 De influxu sanctitatis in profectum dogmatum cfr. M. d'Herbigny, *La thiol, du révélé,* p. 166-176.

3 *De civit. Dei,* l. XVI, c. 2, n. i, *P. L.,* XLI, 477; cfr. *De dono perseverantia*, c. XX, n. 53, *P.* XLV, 1026.

253· (a) *Aliquet, veritates revelat(t per aliquod tempus obnubilari possunt.* Licet enim transmissio doctrinæ revelatæ cum assistentia Spiritus Sancti fiat, tamen fit *mediantibus hominibus* qui plus minusve illuminationi Spiritus cooperantur. Ita Apostoli plenam quidem veritatum *per se* revelatarum cognitionem habuerunt; sed sequentibus temporibus non omnes veritates explicite et plene fuerunt propositæ. Primum veritates magis essentiales explicite traditæ sunt, aliæ autem prout se dabat opportunitas, præsertim occasione hæreseon. Omnes tamen doctrinæ revelatæ in documentis traditionis explicite vel implicite continebantur, ita ut omnes ex eis, Doctorum labore et Ecclesiæ judicio, tempore opportuno extrahi et probari valerent.

Ex hac autem minus diserta propositione aliquot veritatum factum est ut per aliquod tempus quædam veritates obnubilarentur. Sic perfecta æqualitas Verbi cum Patre, etsi in ejus divinitate contenta, in scriptis quorumdam Apologetarum non clare et explicite proponebatur, ita ut, grassantibus erroribus, necesse fuerit in Concilio Nicæno consubstantialitatem Filii explicite definire. Pariter primatus R. Pontificis, clare et explicite tempore S. Leonis M. propositus, postea, occasione schismatis occidentalis, apud multos obnubilatus est. Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis, a Patribus græcis præsertim exposita, apud non paucos Doctores Medii Ævi obscurari coepit, propter difficultatem eam cum universalitate peccati originalis conciliandi.

254. (b) Quando autem aliqua veritas fidei authentice ab Ecclesia definita est, nunquam ita obscurari potest ut adversus eam prævaleat error oppositus.

Contingere quidem potest ut aliqua definita veritas, propter hæreticorum subtilitates, in mentibus quorumdam obnubiletur, prout accidit tempore semi-arianismi quoad consubstantialitatem Verbi; sed, etsi fides aliquot fidelium et episcoporum deficiat, fides Ecclesiæ plerorumque fidelium immota manet, ut historice constat.

A fortiori admitti nequit generalis obscuratio veritatum fidei, meritoque tanquam *heeretica* reprobata est propositio 1· Synodi Pistoriensis asserensl " postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates graviores, spectantes ad religionem et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi ",

CAPUT IL

DE ACTU FIDEI.

255. Post dicta de *objecto* tum *formali* tum *materiali* fidei, jam intelligere possumus in quo consistat ipse *actus fidei.* Ad quod lucidius statuendum : i° praemittimus *brevem fidei analysim;* 2° postea *principia* declaramus quibus fidei *actus producitur,* nempe gratiam, voluntatem et intellectum; 3° *controversiam* exponimus de *ultima fidei resolutione.*

Art. I. Praenotanda de actus fidei analysi.

256. Analysis actus fidei est designatio *elementorum* quæ ad ejus productionem concurrunt

Jam vero elementa requiruntur alia ad *firæparationem,* alia ad ipsam *productionem* actus fidei.

257. i° Ad **præparationem** actus fidei quinque præsertim requiruntur : tria ad judicium *credibilitatis,* duo ad judicium *credentitatis.*

(A) Ad judicium *credibilitatis* tria sunt necessaria : (a) *Revelatio ahcujus veritatis :* hæc utique *necessaria* est, ut ita nobis praebeatur *objectum* credendum \ *sufficit* autem quaelibet revelatio *formalis,* sive interna sive externa, sive immediata sive mediata, sive publica sive etiam privata, dummodo tamen certo moraliter constet

(b) *Propositio revelationis :* si enim deest, revelatio *ignoratur,* nec proinde elici potest fides. Sufficit autem ad fidem *divinam* privata propositio, supra n. 157; sed ad fidem *divino-catholicam,* requiritur propositio publica seu authentica ab Ecclesia facta, ut dictum est n. 196.

(c) *Motiva credibilitatis,* quibus cuique certo moraliter constet revelationis factum : hæc necessaria sunt ut fides nostra sit rationabilis; non enim legitime credimus nisi videamus Deum aliquam veritatem revelasse.

(B) Ad judicium *credentitatis* duo requiruntur :

(a) *Morales dispositiones,* sine quibus vis argumentorum quibus præambula fidei demonstrantur, vix percipitur : hic enim agitur de certitudine morali, ad quam requiritur *bona voluntas (Theol. fundamentalis,* n. 33-35). Insuper motivo *credentitatis,* nempe *auctoritati Dei revelantis* nemo assentit nisi qui bona voluntate sese Deo submittendi praeditus sit

(b) *Auxilium Dei,* quod supernatural est, cum ultimo ad finem supematuralem tendat.

258. 20 In ipsa productione fidei, quinque requiruntur :

(a) *Motivum* propter quod veritatibus revelatis assentimur, nempe *auctoritas Dei revelantis,* cui libere plenum præstamus obsequium.

(b) *Objectum credendum :* non enim credimus in genere, sed alicui veritati vel veritatum complexui assentimur.

(c) *Gratia proveniens* et *adjuvans,* quæ nos vocat ad fidem, pium credulitatis affectum excitat, et facultates nostras illuminat[1] et inspirat ad assentiendum.

(d) *Voluntas imperans,* quæ (divino afflante Spiritu) intellectum movet ad credendum.

(e) *Intellectus,* qui (sub imperio voluntatis et influxu gratiæ) proprie elicit actum fidei.

De his autem variis elementis jam egimus, præter tria ultima quæ *proxime* ad productionem fidei actus simul concurrunt ; quæ quidem sunt *gratia, voluntas* et *intellectus.*

Art. II. De principiis quæ proxime actum fidei producunt.

259. Tria principia ad fidei productionem immediate concurrunt[2][3] : *gratia, voluntas* et *intellectus,* juxta illud S. *Thomæ* [3] : " Credere est actus *intellectus assentientis* veritati divinæ *ex imperio voluntatis* a Deo *motæ per gratiam* (Cf. n. 134)

260. *Thesis generalis :* **Actus fidei elicitur ab intellectu, sub imperio voluntatis, Dei praeveniente et adjuvante gratia.** In hac thesi quædam sunt *de fide,* quædam *certa,* prout infra declarabitur.

[1] Gratia illuminat intellectum ad ultimum judicium ferendum quod actum fidei liberum immediate præcedit.

[3] Suarez, disp. VI ; Lugo, disp. X; Kilber, p. n, cap. i; Mazzella, n. 562-593; n. 656-676; Billot, th. 15; Bainvel, p. 122-167; Pesch, n. 124-1S0; Harent, *D. T.* C., 171-278; F. Mallet, *que la Foi?* Paris, Bloud, 1907, ubi tamen voluntatis partes in fide nimis extollit; P. Garrigou-Lagrange, *Do Revel.,* t. I, ch. XIV.

[3] *Sum. theol.*, 2* 2*, q. 2, a. 9.

De *gratia* primum agimus, quia hæc est quæ prior agit tum in intellectum tum in voluntatem; postea de *voluntate,* cum et ipsa moveat intellectum; tandem de *intellectu* qui *proprie* actum fidei elicit.

I. De gratia Dei quatenus ad fldem cooperatur.

261. Status quæstionis. Hominem posse sine gratia actus *salutares* seu ad salutem æternam conducentes perficere docuerant *Pelagiani.* Quo errore a S. Augustino confutato et ab Ecclesia condemnato, quidam e Pelagii discipulis, postea *Semi-pelagiani* dicti, fatentes actus salutares proprie dictos nonnisi gratia juvante perfici posse, nihilominus contenderunt saltem " *initium fidei* et imprimis saltem *credulitatis*[1] *affectum* " seu voluntatem veram credendi (non meram velleitatem), quo ad ipsam fidem præparamur, esse a nobis sine gratiæ influxu. — Pelagii errorem, jam a conciliis *Arausicano II* et *Tridentino* damnatum, renovavit *Hermesius* qui contendebat *fidem cognitionis* oriri necessario secundum mere naturalem constitutionem humani intellectus et humanæ rationis, (supra, n. 142) ideoque ad eam minime requiri actualem gratiam. Ecclesia autem catholica docet fidem esse donum Dei, ideoque gratiam requiri tum ad initium fidei tum ad ipsam fidem.

262. i° *Prima pars thesis ;* Ad actum fidei perficiendum, immo ad initium fidei ipsumque credulitatis affectum, requiritur gratia illuminationis et inspirationis.

Defide est ex *Arausicano, Tridentino* et *Vaticano* infra citatis, quoad gratiam *inspirationis; certum,* imo *de fide divina,* quoad gratiam *illuminationis.* Nam *cogitare* modo *salutari* requirit *illuminationem* intellectus ; *eligere* autem et *consentire* supponit *inspirationem* in voluntatem, ut jam definivit *Arausicanum II.*

Script. Modo generali Scriptura docet actus salutares sine gratia perfici non posse, ut in *Tr. de Gratia* probabimus. Speciatim vero ejus necessitatem quoad fidei actum

[1] Vox *credulitas* hic non significat *nimiam* credendi facilitatem, sed tantum animi affectum quo inclinamur ad credendum : ila Cicero ait : " Me libenter præbeo credulum " *[Alt.,* 15, 16).

variis modis declarat, (a) Christus, de fide loquens coram Judæis quorum multi credere nolebant, asserit ad fidem requiri divinam operationem : " Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum... Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me... Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me,nisi fuerit ei datum a Patre meo" [1]. (b) Paulus sæpe affirmat fidem esse donum Dei, donum gratuitum : " Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est " [2]; — nec sufficere externam prædicationem, sed requiri internum Dei auxilium : " Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus "[3]; —hominem imparem esse ad aliquid salutare cogitandum : " Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est " [4]. Ex quibus patet actum fidei sine gratia Dei elici non posse.

263. Tradit. (A) *Patrum* testimonio, (a) Apud GræCOS, S. *Chrysostomus* animadvertit fidem esse *donum Dei* .· " Nec fidei donum est nostrum, sed Dei... Hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam " [5].

(b) Apud Latinos, S. *Augustinus* primum putaverat, ut ipse fatetur, nos po^se propriis viribus prædicato Evangelio consentire; sed postea, re melius perpensa, errorem suum retractavit, et Pelagianorum necnon Semi-pelagianorum hæreses strenue impugnavit : " Quocirca, inquit, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum... ita *nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem,* sed sufficientia nostra ex Deo est" [6]. Alibi testimonia allegat *Cypriani* qui ipsum fidei initium Deo tribuit, *Ambrosii* et *Gregorii Nazianzeni* qui pariter asserunt fidem esse donum Dei ; et ita rem concludit : " Isti tales tantique doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, glorie-

[1] *Joan.,* VI, 44, 65, 66. — [2] *Ephes.,* II, 5. — [3] *I Car.,* III, 7.
[4] *II Cor.,* III, 5.-[5] *Ephes.,* homil. 4, n. 2, *P. G.,* LXII, 33.
[6] *De pradest. sanctorum,* n. 5, *P. L.,* XLIV, 963.

mur; nec ipsum cor nostrum et cogitationes nostras in potestate nostra esse... ut in ipsam Trinitatem credamus et confiteamur etiam voce quod credimus : hæc utique gratiae Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur " x.

264. (B) Praecipuum vero argumentum e *Conciliis* desumitur. (a) *C. Arausicanum II*, an. 529 contra Semipelagianos habitum et a Bonifacio II an. 531 confirmatum, decrevit2: "Si quis sicut augmentum, ita etiam *initium fidei ipsumque credulitatis affectum,* quo in eum credimus qui justificat impium, et ad regenerationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est per *inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram* ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur Postea subdit nos non posse "cogitare ut expedit (ad salutem) aut eligere sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire ... absque *illuminatione* et *inspiratione* Spiritus Sancti ". — Quod decretum renovavit *Tridentinum* 3 .· " Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S. "

(b) Contra Hermesianos, *Vaticanum* declaravit fidem esse virtutem supernaturalem, *etiamsiper caritatem non operetur*^ ideoque donum Dei, ita ut nemo evangelicae praedicationi consentire possit " sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti " 4.

265. Rat. theol. Patres et theologi duplici ex capite necessitatem gratiae ad fidei actum repetunt, nempe ex *supernaturalitate* et ex speciali *difficultate* hujus actus. Sic enim merito arguunt : Gratia actualis necessaria est absolute ad actum vere supernaturalem, moraliter vero ad actum difficilem et passionibus oppositum, ut probatur in *Tr. de Gratia.* Atqui actus fidei : (a) est *vere supernatura-*

9

* *De donc perseverantia,* η. 49'5°> ■^· ■£·» XLV, IO24-I°25·
• D. B., 178; cfr. η. ıßo. — ' Sess. VI, can. 3; D· B., 813.
4 Sess. III, cap. 3 et can. 5; D. B., 1791.

lis, cum sit initium vitæ divinæ in nobis, fundamentum omnium mediorum quibus ad finem nostrum supernaturalem ordinamur, et prælibatio visionis beatificæ quæ vires naturæ cujuslibet excedit ;(b) aliunde est actus *valde difficilis,* cum importet intellectus plenum assensum veritatibus captum hominis superantibus, sub influxu voluntatis, ideoque superbiae opponatur, et insuper practicas conclusiones involvat, scilicet vitæ innovationem virtutumque praxim, quæ humanis passionibus maxime adversantur; ergo ad actum fidei requiritur gratia, et quidem duplex, nempe gratia *illuminationis* pro intellectu et gratia *inspirationis* pro voluntatex, sicut in omni *libero* actu.

266. 2° Modus quo gratia ad actum fidei cooperatur. (A) Ut rem accurate declaremus, hæc statui possunt :

(a) Ut enuntietur *judicium speculativum* de *credibilitate.* religionis, non requiritur gratia interna; nam motivum illius actus est *ex se* naturale, nempe evidentia signorum credibilitatis.

(b) Pariter judicium speculativum et certum de *credentitate* religionis *absolute* et *per se* non requirit auxilium internæ gratiæ ; nam, ut hoc judicium feratur, requiritur et sufficit ut verum miraculum agnoscatur cum revelatione connexum, simulque accipiatur auctoritas Dei revelantis; atqui hæc duo non necessario supponunt gratiam internam, cum naturali lumine rationis cognosci valeant; ergo stricte ad hoc non requiritur gratia interna. Ita *communiter.*

1 Quod egregie declarat J. P. Newman, *Discourses to Mixed Congregations,* XI, p. 224 ed. 18S6 : " Fides est donum Dei, non vero actus solius virtutis humanæ quem nos pro lubitu ponere possumus; et omnino ab actu rationis distincta, licet hæc illam præcedere debeat. Vim alicujus argumenti divinam Ecclesiæ originem probantis experior, credendi necessitatem profiteor, et fieri nihilominus potest ut credere non valeam. Fides non est tantum rationis convictio, sed firmus assensus, certitudo clara omni certitudine præstantior. Hujusmodi assensus a gratia divina, et ab ea tantum generatur in nobis. Dari potest convictio quin actio ipsi respondeat, ita pariter dari potest convictio quin fides eam excipiat. Paucis : religionis motiva neminem ad credendum, sicut moralia motiva neminem ad obediendum cogunt. Nemo nisi volens obedit, nemo nisi volens credit Possumus quidem in fidei materia vel obedientiæ quid bonum sit perpendere, minime vero velle sine Dei gratia — Cf. W. Ward, *The Wish to believe;* Dubois, *La Raison suffit-elle pour aller à la Foi?* in periodico *Science Caiholiquey* août 1S95, P· 811 sq.

(c) Ut eliciatur *judicium practicum credentitatis et voluntas assensum imperet,* requiritur gratia *proprie supernaturalis. Certum est;* nam actus qui immediate cum assensu fidei conjunguntur procedere debent ab eodem principio supernatural! ; atqui praefati actus immediate cum ipso assensu fidei conjunguntur, et constituunt quod vocatur *pius credulitatis affectus;* ergo gratiam internam requirunt.

(d) Ut fiat *actus fidei salutaris, requiritur absolute gratia supernaturalis. De fide est* : hic est enim proprie actus supernaturalis fidei, ad quem eliciendum requiritur, ex thesi, gratia vere supernaturalis, ut constat ex allatis testimoniis.

267. (B) Gratia vero ad fidem necessaria non solum medicinalis est, sed etiam elevans x : (a) *medicinalis* quidem, quæ nempe *voluntatis* duritiem infringat, perversas ejus inclinationes sanando, et ita incredulitatis radices extirpet, —) et quæ pariter *intellectus* tenebras expellat, errores et præjudicia removendo, quo facilius divina revelatio agnoscatur; constat ex *A rausicano* declarante (n. 264) per gratiam corrigi voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem.

(b) *Elevans* etiam esse debet : nam actus *proprie* supernaturalis requirit gratiam proprie supernaturalem seu elevantem. Atqui actus fidei salutaris est *proprie* supernaturalis, cum sit inchoatio vitæ divinæ in nobis, nos *deiformes* reddat et ordinet ad visionem beatificam quæ est omnino supernaturalis. Necesse est igitur ut hic actus proportionetur fini ad quem tendit, ideoque sit vere supernaturalis; id vero fieri nequit nisi elevetur per aliquam gratiam supernaturalem.

Id saltem constat quoad *ipsum fidei actum.* — Si vero agitur de *pio credulitatis affectu,* res non tam evidenter patet : *ex se* enim posset homo, medicinali gratia adjutus, inclinari ad credendum ; sed, cum hujusmodi actus, secundum divinam providentiam, ad ipsum fidei actum et ultimo ad

l *Medicinalis* seu *sanans* dicitur ea gratia quæ conceditur directe ad subveniendum infirmitati naturæ per peccatum originale vulneratae, viresque præbet ad actus bonos *naturales* quidem sed arduos peragendos; hæc est supernaturalis *quoad modum,* quia, etsi gratuita, non ordinatur ad aliquid supernaturale in se. *Elevans* autem ea est quæ ita erigit mentem ut eam aptam reddat ad actus vere supernaturales eliciendos.

sanctificationem tendat,merito censendum est eum perfici sub influxu gratiæ non solum medicinalis, sed etiam elevantis.

Animadvertendum est etiam, in iis qui fidei infusam virtutem habent, assensum fidei non ex sola gratia actuali, sed etiam ex habitu fidei procedere.

208. (C) Actu fidei semel elicito, Deus animam non deserit, sed jugi influxu adjuvat ut fidem servet et augeat, bonaque opera perficiat ad justificationem necessaria. Simul cum justificatione virtutem seu habitum fidei infundit. Si contingit caritatem per peccatum mortale amitti, non eo ipso amittitur habitus fidei, sed manet ut nos disponat ad actus necessarios ad gratiam recuperandam. Immo, si per actum hæresis aut apostasiæ ipse fidei habitus destruitur, non cessat Deus gratia actuali iterum sollicitare animam ad veram conversionem : " Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem " x.

II. De voluntate hominis cpiatenus cooperatur ad fidem 2.

269. Status quaestionis. Fides est non solum donum Dei, sed etiam *opus hominis* ad quod perficiendum concurrunt *voluntas* et *intellectus*. — Hic duplex vitari debet excessus :*fideistarum* quorumdam qui docent motiva credibilitatis esse semper insufficientia nec certitudinem parere nisi postquam, sub voluntatis imperio, actus fidei jam elicitus fuerit; *semi-rationalistarum,* qui voluntatis influxum negant in ipso actu fidei quam *fidem cognitionis* vocant. Inter hos excessus media stat veritas catholica.

270. i° *Thesis secunda pars :* ActUS fidei, quamvis ab intellectu eliciatur, fit sub i ıı perio voluntatis liberæ et bene dispositæ. *De fide* est, ex *Tridentino* et *Vaticano* infra citatis, actum fidei esse *liberum,* contra *Hermesianos,* qui contendebant *fidem cognitionis* (supra, n. 142) consistere

l *Rom.,* X, 21.

' Præter auctores jam allegatos, cfr. F. M. Catherinet. Zz *rôle di la volonté, dans facte defoi,* thèse, 1908; F. Auffret, *La liberté et facte defoi* in *Rev. du Cl. français,* XXXIX, 653-658; Dubois, *ibid.,* XL, 85-91 et 537-545; M. J. O'Donnell, *Faith and will,* in *The Irish theol. Quaterly,* t. II, jan. 1907, p. 55-71; C. Alibert, *La liberté de l'acte defoi,* in Rapport gén. sur les Confér. ecclés. de Paris, an. 1905, p. 51-65; R. Hourcade, *La volonté de croire,* in *Bulletin de lit. eccles.* (Toulouse), 1911, pp. 229, 268, 317.

in *necessario consensu* qui inducitur per argumenta pro veritatibus religionis christianæ ». Cetera in thesi enuntiata certa sunt.

271. Scriptura sæpe docet ad fidem requiri *bonam voluntatem liberumque consensum,* (a) Posita enim prædicatione, ait *S. Joannes,* alii credunt, alii non credunt : ratio autem hujus discriminis est quod quidam diligunt tenebras dum alii lucem quaerunt : " Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta " [2] Eamdem veritatem sæpe inculcat *Joannes,* asserendo Judaeos ideo non credere quia gloriam Dei non quaerunt, quia ex Deo non sunt, sed ex patre diabolo, quia caritatem in se non habent, uno verbo, quia *bona voluntate* carent ad fidem necessaria [3].

(b) Apud S. *Marcum,* actus fidei *præcipitur* et *mercedem accipit,* dum infidelitas aeternis suppliciis punitur : " Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur'^ : ex quo sane infertur actum fidei esse vere liberum.

(c) Quam veritatem S. *Paulus* sæpe inculcat, laudando fidem Abrahæ quæ, utpote libera et generosa, reputata est illi ad justitiam [5], declarando fide in captivitatem redigi omnem intellectum *in obsequium* Christi[6] (quod S. Paulus alibi obedientiam fidei vocat), ideoque neminem credere nisi volentem, etc.

(d) Idem constat ex locis ubi fides *ex corde, ex toto corde* oriri dicitur; *cor* enim sæpe *voluntatem,* praesertim *affectuosam,* designat Corde enim creditur ad justitiam [7]... Si credis ex toto corde " [8].

[1] *Acta C. Vat.,* p. 529.
['] *Joan.,* III, 18-21. — *Joan.,* V, 31-44; VII, 16-18; VIII, 42-47, etc.
[4] *Marc.,* XVI, 16. — [5] *Rom.,* IV, 1-5. — [6] *II Cor.,* X, 5-6; cfr. *Rom.,* I,
[7] *Rom.,* X, 10. — [8] *Ad.,* VIII. 37.

272. Tradit. (A) *Patrum testimonio.* Inter Graecos, S. *Irenæus* diserte libertatem fidei asserit : animadvertit enim vim a Deo non inferri hominibus, sed eos liberos manere non solum in operibus, sed etiam in fide : " Vis enim a Deo non fit... Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus, dicens : *Secundum fidem tuam fiat tibi* " L

Clemens Alex, docet non solum fidem esse liberam, sed etiam ad eam requiri morales dispositiones, præsertim humilitatem : " Dicit autem alius propheta : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quomodo enim admirabilem eorum contemplationem capere potuerit anima, si intus adversetur eorum quæ discenda sunt incredulitas? Fides autem, quam Græci calumniantur, existimantes inanem et barbaram, est voluntaria anticipatio, pietatis assensio"3. Et postea : " Fide ergo consistit gnosticus : qui se autem existimat sapientem, ea quæ sunt veritatis non attingit, infirmis et instabilibus affectibus abreptus... qui se autem existimat sapientem, ne omnino quidem divina vult audire præcepta"3.

Inter Latinos, S. *Cyprianus* fatetur impossibile esse eos ad fidem adducere qui male sunt dispositi : " Certe et labor irritus et nullus effectus offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto; cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire. Hæc considerans, sæpe conticui... cum nec docere indocilem possem, nec impium religione comprimere"45 S. *Augustinus,* inquirens num fides ipsa in nostra constituta sit potestate, respondet neminem credere nisi volentem : " Quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem utique volentis est; profecto fides in potestate est " s. Et alibi67 : " Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accipere sacramentum potest nolens : *credere non potest nisi volens* ". Ceteroquin multoties declarat ad fidem requiri rectas dispositiones, videlicet ut *devote ac pie* ad religionem accedamus*i* : "si pius lector accedat, si mitis legat, si non hæretico animo unde rixetur, sed fideli corde unde ædificetur, inquirat " 8.

273. (B) *Concilia* fidei libertatem definierunt : *Tridentinum* contra Protestantes: "Disponuntur ad ipsam justi-

* *Cont. hares.,* l. IV, c. 37, nn. 1, 5, *P. G.,* VII, 1099, 1102.
'*Strom.,* l. II, c. 2, *P. G.,* VIII, 929. — 3 *Ibid.,* c. n, 937.
* *Ad Denietrianum,* c. 1-2, *P. L.,* IV, 545.
5 *De spiritu et littera,* c. 31, *P. L.,* XLIV, 235.
6 *In Joan.,* tr. XXVI, c. VI, n. 2, *P. L·,* XXXIV, 1607.
7 Cfr. *De utilitate credendi,* c. 6, *P. L.,* XLII, 74.
8 *Contra Faustum manich.,* l. III, c. 5, *P. L.,* XLII, 217.

tiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes *libere moventur in Deum...* " *; *Vaticanum* contra Hermesium declarat fidei actum esse "opus ad sa'utem pertinens, quo homo *liberam præstat ipsi Deo obedientiam,* gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando"; et rem ita definit : "Si quis dixerit assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanis necessario produci... A. S. " [1][2]

274. Ratione ostendi potest quomodo *libertas fidei* cum *evidentia credibilitatis* concilietur. Actus fidei liber est non solum quoad *exercitium,* quatenus nempe possumus *credere* aut *non credere,* attentionem nostram avertendo ab objecto credendo, sed etiam quoad *specificationem,* quatenus nobis inest possibilitas sive actum *contrarium* ponendi, dubitando vel negando, sive actum ex objecto formali *specifice diversum* eligendi, v. g., actum fidei *non salutaris* quo quis credit non ad se subjiciendum auctoritati Dei,sed ut ea utatur. In quo tamen explicando theologi in varias abeunt sententias.

(a) Secundum *Thomistas,* ideo fidei actus liber est quia intellectus non determinatur ad unum nisi per *evidentiam intrinsecam :* hæc autem deficit in fide, cum testimonium Dei nobis non manifestet intrinsecam veritatis revelatæ evidentiam, sed solum ejus existentiam; unde fit ut intellectus non sit perfecte quietatus, sed experiri possit dubia, ad quæ expellenda requiritur liber voluntatis interventus. Ita mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, etc., etsi evidenter credibilia, remanent *intrinsece obscura;* atqui, ut ait S. *Thomas,* "illa sola manifestatio excludit fidei rationem per quam redditur apparens vel visum id de quo principaliter est fides "[3].

1 Sess. VI, cap. 6, D. B., 798.

2 Sess. III, cap. 3, can. 5 de Fide, D. B., 1791, 1814.

3 S. Thom., 2a 2æ, q. 5, a. 1; cfr. q. 2, a. 9 ad 2; *De veritate,* q. 14, a. *I,* ubi hæc leguntur : " Non enim assensus (fidei) ex cogitatione causatur, sed ex voluntate, ut dictum est. Sed quia intellectus non hoc modo terminatur ad unum ut ad proprium terminum perducatur, qui est visio alicujus intelligibilis; inde est quod ejus motus nondum est quietatus, sed adhuc habet cogitationem et inquisitionem de his quæ credit, quamvis firmissime eis assentiat; quantum enim est ex se ipso, non est ei satisfactum, nec est terminatus ad unum; sed terminatur tantum ex extrinseco... Inde etiam est quod in credente potest insurgere motus de contrario hujus quod firmissime tenet, quamvis non in intelligente vel sciente

Cfr. Salmant, disp. V, dub. i.

275.(b) *Lugo* autem, aliique ut *Frantelin, Bouquillon* *, putant id non sufficere ad libertatem fidei; sunt enim veritates auctoritate evidenter cognitæ, v. g., existentia Romæ aut Napoleonis, de quibus dubitare non valeamus. Quare dicunt fidei actum ideo esse liberum quia iis ad quos mediate tantum pervenit, divina revelatio, etsi moraliter certa, non est evidens; unde tollit dubium *prudens,* non autem omne dubium : nobis enim non innotescit nisi per considerationem multarum rerum a qua potest quis facile se avertere.* Prophetæ autem et Apostoli, quibus stricto sensu evidentia revelationis esse potuit, potuerunt quidem elicere actum fidei, sed hic actus non fuit liber.

276.(c) Quæ tamen solutio rejicitur a multis, quales sunt *Billot, Bainvel, Pesch, Van Noort* et ii omnes qui admittunt fidem *simplicis auctoritatis,* supra, n. 159; nam, etiam quando adest evidentia revelationis, veritatibus revelatis assentimur non propter evidentiam testimonii, sed propter ipsam auctoritatem Dei cui libere submittimur. Hi itaque substantialiter Thomistarum opinioni adhærent, immo addunt voluntatem non solum dubia expellere libertate contrarietatis, sed etiam ita intellectum auctoritati Dei revelantis submittere libertate specificationis, ut non sinat intellectum elicere actum fidei *non salutaris,* (n. 274).

277· (d) Aliter rem explicat *P. Rousselof*2 *:* actus fidei *liber* est eo sensu quod homo *libere* eligit se submittere Deo revelanti, et est simul rationabilis, quia clare et certo videt talem assensum esse legitimum. Res sic declaratur : homo vult suum finem consequi et sese ad Deum libere ordinat; ex hac appetitione finis accipit facultatem recte judicandi de rebus religiosis, et, hujus facultatis ope, motiva credibilitatis, v. g., miracula recte interpretatur tanquam argumenta mundi supematuralis divinæque revelationis; credit itaque divinam revelationem *libere,* quia voluntate eligit submitti Deo; credit *rationabiliter,* quia mens ejus, lumine divino illuminata, clare videt Deum revelasse eique fidendum esse. Adest igitur actio reciproca intellectus et voluntatis : voluntas quidem Deo obedit, sed obeditio dat oculos : et hi duo actus *simul* ponuntur.

278. 20 Modus quo voluntas ad actum fidei cooperatur, secundum communem Patrum et theologorum mentem, ita describi potest :

(A) Imprimis requiritur *voluntatis rectitudo,* quæ veritatem amat : hæc est veluti *remota præparatio* ad fidem, quatenus mentem dis-

' Lugo, disp. II, sect i; Franzelin, *De traditione,* p. 668-676; Bouquillon, *De virt. theol.,* n. 85-88. — * In *Tr. de Fide* lithographice edito, p. 67-68.

ponit ad veritatem quaerendam et amplectendam. Nam, ut sapienter notat 5. *Thomas* *, "cognoscere veritatem est *secundum se* amabile... sed *per accidens* cognitio veritatis potest esse odibilis, in quantum impedit ab aliquo desiderato Ergo voluntas debet esse recta, seu diligere et facere veritatem : "qui autem *facit veritatem* venit ad lucem "3.

Hæc autem, inter alia, praestat recta voluntas : (a) animum naturaliter *levem* et curis *externis* et *temporalibus irretitum* avertit a rebus mere mundanis, et *applicat attenta considerationi* rerum *interiorum* et *aternarum,* ut serio inquirat de vera hominis felicitate et vita futura; nihil enim fidei magis inimicum est quam practicus indifferentismus et fascinatio rerum temporalium ; (b) *sensualitatem* et *voluptatem edomat* quibus cor avertitur a religione quæ pravis obstat passionibus 3; (c) *patienti et sincera inquisitione* praejudicia removet de impossibilitate certitudinem acquirendi circa res supramundanas, de repugnantia miraculi, etc.; (d) *superbiam refranat,* quæ mentem inclinat ad rejicienda mysteria, utpote inintelligibilia et humanæ dignitatis imminutiva, necnon leges ab extra impositas quasi essent humanæ autonomiæ opposita.

279. (B) Voluntas iterum agit in *præambulisfidei,* ad agnoscendum supremam Dei auctoritatem et revelationis factum, et quidem dupliciter : (a) *intellectum applicando* ad *attente* considerandas rationes quibus Dei existentia et auctoritas demonstretur, aut revelationis factum certo moraliter innotescat : secus, intellectus indifferens maneret ad hoc potius quam illud considerandum ; (b) *movendo intellectum ad assentiendum* supradictis veritatibus; nam, si, *per accidens,* etiam quoad existentiam Dei, quæ *ex se* tam evidenter demonstratur, ut recte ait *L. Billot**,* "evidentia non eousque perfundit intellectum, ut per ablationem omnis possibilis dubii, quantumvis imprudentis, penitus eliminetur necessitas applicationis quæ a voluntate sit"; *a fortiori,* factum revelationis, quod testimoniis extrinsecis probatur, quæ, etsi omne dubium prudens excludant, non adimunt potestatem dubium imprudens concipiendi, requirit voluntatis interventum, ut, omni prorsus dubio remoto, intellectus firmum præbeat assensum, (c) Insuper, quando intellectus fert judicium *practico-pradicum,* fit *libera voluntatis electio* quæ*pius credulitatis affectus* vocatur. Nam inchoatio fidei est in

1 *Sum. theol.,* Ia 2æ, q. 29. a. 5, ad 2. — '*Joan.,* III, 21.

3 Hinc G. F. Romanes, positivista ad fidem christianam conversus, scribebat {*Thoughts on Religion,* 1895, p. 166) : ""Now nothing is so inimical to Christian belief as unchristian conduct. This is especially the case as regards impurity : for, whether the fact be explained on religious or non-religious grounds, it has more to do with unbelief than has the speculative reason

4 *De virtutibus infusis,* Romæ, 1901, p. 202. ,

affectu, in quantum voluntas determinat intellectum ad assentiendum his quæ sunt fidei. Nam, ut recte ait *Pesch,* n. 142, " bonum... quod movet voluntatem ad imperandum assensum est aliquid fidei internum, id est, firma possessio veritatis, et hoc motivum est absolute necessarium, quia voluntas non potest movere intellectum nisi ad id quod apprehenditur ut verum ; dein potest etiam esse aliquid externum, ut timor pcenarum vel spes præmiorum ", — Gratia movet etiam voluntatem quodam impulsu ad obediendum Deo eique totaliter fidendum.

280. (C) ***In*** *ipso actufidei,* voluntas duo præstat : (a) *imperat assensum,* quia intellectus non necessario trahitur evidentia objecti, cum hæc non sit intrinseca, (b) Efficit ut *assensus fideifirmior* evadat quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium, et fiat *appretiative* summus.[1] *Motiva credibilitatis* sunt *conditio prcevia,* et quidem necessaria, assensus fidei, non autem ejus regula aut mensura. Firmitas assensus a tribus præsertim causis pendet : 1) a *gratia* divina; 2) ab ipso *motivo fidei,* scilicet auctoritate Dei revelantis, quæ *ex se* est infallibilis et trahit assensum ceteris omnibus firmiorem ; 3) a *voluntate,* quæ pro sua obeditione et confidentia erga Deum, ita vult credere ut per nullam spem boni et nullum metum mali a pio credendi affectu se sinat abduci.

281. (D) *Postfidei actum,* voluntas ad fidem servandam cooperatur. Etenim in credente insurgere possunt involuntaria dubia contra veritates fidei : cum enim intellectus non videat intrinsecam rationem mysteriorum revelatorum, non perfecte quietatur, adhuc habet cogitationem et inquisitionem de his quæ credit, quamvis firmissime eis assentiat. Quapropter, ad hæc dubia removenda, necesse est ut voluntas mentem avertat a rationibus dubitandi eamque convertat ad motivum ipsius fidei, nempe auctoritatem Dei quæ plenam fidem meretur.

282. *Corollaria :* (a) Hinc intelligi datur *cur tam multi non credant,* etiamsi motiva credibilitatis sufficienter eis proponantur ; nam, ex dictis, ad credendum, non satis est veritatis propositio, sed requiritur insuper voluntatis seu cordis recta dispositio, qua quis ad consideranda credibilitatis motiva efficacius inducatur, et ad assentiendum veri-

[1] Merito igitur ab *Innocentia XI* damnata est hæc propositio : " Voluntas jion potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium". D. B., n. 1171.

tatibus revelatis suaviter impellatur; hæc autem dispositio multis deest.

283. (b) Hinc etiam *fides non est in omnibus æqualis,* sed ejus perfectio a dispositionibus voluntatis maxime pendet, et in eodem subjecto augeri potest; unde Apostoli Christo dicebant : " Domine, adauge nobis fidem " *. Revera *voluntas,* gratia *inspirationis* roborata, veritatibus revelatis *firmius* adhaerere potest : " Potest ergo fides in aliquo dici major uno modo ex parte *intellectus,* propter majorem certitudinem et firmitatem; alio modo ex parte *voluntatis,* propter majorem promptitudinem, seu devotionem vel confidentiam "1.

III. De intellectu quatenus actum Gdei elicit.

284. Actus fidei, etsi imperatus a voluntate, *proprie ab intellectu elicitur.* Id negant multi *Protestantes,* qui fidem, quam fiduciam vocant, collocant in voluntate. A quibus non satis recedunt *Modernistæ,* qui, etsi a fide non omne elementum intellectuale excludunt, eam tamen potissimum reponunt in quadam totius hominis tendentia in Deum vel in *senszi quodam religioso,* e latebris subconscientiae erumpente.

285. i° *Thesis tertia pars :* Fides, quatenus est assensus veritatibus revelatis, proprie elicitur ab intellectu.

Certum ac saltem fidei proximum ex *Vaticano* et Constit. Pii X infra citatis, n. 287, immo, juxta quosdam, *de fide* ex eadem Constit.

Scriptura de fide agens ita loquitur ut manifestum sit eam esse non solum actum voluntatis, sed etiam et præcipue actum intellectus. Ita, *Petrus,* post audita verba Christi de Eucharistia, fidem suam ita exprimit : " Et nos *credidimus* et *cognovimus* quia tu es Christus, Filius Dei " 3. *Paulus* fidem describit tanquam obsequium intellectus : " Et in captivitatem redigentes omnem *intellectum* in obsequium Christi " 4. Alibi fidem cum visione beatifica conferens, asserit utrumque esse cognitionis actum : " *Videmus*

1 *Luc.*. XVII, 5. — 3 S. Thomas, 2. 2, q. 5, a. 4.
3 *Joan.*. VI, 70. — 4 ***II*** *Cor.y* X, 5-

nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc *cognosco* ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum "[x]. In *ep. ad Hebr.* fides exhibetur ut "*argumentum non apparentium*", qua "*intelligimus* aptata esse saecula verbo Dei", et qua accedens ad Deum credit "quia est et inquirentibus se remunerator sit"[2]. Jamvero credere non apparentia, credere Deum esse, utpote cognitionis actus, ad intellectum spectant.

S. *Joannes* asserit fidem esse quasi initium et auroram vitæ ætemæ : "Quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei"[3]; porro vita aeterna primario consistit in perfecta Dei cognitione : "Hæc est autem vita ætema : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum"[4]; ergo et fides primario consistit in cognitione Dei, ideoque ab intellectu elicitur. Sæpe etiam asserit fidem esse cognitionem quamdam testimonio fundatam[5], qua vere cognoscimus Christum a Patre exiisse[6],* et qua vere percipimus veritates divinitus nobis traditas[7]. Atqui nulla res vere cognosci potest nisi per intellectum. Ergo intellectus vere elicit actum fidei.

286. Traditione eadem doctrina confirmatur. (A) *Patres* modo generali multoties asserunt fidem esse assensum veritatibus revelatis, iis præsertim quæ in Symbolo continentur, ideoque Symbolum catechumenis exponunt ut rectam fidem mente concipiant. — Insuper diserte asserunt fidem esse lumen oculos mentis illuminans : "Fides, ait S. *Cyrillus Hierosol.*[8], oculus est conscientiam illuminans et intelligentiam pariens", S. *Chrysostomus* docet fidem esse visionem eorum quæ per se sunt occulta, et addit : "Fidei enim opus est intelligentia; ideo dicit: fide intelligimus"[9].

Quam doctrinam sic breviter contrahit S. *Augustinus*[10] : "Cogitat omnis qui credit; et credendo cogitat, et cogitando

' *I Cor.*, XIII, 12. — · *Hebr.*, XI, i, 3, 6. — 3 *IJoan.*, V, 13.
**Joan.*, XVII, 3. — *Joan.*, III, II-I2;XI, 23-27.
b*Joan.*, XVII, 8, 21-23. ~ ' *IJoan.*, I, 1-5; V, 1-15.
6 *Catech.* V, η. *η. P. G.*, XXXIII, 514.
* *In Hebr., P. G.*, LXIII, 151, 155.
10 *Deprédestinât. sanctorum* n. 5, *P. L·*, XLIV, 963.

credit ". Quæ quidem omnia supponunt fidei actum ad cognitionem referri, et ab intellectu elici.

Inter scholasticos, S. *Thomas* rem sic aperte declarat : " Credere autem immediate est *actus intellectus,* quia objectum hujus actus est *verum,* quod proprie pertinet ad intellectum "».

287.(B) *Concilia* idem æquivalenter tradunt, præsertim *Vaticanum;* duplicem enim ordinem *cognitionis* distinguit, principio et objecto distinctum; "principio quidem, quia in altero naturali ratione et altero fide divina cognoscimus"; declarat nos teneri " plenum revelanti Deo *intellectus* et voluntatis obsequium fide præstare ", et fidem esse virtutem qua " revelata *vera esse credimus,* non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis". Atqui hæc omnia supponunt fidem esse cognitionem, actum nempe intellectus quo veritatibus revelatis assensum praebemus. — Id vero explicite declaratur in professione fidei a Pio X praescripta, die ia Sept. 1910 : "Certissime teneo ac sincere profiteor fidem non esse cæcum sensum religionis e latebris *subconscientia* erumpentem, sed *verum assensum intellectus* veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quæ a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis Ex quo sequitur rem esse certam, immo et prope definibilem, cum satis clare in Scriptura teneatur et aliunde saltem tanquam certissima jam assensui nostro a Pontifice proponatur.

288. 2° Modus autem quo intellectus cooperatur ad fidei actum, ex dictis facile explicatur, (a) Præeunte divino auxilio, n. 262, et imperante voluntate, n. 270, intellectus attente considerat motiva credibilitatis, et divinum interventum agnoscit; tunc profert *judicium speculativum* credibilitatis et credentitatis; postea vero, coopérante gratia illuminationis, judicium fert *practico-practicum :* quod quidem fit ultimum ex libera electione voluntatis, (b) Sub imperio voluntatis, etsi non videt intrinsecam rerum revelatarum

evidentiam, firmum tamen eis assensum praebet propter auctoritatem Dei : et hic est proprie actus fidei ; (c) post elicitum fidei actum, ratio majorem rerum revelatarum intelligentiam quaerit, ut fusius exponetur ubi de habitu inter fidem et sacram scientiam.

289. Conclusio generalis. Et ita apparet quomodo actus fidei sit vere *actus totius hominis,* ad quem producendum concurrunt intellectus et voluntas, et quidem toto tempore quo homo sese disponit ad fidei actum eumque elicit; et simul *actus Dei,* qui, gratia sua praeveniente et adjuvante, non solum nos vocat ad fidem, sed etiam intellectum illuminat voluntatemque inspirat, ut, omnibus remotis impedimentis, peractisque actibus praeparatoriis, fidei actum eliciamus, et in fide perseveremus et proficiamus.

IV. De processu quo homines ad fidem perveniunt.

290. Processus practicus quo varii homines ad fidem perveniunt *diversus* est pro diversa singulorum *educatione* ac *mente :* docti non eodem modo ac pueri et simplices ad veritatem pertingunt, et, inter doctos, alii aliter, secundum cujusque inclinationes et studia. Insuper *multiformis* est gratia Dei, et alios quidem via -brevi, immo quandoque miraculosa, alios vero longiori itinere ad fidem perducit. Non omnes igitur, sed praecipuos processus breviter describemus: nempe processum i° *scientificum;* 2° *puerorum ac ruditim;* 30 processum *extraordinarium* et miraculosum.

291. (A) *Processus scientificus,* id est, quem *nonnulli* amplectuntur *docti* qui fidem christianam quærunt, et *logicam* methodum demonstrationis christiano-catholicæ integre sequuntur. Dico : *nonnulli,* quia revera multi etiam inter doctos viam breviorem assumunt. Supponimus eos esse *recte dispositos,* ita ut veritatem accipere parati sint, etiam praejudiciis aut passionibus oppositam : secus enim vim argumentorum vix capere poterunt.

(a) Imprimis, duce voluntate, *Dei existentiam* ejusque *scientiam et veracitatem naturaliter* expendere et agnoscere debent, considerando videlicet argumenta quæ in *Prcelect. Philosophicis* exponuntur. Ad cognitionem hujusmodi sufficit *per se* concursus Dei naturalis; sed, cum hujusmodi cognitio sit præparatio ad fidem, nil prohibet quin auxilium divinitus datum sit supematurale.

(b) Postea *revelationis factum* investigari debet, historiæ ac criticæ ope, motiva credibilitatis considerando quæ exponuntur in *Tr. de Vera Religione et de Ecclesia,* præsertim argumenta quibus divinitas missionis Christi probatur, necnon auctoritatis infallibilis necessitas. Ad hoc sufficit etiam *fer se* concursus Dei naturalis, licet Deus auxilio supernatural! tum intellectum tum voluntatem in hoc studio juvare possit, hinc valde expedit ut auxilium Dei frequenti oratione postuletur. — Ex hac duplici consideratione jam efformari poterit judicium *speculativum* de *possibilitate* et *obligatione* credendi : nam si Deus infallibiliter sciens et verax veritates revelavit, eisdem assensum præbere tenemur. Tale judicium *in se* est naturale, sed, cum sit proxima et positiva præparatio ad ipsum actum fidei, facultates nostræ jam gratia supernatural! ad illud eflbrmandum plerumque juvantur. Haud raro etiam uno eodemque actu percipitur divinus interventus in aliquo signo miraculoso statimque elicitur actus fidei implicitæ.

(c) Deinde fertur, cum auxilio gratiæ illuminantis, judicium *practico-practicum : ego hic et nunc credere debeo,* et voluntas ex pio credulitatis affectu *eligit* actum fidei imperare. Hic est vere actus fidei supernaturalis, ab intellectu elicitus, sub imperio liberæ voluntatis, excitante ac coopérante gratia Dei quæ intellectum illuminat ac voluntatem movet.

(d) Postea inquirendum remanet quænam sint *in specie* veritates a Deo revelatæ, ut explicite credi valeant. Jamvero una e veritatibus a Christo manifestatis, est *infallibilis auctoritas Ecclesia* concessa ad auctoritative proponendas veritates credendas : huic veritati assensus supernaturalis est actus fidei explicitæ ab intellectu elicitus sub imperio voluntatis et influxu gratiæ. Quod peracto, jam facilis erit via ad credendum explicite quidquid Ecclesia infallibilis tanquam de fide proposuerit.

2Ç2. (B) *Pueri ac simplices,* id est plerique fideles, methodum scientificam sequi non valent, sive propter ingenii infirmitatem, sive propter defectum temporis, ideoque *via auctoritatis* ad fidem accedunt.

(a) Imprimis, quamdiu præjudiciis imbuti non sunt, .propriam ignorantiam circa religionem libenter agnoscunt, necessitatem alicujus auctoritatis sentiunt, ideoque paratos sese exhibent ea omnia credere quæ a viris gravibus honestisque serio proponuntur. Insuper qui baptismum susceperunt, habent habitum infusum fidei, et actuales gratias recipiunt, quibus facilius credere possunt; immo etiam non baptizati his gratiis actualibus non carent.

(b) Quibus positis, pueri et rudes Dei existentiam et ejus perfectam scientiam et veracitatem cognoscere possunt, sive ratiocinio eorum

intellectui accommodato, sive saltem auctoritate parentum vel parochi.

(c) Insuper, ope ejusdem parochi vel parentum, discunt adesse *Societatem religiosam,* in toto orbe dispersam, quæ Ecclesia catholica vocatur, et docet omnes veritates religiosas scitu necessarias. Hujus auctoritatem facile admittunt simplices : nam ex una parte naturaliter sunt veritatis discendæ cupidi, et ex altera suam ignorantiam agnoscunt; sufficit igitur ut ipsis ostendatur Ecclesiam *maxima auctoritate* pollere, tum propter numerum, scientiam et sanctitatem membrorum suorum, tum propter inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, etc. ; huic plane fidere non dubitabunt.

(d) Admissa auctoritate ut ita dicam *humana* Ecclesiae, facile ad ejus *divinam et infallibilem* auctoritatem devenient; illa siquidem Ecclesia, quæ humane loquendo tanta auctoritate gaudet, testatur se accepisse a Deo infallibilem potestatem docendi quidquid ad religionem pertinet; cum igitur sit testis omni exceptione major, et aliunde testimonium operibus suis confirmet, rudes ejus divinæ auctoritati assentire rationabiliter possunt, proindeque prudenter credere quidquid definit, propter auctoritatem Dei revelantis, cujus interpres constituta fuit *.

293- (C) Quidam tandem acatholici ad fidem perducuntur via *extraordinaria,* immo quandoque *miraculosa.* (a) Nonnulli, occasione alicujus concionis, aut sacræ ceremoniæ, vel infortunii, a Deo interius illuminantur et *suaviter* ad veram religionem trahuntur, antequam motiva ordinaria credibilitatis critice perpenderint[1]. Hi postea quidem, duce sacerdote aut pio catholico, argumenta quærunt quibus divina revelatio constare valeat; sed eorum conversio primum divinæ illuminationi tribuenda est.

1 Hoc sane intellexit Mallock, rationalista ante mortem ad catholicam fidem conversus, qui de Ecclesia catholica hæc scribit (Zr *Life worth living,* c. XII, p. 304) : " Primum quod a nobis postulat Ecclesia, est ut eam cognitam habeamus, in ejus oculis nostros defigamus, verba oris ejus audiamus, vias ejus et opera investigemus, interiorem ejus spiritum experiamur; quo peracto, ait : ""Potestisne vos meæ fidei committere? Mihi in omnibus credendum est; illico enim vobis dico me numquam mentitam fuisse. Potestisne usque adeo mihi credere? Audite : meam narrabo vobis historiam ".

2 Ita, ut pauca afferamus exempla, F. Brunetière primum attraxit *auctoritas doctrinalis et socialis* qua catholica Ecclesia gaudet, cujusque necessitatem agnoverat; Coppée suavis ac perennis consolatio quam ægrotis et afflictis afferre solet religio Christiana; Huysmans pulchritudo cultus ac symbolismi catholicismi ; P. Bourget fidelitas in servandis antiquis traditionibus, sine quibus ethica stare nequit. Cfr. A Crosnier, *Les Convertis d'hier,* Paris, 1910. Sed hæc omnia sunt motiva credibilitatis a *C. Vaticano* jam declarata sub hac appellatione : " Ecclesiæ inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem

(b) Alii *quasi inviti* divina apparitione immutantur, prout factum est in casu *Pauli,* aut recentius Alphonsi *Ratisbonne,* Judæi catholicae Ecclesiæ infensi : hæc est conversio *vere miraculosa,* quæ tota tribui debet gratiæ Dei, et sæpe precibus piæ personæ obtenta fuit : ita conversio Pauli precibus Stephani.

294. Corollarium. *De modo incredulos ad fidem trahendil.* Conversio incredulorum, eorum scilicet qui fidem amiserunt, est opus difficile, ad quod nonnisi prudenter procedendum est : hæc præsertim attendantur :

(A) *Ante colloquium :* (a) plus orationi quam arti dialecticæ fidendum est, quia fides est donum Dei, precibus præsertim obtinendum ; (b) mansuetudo et patientia sunt omnino necessariae, ne per duras increpationes increduli in malo confirmentur; (c) sedulo inquiri debet quid admittat, quid neget adversarius, ut sciatur unde incipiendum sit : inutile enim foret revelationis factum demonstrare, nisi prius existentia Dei admitteretur.

(B) */n ipso colloquio :* (a) *paranda est via demonstrationi, manifestando perversum agendi modum coryphæorum incredulitatis,* qui ex una parte credere nolunt millenis testibus pro religione catholica loquentibus et ex altera tam facile admittunt, etiam sine sufficienti probatione, ea quæ contra ipsam proferuntur ; v. *g.,* originem hominis a simia libenter admittunt, et simul dogma catholicum quod omnes homines ab una stirpe descendunt impossibile censent; *inculcando quædam principia generalia* circa insufficientiam rationis, præsertim in eis quæ ad alteram vitam referuntur, circa moralem impossibilitatem completum inveniendi legum codicem, absque revelatione ; *ostendendo quot veritates ex humano testimonio aut doctiorum auctoritate admittamus,* etiam in rebus humanis, et quam imprudenter agant qui omne prorsus testimonium religioni Christian® favens, sine scientifica inquisitione rejiciunt.

(b) Postea *proponenda sunt quædam motiva credibilitatis,* captui et ingenio adversarii magis accommodata, curando ne de una quæstione ad aliam transitus fiat, antequam prior elucidetur; quæ motiva exquiri debent non solum in libris theologicis, sed etiam in exemplis et dictis eorum qui suam conversionem ad fidem christianam vel catholicam narraverunt2.

(c) Tandem *incredulitatis radices removere oportet;* si causa ejus fuerit *corruptio morum,* in memoriam revocandi sunt dies innocen-

1 Cf. Hurter, *op. cil.,* vol. I, n. 145 sq.

2 Inter hujusmodi opera, legi possunt : J. H. Newman, *Apologia pro vita sua;O.* Brownson, *The Convert;* Baunard, *La Foi et ses victoires*, Paris, 5e éd. 1887 ; Lewengard, *La splendeur catholique,* Paris, 1910,· A. von Ruville, *Retour à la Su Église,* Paris, 1911, etc.

tiæ et |)acis, et addendum gratia Dei omnia obstacula superari posse; si sit *superbia,* provocare licet ad tot viros doctos, qui post accuratam veritatis inquisitionem, fidem catholicam sunt amplexi strenueque propugnarunt; si *judicii levitas,* animadvertendum est res æternas serio considerandas esse, cum maxima damna ex earum neglectu oriri valeant; si fuerint *scandala,* quæ etiam inter catholicos immo et sacerdotes non desunt, non negentur quidem, quando certo constant, sed humana fragilitate explicentur, ipsisque opponantur heroica virtutum exempla a tot Christianis præbita.

(C) *Colloquiofinito :* (a) cavendum est ne increduli nimis festinanter ad fidem impellantur; conversio enim non est opus unius diei, sed patienter exspectanda; (b) interea inculcanda est orationis necessitas, ut a Patre luminum gratiam fidei obtinere valeant : fides enim est donum Dei omnino gratuitum, nec solius argumentationis fructus.

Art. III. Controversia de ultima fidei resolutione.

295. **Status** quaestionis. Omnes quidem admittunt motivum fidei esse auctoritatem Dei revelantis, supra, n. 148, et actum fidei esse simul *rationalem,* utpote certis motivis innixum, *liberum* et *supernaturalem.* Cum vero auctoritatem Dei et factum revelationis non perspiciamus immediate, sed argumentis demonstremus, quidam rationalistæ objiciunt fidem *ultimo* resolvi in *argumenta humana.* Quaerenti enim cur credam Christum esse Deum, respondeo quidem : *propter auctoritatem Dei qui hanc veritatem revelare voluit.* Sed si iterum quaesierit undenam noverim Deum esse fide dignum eumque revelasse divinitatem Christi, respondeo : id novi ex argumentis credibilitatis. Numquid igitur fides ultimo resolvitur in argumenta humana? Si ita est, non videtur esse actus supernaturalis, nec majorem prae se fert firmitatem et certitudinem quam praemissae argumenti credibilitatis. En difficultas.

Responderi quidem potest motiva credibilitatis esse tantum praeambula fidei, et praeviam conditionem, non autem elementum fidei constitutivum. Sed remanet explicandum quomodo fides, quæ pendet a motivis credibilitatis ratione notis, possit esse *supernaturalis* et *firmior* ipsis motivis.

296. **Theologi diversimode rem exposuerunt.** i° *Suarez,* quem inulti sequuntur theologi [*], præsupponit hominem, antequam fidei actum eliciat, auctoritatem Dei et factum revelationis novisse argumentis humanis; asserit vero fidelem, *in ipso actu fidei,* non attendere ad hæc argumenta, sed auctoritatem Dei et factum revelationis credi *propter ipsam revelationem :* Deus enim explicite revelando aliquod mysterium, implicite revelat se esse veracem et se revelare. Itaque quando assentimus veritati revelatæ, v. g., mysterio Trinitatis, tres actus fidei elicimus, nempe : credo Deum esse veracem, credo Deum revelasse Trinitatem, credo Trinitatem. — Ratio præcipua quam affert, hæc est : virtus fidei est prorsus supernaturalis : atqui virtus supernaturalis inniti debet motivo supernatural! ; ergo motivum fidei debet esse supernaturale; porro supematurale non esset, si cognosceretur solius rationis ope : ergo per fidem seu revelationem cognosci debet.

297. *2°J de Lugo* animadvertit hanc Suarezii theoriam circulum vitiosum includere : " Quæso cur credas Deo dicenti se esse summe veracem? Dicis, quia Deus est summe verax : ecce Deo dicenti credis summam ejus veracitatem, quia ipse summe verax, et rursus hoc totum credis, quia Deus dicit se esse summe veracem; quod, quantumcumque explicetur, *totum est ludere verbis"* [3].

Quare et ipse aliam viam proponit. Asserit quidem auctoritatem Dei, in actu fidei, neque per fidem, neque per discursum cognosci, sed *immediate, ex rationibus intestinis,* eo fere modo quo intelliguntur principia per se nota. Ita *auctoritas Dei* ex ipsa terminorum apprehensione intelligitur, dummodo sic enuntietur : Si Deus loquitur, dicit verum. Pariter *factum revelationis,* v. g., Deus revelavit divinitatem Christi, etsi non *per se* evidens ex ipsa apprehensione terminorum, ab Ecclesia tamen proponitur tot et tantis miraculis confirmatum, ut intellectus sine discursu percipiat Deum revelasse hanc divinitatem. Hæc autem cognitio, quamvis immediata, est obscura; aliunde et supernaturalis, cum perficiatur ab intellectu per gratiam elevato et adjuto.

Hæc theoria tamen admitti nequit. Etenim : (a) cognitio quam habemus divinæ auctoritatis factique revelationis non est immediata, sed mediata; Dei veracitas pnesupponit ejus existentiam, infinitamque perfectionem, cujus scientifica probatio *difficultatibus* non caret ; pariter factum revelationis, etiam miraculis firmatum, non agnoscitur nisi attente expensis quæstionibus criticis et historicis valde implexis, (b) Etiamsi utrumque *immediate* notum

[*] Suarez, *Defide,* disp. **III,** sect. 6 et 12 ; **Scheeben,** n. 686 ; G. M. Jansen, *Praient, theol. dogmat.,* **I,** p. 720.

[3] *Defide,* disp. **I,** n. 82.

esset, adhæsio utrique data esset cognitio mere prævia, non autem actus fidei vere et intrinsece supematuralis (nn. 158, 160); nec videtur cur, in hac opinione, gratia interveniat, et cur assensus fidei firmior sit.

298. 30 Aliter rem declarant recentes quidam auctores, quales sunt *Card. Billot, Pesch, Bainvel, Van Noortx.*

Motivum fidei est Deus ipse seu *ipsa auctoritas Dei revelantis,* ante fidei actum *ratione* vel *humana auctoritate* cognita; non autem *cognitio* hujus auctoritatis. Porro auctoritas Dei revelantis, quocumque modo nobis innotuerit certo, meretur assensum *super omnia firmum.* Cum enim fides nostra sit fides *simplicis auctoritatis* (n. 159), a voluntate imperata quæ intellectum Deo subjicit, mensura firmitatis adhæsionis est *auctoritas Dei ipsa;* aliunde, adhæsio fidei *libera* fit supematuralis per gratiam, quæ elevat facultates, illuminat intellectum ad cognoscendum motivum, et inspirat determinationem voluntatis in motivum ipsum.

Actus igitur fidei praeceditur duplici judicio :*judicio credibilitatis,* quo pronuntiatur aliquam doctrinam, statim ac constat eam divinitus esse revelatam, prudenter credi posse seu certo esse credibilem, et judicio *credentitatis* quo pronuntiatur eamdem doctrinam firmiter esse *credendam* propter nostram a Deo dependentiam. Sed ipse actus fidei fit unice *propter auctoritatem Dei* revelantis. Si quæris cur Trinitatem credam, respondeo : quia Deus, qui Trinitatem revelavit, dignus est fide super omnia. Responsio est adæquata, nec possibile est ulterius inquirere in eadem linea seu quoad motivum credendi. Nam si quæris undenam noverim Deum revelasse Trinitatem et esse fide dignum, respondeo hic non amplius agi de motivo fidei, sed tantum de motivis credibilitatis quæ sunt praeambula ad fidem seu *conditio sine qua non.*

299. 40 *Thomistce** felicius difficultatem solvunt, distinguendo inter Deum *auctorem naturæ* et Deum *auctorem ordinis supematuralis. Ratione* possumus quidem cognoscere auctoritatem Dei *auctoris naturæ* simulque *historicum revelationis factum,* quatenus nempe divinus interventus miraculis probatur; et ita fides nostra est *rationabilis,* quia

Billot, *De virt. tnfusis,* th. 16; Lahousse, *De virt. theologicis,* n. 132 sq.; Pesch, n. 318-354; Bainvel, *op. cit.,* p. 178 sq.; Van Noort, n. 291-304.

' Cajetanus, *in Sum. theol.,* 1· 2* q. 1, a. 1 ; Gonet. *De Fide,* disp. 1, a. 2, n. 55; Salmant, disp. I, dub. 5 : Garrigou-Lagrange, in *Revue Thomiste,* mai 1912, p. 3S0; mai 1913, p. 3X9'327 î *De Revelatione,* ch. XIV, art. 3.

innititur signis credibilitatis ratione cognoscibilibus. *Fide* autem credimus auctoritatem Dei revelantis quatenus est *auctor ordinis supematuralis;* et hoc est proprie *motivum fide^* et quidem omnino *supernaturaley* cum nonnisi revelatione innotescat. Hoc igitur motivum est simul id *quo* et *quod* creditur : id nempe *quo* creduntur ceteræ veritates revelatae, et id *quod* creditur seu potius *concreditur'* cum eodem instanti assentiri possimus auctoritati Dei revelantis et veritati particulari (v. g., divinitati Christi) quam revelat.

Itaque, secundum *ThomistaS'* ultima resolutio *formalis* et *intrinseca* actus fidei fit in *auctoritatem Dei revelantis* prout est id *quo* et *quod* creditur. Attamen, ut fidei assensus prudenter detur, requiritur tanquam *prævia conditio judicium credibilitatis'* quo pronuntiamus hanc aut illam veritatem esse certo credibilem, utpote certo divinitus revelatam.

Utrumque systema probabile est; sed *Thomistarum* theoria fidei *supernaturalitatem* felicius servare nobis videtur.

300. 50 Nova tamen theoria a *P. Rousselot'* proposita est. Juxta eum, actum fidei non præcedit judicium credibilitatis aut credentitatis; sed judicium hujusmodi *simul* cum ipso fidei actu *uno eodemque actu* fit, et quidem modo supernatural!, sub influxu gratiæ. Etenim dari nequit actus fidei naturalis, nec judicium naturale credibilitatis cum sine gratia divinum interventum agnoscere non valeamus. Sed statim ac, Dei juvante gratia, percipimus aliquod factum esse miraculosum seu praetematurale, eo ipso credimus Deum per hoc factum sese manifestasse, ideoque elicimus actum fidei supematuralis.

Concedimus aliquid veri in hoc systemate esse, nempe *aliquando* actum fidei immediate elici, sub influxu gratiæ, absque distincto judicio credibilitatis ; sed negamus impossibile esse ut res aliter se habeat, (a) Imprimis fieri potest ut homo recte dispositus et naturali Dei auxilio adjutus, naturaliter perspiciat yim motivorum credibilitatis, quæ, ut ait *Vaticanum'* signa sunt certissima divinæ revelationis; illatio enim, qua, v. g e miraculis Christi divinum interventum agnoscimus, proprias vires hominis recte dispositi superare non videtur; immo si negatur id fieri posse naturaliter, nonne eo ipso negatur vis demonstrativa miraculorum? Si miracula sunt *per se* signa revelationis certissima, omnium ingenio accommodata, cur ea percipere naturaliter nequimus? Si nequimus, quomodo rationabilitatem fidei nostræ demonstrare valemus?

l *Les yeux de la Foi,* in periodico *Recherches de sc. religieuse^* mai-juin 1910, P· 253'258- Cf. Harent, *D. T.,* VI, 260-275.

(b) Insuper nil prohibet quominus homo, supernatural! gratia adjutus, vim demonstrativam talis vel talis miraculi agnoscat, ideo que pronuntiet revelationem Christianam esse *credibilem,* quin tamen ei adhaereat, ob praejudicia intellectualia aut passiones morales quibus irretitus ab actu fidei retardatur : aliud est enim *judicare* aliquid esse credendum, et aliud id *credere;* ergo non est unus idemque actus.

Art. IV. De Proprietatibus actus fidei.

301. Ex dictis de objecto et productione actus fidei inferri possunt ejus proprietates praecipuae : *certitudo, obscuritas, libertas* et *supernaturalitas.* Cum de his ultimis jam satis dictum fuerit, nn. 262, 270, de duobus prioribus dicendum manet.

I. De certitudine fidei.

302. Fidei certitudo, de qua hic agitur, est status mentis firmiter et sine formidine adhaerentis veritati revelatæ propter auctoritatem Dei revelantis. *Excludit omne dubium deliberatum* de veritate fidei nostrae, omnem timorem ne quod credimus falsum sit ; non autem investigationem probationum et difficultatum, nec timorem ne propria culpa fidem amittamus. Fidem nostram omnino certam esse constat ex eo quod se totaliter submittat ipsi Dei revelantis auctoritati qui nec falli nec fallere potest.

Sed quæstio est insuper num fides sit certior scientia naturali. Quæ ut recte solvatur, quatuor in certitudine distingui possunt : i° *claritas,* seu splendor, quem certitudo intellectui præbet ; 2° *infallibilitas* seu necessaria connexio cum veritate objectiva; 30 *exclusio dubii;* 40 tandem *firmitas adhœsionis.*

303. i° Jamvero sub respectu *claritatis,* fides est *scientia inferior;* nam quædam principia naturalis scientiæ, v. g., "totum est majus sua parte" ita sunt intrinsece evidentia ut statim omnium mentibus affulgeant ; dum mysteria fidei,

1 S. Thom., 2s 2®, q. 1, a. 3; q. 4, a. 8; Suarez, disp. VI, sect. 5 ; Lugo, disp. IV; Salmantic., disp. II; Kilber, p. 570 sq. ed. *Migne;* Mazzella, n. 59.4 sq.; Pesch, n. 355-425; Card. Billot, th. XVIII; S. Harent, *D. T. C.,* 387 sq.

etsi evidenter credibilia, nobis peregrinantibus obscura manent, ut infra dicemus de fidei obscuritate.

304. 2° Sub respectu *infallibilitatis,* fides est *certior omni naturali cqgnitione.* Hæc enim aliquando errori obnoxia est, dum *genuina fidei nunquam subesse potest falsum.*

Etenim si quid falsum fidei subesse posset, illud esset vel quia Deus potest falsum revelare, vel quia homo fide vera credere valet quod existimat revelatum, cum revelatum non sit. Atqui neutrum dici potest; (a) non *prius,* quia, quidquid dixerunt pauci antiqui theologi, Deus nec mentiri nec falsum dicere potest, cum sit ipsa veritas : " Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur "[1]; (b) non *posterius :* fatemur equidem aliquid posse *credi* ab aliquo simplici quod nullomodo revelatum fuit, v. g., posset quis per ignorantiam *credere,* (i. e., putare) aquam benedictam esse sacramentum ; talis autem assensus non esset verus fidei actus, sed assensus saltem ex parte mere naturalis. Nam ad genuinum fidei actum requiritur assensus veritati non putative sed vere revelatæ datus, ideoque sub influxu gratiae illuminationis et inspirationis elicitus propter auctoritatem Dei qui voluit hanc veritatem revelare. Atqui, in casu de quo agitur, assensus errori datus, certe non datur sub influxu gratiae illuminationis. Ergo est assensus mera existimatione fundatus et ideo mere putativus, non autem genuinus actus fidei [2]

305. *Corollaria :* (a) Qui per ignorantiam propositioni falsae assentit, quam reve'atam putat, non peccat, sed, juxta communem sententiam, opus praemio dignum facit, ob *piam* suam dispositionem : Deus enim intuetur cor.

(b) Qui negaret propositionem quam revelatam esse existimat, licet revelata non sit, esset haereticus *affective* et in foro *interno,* quia eo ipso auctoritatem Dei quem putat revelasse negaret.

[1] *Num.,* XXIII, 19.

[3] Ita fides differt a virtutibus moralibus, quarum objectum non est verum, sed *bonum;* actus voluntatis etiam falso supposito innixus, v. g., eleemosyna data ei qui falso censetur indigens, est vere actus virtutis, et quidem, in casu, caritatis; virtus autem fidei, cujus objectum materiale est *verum,* non potest proprie exerceri circa*falsum.*

306. 3° Sub respectu *exclusionis dubii* seu *indubitabilitatis,* fides *non est certior omni cognitione naturali.* Sunt enim quædam veritates tam certæ ut de his naturaliter dubitare non possimus, v. g., bonum est amandum. Motivum autem fidei *possibilitatem dubii* non excludit, quatenus motus dubitationis in credente oriri possunt, etiam *contra ejus voluntatem* x, ut experientia constat. Ratio est quia intellectus, non videns intrinsecam rationem veritatis revelatæ, non plene quietatur. Attamen fidelis, gratia adjutus, voluntate dubitationes repellit, et exinde non minuitur fidei certitudo.

307. 4° Ratione *adhæsionis,* fides est *firma super omnia,* ideoque *certior omni naturali cognitione,* si forsan excipias veritates metaphysice evidentes.

Declaratur. Fides est assensus cujus firmitas est *apprætiative summa,* quatenus auctoritatem Dei pluris facimus quam omne aliud motivum assensus. Dicitur *super omnia* firma, eo sensu quod veritati certo revelatæ et ab Ecclesia certo propositæ firmius adhæremus quam omni propositioni naturaliter cognitæ.

Animadvertunt tamen multi theologi, post S. *Thomam* 1, assensum fidei non esse firmiorem, quoad nos ex parte adhæsionis, assensu veritatibus metaphysicis evidentibus dato; nam in vero metaphysice evidenti immobiliter, indubitabiliter ac determinate sistit ac quiescit intellectus. Sed, cum fidei assensus sit *totius anima adhcesio,* et quidem sub influxu gratiæ datus (n. 262), multi animam suam dant pro fide, pauci admodum pro veritate metaphysica.

308. *Probatur* Script, (a) Exigitur enim in credentibus firma adhæsio ex his et similibus textibus : " *Certissime* sciat ergo omnis domus Israel quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis " 3; " si credis ex *toto corde,* licet " 4; credere enim ex toto corde est firmissime credere, (b) Ratio cur hæc firma adhæsio requiratur, his verbis declaratur : " Si testimonium homi-

1 S. Thomas, *De veritate,* q. 10, a. 2, ad 6.

' *Sum. theol.,* 2» 2®, q. 4, a. S ad I ; ita etiam *Wirceburgenses, Card. Billot.*

3 *Act.,* II, 36. — 4 *Act.,* VIII, 37.

num accipimus, *testimonium Dei majus est*" *; ex quo colligitur fidem, quæ testimonio Dei innititur, majorem certitudinem præbere quam testimonium humanum.

Tradit. Cone. *Vaticanum* ait : "*Plenum* revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur".2

Ratione ostenditur fidei assensum esse *firmum,* immo generation assensu scientific© *firmiorem,* ex duplici capite : (a) ex ipso *motivo fidei;* nam tale motivum est auctoritas Dei revelantis; atqui credens tota mente *firmissime* se subjicit huic auctoritati, adhaerendo veritati revelatae propter auctoritatem Dei revelantis, cui falsum nunquam subesse potest; (b) *ex imperio voluntatis et viribus gratiæ;* voluntas enim per gratiam elevata et adjuta, imperare potest et debet intellectui adhaesionem veritatibus revelatis super omnia firmam : gratia enim novas vires facultatibus nostris præbet, quarum ope suo objecto firmius adhaerere valent, (cf. n. 280)

II. De obscuritate fidei.

309. i° *Status quæstionis.* (a) Omnes theologi fatentur fidem esse obscuram *ratione motivi;* nam fidei motivum non est intrinseca rei evidentia, sed Dei auctoritas; atqui auctoritas Dei rei existentiam quidem manifestat, sed ejus *intrinsecam rationem* non explicat, nec proinde menti nostrae eam claram efficit.

(b) Insuper, juxta omnes, fides non potest cum visione beatifica coexistere : Beatus enim clare videt Deum et res divinas, dum credens non videt ea quæ credit, cum fides sit *argumentum non apparentium;* nemo autem potest *videre* simul et *non videre* aliquid sub eodem respectu; ergo fides cum visione beatifica non coexistit.

(c) *Probabilius* obscuritas fidei non postulat absentiam perfectae evidentiae de facto revelationis. Perfecta enim evidentia, qualem, v. g., habuit B. Virgo, de revelatione mysterii Incarnationis, non manifestat internam mysterii veritatem, v. g., intrinsecam rationem unionis hypostaticae, ideoque non tollit obscuritatem ei essentialem.

Joan., V, 9. — 3 *D. ö.,* 1789.

(d) Iterum fatentur omnes fidem esse *geueratim* obscuram *ratione objecti,* quia *pracipua* veritates revelatae sunt *mysteria* quæ rationis captum omnino superant.

310. 2° Quibus praenotatis, magno æstu inter theologos *disputatur* num *fidei objectum sit necessario obscurum,* seu aliis verbis, num veritates naturali evidentia cognitae, v. g., Dei existentia, spiritualitas et immortalitas animæ, etc. possint esse simul fidei objectum.

Varice opiniones. (A) S. *Thomas* docet *fidei actum dari non posse in eodem subjecto* simul cum *actu scientiæ,* circa veritatem naturali evidentia cognitam, v. g., Dei existentiam, saltem *secundum ideml.* Contingere quidem potest ut quod ab uno naturaliter est cognitum, sit *ab alio* creditum ;immo ut quis primum per fidem credat aliquod objectum cujus postea scientiam acquiret; aut veritatem sciat sub aliquo respectu et credat sub alio, v. g., *sciat* Deum *esse,* et *credat* per revelationem eum esse et in anima inhabitare. Sed non potest existentia Dei *ab eodem simul actu sciri* et *credi* secundum eumdem respectum : non potest enim idem objectum simul videri et non videri *secundum idem;seà* potest simul videri et non videri secundum diversos respectus.

Cui fundamentali argumento quidam Thomistæ duo alia addunt : (a) juxta S. *Paulum,* circa res *non apparentes* fides essentialiter versatur : " Fides est sperandarum substantia rerum ; argumentum *non apparentium* "' ; atqui res, naturali evidentia demonstrate, sunt res apparentes; ergo fides circa res evidentes versari nequit; (b) insuper actus fidei debet esse essentialiter liber ; atqui actus, quo assentimus veritati intrinsece evidenti, non est liber, quia intellectum nostrum ad assentiendum evidentia cogit.

311. (B) *Suarez* autem, cum multis Theologis, præsertim modernis, docet fidei actum dari posse simul cum actu

1 S. Thom., 2J 2*, q. I, a. 4-5; *De veritate,* q. 14, a. 9; Gonet, *Clypeus,* de Fide, disp. I, art 5-6; Salmanticenses, *de Fide,* disp. III, dub. 2; Berthier, *de Locis theolog.,* n. 504 sq.; Billot, th. XVIII. — Concedunt tamen plerique Thomistæ circa idem *habitum scientia* in homine mortali cum *habitufidei* consistere posse, pariter *habitum fidei* cum *actu scientia,* aut *actum fidei* cum habitu scientiæ coexistera posse.

' *Hebr.,* XI, I.

scientiæ circa veritatem naturaliter evidentem, dummodo assensus detur *non propter rei evidentiam, sed propter Dei auctoritatem*[1]. Nam : (a) ex S. *Paulo* 2,3credere debemus Dei existentiam ejusque providentiam : " *Credere* enim oportet accedentem ad Deum, quia *est,* et inquirentibus se remunerator sit atqui illæ duæ veritates sunt naturaliter evidentes. Confirmatur ex eo quod in *Symbolis* et in Concilio *Vaticano* hujusmodi veritates credendæ proponuntur eodem modo ac eæ quæ sunt supra rationem 3.

Thomistæ vero respondent hic agi de Deo, prout est auctor ordinis *supernaturahs* et *revelationis;* quæ quidem veritas naturali ratione non percipitur.

(b) Non repugnat ut idem homo veritati evidenti assentiat tum propter ejus intrinsecam evidentiam, tum propter auctoritatem Dei, dummodo eidem veritati non assentiat *secundum idem;* atqui prior actus erit actus scientiæ, posterior autem fidei actus; ergo.

Thomistæ vero secundam minoris partem negant; nam assensus scientificus et fidei assensus sunt contradictorie oppositi, cum prior sit *clarus,* posterior vero necessario *obscurus;* ergo assensus veritati evidenter cognitæ non erit actus fidei.

312. Utraque opinio probabilis est et in idem practice tendit 4. — *In praxi* igitur veritates hujusmodi proponi debent non tantum propter intrinsecam eorum evidentiam, sed etiam propter Dei revelantis auctoritatem ; nam in necessariis ad salutem tutior pars sequenda est.

1 Suarez, disp. III, sect. 8; de Lugo, disp. II, η. 59; Mazzella, η. 638 sq.; Pesch, η. 404-409.

» *Hebr.,* XI, 6.

3 " Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum..." *{Vatie.,* sess. III, cap. 1, D. B., 1782.

4 Nonnulli contendunt post Cone. *Vaticanum* opinionem thomisticam vix propugnari posse, cum ibi fidei nostræ propositæ fuerint veritates de Dei existentia et attributis, quæ naturali rationis lumine cognosci valeant. Sed ex hoc solummodo sequitur has veritates ab omnibus *accipi* debere, minime vero eos, qui jam harum veritatum scientiam acquisierunt, teneri de eisdem specialem fidei actum eliceie distinctum ab actu scientific» adhæsionis. Cf. Vacant, *op. cit.,* η. 758.

caput m.

DE HABITU FIDEI.

Expositis iis quæ fidei *objectum* et *actum* spectant, de *habitu* infuso fidei agendum superest : i° de *ejus infusione;* 2° de *habentibusfidem* seu de *subjectofidei.*

Art. I. De infusione habitus fidei[x].

Duo declarabimus : i° ipsam *infusionem* hujus habitus; 2° ejus *naturam.*

I. Ipsa infusio habitus fidei.

313. *Thesis :* **Virtus fidei in ipsa justificatione infunditur simul cum gratia habituali aliisque virtutibus.**

(A) Certum est ex aperta declaratione *Tridentini*[2] *:* " In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia *simul infusa* accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, *fidem,* spem et caritatem ", Teste igitur Concilio, quando homo justificatur, sive per baptismum sive per sacramentum pænitentiæ vel per contritionem perfectam, eodem instanti accipit gratiam sanctificantem et virtutes theologicas, inter quas prima recenseatur*fides,* quæ est "*fundamentum* et *radix* totius justificationis ",

(B) Idem constat ex *unanimi theologorum consensu.* Jam ineunte sæculo XIII0, theologi supponebant virtutes cum gratia habituali infundi in adultos, sed dubitabant num idem de parvulis dicendum esset, et quidam dicebant per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, non autem gratiam nec virtutes conferri 3. Res postea ad Concilium *Viennense* (an. 1311) delata fuit, et ibi declaratum est 4 ; " Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis quam

[x] S. Thom., 2* 2«, q. 6, a. 1-2; cjusque Commentatores.
[2] Sess. VI, cap. 7, D. B., 800.
[3] *Decretal. Gregor. IX,* L III, iit 42, c. 3. — [4] D. B., 483.

adultis conferri in baptismo informantem gratiam et *virtutes,* tanquam *probabiliorem* et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam ”,

Post *Tridentimim,* unanimiter docent theologi hanc doctrinam esse certam. Immo, plurimi censent eam esse *de fide,* quales sunt Vega, Suarez, Ripalda; alii dicunt rem non esse de fide, quia Concilium non diserte asserit has virtutes esse habitus permanentes, sed fatentur verba adhibita aliter non posse rationabiliter explicari, ideoque contrarium esse erroneum.

(C) *Ratio id suadet.* In ordine naturali, Deus homini praebet non solum naturam ut principium remotum agendi, sed etiam facultates quibus immediate disponitur ad actum. Porro adest quaedam *analogia* inter vitam naturalem et vitam supernaturalem ; hæc autem analogia supponit Deum homini infundere non solum gratiam habitualem, quæ est principium remotum supernaturaliter agendi, sed etiam principia proxima, seu virtutes. Licet enim actus supernaturales elici valeant per auxilia mere actualia, magis consentaneum videtur divinæ sapientiae ut infundantur habitus supernaturales, quorum ope hi actus connaturaliter producantur. — Inter illos habitus autem merito recensetur virtus fidei, quæ, utpote radix et fundamentum totius justificationis, magis necessaria esse videtur.

II. De natura fidei.

314. Ex ipsa fidei notione, n. 133-139, et ex dictis in toto decursu tractatus constat fidem esse *primam inchoationem vitæ supernaturalis* in anima. Cum enim Deo Optimo placuerit nos participes efficere propriae suae vitae, in substantiam animae infundit, ipso justificationis instanti, *gratiam habitualem,* qua participationem creatam accipimus naturae vitaeque divinæ; et, ut actus huic vitae consentaneos perficere valeamus, in facultates nostras *virtutes* et *dona* Spiritus Sancti infundit. Jamvero, inter has virtutes, prior, ratione *generationis* est *fides,* qua participes efficimur divinæ veritatis : Deus siquidem, primum per prophetas, deinde per dilectum Filium suum ejusque apostolos, nobis mysteria

revelavit ad finem nostrum supernaturalem consequendum necessaria; his itaque mysteriis firmiter adhærendo, obscure et imperfecte saltem cognoscimus veritates divinas : ita vitæ ejus intellectuali aliquo modo communicamus, ita vita supernaturalis inchoatur in nobis.

Id sane jam colligitur ex iis præsertim quæ de fidei objecto formali et materiali dictum est. Pauca tamen exponenda manent de fide *formata* et *informi,* et de *firioritate* fidei relate ad ceteras virtutes.

i° De fide formata et informi[1].

315. (A) Fides *formata* seu *viva* dicitur quæ cum caritate conjungitur et per eam veluti informatur; fides autem *informis* seu *mortua,* quæ sine caritate in peccatoribus existit. Caritas enim est *forma* omnium virtutum non intrinseca quidem, sed *extrinseca* et *accidentalis,* quatenus eas ordinat ad finem suum supernaturalem, eisque præstat ut earum actus sint vitæ æternæ *meritorii.* Est autem modo speciali *forma fidei,* quia per eam homo vivere incipit vita supematurali, etsi imperfecte.

316. (B) *Fides informis est vera virtus, etsi imperfecta.*

(a) *Vera virtus :* i) respondet enim definitioni virtutis, cum sit bona qualitas mentis qua bene vivere incipimus et qua nemo ut principio male utitur; 2) est etiam principium boni actus quatenus intellectum inclinat ad assentiendum veritatibus revelatis.

(b) *Virtus imperfecta.* Licet enim sit principium actus boni, non est tamen principium actus *meritorii* in ordine ad vitam æternam; atqui proprium est virtutis perfectæ elicere actus vitæ æternæ meritorios. " Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, *fidem sine operibus mortuam esse* et *otiosam esse...* "[2].

317. (C) *Fides informis est ejusdem speciei ac fides formata.* Habitus enim non distinguuntur nisi secundum

[1] S. Thom., 2* 2X, q. 4, a. 3-5; Billuart, diss. IV, a. 1.
[2] *Trident.,* sess. VI, cap. 7, D. B., Soo.

quod est ipsis intrinsecum ; atqui distinctio fidei formatae et informis non sumitur secundum quod est huic virtuti intrinsecum, nempe objectum materiale aut formale, sed secundum quod est ejus forma tantum extrinseca, n. 315, 139.

Exinde patet quomodo fides, essentialiter eadem manens, possit *deformata fieri informis,* quando justus peccat mortaliter, et *de informifieriformata*^ quando credens peccator justificatur.

20 De prioritate fidei quoad alias virtutes.

318. *Probatur : Fides est prima per se inter virtutes ordine generationis.* Etenim cognitio finis est prior per se ordine generationis intentione et electione ejusdem finis : nil enim volitum quin praecognitum. Atqui fide cognoscimus finem nostrum supernaturalem, dum spe et caritate eum intendimus atque virtutibus moralibus media eligimus ad eum attingendum. Ergo fides est *per se* prior omnibus virtutibus.

319. *Declaratur :* 1) *per se :* nam *per accidens* alia virtus potest esse prior fide, quatenus obstacula removet quae fidem impedire valent; ita humilitas removet superbiam, qua tot homines ab intellectus submissione ad fidem necessaria prohibentur, fortitudo inordinatum timorem expellit qui non paucos a fide deterret.

Dicitur : 2) *ordine generationis* quia, ratione *temporis* possunt omnes virtutes simul infundi ; ratione vero *dignitatis,* caritas fidei praestat.

Art. II. De subjecto fidei[x].

320. Per subjectum fidei hic intelligimus eos qui *actum* fidei elicere possunt, et quibus inest fidei *habitus :* quaestio est in quibus fidei habitus, in justificatione infusus, maneat, sive inter *viatores* sive inter eos qui sunt *in termino.*

I. De hominibus viatoribus.

Homines in terra degentes sunt vel justi, vel peccatores, vel infideles. Nulli dubium est *justis* fidei habitum inesse,

[x] S. Thom. 2a 2æ, q. 5; ejusque Commentatores : Suarez, disp. VII, sect. 3-5; Lugo, disp. XVII; Salmantic., disp. VIII.

eosque actus fidei elicere posse, cum sine fide impossibile sit placere Deo; pariter certum est *infideles* qui nunquam crediderunt habitu fidei carere. Quæstio igitur solum agitari potest quoad *peccatores* et eos qui *infideles fiunt* rejiciendo, post baptismum, veritatem revelatam.

321. i° Fidei habitus in peccatoribus remanere potest, seu, aliis verbis, fides non amittitur per ipsam amissionem caritatis et gratiæ sanctificantis.

De fide ex *Tridentino* 1 : " Si quis dixerit amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, A. S."; quod contra Protestantes dirigitur; dicunt enim solam fidem justificare, proindeque fidem cum justificatione essentialiter connecti, ita ut caritate seu justificatione amissa, eo ipso amittatur fides vera et sanctificans.

322. *Prob.* (a) S. *Paulus,* de caritate disserens, hæc habet : " Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum " 2; atqui hæc verba manifeste supponunt fidem sine caritate existere posse. Item *S. Jacobus*^ dicit : " Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?" Ibi enim supponitur fidem sine operibus, ac proinde sine caritate et gratia existere posse. Nec dicatur fidem sine operibus *mortuam* esse, juxta eumdem (26), nec proinde veram esse fidem; nam fides a Jacobo mortua dicitur eo quod a caritate non informatur, quæ est animæ vita; hoc autem non impedit quin fides, a caritate separata, sit *vera* fides, licet imperfecta; nam caritas *non* est forma *intrinseca* fidei, sed solum *extrinseca,* ita ut fides vere existere possit quin caritati uniatur 4.

(b) *Ratio* assertionis nostræ in Dei voluntate reponenda est, qui, propter suam misericordiam, voluit per peccatum mortale totum spirituale ædificium non destrui, ut, virtute fidei recanente, peccatores facilius converti possint. Attamen addi potest argumentum valde probabile. Habitus

non destruuntur nisi per actus sibi contrarios, formare eorum objectum tollentes; v. g., virtus naturalis castitatis non tollitur per actus iræ, sed solum per actus luxuriæ. Atqui peccatum mortale *ex se* non destruit formale objectum fidei, nempe submissionem auctoritati Dei revelantis, sed tantum objectum formale caritatis ; ergo ex se caritatem, non vero fidem destruit.

323. 2° *Fidei habitus destruitur infidelitatis peccato formali, non autem peccato materiali.* Certum est. Infidelitas est *formalis* quando quis *sciens* et *volens* veritatem revelatam negat aut in dubium vertit; est *materialis,* si *bona fide* aut ignoranter rejicitur veritas revelata, ab eo scilicet qui nescit eam esse revelatam.

Prima pars constat : (a) ex S. *Paulo,* dicente : " Quam (fidem) quidam repellentes, circa fidem *naufragaverunt :* ex quibus est Hymenaeus et Alexander " Unde sic : haeretici de quibus agitur unum fidei articulum negabant, nempe resurrectionem carnis; atqui tamen dicuntur omnino amisisse fidem : " circa fidem *naufragaverunt* ",

(b) Idem e *Tridentino* * constat, ubi declaratur per infidelitatem amitti fidem : vox enim *infidelitas,* ut apparet tum ex usu loquendi tempore Concilii, tum ex contextu, indicat modo generali omne peccatum directe contra fidei motivum, sive sit haeresis sive apostasia sive sola infidelitas.

(c) *Ratio* idem probat; id enim fidem e medio tollit quod ipsius objectum formale seu motivum destruit ; atqui ita est de infidelitate : nam qui negat unam veritatem quam scit revelatam, eo ipso negat auctoritatem Dei revelantis, quæ est motivum fidei, ideoque ipsum fidei fundamentum evellit 3.

324. *Secunda pars* probatur contra quosdam auctores catholicos qui contendunt fidem amitti etiam per *materialem* infidelitatem 4.

(a) Unanimi consensu theologorum, qui, sine ulla distinctione scholarum, uno ore id docent; unus audiatur *Suarez :* " Infidelitas

1 ***I** Tim,,* I, 19. — * *Trident.,* sess. VI, cap. 15, D. B., 808.

3 S. Thom., 2» 2æ, q. 5, a. 3.

4 Cf. Millier. *The Catholic dogma : Extra Ecclesiam,* p. 180 et alibi passim; Brownson, *Works,* vol. V, p. 572 et seq.

positna subdistinguenda est in materialem seu excusabilem a culpa, et formalem seu culpabilem ; prior est in eo qui, cum receperit aliquando habitum fidei, per ignorantiam invincibilem in erroribus fidei contrariis versatur ; nam ille quidem potest hac ratione dici infidelis materialiter, nihilominus tamen ille *numquam poterit privanfidejam habita, per illam solani infidelitatem* (sc. materialem)"; et addit : "hæc certa sunt et extra controversiam"*.

(b) *Rat. theol.* Status gratiæ et a fortiori fides amitti nequit nisi per peccatum mortale; atqui infidelitas materialis non est peccatum mortale, cum incurratur sine cognitione ex parte intellectus et idcirco sine libero voluntatis consensu ; et sane Deus injuste ageret, si fidei habitu privaret eos qui conscientiæ dictamen sequuntur, et parati sunt ea omnia credere quæ ut revelata sibi constabunt.

325. Hinc pariter rejiciendum est quod dicit *Brownson,* scilicet fidei habitum destrui posse *sola omissione actus fidei*[1] ; talis enim omissio fidem non tollit, nisi quando ex positivo et culpabili oritur dubio contra fidem; si oriatur solum ex negligentia, vel humano respectu, vel etiam ne quis christiane vivere cogatur, potest esse peccatum plus minusve grave secundum varias circumstantias, sed non est peccatum directe contra fidem, nec virtutem fidei destruit.

326. *Controvertitur* autem num catholici in religiosis rebus nonnisi imperfecte instructi, et inter incredulos versantes, ab Ecclesia catholica secedere valeant seu negare dogma infallibilis auctoritatis Ecclesiæ *sine formali peccato infidelitatis,* quin proinde habitum fidei amittant.

r) Quidam *negant,* quia, ex tina parte, nulla est justa causa fidem in dubium vocandi, et, ex altera, Deus neminem deserit nisi prius deseratur, ideoque catholicos gratia sua juvat ne in hæresim labantur. 2) Alii *affirmant;* nam dantur juniores catholici qui, insufficienter in fide instructi et roborati, ab hæreticis aut rationalisas multa contra catholicam religionem audiunt, quæ solvere non valent; ita sensim et sine sensu aliquot dubia concipiunt, et mox fidem in Ecclesiæ auctoritatem amittunt, quin tamen *grave* peccatum *formaliter* contra fidem commiserint, quia neminem inveniunt qui propositas difficultates sufficienter solvat.

327. Si mentem in re tam difficili aperire liceat, putamus quidem nullum a vera fide jam *suscepta* sine aliqua culpa gravi saltem *imprudentia* 3, secedere posse ; sed hæc

* *De Gratia,* l. IX, c. 7, n. 3-4. — ' Brownson's *Works,* vol. V, p. 573.

3 *Imprudentia* reus est. v. g., qui, in religione parum instructus, acatholicos frequentare eosque audire non dubitat, qui ephemerides et libros legit fidem

culpa non est semper contra ipsum motivum fidei, ideoque non necessario habitum fidei expellit.

Hanc esse mentem *Vaticani* censemus; ait enim *Vaticanum*[1] : "Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, *quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum,* in hoc eodem lumine *ut perseverent gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur.* Quocirca minime par est conditio eorum, qui per cæleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui, ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, *nullam unquam habere possunt justam causam mutandi,* aut in dubium fidem eamdem revocandi ". Ex quibus duo colligere fas est : (a) Deum gratia sua nos juvare ut in fidei virtute perseveremus, ita ut, si divino auxilio fideliter cooperemur, eam retinere valeamus; (b) nullam exstare causam *objective justam* fidei veritates in dubium revocandi vel negandi.

Unde animadvertimus, post *Granderath*[2], a Concilio non definitum fuisse, nunquam fieri posse, ut homo catholicus sine *peccato formali infidelitatis* divinitatem Ecclesiæ in dubium vocet vel ab ea deficiat. Siquidem *Vaticanum* hic solum condemnare voluit *Hermesii* errorem, qui causam objective justam dubitandi adesse docuit, immo doctis dubium commendavit, ut aperte declaratur ab ipsis scriptoribus schematis Patribus Concilii propositi : "Neque etiam in proposita declaratione doctrinae et condemnatione erroris illud attingitur, quod aliqui veteres theologi concedere non dubitant, posse *per accidens,* et in certis quibusdam adjunctis, conscientiam rudis cujusdam hominis catholici ita induci in errorem invincibilem, ut sectam aliquam heterodoxam amplectatur sine peccato formali contra fidem, qua in hypothesi fidem non amitteret, nec formalis, sed materialis hæreticus foret *{Tanner,* de fide, q. 2, dub. 5, n. 139; *Platelius,* de fide, n. 61). Hæc quidem, nisi cautissime explicentur, periculose disputantur; sed ab hæresi, quæ sacro Concilio examinanda proponitur, sunt alienissima".

II. De iis qui sunt in termino.

328. i° *Angeli et Beati non eliciunt actum fidei proprie dictum, saltem circa ea quæ in Verbo clare vident.* Certum est.

impugnantes, nec ad doctum sacerdotem recurrit, quando occurrunt dubia contra fidem.

1 *Vatie.,* sess. III, cap. 3, Denzing·. n. 1642.

2 Granderath, *Constitué C. Vaticani explicata,* 1892, p. 61 ; cfr. Vacant, *op. cit.)* L II, n. 731-737 ; *F>. T. C.9* art. *Fai,* 291 sq.

(a) Ait enim S. *Paulus :* " Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus ; cum autem venerit quod perfectum est (i. e., visio beatifica), evacuabitur quod ex parte est " 1. Quibus verbis intelligitur fidem esse quid imperfectum relate ad visionem beatificam et*per ipsam evacuandam esse; quod ex sequentibus confirmatur : "Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem " 3.

(b) *Ratione.* Fides est assensus testimonio Dei fundatus; atqui angeli et beati in caelo non amplius indigent credere propter auctoritatem Dei, cum jam clare videant quae antea credebant; ergo fides jam non amplius existit in caelo, sed ejus vices tenet visio beatifica.

329. 2° *Anima in Purgatorio detenta habitum fidei retinent, et fidei actus, licet non meritorios, exercere possunt.* (a) Illæ animae sunt capaces virtutis fidei, cum ex una parte sint in statu gratiæ, et ex altera non videant Deum facie ad faciem ; aliunde in illis fides non destruitur per dispositionem ipsi contrariam, (b) Proinde possunt elicere actus fidei proprie dictos, qui tamen *meritorii* esse nequeunt : nam merendi facultas in ipso mortis instanti finem accipit, ut declaratur in *Tr. de Gratia,* ubi de merito.

330. 3° *Damones et damnati actum fidei proprie dictum seu supernaturalem elicere non possunt.* Nam actus fidei supernaturalis elici nequit nisi sub influxu gratiæ actualis et ex pia motione voluntatis; atqui dæmones et damnati gratiam non amplius recipiunt, nec piarum affectionum sunt capaces; ergo, etsi mente veritatibus revelatis assentiant, non possunt amplius supernaturaliter credere, nec proinde facultatem seu habitum fidei retinent; unde credunt et contremiscunt, ait S. *Jacobus* 3, seu credunt evidentia credibilitatis quasi coacti, sed fidem proprie dictam non habent.

« *I Cor.,* XIII, 9-IO. — · *Ibid.,* 12. — 3

PARS ALTERA : DE THEOLOGIA

SEU

SCIENTIA FIDEI

331. Post dicta de *fide ipsa,* pauca de *scientifica expositione veritatum fidei* seu de *theologia* exponere perutile erit, antequam ad theologicam singulorum dogmatum declarationem accedamus : ita enim melius intelligetur quomodo diversi tractatus theologici nihil aliud sint nisi methodica et fusior expositio veritatum revelatarum. Quapropter, paucis praenotatis *de habitu seu relatione inter theologiam et fidem,* duo investigabimus :

I. Fontes quibus theologia utitur;
II. Methodum in theologia sequendam.

Praenotanda de habitu inter theologiam et fidem[1].

332. Theologia, ex dictis in *Introductione ad Theologiam,* est *scientia supernaturalis quæ de Deo et creaturis quatenus ad Deum referuntur, revelationis et rationis ope disserit.* Differt proinde a philosophia aliisque scientiis naturalibus quæ sola ratione utuntur et de objecto mere naturali disserunt, dum theologia ratione quidem utitur sed fide illustrata, et de rebus divinis agit quatenus revelatione cognoscuntur. Differt etiam a fide, quæ non discurrit sed simpliciter revelatis veritatibus adhæret propter auctoritatem Dei revelantis.

Tria igitur declaranda sunt : i° theologia est *vera scientia;* 2° scientia *naturalis simul et supernaturalis;* 30 proindeque *a fide differt.*

[1] S. Thom., q. I, a. 1-8; ejus commentatores; L. Janssens, *Summa theol. admodum Comment.,* t. I, 1899, p. 25-67; Schaezler, *Introd, in sacram theol.,* c. I, a. I, De natura theologiae; A. Gardeil, *Le donné révélé et la Théol.,* 1910, 2e Partie; M. d'Herbigny, *La Théologie du Révélé.*

i° Theologia est vera scientia.

333. Tria enim ad veram scientiam requiruntur : 1° *principia certa* quibus tuto inniti valeat; 2° *methodus demonstrationis* ad veritates ex his principiis colligendas; 3° *conclusiones* e principiis erutae et ad unitatem reductae. Atqui haec tria in theologia inveniuntur : —

(A) *Principia certa quibus innititur.* Hujusmodi principia sunt *veritates a Deo revelatce,* quæ sunt veluti principia e quibus alias veritates inferre auf deducere valemus.

Fatemur equidem hæc principia non esse *per se* nota, prout sunt in quibusdam scientiis naturalibus ; id vero ad scientiam minime requiritur, cum, etiam in naturalibus disciplinis, quædam sint quæ sua principia a disciplina superiori accipiant; sed sufficit ut vere sint certa. Atqui talia sunt principia revelata, cum certitudinem suam habeant ex infallibilitate scientiæ divinæ, ut supra ostensum est, n. 302-306. Ergo theologia certis principiis innititur.

334. (B) *Methodum scientificam* habet, quæ est simul *analytica* seu inductiva et *synthetica* seu deductiva.

(a) Est quidem *analytica;* nam Deus dupliciter veritates revelat : aliquando *explicite* et clare ; aliquando autem *implicite* et obscure. Ita divinitas Christi a *Synopticis* explicite in quibusdam textibus affirmatur, sed in aliis implicite et obscure, ita ut nonnisi ex collatione plurium textuum clare appareat. Jamvero, quando veritas quædam implicite tantum revelatur, analytica methodo uti oportet ad dogma catholicum exponendum et probandum ex collatione plurium textuum.

(b) Est etiam *deductiva ;* quando enim, analysis ope, quædam dogmata in Scriptura aut Traditione inventa sunt, ex eisdem conclusiones inferri possunt, per genuinum discursum, sive plures veritates revelatas simul comparando sive easdem cum principiis naturaliter evidentibus conferendo. Ita eruuntur multæ *conclusiones theologica,* ut jam expositum est, n. 188.

Theologia ergo utitur methodo vere scientifica.

335. (C) *Conclusiones sic deductas ad unitatem reducit.* Omnes siquidem veritates de quibus agit ad perfectam unitatem reducuntur ex triplici capite, nempe ratione *objectiformalis, materialis* et *finalis.*

(a) Ratione *objectiformalis* quatenus videlicet ea omnia et sola considerat theologia quæ *revelatione* innotescunt, vel ex ea deducuntur : « quia igitur sacra doctrina considerat aliqua secundum

quod sunt divinitus revelata, secundum quod dictum est, omnia quæcumque sunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formalis objecti hujus scienti»;et ideo comprehenduntur sub sacra doctrina sicut sub scientia una ” *.

(b) Ratione *objecti materialis,* quatenus omnia quæ in ea disputantur, vel sunt *Deus* ipse vel ad Eum referuntur : “ Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiæ ”2.

(c) Ratione *finis,* eo sensu quod quidquid disserit, ad Deum melius cognoscendum et amandum nos ducit et ad eum ultimo possidendum tendit.

Quæ quidem omnia sic breviter complectitur S. Doctor, post *Albertum M. :* “Theologia a Deo docetur, Deum docet, et ad Deum ducit”.

2° Theologia est scientia naturalis simul et supernaturalis.

336. (A) *Theologia est quidem habitus per se naturalis.* Naturalis enim *per se* habitus dicitur qui humano labore comparatur; atqui theologia, quatenus est scientia, *ex se* humano labore acquiritur, quatenus e principiis revelatis conclusiones dedücit rationis ope et methodo naturali, ut jam declaratum est.

Per accidens tamen theologiæ habitus potest supernaturaliter infundi, prout Apostolis contigit die Pentecostes.

337.(B) *Theologia est etiam habitus virtualiter supernaturalis,* et quidem tripliciter : (a) ratione *objecti,* quatenus de veritatibus revelatis et conclusionibus ex eis deductis disserit; (b) ratione *luminis,* quia studium theologiæ fit sub directione luminis fidei, et aliquo modo participat lumen supernaturale principiorum revelatorum ; (c) ratione *adhæsionis,* in quantum, lumine fidei adjuta, securius conclusiones deducit eisque firmius adhæret.

3° Theologia a fide differt.

338. Fides siquidem est habitus *per se supernaturalis* et divinitus *infusus,* mentem disponens ad assentiendum firmi-

1 S. Thomas, I, q. i, a. 3. — ’ S. Thom., I, q. 1, a. 7.

ter, propter divinam auctoritatem, omnibus a Deo revelatis; ideoque a theologia differt, quæ est habitus/<?r *se* acquisitus, triplici præsertim modo : (a) ratione *objecti :* nam theologia attingit non solum veritates formaliter revelatas, ut fides, sed etiam conclusiones ex eis deductas; (b) ratione *motivi :* fides enim veritatibus revelatis adhæret propter *solam auctoritatem Dei revelantis;* dum theologia conclusiones, ex veritatibus formaliter revelatis deductas, amplectitur propter *valorem illationis,* vi cujus consectaria logice e principiis eruuntur; (e) ratione *modi* quo suum objectum apprehendit : fides siquidem non arguit nec discurrit, sed *simplici mentis actu* veritatibus revelatis adhæret ; dum theologia *modo scientifico procedit,* anajysis, comparationis et synthesis ope, et vere demonstrat tales vel tales veritates in Verbo Dei contineri vel ex eo inferri.

CAPUT I.

DE FONTIBUS QUIBUS THEOLOGIA UTITUR.

339. Theologia utitur imprimis et *potissimum* duobus fontibus *revelationis,* alibi descriptis, nempe *Traditione* et *Scriptura :* ibi solum inveniuntur dogmata quæ exponere et probare debet theologus. Cum autem *rationis* ope *conclusiones* e veritatibus revelatis deducat, analogiisque dogmata illustret, *philosophia* ei multum hac in re prodest ; ad veritates hujusmodi efficacius detegendas aut probandas, sæpe utitur *historia;* immo, quia veritates revelatæ cum quibusdam factis scientificis connectuntur, ad *scientias naturales* quandoque recurrendum est. Tres sunt igitur *subsidiarii* fontes theologici : *philosophia, historia, scientiæ quædam naturales.*

Art. I. De usu philosophiæ in theologia[x].

340. Philosophia distinguitur quidem a theologia, tum ratione *objecti,* quia versatur circa veritates ordinis *naturalis*

1 M. Canus, *De locis theologicis,* lib. IX, c. I sq.; De Groot, *Summa apologet. de Ecclesia,* q. XX, a. 2 sq.; Berthier, *Tr. de loc. theol*

dum hæc primario veritates supernaturales et mysteria fidei attingit, tum ratione *principii,* quia philosophia *solo rationis lumine,* dum theologia ratione simul et revelatione utitur. Attamen *philosophia* (quam hic sumimus *sensu lato* pro quolibet rationis exercitio in rebus suprasensibilibus) *theologo utilis est eique multa præbet argumenta.*

341. i° Ejus utilitas auctoritate ostenditur. (A) Hanc Paulus intellexerat ; siquidem, coram Atheniensibus de *ignoto Deo* disserens, philosophicis utitur argumentis, simulque allegat auctoritatem unius ex gentilibus poetis ac philosophis (Arati) x; alibi alios citat auctores (Menandrum et Epimenidem)2; sed præsertim sæpe in Epistolis non solum doctrinam fidei exponit, sed modo philosophico arguit, v. g., cum probat Dei existentiam et attributa per ea quæ facta sunt intelligi posse 3, aut Gentibus naturalem inesse legem in cordibus scriptam 4, vel justificationem gratuitam esse s, aut prædestinationem divinis attributis non repugnare6, vel corporum resurrectionem admittendam esse7.

(B) Nec aliter *Patres*;* Hieronymus enim parem disputandi morem magnopere commendat in *Quadrato,* Apostolorum discipulo, in *Justino,* in *Irenceo* aliisque permultis 9. Gregorius Neocæsariensis laudat *Origenem* hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianæ sapientiæ et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorseritl0. Revera *Apologetce,* duce *Justino,* ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerunt unum Deum omni perfectionum genere præstantissimum esse colendum ; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, ejus sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri. *Controver-*

præsertim vero Leo XIII, Encycl. *Ætemi Patris,* 4 Aug. 1879, *(Acta Leonis XIII,* ed. Desclée, vol. I, p. 92 sq.); cf. Dadolle, *L'Œuvre Doctrinale de Léon XIII,* Lyon, 1887, p. 18 sq.

l " Sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : ipsius enim et genus sumus" *(Act.,* XVII, 28). Unde et Hieronymus *(ep. ad Magnum}* scribit : " Ductor christiani exercitus Paulus et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei; didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare

' *I Cor.,* XV, 33; *Tit.,* I, 12. — 3 *Rom., 1,20*—* *Rom.,* II, 14.

s *Rom.,* III, 20 sq. — ® *Rom.,* IX, 14-33. — 7 *I Cor.,* XV, 12 sq.

8 Hic breviter contrahimus quæ præclare exponit Leo XIII. Encycl. cit.

9 *Ep. ad Magnum.* — 10 *Orat, paneg. ad Origen.*

sista, præeunte *Irenceo,* origines hæreseon, et ex quibus philosophorum fontibus emanarint, explicant, nec solum auctoritate, sed etiam ratione confutant. Sequentibus autem sæculis, Patres sive Græci, sive Latini, artem dialecticam excolunt, mysteria variis analogiis illustrant, et concordiam rationis cum fide sedulo ostendunt, sæpe adversariorum difficultates philosophiæ ope confutantes Inter quos eminet *Augustinus,* qui, ingenio praepotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suæ ætatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari, ac humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit'.

Hoc autem præcipue *Scholastici* praestiterunt, ducibus S. *Thoma* ac S. *Bonaventura,* qui magnæ molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis SS. Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjungentes; quod sane peragere non potuissent, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent.

342. 2° **Modus quo philosophia theologiæ prodest.** Quo melius autem usus philosophiæ in rebus theologicis intelligatur, ea quæ egregie tradit *Leo XIII*[1] breviter exponemus. Imprimis tanta humanæ philosophiæ vis non est tribuenda, ut cunctis omnino erroribus evellendis par esse judicetur; nam duplex est ordo cognitionis plane distinctus, naturalis scilicet et supematuralis, danturque *mysteria fidei,* quæ ratio etiam rite exculta neque intelligere neque intrinsece demonstrare valet Attamen spernenda non sunt naturalia adjumenta quæ ratio humana subministrat. Quatuor præsertim præstat : i) *fundamenta fidei* demonstrat; 2) aliquam *intelligentiam mysteriorum* præbet; 3) eadem contra adversarios *tuetur;* 4) theologiæ scientificam methodum præbet.

1 Ita Clemens Alex., *Strom.,* I, 28, *P. G.,* VIII, 923, ait : "Accedens autem græca philosophia veritatem non fecit potentiorem ; sed, cam debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineæ apta sepes et vallus

* S. Augustinus, *De doctrina chrùtiana,* 1. II, c. 40, *P. L.,* XXXIV, 63, declarat quidquid ab Ethnicis philosophis recte dictum fuerit in usum fidei catholica: convertendum esse, sictit aurea vasa atque ornamenta Ægyptiorum in usum Judæorum conversa sunt, et addit Nonne aspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorious, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? Quanto innumerabiles Græci? "

3 Encycl. *Ætemi Patrie,* p. 93 sq.

343. (A) *Philosophiafideifundamenta demonstrat.* Tria enim fides supponit, nempe Dei existentiam ac veracitatem, alicujus religionis necessitatem, necnon christianæ religionis atque Ecclesiæ catholicae veritatem. Porro philosophia ad hæc demonstranda non parum confert.

(a) Ratio enim Dei existentiam ac veracitatem invicte probat; Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita sapientia ac justitia, ideoque Eum non solum veracem esse, sed ipsam veritatem falli et fallere nesciam : ideoque humanam rationem verbo Dei plenissimam fidem præstare debere, (b) Pariter ex analysi hominis aspirationum, necnon relationibus inter Deum et hominem, philosophice deducitur necessitas religionis, tum ut erga primam causam officia adimpleamus, tum ut finem nostrum attingere valeamus, (c) Simili modo philosophia possibilitatem ac moralem revelationis necessitatem demonstrat, simulque determinat quibus signis genuina revelatio detegi possit; postea vero historicis argumentis, præsertim miraculis, demonstrata revelationis christianæ existentia, concludit omnes qui Evangelic credunt, non temere, sed rationabili prorsus obsequio judicium suum divinæ subjicere auctoritati; Ecclesiæ etiam auctoritatem accipiendam esse probat ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem.

344. (B) *Philosophia seu ratio aliquam mysteriorum intelligentiam præbet.*

(a) Applicando leges criticæ et hermeneusis, modo distinctiori nobis proponit veritates revelatas quæ nonnisi confuse et implicite in Scriptura et Traditione percipiebantur.

(b) Quamvis mysteria comprehendi non possint, ratio, altiorem verborum intelligentiam dando, lucidiorem nobis exhibet sensum veritatis credendæ, juxta illud 5. *Augustini*[1] : "Credimus enim Jesum Christum natum de virgine quæ Maria vocabatur; quid sit autem *virgo,* quid sit *nasci,* et quid sit *nomen proprium* non credimus, sed *novimus*". Ita, si agitur de mysterio 55. *Trinitatis,* ratio investigabit quid sit *essentia,* quid *persona* sive in genere, sive in Deo;ideoque dabit intelligentiam hujus propositionis : "Tres sunt personæ in una et eadem divina essentia

(c) Eadem illustrat *analogiis* ex rebus naturalibus desumptis; quod quidem Christus ipse præstitit, dum turbas docebat parabolis et similitudinibus ex rebus terrenis desumptis; ita Ecclesiam com-

[1] *De Trinitate,* l. VIII, c. 5, *P. L.,* XLII, 952.

parabat *grano sinapis* quod in arborem crescit, vel *regno,* aut *civitati,* vel *domui,* ut exinde melius intelligeretur ejus natura. Ita etiam Patres mysterium Incarnationis illustrabant comparatione unionis quæ inter corpus et animam existit.

(d) Sed insuper ratio comparando mysteria ad invicem, aut cum ultimo fine hominum, majorem intelligentiam uniuscujusque praebet; sic, v. g., comparando mysterium Trinitatis cum Incarnatione, melius utrumque intelligimus; item cognitio mysterii gratiæ aliquo modo illustrat mysterium Trinitatis et vice versa.

Hæc autem dogmatum intelligentia *sobrie* et *pie* quaeri debet, ut monet Vaticanumx.

345. (C) Insuper ad philosophicas disciplinas pertinet veritates divinitus traditas *religiose tueri contra adversarios.*

Sicut enim inimici catholici nominis bellicos apparatus contra religionem, plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita theologi plura e philosophia depromere debent, quibus revelata dogmata valeant propugnare; quod praestari potest dupliciter, ostendendo videlicet ea quæ opponuntur vel esse falsa, vel saltem non necessaria; nam, ut ait S. *Thomas'l,** " sicut ea quæ fidei sunt, non possunt demonstrative probari; ita *quadam* contraria his non possunt demonstrative ostendi esse falsa ; sed potest ostendi non esse ea necessaria

346. (D) Philosophia pariter theologiæ præbet *naturam ingeniumque veræ scientice.* Ad scientiam enim, præter principia certa, tria præsertim desiderantur : conclusiones ex principiis logice derivatae, arcto inter se nexu connexae, invictis argumentis confirmatae.

Pono multum ad hæc philosophia confert, (a) Praeeunte Logica, veritates fidei sive cum aliis veritatibus revelatis sive cum principiis naturalibus comparamus, et ex hac comparatione multas conclusiones logice deducimus quæ theologiæ campum non parum extendunt. (b) Has autem conclusiones, tum Logicæ tum Ontologiæ ope, scientifice coordinamus, et in unum veluti corpus colligimus, ut suis quæque locis convenienter dispositæ, apto inter se nexu cohæreant. (c) Tandem has veritates, non ratione quidem, sed

l Sess. III, cap. 4, D. B., 1796. Quod optime declarat S. Anselmus (*Prologe* c. I) : Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quæro intelligere, ut credam; sed credo, ut intelligam : nam et hoc credo, quia, nisi credidero, non intelligam 9

• *In Bott^* de Trim, q. II, a. 3.

auctoritate probare valemus, Philosophia duce, quæ regulas tradit ad argumenta in suo pleno robore exponenda. Immo ratio, fidei lumine adjuta, convenientias invenit inter dogmata revelata et sanæ philosophiæ principia, ex quibus non parum illustratur fides nostra.

347.30 Regulae quibus moderatur usus philosophiæ in theologia. Verum, ut pretiosis hisce fructibus afferendis par inveniatur philosophia, majora se scrutari ne audeat, neque veritates ordinis supernaturalis rationi impervias negare aut propria virtute metiri, sed eas plena atque humili fide suscipiat.

(a) In rebus enim revelatis *ratio fidei subordinari* debet. Nam fides infallibili Dei testimonio innititur, ratio autem, etiam in rebus philosophicis, sed *afortiori* in rebus theologicis, fallibilis est ; potest igitur et debet a fide in religiosis rebus manuduci et corrigi.

Revera fides sæpe maximam opem rationi præstat : i) eam *ab erroribus liberando,* v. g., polytheismo, materialismo, sensismo, polygamia, divortio, etc.; 2) eam *multiplici cognitione instruendo* circa veritates fundamentales, quales sunt Dei natura et perfectiones, creatio, Providentia, animæ spiritualitas et immortalitas, etc. Philosophia igitur in rebus religiosis fidei subordinata maneat.

348. (b) *Nulla vera dissensio esse potest inter fidem et rationem, dum suis utraque finibus se contineant :* utraque enim Deum habet auctorem, utraque ad verum per legitima media tendit. Attamen *aliquando* adest *apparens contradictio,* sive ex *culpa theologorum* qui tanquam de fide habent ea quæ revera non sunt de fide, ut in noto casu *Galilcei,* sive ex culpa philosophorum aut scientiæ cultorum qui *meras hypotheses* pro indubiis factis exhibent, asserendo, v. g., hominem e simia originem ducere. Recte igitur cum *Leone* ***XIII*** concludere fas est[1] : "Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant...".

349.(c) Hinc excolenda est philosophia *Christiana antiqua;* nam, ut ait *Leo* ***XIII***[2], " divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate trahit, sed nobilitatis, acuminis,

1 **Encycl.** *Providentissimus^* **18 Nov. 1893.**

a **Encycl.** *Æterni Pairû.*

firmitatis plurimum addit": Revera ratio fide adjuta comparari potest astronome qui telescopo utens plures stellas et quidem distinctius videt

1) Cujus philosophiæ christianæ semina jam apud *Patres* invenire est, et plenam evolutionem apud *Scholasticos* Doctores, maxime autem apud 5. *Thomam;* nam "quidquid vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur "[x]. Hæc est enim vere *philosophia perennis,* quæ sensu communi ad altiora assurgit.

2) Neque tamen omnino spernenda est philosophia *recens,* quæ in plurimis, præsertim vero in rebus psychologicis, cosmologicis ac sociologicis, Scholasticorum doctrinas ampliavit hodiemisque moribus accommodavit : sicut enim Angelicus Doctor philosophica systemata sui temporis didicit, correxit atque theologiæ adaptavit, ita et moderni theologi philosophicas disciplinas nostri temporis excolere debent, ut quidquid falsi in eis inveniatur corrigant, quidquid autem veri ad expoliendam doctrinam fidei accommodent; nam, ut ait *Leo XIII,* "edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum "

3) Sed cavendum est omnino a philosophia *Kantiana* quæ *subjectivismum* propugnat, et in *agnosticismum* ultimo tendit relate ad notiones metaphysicas ; necnon a *phœnomenismo* qui, rejecta notione substantiae, nil aliud nisi diversa phænomena admittit; aut ab *hegelianismo* aut quolibet systemate in quo veritas dicitur *in fieri* potiusquam in actu : istis enim systematibus evertuntur simul fundamenta fidei et rationis.

350. (d) Duo tamen vitia, monente Cano [3], maxime vitanda sunt. 1) Unum *ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus;* cavendum est præsertim ne dogmata theologica ita incertis opinionibus alligentur, ut, his rejectis, dogmata ipsa periclitari videantur. Sapiens ea quæ sibi probabilia sunt, amplecti potest, sed simul quæ contra suam opinionem proponuntur, non

[1] Leo XIII, *Litteræ Apostolicæ de S. Thoma Aq. Patrono studiorum,* 4 Aug. 1880. — Hinc scholasticæ philosophiæ studere debet quicumque in theologicis studiis vult proficere : secus enim neque etiam intelliget opera a plerisque theologis scripta.

[1] Encycl. *Æterni Patris,* ed. Desclée, p. m.

[»] *De Locis theol.,* lib. IX, c. 7, p. 552 ed. *Migne.*

arroganter improbat, neque alios prohibet ne aliam amplectantur sententiam aliumque modum dogmata exponendi. 2) Alterum est vitium quod quidam nimiam operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quid enim prodest has similesvequæstiones expendere " num Deus materiam possit facere sine forma, num plures angelos ejusdem speciei condere, num continuum in omnes suas partes dividere, num relationem a suo subjecto separare, aliasque multo vaniores, quas scribere hic nec libet, nec decet, ne qui in hunc forte locum inciderint, ex quorumdam ingenio omnes scholæ auctores æstiment"'? Otiosis igitur ac subtilibus sedulo omissis, theologus hodiernos errores exponere ac confutare sataget', suumque in usum vertere, *prudenter* tamen, quidquid veri apud ipsos adversarios inveniet.

Art. IL De usu historiæ in theologia[3].

351. Historia, quæ est scientifica enarratio rerum praeteritarum, theologo haud parum prodest, quatenus facta refert sive religiosa, sive profana cum religiosis connexa, quæ ad demonstrationem aut lucidiorem expositionem religionis catholicae conferunt. Dicendum : i° de historia *profana;* 20 de historia *ecclesiastica;* 30 de *regulis* in utriusque studio servandis.

352. i° De usu historiæ profanae. Historia etiam profana, cum sit " testis temporum, lux veritatis, vitae memoria, magistra vitae ", intime connectitur cum factis religiosis quæ ceteros eventus pervadunt; et ad tria præsertim prodest :

(A) *Ad probandam naturam* et *necessitatem* alicujus religionis, ut ostendimus in *Tr. de Religione.*

' Ita Camis, l. c., p. 553, ubi etiam ait : " Quæ ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis et diligentiæ adhibuissem, animo vel informare non poteram. *Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hcec tractarunt* ".

2 " Si quid enim est a Doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quæsitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris ævi doctrinis minus cohærens, vel denique, quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est ætati nostræ ad imitandum proponi ". Leo XIII, l. c., p. m.

3 M. Canus, *op. cit.,* lib. XI, c. 2 sq p. 587 sq.; Berthier, *op. cil.* n. 637 sq.; De Groot, q. XXII; De Smedt, *Principes de critique historique ;* id. *Introductio ad histor. eccles.,* Gandavi, 1876; Ad. Tardif, *Notions élémentaires de critique historique,* 1883 ; E. A. Freeman*, *The methods of historical study,* London, 1886; H. Bancroft*, *Literary Studies,* a memoir, New-York, 1891.

(B) *Ad demonstrandam credibilitatem religionis Christiana.* Siquidem :

(a) Revelatio Christiana est *factum historicum,* cum aliis factis connexum, ideoque historicis argumentis probari debet, quorum quædam ex Scripturis sacris, alia autem e profanis scriptoribus desumuntur; praeterea facta a sacris auctoribus relata sæpe confirmantur, elucidantur ac complentur ex annalibus Gentium *, ut jam ostendimus in *Tr. de Religione;* ergo, ait *Canus* ', viri omnes docti consentiunt, rudes omnino theologos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est.

(b) Divinitas religionis christianæ luculenter confirmari potest comparatione cum aliis religionibus quæ in mundo praevaluerunt aut etiam hodie vigent : ad hoc autem requiritur ut theologus profanam historiam perlustret, eaque præsertim discat quæ ad *Religionum historiam* spectant. Nonnulli quidem vanum timorem concipiunt ex illa nova disciplina, quam nobis inimicam putant; sed quo profundius huic studio incumbemus, eo disertius constabit Christianam religionem omnibus aliis præstantiorem esse ac divinitus revelatam, ut jam constat ex dictis in *Tr. de Religione.*

(c) Nec minus prodest historia ad demonstrandam *catholica Ecclesia,* divinam originem, miram propagationem atque efficaciam in instauranda societate; necnon actionem Dei providentissimam in Ecclesia contra persecutiones hæresesque tuenda : " Clamat enim quodammodo omnis historia, ait *Leo XIII*\ Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiæ suæ incrementa transfert. Item e dimicationibus illataque vi Pontificatum Romanum semper evasisse victorem; oppugnatores ejus, dejectos de spe, suam sibi perniciem comparavisse

(C) *Ad confirmanda quadam e dogmatibus Christianis.* Quædam enim antiquis populorum traditionibus haud parum illustrantur, pialia sunt, v. g., lapsus protoparentum ex altiori statu in quo conditi fuerant, sacrificiorum necessitas ad Numen placandum, exspectatio messianica atque alicujus Redemptoris necessitas, et alia hujusmodi. Cum vero hodiemi Rationaliste his traditionibus abutantur, ut ex eis inferant dogmata nostra nihil aliud esse nisi naturalem superstitionis evolutionem, historicis argumentis redarguendi sunt : " Etenim cum hostilia tela, uti diximus, potissimum ab historia peti soleant, oportet ut æquis armis congrediatur Ecclesia, et

' Quod luculenter ostendit F. Vigouroux, *La Bible el les découvertes modernes en Palestine, en Egypte et en Assyrie,* Paris, 5« éd., 1889; *Le N. Testament et les découvertes archéologiques,* 1890; *Mélanges Bibliques* ' 1889.

' M. Canus, 1. c., p. 587.

l Epist. de studiis historicis, 18 aug. 1883, ed. Desclée, p. 28, t. IL

qua parte oppugnatur acrius, in ea sese ad refutandos' impetus majore opere muniat ”

353. 2° De usu historiæ ecclesiasticae. Hæc theologo magis etiam prodest, quatenus nobis exhibet qualis fuerit Ecclesiæ fides in variis temporibus, describitque religionis christianæ originem atque diffusionem, dogmatum progressum, hæreseon causas, incrementa et exstinctionem, mores atque usus fidelium : ex his enim argumenta certa aut probabilia deduci possunt quoad præcipua fidei dogmata.

Ut hoc fonte recte utamur, *artis criticæ* regulis sedulo attendendum est, tum ut genuina documenta ab apocryphis secernantur, tum ut varia historicorum testimonia simul conferantur eorumque auctoritas expendatur. Non enim unus aut alter historicus, etiam gravis, certum præbet argumentum, sed solum probabile : si vero *omnes moraliter in eamdem rem gestam concurrunt,* certum habetur argumentum; et si agitur de re dogmatica vel morali, quæ ut manifestatio fidei Ecclesiæ existimari possit, divinæ Traditionis habetur critérium. Quod ut melius intelligatur, pauca de præcipuis documentis dicenda sunt, quibus theologus uti potest.

354· (A) *De Actis Martyrum.* A primis temporibus Pontifices et episcopi summo studio adlaborarunt, ut gesta Martyrum diligentissime perquirerentur ac integerrime conscriberentur[2]. Multa tamen ex Actis tam sollicite collectis, non solum diuturnitate temporum, sed etiam persecutorum malitia periere. Pace deinde Ecclesiæ restituta, Christiani hanc jacturam reparare conati sunt, studiose colligendo ea quæ in tabulis publicis adhuc supererant, vel e variis testimoniis nova Acta conficiendo. Iterum nonnulla ex iis documentis tempore Barbarorum perierunt, posteaque alia confecta sunt quæ ad priorum auctoritatem non pertingunt. Unde critica editione uti necesse est, et ex variis adjunctis vera a falsis et dubiis secernenda sunt [3].

[1] *Ibid.,* p. 27.

[3] Ita in Catalogo Felicis IV, in vita Clementis hæc leguntur : “ Hic fecit septem regiones et divisit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquireret”. Alia testimonia vide ap. De Smet, *Introd. ad Hist. cedes.,* p. II2 sq.

[3] Huic discretioni instituendæ multum adlaborarunt socii Bollandiani, *Acia Sanctorum,* Antuerp. 1643 «I·5 Parisiis, 1867 sq.; Ruinart, *Acta primorum Martyrum sincera,* Paris., 1689, Ratisbon. 1869; E. Le Blant, *Les Actes des*

Martyres, in suis responsis coram judicibus, ut *fidei testes* merito habentur : pro fide enim mori parati, ea quæ a Pastoribus de dogmatibus Christianis audierant, candide exponebant. Si igitur omnes fere consentiunt in quædam dogmata affirmanda, v. g., divinitatem Christi, ætemitatem pœnarum inferni, etc., invictum habetur christianæ fidei argumentum.

355· (B) De Archaeologia sacra His verbis designatur scientia rerum antiquarum vel monumentorum veterum ad res sacras spectantium.

Monumenta hujusmodi præcipua sunt : (a) *ædificia* religiosa a Christianis erecta vel excavata, qualia sunt templa, basilicæ, baptisteria, altaria, catacumbæ, crypt®, sepulchra, cubicula etc. Specialis momenti sunt *Romana Catacumba,* in quibus inveniuntur tot vestigia Christian® fidei ac praxis, ex quibus non pauca dogmata confirmari possunt2; (b) *imagines sculpta aut depicta,* prout sunt statu®, sarcophaga, vasa, pietur® murales, pietur® in vitris et alia hujusmodi 3; (c) *mobilia et utensilia,* ut vasa sanguinem martyrum continentia, martyrii instrumenta, reliqui® et reliquiaria; (d) *numismata et inscriptiones,* quibus antiqui fideles summa sinceritate ad perennem memoriam suam fidem exprimere consueverant4.

Martyn, Paris, 1SS2; P. Allard, *Histoires des Persécutions,* Paris, 1885-1890; cfr. Van den Gheyn, S. J., *D. T. C.,* vocabulo *Actes des Martyrs,* H. Leclercq, *Les Martyrs,* et in *Diet. (TArchéol. chrétienne* (Cabrol), t. I, p. 373 sq.

1 C. M. Kaufmann, *Handbuch der Chrislichen Archdologie,* Paderborn, 1905; H. Leclercq, *Manuel d'archéologie chrétienne,* Paris, Letouzey, 1907; D. Cabrol, *Diction, d'Archéologie chrétienne,* Paris, 1907 sq.

2 De quibus vide A. Bosio, *Roma sotterranea,* Roma, 1632; P. Aringhi, *Roma subterranea,* Romae, 1651; Perret, *Les Catacombes de Rome,* Paris, 1852; præcipue vero J. B. de Rossi, *Roma sotterranea cristiana,* 1864 sq., *Bullettino di Archeologia;* Northcote and Brownlow, *Roma sotterranea-.* P. Allard, *Rome souterraine,* Paris, 1877; Armellini, *GH antichi cimiteri di Roma e (TItalia; Letioni di archeologia cristiana,* Roma, 1897; H. Marucchi, *Eléments d?Archéologie Chrétienne,* Paris, 1900; H. Leclercq, in *Diet, d'Archéol.,* t. II. 2376 sq. cum auctoribus ibi allegatis.

3 Buonarotti, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vast antichi...* Firenze, 1716; A. Bottari, *Sculture e pitture sagre...* Roma, 1734-54; R. Carucci, *Vetri ornati difigure...* Roma, 1858; J. B. de Rossi, *Immagini scelle della B. V. Maria,* Roma, 1863; Durand et Dridon, *Manuel d'Iconographie chrétienne,* Paris, 1845; Husenbeth, *Emblems of Saints,* London, i860; Wilpert, *Fractiopams,* Freiburg, trad, franc·, Paris, 1896; *Die Malereien der Katakomben Roms,* 1903.

4 Zaccaria, *De veterum Christianarum inscriptionum usu in rebus theologias,* Pezzana, 1761; A. Mai, *Inscriptiones Christiana;* J. B. de Rossi, *Inscriptiones Christiana,* Romæ, 1861; E. Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule antérieure au VIII* s., Nouveau recueil des inscript, de la Gaule,* Pari», 1892; 750 *inscript, de pierres gravées,* Pari^ 1896; Kraus, *Die christli-*

Omnia hæc monumenta sæpe vividiori luce percellunt animos quam libri scripti, quia vitam religiosam veterum Christianorum ideoque eorum fidem oculis subjiciunt. Ad meliorem vero horum intelligentiam, plurima comparentur, simulque legantur quæcumque Patres de eisdem scripserunt : sic enim non solum probabile, sed aliquando certum erui potest argumentum, quando videlicet tot sunt testimonia de uno et eodem dogmate, ut negari non possit hoc ab universali Ecclesia creditum fuisse. Ita, v. g., inscriptiones quæ in Catacumbis inveniuntur, simul collatæ, ac Patrum testimoniis corroboratae, clare ostendunt jam a primis temporibus Sanctos a Fidelibus fuisse invocatos, preces fuisse pro defunctis oblatas, ideoque fidem in Purgatorii existentiam jam viguisse[x].

356. (C) *De historia dogmatum.* Cum ex dictis, n. 239, quidam progressus» in expositione veritatum fidei existât, illa pars historiae ecclesiasticae, quæ dogmatum historiam ac progressum accurate describit, multum prodest ad secernenda fidei dogmata a meris opinionibus eademque contra Protestantes ac Rationalistas defendenda; perfectius intelligitur cujuslibet dogmatis expositio, quando prius breviter ejus delineatur historia '.

Idem dic de *historia hæreseon.* Hæretici enim duplici modo testes esse possunt fidei in Ecclesia vigentis : (a) quoad dogmata quæ *impugnant :* si enim aliquam doctrinam negarunt, propterea-que a sinu Ecclesiæ ejecti sunt, jam invictum habemus argumentum fidei quæ tunc temporis communiter accipiebatur; ita, quando Sabelliani ideo damnati sunt quia realem distinctionem trium divinarum personarum negabant, clare intelligitur Ecclesiam communiter hanc realem distinctionem ut dogma fidei credidisse ;(b) quoad dogmata quæ *retinent·,* nam si, post secessionem ab Ecclesia, articulos invenimus ab hæreticis simul et Catholicis creditos, certum habemus argumentum antiquæ illius fidei, quæ in Ecclesia vigebat antequam ab ea expulsi sunt. Hinc quo antiquiores sunt hæretici, eo certiores sumus doctrinas ipsis et Catholicis communes, esse apostolicas. Ita Docetæ, qui 11° sæc. realitatem humanæ naturæ Christi negabant, quia putabant Deo indignum esse naturæ humanæ personaliter uniri, eo ipso ejus divinitatem simul cum Ecclesia agnoscebant tanquam indubitatam veritatem : quod certe probat hoc dogma jam hac ætate fuisse communiter creditum.

chen Inschriften der Rheinlande, etc.; Bour, in *Diet, de Thiol. (Mangenol)* voce *Epigraphic chrétienne,* t. V, 300-358.

1 Argumenta ex archæologia desumpta breviter exponimus *de Verbo Ineam.,* n. 305, *de Sacramentis,* n. 21, de *Eucharistia,* n. 32, *de Deo Remunerat.,* n. 41, etc.

3 Cfr. J. Hogan., *op. cit.,* p. 155 sq.; P. de la Barre, S. J., *La vie du dogme catholique,* Paris, 1898; Tixeront, *Hist, des dogmes.*

Unum addere sufficiat, videlicet hodiernis temporibus valde utile esse dogmatum historiam delineare, ut confutentur tum Rationalistic, qui contendunt catholica dogmata, humanorum systematum more, naturaliter orta esse ac crevisse, tum Protestantes, qui asserunt multa ex dogmatibus nostris esse corruptelas doctrinæ apostolicæ inconsiderate superadditas

357. 3° Regulae in historiae studio sequendae. Ad proficiendum autem in studiis historicis, tria praecipue requiruntur : (a) *amor veri :* " Illud in primis scribentium observetur animo *primam esse historice legem ne quidfalsi dicere audeat : deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis* " *a.* Itaque, si quæ inveniuntur facta quæ *prima facie* religioni aut*Ecclesiæ nocere videantur, non exinde neganda sunt, si bene probantur, neque distorquenda, sed honeste exponenda : nihil enim detrimenti ex sincera veritatis relatione oriri potest, sed ex factis etiam scandalosis catholicæ religionis divinitas firmari potest. Requiritur proinde animus tranquillus et præjudiciorum expers.

(b) *Assiduus labor* vel in *fontibus adeundis,* vel in legendis saltem iis scriptoribus qui fontes investigarunt. Experientia enim constat falsas narrationes aliquando per longa sæcula prævaluisse, eo quod primi relatores genuinos fontes non adierant; hinc, ut merito ait *Leo XIII*3, " jejunæ narrationi opponatur investigationis labor et mora ".

(f) Judicium prudens; quandoque enim dissentiunt inter se testimonia, vel documenta talia sunt ut certitudinem non generent, saltem seorsim sumpta, aut certitudo moralis nonnisi ex variis adjunctis obtineri potest; quandoque causæ rerum sunt maxime absconditæ, nexus eventuum valde

* Hac de re legi possunt Natalis Alexander, *Historia eccles. cum notis Roncaglia et Mansi,* Luccæ, 1739, Venetiis 1749; Petavius, *Dogmata theologica,* Paris, 1644, 1865; L. Thomassinus, *Dogmata theologica,* Paris, 1680, 1864; Klee, *Manuel de ΓHistoire des Dogmes chritiens;* Ginoulhiac, *Histoire du Dogme catholique,* Paris, 1866; J. Schwane, *Dogmengeschichte,* 1862, 1892; trad, française *A. Degert;* J. Tixeront, *Histoire des Dogmes,* 1905-1909. Inter Protestantes, A. Harnack*, *Dogmengeschichte,* anglice versam *History of Dogma ; Grundriss der Dogmengeschichte,* anglice *Outlines of the History of Dogma,* New-York, 1893; qui nonnisi caute legi potest.

' Leo XIII, *Ep. de studiis historicis,* p. 26. — 3 *Ibid.,* p. 26.

intricatus. Omnia igitur æqua lance librare oportet animo tranquillo ac praejudiciis experte; nec tanquam certa tradere licet quæ incerta manent, sed omnia prout sunt aut apparent, post naturæ rerum investigationem, candide exponere. Historia, sic exculta, multum sane theologo proderit, " conatusque adversus veritatem diu susceptos ipsa tandem per se superabit et franget veritas, quæ obscurari aliquandiu potest, exstingui non potest " 1.

Art. III. De usu scientiarum naturalium in theologia2.

Inter naturales scientias, tres sunt quæ theologo praecipue utiles sunt, quippe quæ disserant de rebus cum theologia connexis : *geologia,* quæ cum origine et antiquitate mundi connectitur, *biologia,* quatenus vitæ originem, evolutionem ac naturam describit, *anthrofiologia,* quæ speciatim disserit de iis omnibus quæ ad hominem referuntur.

358. i° Scientiarum naturalium utilitas in theologia, (a) *Scientias naturales theologo prodesse* constat in primis exemplo *Patrum,* qui eas excoluerunt, iisdemque usi sunt in exponendis Scripturis fideique veritatibus confirmandis.

Ita, inter alios, Clemens Alexandrinus, Origenes, iique Doctores qui mosaicam cosmogoniam explicare tentarunt in homiliis de *Hexaemeron,* vel in Commentariis supra Genesim.

Constat etiam exemplo *Scholasticorum,* qui Medio Ævo scientias naturales sub nomine *Artium* præservarunt, atque etiam coluerunt : inter quos Albertus Magnus, S. Thomas aliique Scholasticorum principes "non ita se contemplationi philosophiæ dediderunt, ut non etiam multum operæ in naturalium rerum cognitione collocarint : immo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quæ recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur " 3.

(b) Revera, harum scientiarum studio, sensuum facultates ipsius- que intellectus vis non parum acuuntur, tum attenta assiduaque

' *Ibid.*, p. 28.

* Berthier, *op. cit.,* n. 527 sq.; De Groot, q. XVIII, a. 3; F. Duilhé de Saint Projet, *Apologie scientifique,* Introduct., c. III, p. 35 sq. et alibi passim; Reusch*, *Bibel und Natur,* opus *gallice* et versum ; C. de Kirwan, *La Théologie et la Synthèse des Sciences,* Louvain, 1895.

3 Leo XIII, Encycl. *Ætemi Patris,p.* no, ed. Desclée.

phaenomenorum observatione, tum habitu varia facta comparandi et ex effectibus ad causam ascendendi; quibus dotibus utens theologus efficacius religionem propugnare valet.

Insuper sæpe legitimo scientiarum usu theologus *quadam fidei dogmata confirmare* potest, v. g., materiæ creationem, Dei providentiam etiam in rebus minimis, divini interventus necessitatem quoad vitae originem, humanæ speciei unitatem aliaque hujusmodi, ut dicemus praesertim in *Tr. de Deo Creante* *. Quandoque etiam dogmata comparationibus ac analogiis illustrari possunt, quæ ex his disciplinis desumuntur : ita, v. g., quæ de vita naturali in *Biologia* traduntur ad expoliendam doctrinam de vita gratiæ non parum inserviunt Sed maxime prodest ad tuendas fidei doctrinas contra physicorum impugnationes : cum enim multae, nec spernendæ difficultates adversus catholica dogmata ex scientiis mutuentur, adversariorum tela *scientificis* argumentis, in quantum possibile est, repellere oportet; argumenta enim mere theologica sæpius ab inimicis despiciuntur.

359. 2° Regulæin studio scientiarum sequendæ. Ut theologus[1] autem scientiis naturalibus recte utatur, hæc attendere debet : (a) In rebus *mere scientificis,* quæ cum dogmatibus catholicis non necessario connectuntur, scientiæ naturales propriis uti possunt principiis propriaque methodo, ut aperte tradit *Vaticanum.* Hinc si aliqua veritas vere a physicis demonstrata fuerit, v. g., terræ rotunditas, ejus mobilitas aut maxima antiquitas, theologus hanc rejicere nequit eo prætextu quod Scripturæ opponi videtur[2]3nam, teste Leone XIII, Encycl. *Providentissimus,* sæpe Scriptura de rebus scientificis non scientifice loquitur, sed *populari* modo et *secundum ea qua apparent.* Itaque conclusioni scientific® *certce* anteponi non debet incerta interpretatio Scripturæ. Immo si scientifica hypothesis sit

1 Cfr. J. Guibert, Zzr *Croyances religieuses et les Sciences de la nature,* Paris, Beauchesne, 190S; Guibert-Chinchole, *Les Origines,* Paris, Letouzey, I923› A.. d'Alès, *Diet, d'Apologétique,* passim.

3 Quam regulam sæpe tradit Augustinus : " Plerumque accidit ut aliquid de terra, de cælo, de ceteris mundi hujus elementis... etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum Christianas litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto cælo errare conspiciens, risum tenere vix possit". *(De Genesi ad litteram,* lib. I, c. 19; cf. lib. II, c. 9; *P. L.,* XXXIV, 261, 270). IU etiam, ait Suarez, *De opere sex dierum,* L II, c. 7 : " Sententiæ magis philosophiae et rationi magis inhaerendum est, quando Scriptura non cogit

vere probabilis, non debet biblicis argumentis oppugnari, ne fides irrisioni infidelium inutiliter exponatur[1] ; sed, si theologis non placet, solummodo propter rationes scientificas rejiciatur.

(b) In iis autem quæ essentialiter *cum aliquo dogmate connectuntur,* v. g., si agitur de humanæ speciei unitate, quam necessario supponit doctrina catholica de originali peccato, theologus jus habet argumenta adducendi ex Scriptura et Traditione, cum in rebus hujusmodi Ecclesia sit infallibilis. — Nec veritati *fidei catholicæ* anteponi debet *hypothesis* scientifica *mere probabilis.*

Quoad *scientificas difficultates* ab adversariis propositas, expedit quidem eas scientifice solvere, dummodo præsto sint argumenta vere solida; si autem deficiunt eo quod res mature adhuc expendi non potuit, melius est sane nullam afferre rationem quam inanem aut falsam : nemo tenetur statim omnia dubia solvere, sed sufficit pro tempore animadvertere multas ex iis difficultatibus, quæ tanquam insolubiles olim habitæ fuerant,· decursu temporis omni prorsus fundamento carentes inventas fuisse.

(c) Dum theologus *scientificas theorias Scripturarum interpretationi accommodat,* cavere debet ne dogmata fidei ita iis theoriis alliget, ut, his rejectis, ipsa dogmata periclitentur[2][3]: fides enim non scientiis, sed Dei auctoritate innititur : ita, v. g., Concordistæ, qui dies-periodos admittunt ad primum caput Geneseos exponendum, minime suam opinionem tradere debent ut solum modum rem explicandi, ne hoc systemate rejecto, fides ipsa labefactari videatur; alii sunt enim modi mosaicam narrationem explicandi.

1 Ita systema quod *Galilaus* propugnabat de mobilitate terne, tunc temporis solummodo probabile erat : attamen theologi prudenter egissent, si illud argumentis biblicis non impugnassent.

HIS

3 Quod jam animadverterat S. Augustinus : " Et in rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide, qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nulla earum nos præcipite affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus : non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse quæ nostra est, cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus *{De Gen. ad lit.,* lib. I, c. i8). Cf. S. Thom., I, q. 68, a. I.

CAPUT II.

DE METHODO THEOLOGICA.

360. Methodus in theologia sequenda ea est quam/aritivo-*scholasticam* alibi appellavimus (*Theol. Fund.*, n. 9), in qua nempe *brevis historica* et positiva dogmatum expositio cum *scholastica* eorumdem expolitione harmonice consociatur. Ad quam melius intelligendam, sciendum est tria in theologia distinguenda esse : i° *catholicorum dogmatum* expositionem et probationem ; 2° *conclusiones theologicas* e veritatibus revelatis deductas; 30 *systemata* a theologis excogitata ad difficiliores quæstiones solvendas.

Art. I. De modo exponendi et probandi dogmata catholica.

361. i° Veritas fidei catholicae *exponenda* est secundum *recentiores Ecclesiæ definitiones :* cum enim quidam sit profectus in intelligentia dogmatum, lucidior ac plenior expositio in recentissimis definitionibus invenitur. Quo melius autem genuinus dogmatum sensus intelligatur, hæc attendantur : (a) Cum definitiones plerumque erroribus opponantur, istos *errores* sedulo *exponere* juvat, quo lucidius mens Concilii aut Pontificis definientis apprehendatur. Recurrendum est igitur tum ad ipsos adversariorum libros, tum ad *Acta Concilii* in quibus præfati errores expenduntur. Ita, ad rectam interpretationem decretorum *C. Tridentini* circa justificationem, errores Lutheri, Calvini aliorumque Protestantium cognoscere oportet sive ex eorum libris sive ex *Actis Concilii.*

(b) *Sensus verborum* quæ Concilium aut Pontifex adhibuit sedulo investigandus est tum ex recepta significatione quæ ipso tempore definitionis prævalebat, tum ex disceptatione quæ inter Patres Concilii obtinuit, tum ex variis expositionibus et interpretationibus quæ post definitionem receptæ sunt

Ex quibus omnibus exponetur quid sit *de fide* tenendum, quid vero liberæ discussioni relinquatur.

362. 20 Ad *probandam* veritatem fidei catholicae, *requiritur et sufficit auctoritas Ecclesiæ* eam tanquam divinitus revelatam proponentis sive *sollemnijudicio,* sive *ordinario et universal· magisterio.*

Cum autem Ecclesia nobis non proponat credenda nisi quæ in *Verbo Dei scripto vel tradito* continentur, quo melius cognoscatur veritas definita, investigare expedit quomodo hæc in verbo Dei reapse inveniatur.

Hic autem operæ pretium est animadvertere *non omnia dogmata in Scriptura contineri,* præsertim clare et explicite, sed quaedam nonnisi in *Traditione.* Immo, etiam in *Traditione* primitiva, non omnia lucide et explicite continentur, sed quaedam obscure et implicite, ut supra diximus, n. 240.

Necesse igitur non est ut in Scriptura aut primitiva Traditione reperiantur testimonia *explicita* circa omnia et singula dogmata, sed sufficit ut, quando agitur de veritatibus quarum explicita cognitio ad salutem non requiritur, implicita allegentur testimonia ex Scriptura *vel* ex Traditione.

Quibus praenotatis, declarandum est quomodo ex *Scriptura* et *Traditione* probari valeant veritates revelatae.

363. (A) De biblicis argumentis. "Illud autem maxime optabile est et necessarium, ait *Leo XIII,* ut ejusdem divinae Scripturae usus in universam theologiæ influat disciplinam *ejusque prope sit anima",* (a) Ut res ita se habeat, non sufficit unum aut alterum textum exhibere, sed, quoad veritates praecipuas, necesse est *integram Scripturæ doctrinam* breviter contrahere, allegando textus principales ; et quidem generatim *ordine chronologico,* quo melius pateat progressiva veritatis manifestatio, atque efficacius refellantur adversarii : hi enim saepe opponunt Synoptica evangelia Joanni, S. Paulum Petro,etc.;quapropter hodie saltem quoad theses principales, varias auctoritates distinguere expedit et ostendere essentialia discrimina inter eas non esse *.

(b) Textus allati thesim probare non valent nisi eam contineant sensu *litterali,* aut saltem sensu *typico* cujus legitimitas demonstretur *(JDe Fontibus Revelat.,* n. 1003). Si clare et explicite rem declarant, eos adducere sufficit; si vero nonnisi

' Hûpfl, art. *Critique Biblique,* in *Diet, bibl.,* Supplément, I, col. 175-240.

obscure et implicite, ita elucidari debent ut clare percipiatur thesim ex eis inferri. Si vero nonnisi *probabiliter* rem evincunt, id candide asseratur : non enim necesse est singula dogmata apodictice Scriptura demonstrari.

364. (B) De argumentis ex Traditione. Hic sedulo distinguendum est inter documenta quæ, etiam seorsim sumpta, *irreformabilia* sunt, qualia sunt Symbola fidei et definitiones Conciliorum cecumenicorum aut Pontificum ; et ea quæ singulatim sumpta *errori sunt obnoxia,* qualia sunt decreta Conciliorum particularium aut testimonia Patrum. {*De Fontibus Revel.,* n. 975-977). In priori casu, unum sufficit testimonium clarum ut thesis de fide sit; in posteriori autem, v. g., si agitur de Patribus, theologis, vel de monumentis sacris, non sufficit unum aut alterum testimonium, sed requiruntur tot et tanta testimonia ut certo constet veritatem expositam fuisse, saltem per notabile tempus, ab universali Ecclesia creditam.

Hæc autem arguendi ratio necessaria non est, cum sola Ecclesiæ auctoritas rem pro catholicis demonstret, nec in *Compendiis theologice* adhiberi potest, sed tantum in operibus *apologeticis* ad usum eorum qui non credunt. Quapropter in quæstionibus *majoris momenti* procedendi modum delineabimus, quædam e præcipuis testimoniis citando; in aliis autem pauca tantum verba in medium proferemus, magis ad illustrandam quam ad probandam thesim, eaque seligemus quæ veritatem non solum exponunt, sed analogiis, comparationibus vel argumentis expoliunt.

365. Traditionis argumentum duplici modo proponi potest, nempe *via descendente,* exhibendo testimonia a primis sæculis usque ad tempus quo res ab Ecclesia definita fuit; et *via regressionis* seu *prcescriptionis,* regrediendo a definitione ad superiora sæcula.

(a) *Via descendente* uti expedit quoties testimonia priorum sæculorum ad thesim contra adversarios stabiliendam sufficientia sunt. Cum enim Protestantes et Rationalistæ contendant dogmata nostra decursu temporum fuisse inventa, ostendere oportet eadem æquivalenter ab *antiquioribus* Patribus jam proposita esse : *historice* enim et *apologe-*

tice, quo antiquiora sunt documenta, eo majorem sibi vindicant auctoritatem, cum proximiora sint apostolicis temporibus, quibus pura Christi doctrina prædicabatur.

1) Hinc expedit *ordinem chronologicum* sequi, et ostendere quomodo, occasione hæreseon, Patres et Concilia explicitiori modo fidem catholicam exposuerint, et ita profectus doctrinæ delineetur. Pariter testimonia *ordine geographico* exhiberi debent, ita ut appareant tanquam professiones fidei variarum ecclesiarum africanæ, syræ, alexandrinæ, romanæ, etc. ; aut variarum scholarum, ideoque *universalis Ecclesia.*

2) Iterum, in omni casu, *genuina* tantum documenta alleganda sunt, non autem dubia vel apocrypha \ ideoque criticæ Patrum editiones adhibendæ sunt, ubi opera dubia sedulo a genuinis secernuntur.

3) Traditione uti potest theologus non solum ad demonstrandum aliquid esse de fide, sed etiam ad confirmanda et illustranda religionis nostræ dogmata. Quando enim videmus viros, Apostolorum ævo proximos, eruditione ac sanctitate illustres, easdem ventates profiteri quas hodie tenet Ecclesia, non parum exinde firmatur fides nostra, etiamsi probare non valeamus has fuisse ab *omnibus* Patribus edoctas ; exinde pariter constat, contra Protestantes, has non esse corruptelas recenter inventas. Insuper in Patrum operibus multæ inveniuntur comparationes, analogiæ ac rationes, quibus dogmata vividis coloribus exponuntur, ad majorem fidelium instructionem et ædificationem.

366. (b) *Via regressionis* seu*præscriptionis* brevius et efficacius proceditur, praecipue quando priorum saeculorum documenta ita obscura sunt ut nonnisi subsequioris aevi testimoniis clara et certa evadant.

Præscriptio apud *juristas* est argumentandi ratio, qua e*facto possessionis* concluditur ad *jus,* eo quod, omnibus rite inspectis, usurpatio moraliter impossibilis fuit. Ita pariter, in *rebus fidei,* quando Ecclesia, per longa sæcula, in possessione fuit alicujus dogmatis, quod universim credebatur, merito infertur dogma illud vere esse apostoïicum et a Christo ipso dimanare, eo quia mutatio seu adulteratio, omnibus rite inspectis, est moraliter impossibilis.

Ita, v. g., quoad confessionem sacramentalem, ostendi potest eam fuisse certo in usu an. 1215, tempore quo *C. Lateranense* ejus

' Excusari quidem possunt veteres theologi qui, propter defectum complete ct accurate Patrum collectionis, a falsariis quandoque decepti, apocrypha documenta allegarunt; sed eadem hodie in medium proferre *vincibilem* ignorantiam arguit.

necessitatem determinavit, sed ab eo non fuisse inventam, cum Concilia particularia sæc. IX, VIII, VII de ejus utilitate aut necessitate canones condiderint, libri pænitentiales sæc. VI eam descripserint eamque commemoraverint antiquiores Patres, etsi verbis minus claris et disertis.

Quod argumentum specialem vim obtinet, quando veritas, de qua agitur, *practica* est et *gravissimi momenti,* et non solum ab Ecclesia Romana, sed etiam a *Græcis schismaticis* et *Orientalibus* sectis tanquam fidei dogma accipitur. Tunc enim mutatio multo difficilior erat, cum Fideles mutationem hujusmodi non sine protestationibus admisissent, et insuper neque Latini a Graecis, neque hi a Latinis, neque Orientales ab utrisque hanc adulterationem accipere voluissent, propter infensissimas quibus laborabant dissensiones. Remanet igitur ut haec veritas ab Apostolis et ipso Christo originem ducat, juxta illud Augustini[1] : "Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur".

Nonnunquam vero adversarii vim argumenti infringere conantur, hujus dogmatis originem tali vel tali auctori assignando; quæ difficultas dupliciter solvi potest : *negative,* exigendo ab adversariis hujus assertionis probationes easque historice confutando, ostendendo, v. g., ex omnibus adjunctis talem auctorem non potuisse, tali tempore, hanc novitatem in Ecclesiam universalem diffundere; *positive,* auctores allegando antiquiores, qui jam idem dogma docuerant.

Quo argumento Patres haud raro usi sunt, præsertim *Tertullianus*[2] : "Ecquid verisimile est ut tot ac tantæ (ecclesiæ) in unam fidem enaverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus : variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur non est enatum, sed traditum".

367. (C) De argumentis convenientiae. Expositis et probatis veritatibus de fide catholica, expedit earum intelligentiam quærere variis *analogiis* et *convenientiis,* vestigiis inhærendo Patrum et Scholasticorum : *fides enim queerit intellectum.* Quod ut fiat *pie* et *sobrie,* ad mentem *Vaticani,* hæc animadvertantur :

[1] S. August, *Contra Danatist.,* lib. IV, c. 24, *P. L.,* XLIII, 174.
[2] *De Prescript*c. 28» *P. L.,* 11, 40.

(a) Analogiæ et convenienti» ex probatis auctoribus, ex Patribus et Doctoribus desumantur, in quantum fieri potest : hi enim, Spiritu Dei illuminati, et approbante Ecclesia, res divinas magis perspicue contemplati sunt et rectius exposuerunt. Ita, v. g., inter Latinos, S. Augustinus, S. Thomas et S. Bonaventura, et, ex Græcis, S. Athanasius, Didymus, S. Basilius, S. Gregorius Naz. et S. Joannes Damascenus, mysterium SS. Trinitatis præ ceteris illustrarunt. Attamen analogias e scientiis modemis mutuari licet (v. g., vitam deiformem e biologia illustrare), dummodo dogmata fidei minime a recto sensu detorqueantur, sub prætextu eadem accommodandi novis theoriis.

(b) Præ mente semper habeatur ex analogiis etiam perfectissimis nonnisi conceptum *analogicum* mysteriorum obtineri posse (supra, n. 214) et ex argumentis convenienti» non demonstrari mysteria fidei, sed solum apparere ea, nedum rationi repugnent, quamdam affinitatem pr» se ferre cum rationalibus principiis aut cum altissimis human» natur» aspirationibus, vel aliis veritatibus revelatis.

Art. II. De methodo sequenda quoad conclusiones theologicas.

368. Veritates fidei catholicae, semel expositae et demonstratae, sunt veluti *principia ex* quibus eruuntur conclusiones theologicae : has educere et logice ordinare est speciale munus theologiæ L

i° Nostris diebus quidam theologi, nimium forsan positivæ theologi» addicti et diffidentes se erga rationem habentes, de his conclusionibus parum curant, easque tanquam inutile et ponderosum onus dogmatibus adjunctum respiciunt. Immerito tamen; nam : — (a) Ea est *natura humani ingenii* ut in mera dogmatum expositione sistere non valeat, sed ex eis, analysis et deductionis ope, consectaria eruere nitatur. (b) Quod sane præstiterunt *Patres et Scholastici,* quorum multi consectariis hujusmodi deducendis intenti fuerunt, et quidem non sine magno fidei catholic» emolumento; ita enim via paratur novis definitionibus. Quædam enim e consectariis tam certa apparent, tam indivulse cum revelatione connexa ut *implicite,* licet obscure, *revelata* appareant, et, tempore opportuno, definiantur : v. g., existentia duplicis naturæ in Christo,

* Ad rem S. Thomas, r, q. 1, a. 8 : ‘‘Hæc doctrina (theologia) non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei ; sed ex eis procedit ad aliquid aliud probandum ; sicut Apostolus ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam ”. Cfr. Gardeil, *Le dtmni rtvtli,* p. 224-251.

duplicis voluntatis et operationis, infallibilitas Pontificia, etc. (c) Conclusionibus theologicis legitime deductis et logice coordinatis multo melius intelliguntur dogmata revelata : non enim amplius jacent sicut dispersa corporis membra, sed unum effbrmant corpus doctrinæ, et quælibet particularis veritas, ex sua cum aliis connexione, lucidiorem conceptum menti exhibet.

Multum igitur expedit ut theologi sedulo huic operi incumbant.

369. 2° *Regulæ sequendæ quoad conclusiones theologicas.* (a) Veritates revelatæ pro *principiis inconcussis* haberi debent et sunt veluti una e præmissis syllogismi, cujus altera præmissa erit aliqua veritas naturali ratione percepta. Ut certa sit conclusio, necesse est igitur ut certa sit propositio naturaliter cognita. Hæc itaque mutuari debet non a systemate philosophico plus minusve probabili, sed a *philosophia perenni* quæ omnibus subjacet systematibus; secus incerta erit conclusio : pejorem sequitur semper conclusio partem. Necesse est insuper ut *illatio* ipsa, vi cujus conclusio deducitur, sit logice certa, inspectis dialectic® regulis. Si alterutra probabilis est tantum, conclusio ipsa probabilis tantum erit.

Ex ipsis conclusionibus theologicis aliæ conclusiones erui possunt, quæ campum theologiæ extendunt; ita ex eo quod sit duplex natura et duplex voluntas in Christo, inferri potest duplicem pariter esse operationem; ex eo quod duplex in eo sit natura, voluntas et operatio et tamen una persona, infertur in eo admittendam esse idiomatum communicationem. Quæ quidem conclusiones quando logice deducuntur, pariter certæ sunt. Attamen quo remotiores sunt a principio revelato, eo majus est periculum a veritate recedendi, propter infirmitatem humani ingenii. Ad quod periculum vitandum, conferre oportet hujusmodi conclusiones cum principiis revelatis et aliis conclusionibus : si perfecte cum his omnibus cohærent, earum auctoritas et certitudo haud parum firmatur.

370. (b) Nec satis est conclusiones theologicas eruere, sed eas *accurate- explicare* oportet. Quod fieri potest opera Patrum et Doctorum attente legendo, easque explicationes colligendo quæ melius inter se et cum aliis veritatibus revelatis cohærent.— Declarari insuper possunt, principiorum ope philosophiæ christianæ cum antiquæ tum modernæ, vestigiis inhærendo Patrum et theologorum qui mysteria fidei analogiis e sana philosophia desumptis illustrare solebant : cum enim Deus sit auctor rationis simul ac fidei,

veritates ordinis supernaturalis sæpe melius intelliguntur ex comparatione cum rebus naturalibus.

371. (c) Varias tandem conclusiones simulque veritates fidei ita logice disponere oportet ut unum corpus doctrinæ constituant.

Id jam tentaverant, quoad præcipua dogmata, quidam Patres, ut Augustinus, S. Joannes Damascenus et S. Anselmus; sed opus perfecerunt Scholastici, præsertim Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura. Synthesis quæ nobis perfectissima videtur ea est quam tradit Angelicus Doctor in *Summa theologica.*

Art. III. De methodo sequenda in exponendis systematibus [1].

372. Præter conclusiones certas, invenire est apud theologos varia et sibi invicem opposita *systemata,* qualia sunt, v. g., thomismus et molinismus, scotismus, augustinianismus, etc. Quæ quidem nata sunt ex imperfectione mentis nostræ quæ integram veritatem adæquate non comprehendit, præcipue ubi de divinis agitur, simulque ex innato desiderio plura cognoscendi. Cum enim veritas sub multiplici aspectu spectari possit, et unus respectus aliquando alteri adversari videatur (v. g., liberum arbitrium et gratia in actu humano) necessario in' curiosis mentibus dubia et problemata exsurgunt, ad quæ solvenda excogitantur systemata.

Duplex hac de re excessus vitandus est : (a) eorum qui, breviter expositis veritatibus de fide catholica et conclusionibus certis, maximum tempus terunt in studio systematum, sicuti contigit nonnullis theologis saeculi XIV* et XV* ; (b) aliorum qui, omnia systemata tanquam incerta et inutilia existimantes, ea omnino praetermittunt aut brevius æquo exponunt.

373. *Accurate* igitur, *etsi breviter,* exponenda sunt præcipua scholarum systemata : (a) ita enim melius intelligitur quousque se extendat veritas catholica, et quid sit certum, quid controversum; (b) accurata discussione systematum efficacius præcaventur errores : ita thomismus, molinistarum

[1] Bainvel, *Comment enseigner la Théologie dans les Grands Séminaires,* in *Compte-Rendu* du IIIe Congres de l'Ailiance des Sém., 1908, p. 107-108; A. Gardeil, *Le Donné révélé,* p. 252-284.

difficultates solvendo, tutius jansenismum vitat; pariter molinismus, thomistarum impugnationes elucidando, a semi-pelagianismo securius arcetur; (c) ita etiam lucidior obtinetur dogmatum cognitio : v. g., thomistarum et molinistarum argumenta expendendo, tum de supremo Dei dominio ejusque suprema et universali causalitate, tum de libertatis humanæ juribus et exercitio, accuratiorem consequimur notionem.

374. Ad hunc finem assequendum : (a) systemata tanquam *hypotheses,* non autem tanquam dogmata aut veritates certæ proponantur; (b) sedulo definiatur *in quo concordent* et *in quo dissentiant* systemata, ut accurate statuatur status quæstionis; (c) argumenta *pro* et *contra sincere* exponantur, non autem plus minusve imminuta aut adulterata; (d) quodcumque systema eligatur, oppositum non exhibeatur ut haereticum, erroneum aut absurdum, sed tantum ut minus probabile; prae mente retineatur dictum : *in dubiis libertas.*

Corollaria.

Ex superius expositis duo fluunt corollaria : i° de *necessitate* scientiae theologicae ; 2° de *dispositionibus* ad proficiendum in ea.

375. i° De necessitate scientiæ theologicæ. *Scientia theologica vere competens est absolute necessaria sacerdotibus qui in Ecclesia ex officio alios fidem docere debent; et laids, præsertim doctioribus, valde utilis.* Nomine scientiæ *competentis* designatur ea quæ ad varia ecclesiastica ministeria obeunda desideratur; proinde diversa esse potest pro varietate hujusmodi officiorum, major quidem in Episcopis et magistris, aut etiam in pastoribus qui majori præsunt parœciæ, minor in sacerdotibus qui communiora obeunt ministeria, ea tamen quæ sufficiat ut quis casus ordinarios difficultatesque communiter propositas solvere queat, et in difficilioribus dubitet doctiorumque consilia exquirere .valeat.

(A) *Scientia competens est necessaria sacerdotibus,* (a) Ex *Scriptura* colligitur: 1) Jam enim sacerdotibus A. Legis dictum fuerat : " Labia enim sacerdotis custodient *scientiam,* et *legem* requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est " *. Quæ quidem verba diserte affirmant speciale munus fideles edocendi tum veritates credendas, tum leges servandas sacerdotibus incumbere. Immo ignorantia sufficiens erat causa cur sacerdotes a Deo repel-

* *Malach.,* II, 7.

lerentur : “ Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi” *. 2) Quod Christus ipse confirmavit dum Apostolis, eorum successoribus, iisque omnibus qui apostolicum munus obituri erant, aperte dixit : ‘‘Euntes ergo, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ” a; jam vero nemo doctrinam Christi recte docere potest nisi prius eam apprime didicerit, cum Deus miracula patrare non soleat scientiam pigrorum mentibus infundendo. 3) Nec aliter rem Apostoli intellexerunt : Paulus enim de Episcopis, proindeque de illis clericis qui Episcoporum adjutores sunt in ministerio verbi, ait : “ Oportet Episcoporum sine crimine esse... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere ”3; ex quo sequitur sacerdotes pastorale munus obeuntes, talem scientiam comparare teneri, quæ sufficiat non solum ad fideles instruendos, sed etiam ad hæreticorum et infidelium difficultates solvendas, saltem magis communes.

376. (b) *Concilia* tam generalia quam particularia theologiæ studium non solum commendavisse sed etiam *præscripsisse* constat Ita *Tridentinum* decrevit (sess. XXIII, c. 7) ordinandos diligenter examinandos esse non solum quoad mores, sed etiam quoad *doctrinam* et fidem; quod disertius declaratur sess. XXIV, cap. 14 : “ Sed etiam ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur ”. Pariter statuit (sess. XXIV, cap. 18) ne vacantes paræciæ *sine diligenti examine* cuiquam conferrentur; posteaque *Benedictus XIV* formam determinavit pro examine in *concursu* eligendorum ad ecclesias parochiales servandam. — Hoc autem studium necessarium esse eis etiam qui diuturno tempore sacrum ministerium exercuerunt ita declarat idem *Benedictus XIV* : “ Aliqui nempe sacerdotes qui initio praeclarissime *confessarii* munus susceperunt, inde post diuturnum tempus, omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis theologiæ scientiam amittunt, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum confusaque ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur’’*. Quæ de confessariis scite declarat, apte congruunt *prcedicatoribus* qui libris et considerationi valedicunt.

377· *(c) Ratione* confirmatur. Sacerdotes enim curam animarum habentes, sunt fidei *doctores,* spirituales *medici* et *judices.* Atqui munia hujusmodi scientiam competentem sane requirunt.

• *Osee,* IV, 6. — ’ *Matt.,* XXVIII, 19-20. — 3 *Tit.,* I, 7-9.

< Bened. XIV, *Instit.,* XXXII, n. 4.

1) Doctores fidem implantare et implantatam conservare debent; atqui ad hoc requiritur ut fidei fundamenta clare proponant et demonstrent argumentis uniuscujusque captui accommodatis, simulque argumenta solvant quæ in contrarium afferri solent; secus enim infideles ad veritatem trahi communiter non poterunt, immo fideles non pauci, incredulorum sophismatibus decepti, naufragium in fide patientur. Quod quidem nostris præsertim diebus magis necessarium est propter multitudinem errorum qui ubique grassantur; cum enim adversarii omnibus scientiis utantur ad veritates fidei impugnandas, jam non sufficit, ad eos redarguendos, ars bene dicendi vel α *priori* argumentatio, sed desideratur rerum divinarum ac humanarum cognitio, præsertim vero Scripturæ sacræ atque historiæ accurata notitia. Hinc merito ait *Leo XIII*[1] : "Revera fidei catholicæ defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quæ est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam ; quæ non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singula christianæ sapientiæ fundamenta convellentium : luctandumque persæpe cum adversariis apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt

2) Nec minor requiritur moralis et ascetica scientia ut sacerdotes spirituales *media* et *judices* esse valeant, ut diximus in *Synopsi Theol. Mor.,* ubi *de Poenitentia.*

378. (B) *Scientia theologica laids doctioribus valde utilis est.*

(a) *Ad meliorem humanarum disciplinarum intelligentiam,*[2] scientiæ enim ita sunt intime connexæ ut quis in una vix proficere valeat nisi aliarum saltem elementa cognoscat; quod de theologia præsertim verum est, cum altas agat radices in omnes fere scientias, præsertim vero metaphysicas, historicas, ethicas, et politicas, ita ut nonnullae notiones, ad hujusmodi disciplinas spectantes, theologicis studiis maxime elucidatæ fuerint. Hinc nulla esse debet studiorum Universitas hoc nomine digna, quæ theologiæ facultatem non complectatur'.

(b) *Ad fidei defensionem;* cum enim hodie fides a multis laicis impugnetur scientificis argumentis, multum sane expedit ut a laicis quoque propugnetur, quorum scripta peculiari favore a multis excipiuntur; hoc autem fieri nequit, nisi dogmata fidei, quæ defen-

[1] Encycl. *Etsi nos,* 15 Febr. 1882.

[2] Quod egregie probat J. H. Newman, *op. cit.,* dis. III-IV

dere volunt, apprime calleant[1] : secus enim et ipsi in errorem alios inducere possent.

(c) *Ad propriam ædificationem.* Nulli enim dubium esse potest quin cognitio de Deo rebusque divinis omnis *sanctitatis sitfundamentum :* nam eo ferventius Deum amamus quo melius eum cognoscimus; propterea eo perfectior esse poterit sanctitas, ceteris paribus, quo perfectior erit theologiæ cognitio ’.

Concludamus igitur, cum Angelico Doctore 3, theologiæ studium ceteris esse perfectius, sublimius, utilius et jucundius : *'"Perfectius* quidem, quia, in quantum homo sapientiæ studio dat se, in tantum veræ beatitudinis jam aliquam partem habet. Unde Sapiens dicit4 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur. Sublimius* autem est, quia per ipsum homo ad divinam similitudinem praecipue accedit, qui omnia in sapientia fecit. Unde quia similitudo causa est dilectionis, sapientiæ studium praecipue Deo per amicitiam conjungit; propter quod dicitur quod *sapientiæ est infinitus thesaurus hominibus; quo qui usi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei* 5. *Utilius* autem est, quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur; *concupiscentia* autem *sapientia deducet ad regnum perpetuum* 6. *Jucundius* autem est, quia *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium ”* 7.

379 20 De dispositionibus requisitis ad proficiendum in studiis theologicis 8. Dispositiones animi ad theologiæ studium magis necessariae, sunt : (A) *recta intentio,* quæ alia esse nequit nisi gloriam Dei promovendi ardens desiderium zelusque animarum : cum enim scientia hujusmodi supematuralis sit tum ratione objecti, tum ratione principii, ejus acquisitio supematuralis esse debet ratione finis intenti. Quod sic optime declarat 5. *Bernardus,* vel quicumque est auctor explanationis Cantic. quæ inter ejus opera reperiturs» : “Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; et sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus : et turpis

* Quod eloquenter urget Leo XIII, Encycl. *Providerlissimus,* 18 nov. 1893, circa finem.

2 Cfr. H. E. Manning, *The Glories of the S. Heart,* New-York, 1871, lect. III, Dogma the Source of Devotion, p. 85; Ad. Tanquerey, *Les dogmes générateurs de la piété,* 1925.

3 C. *Gentiles,* lib. I, c. 2. — 4 *Eccles.,* XIV, 22. — 5 *Sap.,* VI, 21.

6 *Sap.,* VI, 21.-7 *Sap.,* VIII, 16.

8 Cf. Migne, *Theol. Cur.,* I, p. 62 sq.; XXVI, p. 1145 sq.; J. H. Newman, *Idea of a University,* Discipline of mind, p. 480 sq.

» Serm. XXXVI in Cantic., n. 3.

quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent : et caritas est. Et item qui scire volunt, ut aedificentur : et prudentia est".

380. (B) *Sincerus veritatis amor;* nam si omnes scientiæ ad verum tendunt, id proprio jure sibi vindicat theologia, quæ de Deo disserit, quatenus est suprema veritas. Hinc sincere exponenda et expendenda sunt argumenta adversariorum, sive sint infideles, vel hæretici, aut catholici. Non desunt theologi qui contradicentium difficultates plus minusve extenuent, ut eas facilius solvant; et textus vel facta torqueant, ut promptius sit responsum ; aut vim certam tribuant rationibus quæ nonnisi probabiles sunt. Jamvero hæc omnia perfecta sinceritas respuit, et melius est fateri responsiones datas esse tantum probabiles, quam textus et facta torquere ad fucum faciendum; veritas mendaciis nostris non eget ut defendatur.

381. (C) *Humilitas;* cum enim theologia auctoritate fundetur, docilem exigit assensum omnibus Ecclesiæ decisionibus, immo et reverentiam erga Patres et Theologos communiter aliquam doctrinam docentes. Aliunde Deus mysteria sapientiæ suæ a superbis abscondit et parvulis revelat, juxta illud Christi : " Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis " [1]. Quæ humilitas sponte ad Deum *ferventi oratione* recurret, nam " si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter " [2]. *Caritatem* pariter gignet, juxta illud vere aureum : " *In necessariis unitas, tn dubiis libertas, in omnibus caritas* videlicet statim ac Ecclesiæ infallibilis auctoritas rem definivit aut determinavit, nulli viro catholico licet anceps remanere; sed in rebus vere dubiis, unicuique liceat in sensu suo abundare, novasque etiam, si voluerit, expositiones proponere, dummodo sensui catholico non sint opposite : sic enim via patebit vero progressui ; et ita caritas in omnibus salva erit, quia, licet ab aliis dissentiamus, non ita supra sensum extollemur, ut nihil nisi absurdum in opponentium argumentis videamus [3].

[1] *Matt.,* XI, 25. — *'fac.,* I, 5.

[3] Pauca hic addere liceat ex opusculo LXI 5. *TAoma* desumpta (ed. Vives, vol. 28, p. 467), in quo S. Doctor idoneum proponit medium scientiam acquirendi : " Tardiloquum te esse jubeo et tarde ad locutorium accedentem : conscientis puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum et subtractionis a studio materiam subministrat... Non respicias a quo audias, sed quicquid boni dicatur, memoriæ commenda. Ea quæ legis fac ut intelligas, de dubiis te certificans; et quicquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere

382. (D) *Proficiendi studium;* nemo enim in theologicis studiis vere proficiet, nisi velit hisce indesinenter et ardenter incumbere. Nec dicatur nil novi in hujusmodi scientia reperiri posse; licet enim veritates fidei antiquæ sint, novo tamen modo exponi et propugnari possunt, hodiernorum mentibus magis accommodato. Studio igitur incumbant theologiæ candidati, nec memoriam solum exerceant, sed ingenium, fontes Revelationis investigando, Scripturam, Patres et theologos non solum assidue legendo, sed argumenta ad formam syllogisticam vel inductivam reducendo, eorum vim discutiendo, eorum logicam connexionem investigando, uno verbo methodum scientificam adhibendo, quam exposuimus '.

Quibus praelibatis de fontibus theologicis et methodo qua utitur Theologia, jam singula dogmata exponere et probare juvabit.

' Non sufficit igitur *passive* legere vel audire ea quæ proponuntur sed oportet ea *active* expendere, discutere et digerere; secus enim potest quis innumeras praelectiones audire, vel innumeros libros legere quin exinde doctior evadat, ut acute animadvertit J. H. Newman, *Idea ofd University*, l. c., p. 489.

DE DEO UNO.

Delineatur brevis historia Tractatus.

383. Inter Patres de Deo scripserunt tribus prioribus saeculis : — S. Clemens papa, *in sua ia Epistola,* agit de Dei potentia, ac præsertim de bonitate et misericordia ; Hermas, *Pastor,* Dei misericordiam extollit, ac simul de Dei unitate ac creatione tractat. — Secundi autem sæculi Apologetæ, philosophia duce, ad Deum assurgunt tum causalitatis argumento *(Aristides, Tatianus, Theophilus')* tum argumento teleologico *(Minucius Felix),* eum concipiunt ut super omnia præcellentem, incomprehensibilem, ineffabilem *(Minucius, Aristides,* S. *Justinus* in Apol., *Tatianus),* in Eo agnoscunt praedivitem fontem omnium perfectionum physicarum et moralium quibus fulget creatura *(Aristides, Theophilus),* eum repraesentant ut omnes creaturas e nihilo educentem, non immediate, sed mediante Verbo suo. — Athenagoras, *Legatio pro Christianis,* repellit accusationem atheismi Christianis illatam et unitatem divinam contra polytheistas statuit. — S. Iræneus autem, *Adversus Hareses,* profitetur nos vere Deum cognoscere ope revelationis, inadæquate tamen : " Est autem et super hæc et propter hæc ineffabilis". Hic autem summus et unicus Deus, justus simul et bonus, omnia creavit, et in ejus opere elucet vera convenientia et consonantia.

Clemens Alexandrinus, *Pczdag., Stromat.,* Deum more platonicorum concipit, et de Dei natura et attributis agit, aliquando tamen nimia scilicet subtilitate et abstractione. — Origenes autem *Contra Ceis., De principe* excedit et ipse allegoria et abstractione; errat quoad omnipotentiam quam impossibilem aestimat absque creatione ab ætemo; agnoscit tamen hominem, quippe creatum ad imaginem Dei, naturaliter ad Dei cognitionem assurgere pro tenore quo a materia sese expedit.

Tertullianus paulo durius de Deo loquitur, ipsi corporeitatem adscribens : quod tamen verisimilius intelligi debet de substantialitate *(Adv. Praxeam, Apol., Adv. Hermogenem).* — Adamantius, *De recta tn Deum fide,* agnoscit unum Deum, justum pariter et bonum, mundi et ipsius materiæ primæ creatorem : malum enim, quod non est substantia, sed accidens, oritur e libertate angelica vel humana, non vero e bono essentiali. — Arnobius, *Adv. nationes,* de Deo, quem reputat ineffabilem, alte et magnifice sentit. — Lactantius, *Institutionum divin.* confutat polytheismum; *Liber*

de Ira Dei, rejicit impassibilitatem Dei ad mentem Epicuri; *De opificio mundi,* probat Providentiæ existentiam per mirabilem constitutionem animæ et corporis hominis.

384. A sæculo IV° ad IXura, multa de Deo a Patribus scripta sunt. Inter quos, S. Athanasius, qui contra Arianos divinitatem Verbi vindicavit, docet etiam Deum esse perfecte unum, unam monadem indivisibilem, cum sit unum principium, una monarchia suprema. — S. Augustinus, philosophia platonica et Scripturarum doctrina imbutus, proponit varias probationes existentiæ Dei, argumentum scilicet teleologicum *(Sermo* CXLI, 2; *Enarr. in psalm.* XLI, 7, 8), argumentum metaphysicum *(Confess.,* X, 8-10); imprimis ac frequentius probationem e gradibus perfectionis sumptam *(De trinitate,* VIII, 4, 5; *De civit. Dei,* XI, .*2;* VIII, 7), et probationem psychologicam, idæis necessariis innixam *(De libero arbitrio,* 7-14; *Enarr. in psalm.* XLI, 8). Attente autem considerantibus satis evincitur S. Doctorem in hac ultima probatione scopulos ontologismi et inneismi devitasse, suum vero conceptum insufficienter explicasse. Quoad Dei attributa, simplicitatem, æternitatem, immensitatem, profundissime philosophatur Augustinus, ac Deum intime amplectitur corde ut Summum Bonum, intellectu et contemplatione ut Primam Veritatem, Primum Esse, Primam Vitam *(De civit. Dei,* VIII, 10, 2) *. S. Gregorius Naz. *(Orationes de Theologia,* præcipue orat. Ia et IIa) statuit existentiam, naturam et attributa Dei, ex lumine rationis; S. Gregorius Nyssenus, *(Oratio catechetica magna,* in Prologo), feliciter contra adversarios propugnat fundamentalia dogmata; Salvianus, *De Gubernatione Dei,* calamitates publicas et barbarorum vastationes cum sapientissima divinæ Providentiæ ordinatione componit; Pseudo-Dionysius, *De divinis nominibus,* esse et attributa Dei profunde explicat; Boetius, *De consolatione philosophice libri V,* statuit Deum esse omnium rerum finem et omnes eventus ejus Providentia disponi ad bonum nostrum; S. Joann. Damascenus, *(Expositionis Fidei Orthodoxae liber primus),* synthesim doctrinæ de Deo methodice exponit.

385. Inter **Theologos,** utiliter legentur : — *Scec.* ***XII,*** S. Anselmus, *Monologium,* seu de Divinitatis essentia; *Proslogium,* seu alloquium de Dei existentia, Petrus Lombardus, *Sententiarum libri IV,* opus a plerisque Scholasticis expositum.

Scec. ***XIII,*** Alexander Halensis, O. M., *Summa theologice*;S. Thomas Aq., O. P., *Summa theol.,* cum Commentariis *Cajetani,* I,q. 1-26; *Contra Gentiles,* cum Commentariis *Ferrariensis,* lib.I; *de Veri-*

1 J. Tixeront, *Histoire des dogmes*› vol. I et II. Cf. etiam S. Augustinum, *Epistola* 118, 147, 148, 160, 162, 187.

tate, q. 2, 5, 6; S. Bonaventura, O, M., *Commentaria in Magistrum Sentent.,* lib. L

Sac. XIV, Joannes Duns Scotus, O. M., *In quatuor libros Sententent.,* lib. I.

Sac XV, Joannes Capreolus, O. P., *In quatuor libros Mag. Sen tent.,* lib. I.

Sac. XVII, Suarez, S. J., *Commentaria ac Disputationes in I p. D. Thoma;* L. Lessius, S. J., *de Perfectionibus moribusque divinis;* D. Ruiz de Montoya, S. J., *Commentaria et disput.,* De Ideis, de veritate ac de vita Dei; de Voluntate Dei et propriis ejus actibus; de Visione et nominibus Dei; de Prædestinatione ac reprobatione; Dionysius Petavius, *Theologica dogmata,* De Deo Deique attributis; L. Thomassinus, Orat., *Dogmata theologica,* De Deo Deique proprietatibus; Gonet, O. P., *Clypeus theologia Thomist.,* de Nat. et attributis divinis; Goudin, G P., *Tractatus theologia,* De Scientia Dei, etc.; Salmanticenses, O. Carm., *De Scientia Dei; de Visione Dei; de Voluntate Dei; de Pradestinatione.*

Sac. XVIII, Billuart, O. P., *Summa,* De Deo; Lafosse, S. S., *De Deo ac divinis attributis,* ap. *Migne,* Theol. Curs., t. VII; Kilber, S. J., *De Deo uno et trino,* in *Theologia Wirceburgensi;* V. Gotti, O. P., *Theologia scholastico-dogmatica.*

Sac. XIX, Perrone, S. J., *Pralectiones theologica,* De Deo; Liebermann, *Institut, theol.,* De Deo et divinis attributis; Knoll, O. M., *Institut, theolog.,* De Deo; Franzelin, S. J., *De Deo Uno;* Kleutgen, S. J., *De Ipso Deo;* Stentrup, S. J., *Pralect. dogmat.,* de Deo Uno, 1879; Hontheim, S. J., *Institut. Theodicea,* Friburgi, 1893; Card. Billot, S. J., *De Deo Uno et Trino* ed. 6a, 1920; Delatte, *De Deo Uno,* Solesmis, 1895; Vacant, *Etudes thiol. sur les Constitutions du C. du Vatican,* t. I, Paris, 1895; Scheeben, *Dogmatik,* vol. II; Card. Satolli, *In Summam S. Thoma,* vol. I, De Deo Uno; A. Farges, S. S., *L'idée de Dieu d'après la raison et la science,* Paris, 1894; Pesch, *Pralect. dogmat.,* De Deo Uno secundum naturam, 1895; Ginoulhiac, *Histoire du Dogme Catholique,* 2e éd., Paris, 1866, vol. I, De Dieu considéré en lui-même; L. Janssens, *De Deo uno,* 1900; Lépicier, *De Deo uno,* 1908; Van der Meersch, *De Deo uno et trino,* Brugis, 1917; R. Garrigou-Lagrange, *Dieu : son existence et sa nature,* 4e éd., 1923; E. Hugon, O. P., *De Deo uno et trino,* 1920; P. Sertillanges, *Dieu ou rien,* 1933; Jungmann, Hurter, Egger, J. M. Hervé, aliique Compendiorum auctores.

Alia opera in decursu Tractatus allegabuntur.

Concilii Vaticani decreta et canones.

Cap. I. De Deo rerum omnium Creatore.

386. Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cæli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una, singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus. 1782

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur» liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. 1783

Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.

Canones.

387. *1.* Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit : anathema sit. 1801

2. Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit : anathema sit. 1802

5. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam : anathema sit. 1803

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; 1804

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam : anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas ; 1805

aut Deum dixerit, non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum ;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit : anathema sit.

Objectum, utilitas et divisio Tractatus.

388. Objectum. Primarium fidei nostræ objectum est Deus unus et trinus, juxta illud : " Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate veneremur. " *(Symb. Athanas.)* Absolutis igitur ad fidem præambulis, et explicato fidei actu, de *Deo uno* agendum est. Cum vero multa de Deo in *Philosophicis Institutionibus* tradi soleant, hic ea præsertim attingimus quæ sola revelatione aut saltem *multo plenius* manifestantur, quæque utiliora sunt sive ad pietatem nutriendam sive ad melius intelligendas ceteras veritates fidei.

389. utilitas dicendorum facile colligi potest : (a) ex *dignitate objecti;* nam eo præstantior et utilior est scientia quo excellentius est ejus objectum ; atqui nihil est Deo melius, cum sit ipse omnis perfectionis fons et origo, ita ut quidquid veri, boni et pulchri in entibus fulgeat, nihil aliud sit nisi vestigium quoddam divinarum perfectionum ; hinc merito Deus ipse homines sic alloquitur : " Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, *scire et nosse me,* quia ego sum Dominus " (b) Ex *effectibus hujus scientiæ* * *:* Dei enim contemplatio *a rebus terrenis mentem avocat,* quæ, dum ad res caelestes comparantur, ut stercora existimantur : " Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam" 3; ad *amorem Dei* cor rapit, cum Supremum Bonum cognosci nequeat quin diligatur, et consequenter ad *virtutum praxim* ducit, præsertim humilitatis, reverentiae, confidentiae et obedientiae erga divinam majestatem : " Nosse enim te consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis " 4, et

1 *Jerem.,* IX, 23 sq. — ' Cf. Lessius, *op. cit.,* Prafat.
3 *Philipp.,* Ill, 8. — ♦*Sap.,* XV, 3.

ita nos *ad finem nostrum* dirigit, qui Deus est : " Hæc est autem vita aeterna ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, J. Christum ", [1] (c) *Ex erroribus circa Deum :* præter *atheos* et *pantheistas,* qui fusius alibi confutantur, *Rationalistes* de divinis perfectionibus, præsertim de ejus scientia et providentia, multipliciter errant; quos errores exponere et refellere necesse est.

390. Divisio. Angelicus Praeceptor tribus quaestionibus doctrinam de divina essentia absolvit : *an* Deus sit, *quomodo* sit, quid *operetur;* ejus vestigiis inhaerentes de *existentia* Dei, de ejus *natura* et *operationibus* agemus.

- Caput I. De Dei existentia.
  - Ejus demonstrabilitas.
  - Argumenta quibus demonstratur.
  - De divinis nominibus.
- Caput II. De Dei natura.
  - De attributis.
    - In genere.
      - Doctrina catholica.
      - Scholasticae opiniones de divina essentia.
    - In specie.
      - Simplicitate.
      - Immutahilita
      - Æternitate.
      - Immensitate.
      - Infinitate.
      - Unitate.
- Caput III. De operationibus divinis.
  - De scientia divina.
  - De voluntate seu volitione divina
  - De providentia et praedestinatione.
  - De potentia.
  - Conclusio : de beatitudine Dei.

[1] Joan., XVII, 3.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

Dicemus : i° de *demonstrabilitate* existentiæ Dei; 2° de *argumentis* quibus Dei existentia demonstratur; 3° de *divinis nominibus.*

Art. I. De demonstrabilitate existentiæ Dei.

391. Errores. Circa demonstrabilitatem existentiæ Dei duplex est errorum genus : alii enim putant existentiam Dei demonstratione *non indigere;* alii vero *non posse* demonstrari.

(A) Alii siquidem putant Dei existentiam *demonstratione non indigere :* (a) 5. *Anselmus* [1] docuit hanc veritatem esse *per se notam* : nomine enim Dei intelligimus ens quo majus cogitari nequit; atqui esse *in re simul et in intellectu* majus est quam esse mere in intellectu; ergo Deus existit non tantum in intellectu, sed etiam in re. (b) *Cartesius* [2] censebat ideam Dei esse *nobis innatam,* et hanc ideam necessario supponere Dei realem existentiam. (c) *Ontologista* docebant *cognitionem Dei immediatam* (seu visionem), quamvis *obscuram,* ita essentialem esse humanae menti ut sine ea nihil cognoscere valeat [3].

392. (B) Alii vero contendunt Dei existentiam *non posse ratione demonstrari.*

(a) *Empiristes, Positivistes* et hodierni *Agnostici* profitentur omnem cognitionem nostram ad *pheenomena* restringi, ideoque intellectum nostrum non posse ad causam ontologicam et transcendentalem assurgere, extra et supra phaenomena sitam. Ita *Hume, Stuart Mill, Spencer, Comte, Littré, W. James.*

(b) Kantius vero, contra Empiristas, tenet principium causalitatis esse necessarium, sed hanc necessitatem sumit ex *constitutione nostra mentis;* et ita, cum Empiristis consentit in denegando huic principio, sicut et omnibus conceptibus, omnem valorem *ontologicum* et *transcendentalem.* Exinde, præ defectu intuitionis

[1] *Proslogium, asp.* III; *Contra Gaulinonem;* cfr. Bainvel *D. T. C.* art. *Anselme* (5.)

[*] *Principia philos.,* p. I», § 14; *Méditation* 5/.

[*] Ita Malebranche, Gioberti, Ubaghs.

intellectualis *noumenorum* », probatio *metaphysica* existentiæ Dei est mera illusio. Probatur tamen existentia Dei, sed probatione *practica* seu morali qua producitur tantum *fides moralis* cujus certitudo, etsi *objective insufficiens,* subjective sufficiens est. Sine Deo, inquit, non staret obligatio moralis et virtus donari nequiret felicitate perfecta in altera vita : ergo Dei existentia supponitur et postulatur ut fundamentum morum, ac eo firmius a nobis admittitur quo rectius vivimus [a].

(c) Juxta Modernistas, qui ad mentem Kantii philosophantur, ratio humana, utpote phænomena praetergrediendi incapax, assurgere nequit ad Dei existentiam cognoscendam ex creaturis : unde Deus non est objectum scientiæ, sed *sensus (sentiment)* tantum et ita non existit, addit modemista *mere philosophus,* nisi in anima credentis. Modemista vero *credens* admittit Deum existere etiam *in se,* independenter ab anima sentiente et affirmante, et de hac existentia se certissimum dicit, non tamen ex ratione et creaturis, sed ex *experientia individuali,* ex cordis intuitu quo immediate attingitur realitas Dei, et. sic *immanentismum* advocat [3]. Unde, juxta modemistam credentem, *immanentia* et *transcendentia* non sunt quid contradictorium [*]. Siquidem Deus nobis est immanens, eumque in intimis naturæ nostræ recessibus latentem invenimus.

(d) Traditionalists *rigidiores* contendunt cognitionem veritatum suprasensibilium et imprimis existentiæ Dei fundari immediate in *auctoritate sociali* et ultimo in *revelatione divina :* unde

[1] *Noumena* a Kantio intelliguntur res ut sunt *in se* et independenter a mente concipiente; dum *pheenomena* sunt res *ut nobis apparent* ex mentis nostræ constitutione quæ posset esse alia ac est.

[2] *D. A.,* L I, 976-977·

[3] Jam Molinos Modemistarum præluserat agnosticisme et pseudomysticismo. Cf. D. B., 1238, 1239. Ita etiam Schleiermacher, sensui præ ratione confidebat ad cognoscendas res religiosas et morales. *{Theol. fund.,* n. 1024.

[4] Quod ita explicat *Le Roy :* " Immanence et transcendance ne sont plus contradictoires ; elles répondent à deux moments distincts de la durée : l'immanence, *au devenu,* la transcendance, *au devenir.* Si nous déclarons Dieu immanent, c'est que nous connaissons de Lui ce qui est devenu en nous et dans le monde; mais pour le monde et pour nous, il reste toujours un infini à devenir, un infini qui sera création proprement dite, non simple développement; et de ce point de vue Dieu apparaît comme transcendant ; et c'est comme transcendant que nous devons surtout le traiter dans nos rapports avec lui, selon ce que nous avons reconnu à propos de la personnalité divine. " *Revue de Mitaphys. et de morale,* juillet 1907, p. 512; *D. A.,* t. I., p. 951. — Sed *Pius X* in Encycl. *Pascendi* ita modernistas redarguit : " An ejusmodi *immanentia* Deum ab homine distinguat necne?" Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur rejicit ? Si non distinguit, *pantheismum* habemus. " D. B., 2108.

vocantur etiam *fidéiste*. Ita *Lamennais* et *Bautain*[1] — *Mitiores* autem *Traditionaliste* dicèbant magisterium sociale esse *conditionem* requisitam ad cognitionem claram et certam existentiæ Dei primo accipiendam, postea vero sola ratione hanc veritatem posse demonstrari. Ita *Ventura, Bonnetty*[3], *Ubaghs, Laforit*.*

Ad veritatem catholicam contra istos errores declarandam, duo demonstrabimus :

i° Existentiam Dei non esse veritatem *per se notam*, sed *demonstratione indigere;* 2° eamdem naturali ratione lumine *cognosci et demonstrari posse*.

393. *Thesis* Ia : Existentia Dei non est veritas per se nota quoad nos, sed demonstratione indiget.

1° Certum est *philosophice*, prout demonstrari solet in *Philosophias prælectionibus;* et *theologice*, quatenus certo declaratur in documentis ecclesiasticis, (a) Nam in Encycl. *Pascendi* reprobatur assertio Modernistarum dicentium existentiam Dei *immediate* attingi experientia sensus religiosi : " In sensu religioso quemdam esse agnoscendum cordis intuitum ; quo homo ipsam, *sine medio*, Dei realitatem attingit, tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quæ ex scientia peti possit, longe antecellat "[4]. (b) Pariter S. *Officium* [5] declaravit tuto tradi non posse doctrinam ontologisticam de *immediata Dei cognitione ;* et damnavit propositiones Rosmini de *immediata Dei manifestatione* in creaturis (infra, n. 396).

394. 2° Constat etiam ex eo quod argumenta ab adversariis allata vi demonstrativa carent.

(A) De argumento S. *Anselmi* scribit S. *Thomas* :[6] " In Deo esse suum includitur in ejus quidditatis ratione, quia in Deo idem est *quid est* et *esse*... Sed quia quidditas Dei non est nobis nota, ideo *quoad nos* Deum esse non est per se

[1] D. B., 1622, 1627.
• D. B., 1649, 1650.
' *D. T. C.*, t IV, voce *Dieu*, 808-809.
« D. B., 2081-2082.
« D. B., 1659, 1891-1895.
* *De veritate*, q. IO, a. 12; *Sunt, theol.*, q. 2, a. 2.

notum, sed indiget demonstratione, " ... " per ea quæ sunt magis nota quoad nos... scilicet per effectus ", Adest enim in argumento S. Anselmi transitus de ordine *ideali* ad ordinem *realem.* Major syllogismi : nomine Dei intelligimus ens quo majus cogitari nequit, concedi potest in ordine *ideali* (etsi quidam eam negant), non autem in ordine *reali;* id enim est ipsa propositio *probanda,* minime autem res *per se evidens quoad nos ;* est igitur *petitio principii.*

395. (B) Nec valet *Cartesii* probatio. Minime enim constat ideam Dei esse innatam, sed e contra in *Psychologia* demonstratur hanc effbrmari e rebus sensibilibus vi abstractive intellectus agentis.

Nonnulli quidem theologi quædam Patrum testimonia afferunt ex quibus inferunt ideam Dei esse nobis naturaliter insitam : ita *Thomassinus, Klee, Staudenmaier, Kuhn.* Sed perperam, ut apparet ex contextu ipso textuum a Kuhn allatorum. Ita *Clemens Alex.* **wmi** docet Dei cognitionem esse *insitam citra institutionem,* sed id explicat paulo antea dicens : " Cum sit manifesta divina providentia *ex aspectu omnium,* quæ videntur, *effectorum* " *x.* Scribit sane *Tertullianus :* " Animæ *a primordio* conscientia Dei dos est " ; sed rationem paulo antea reddit : " Siquidem *a primordio rerum* conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis ut Deus cognosceretur " Alii quidem loquuntur de *sensu divino,* de *lumine nobis infuso,* etc; sed plerumque saltem hujusmodi locutiones *non de idea Dei infusa,* sed de *luce intellectuali* nobis a Creatore indita, cujus ope in speculo creaturarum Dei vestigia aut imaginem conspicimus, et ita a creaturis ad Creatorem facile ascendimus.

396. (C) Neque admitti potest *Ontologismus,* quocumque modo propugnetur 3.

(a) Adversatur enim *Scriptura,*quæ duo asserit : i) Deum in præsenti vita esse *invisibilem,* lucem inhabitare *inaccessi-*

' *Strom.,* V, 14, 260, *P. G.,* IX, 15.

' *Adv. Marcionem,* I, 10, *P. L.,* II, 257.

3 Inter Ontologistas, Malebranche (1638-1715) docuit *omnia* in Deo immediate videri, essentiam autem divinam a nobis videri non absolute ut in se est, sed ut est idea archetypa omnes res creatas repræsentans ; Ubaghs, cum Ontologistis *moderatis,* tenuit non singularia, sed solum *universalia* in ideis divinis videri.

Cf. Zigliara, *Summa philos.,* Theol. nat., lib. I, c. I, 1 ; *Delia luce intellettuale dell'Onlologismo.*

bilem, quem *nullus* hominum *vidit,* sed *nec videre potest* : " Regi saeculorum immortali et *invisibili,* soli Deo honor et gloria... qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest " 1 ; atqui hæc verba generalia sunt, et excludunt visionem non solum per oculos corporeos, sed etiam per intellectum, cum ratio pro illa invisibilitate assignata, sit ipsa eminentia naturæ divinæ quæ omnibus hominibus est prorsus inaccessibilis; 2) insuper Deum solum seipsum videre, ita ut nemo ipsum cognoscere valeat prout in se est nisi per revelationem supematuralem : " Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit" 2; quibus verbis excluditur naturalis Dei visio. — Si igitur S. Joannes scribit : " Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum " 3 ; hæc verba inteL·-ligenda sunt de lumine intellectuali quo principia percipimus, et de luce revelationis, non autem de visione Dei.

Hinc ex declaratione S. *Officii* (18 Sept. 1861) tuto tradi non potest hæc ontologistica propositio : " Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit : siquidem est ipsum lumen intellectuale " 4. Insuper, 14 Dec. 1887, damnatae sunt nonnullae propositiones ejusdem generis ex operibus *Rosminii* excerptæ 5, inter quas : " In ordine rerum creatarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, hujusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat... Esse quod homo *intuetur,* necesse est ut sit aliquid entis *necessarii* et *æterni.* "

Ex *Actis* autem *Concilii Vaticani* constat Patres noluisse directe suo decreto *Ontologismum* proscribere, immo emendationem rejecerunt, qua condemnabatur, " quia, inquit Relator, gravissimum hoc systema ontologismi non potest quasi accidentaliter et incidenter pertractari"6; indirecte tamen attingitur illa Ontologismi forma, quæ negat Deum e rebus creatis naturali rationis lumine certo cognosci posse.

* *I. Tim.,* I, 17 ; cf. VI, 15-16.
' *Joan.,* I, 18 ; cf. *Matth.,* XI, 27.
' *Joan.,* I, 9.
4 D. B., 1659; ibid., 1660-1665, lege alias propositiones.
5 D. B., 1891-1930. — e *Acta C. Vatic.,* p. 128.

(b) Adversatur *experientia.* Nam, ut ait S. *Thomas J,* "cognoscere Deum per essentiam... est hominis beatitudo; unde sequeretur omnem hominem (videndo Deum) beatum esse. — Praeterea, cum in divina essentia omnia quæ dicuntur de ipsa sint unum, nullus erraret circa ea quæ de Deo dicuntur, quod experimento patet esse falsum. — Et iterum ea quæ sunt prima in cognitione intellectus, oportet esse certissima; unde intellectus certus est ea intelligere; quod patet in proposito non esse."

(c) Quapropter Ontologismus est valde *periculosus;* viam enim stemit : 1) *naturalismo :* si enim *naturaliter* Deum videmus immediate, jam non est essentiale discrimen inter ordinem naturalem et supernaturalem, cum ordo supernaturalis essentialiter in visione Dei consistat; 2)*pantheismo :* si quod immediate intuemur est *ipsum esse divinum,* etiam res mundanæ quas immediate percipimus sunt ipse Deus. Revera Rosmini dicit :2 "In natura igitur universi, id est, in intelligentiis quæ in ipso sunt, aliquid est, cui convenit denominatio divini *non sensu figurato, sed proprio.* Est actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinæ."

397. *Thesis IIa :* Existentia Dei per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci ac demonstrari potest 3.

Defide est, juxta illud *Vaticani* 4 .· "Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, A. S." — Insuper, ex *Motuproprio* Pii X, i Sept. 1910, declaratur Deum "certo cognosci, adeoque *demonstrari* etiam posse" 5.

Probatur *Scriptura,* (a) *Sapientia* declarat vanos esse, id est stultos (gr. μάταιοι) illos homines qui Deum ignorant nec ejus existentiam ex ipsius operibus intelligere potuerunt : "*Vani* autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque *operibus* attendentes agnoverunt quis esset artifex."6 Atqui homines vani ac stulti vocari

' *Opusc. 7o super Boetium de Trinit.,* q. I, a. 3. — 3 D. B., 1893.

3 S. Th., I, q. 2, a. 1 ; P. Garrigou-Lagr., *Dieu,* I P., ch. Π; E. Hugon. p. 35; Van der Meersch, n. 45-54; Hervé, n. 4-6.

4 Sess. III, can. 1 de Revel., D. B., 1806.

5 *A. A. S.,* an. 1910, p. 669, D. B., 2145. — 6 *Sap.,* XIII, 1-2.

nequeunt ex eo quod Deum ignorent, nisi hæc veritas ita certo cognosci valeat ut sapiens de ea dubitare nequeat; aliunde hic agitur de naturali Dei cognitione, de ea scilicet quæ ex ejus *operibus* agnosci potest. Hinc alibi [1] dicitur solum insipientem hanc veritatem negare : " Dixit *insipiens* in corde suo : non est Deus. "

(b) *Paulus* [3] pariter docet Gentiles, qui revelationis lumine carebant, Deum e rebus creatis agnoscere potuisse, et de facto generatim agnovisse : " Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, *per ea quæ facta sunt,* intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. " Jam vero Dei cognitio, quæ *per ea quæ facta sunt* obtinetur, est cognitio naturalis et deductiva.

398. *Trad,* (a) Patres idem tradunt præsertim in suis Commentariis in *Ep. ad Rom.* Ita *Chrysostomus,* inquirendo qua ratione Deus Gentilibus sese manifestaverit, scribit [3] : " Vocemne ad illos emisit? Minime; verum id effecit, quod magis illos quam vox quaelibet attrahere poterat : creatum orbem in medio posuit : ita ut sapiens, idiota, scytha, barbarus ex solo visu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere posset. "

(b) *Vaticanum* id definivit, ut dictum est, ejusque doctrinam ex *Actis* ipsius Concilii exponere juvat. Declaravit siquidem " Deum, rerum omnium *principium* et *finem, naturali* humanæ *rationis* lumine e *rebus creatis certo cognosci* posse" [4]. Hic non est quæstio *de facto,* num singuli homines cognitionem Dei hauriant e rebus creatis, sed de *potentia* rationis, quando jam fuit *sufficienter evoluta ;* dicitur " *naturali"',* nec Patres addere voluerunt " uti nunc est, vel in statu naturæ lapsæ",“ cum ea, quæ in ista doctrina docentur, generatim vera habenda sint, sive sumatur homo in

' *Ps.* XIII, i.
* *Rom.,* I, 19-21.
' Chrysost., *homil. 3 in tp. ad Rom.,* n. 2; P. *G.,* LX, 412.
« *Stst. Ill,* cap. de Revelatione, D. B., 1785.

statu naturæ puræ sive in statu naturæ lapsæ"[1]. Itaque declaratur a Concilio Deum ratione humana *recte evoluta,* etiam in statu *naturæ lapsæ, e rebus creatis* cognosci posse, atque id quidem *cum certitudine.*

Definitio vaticana dirigitur *directe* contra Empiristas, Kantistas, et etiam Fideistas et Traditionalistas, qui docuerunt Dei existentiam nullis firmis argumentis ratione probari. — Nullo modo Vaticanum affirmat creationem proprie dictam ratione demonstrari posse, sed *e rebus creatis* Deum certo cognosci posse.

399. *Rat.* Ex effectibus cognosci potest existentia alicujus causæ, si effectus sunt nobis magis noti, et proprii effectus ipsius causæ. Nam "cum effectus pendeat a causa, posito effectu, necesse est causam præexistere". Atqui res creatæ visibiles, ex una parte, sunt certe nobis magis notæ quam ipse Deus; ex alia vero, sunt effectus proprii Causæ primæ, cum habeant characteres contingentiæ, limitationis et imperfectionis. Ergo. Recte ait Angelicus : " Visis sensibilibus, devenimus in Deum secundum quod ista causata sunt, et secundum quod omne causatum est ab aliqua causa agente " [2].

400. De naturali Dei cognitione. *(R) Ejus origo.* Hæc Dei cognitio, in præsenti vita, obtinetur *triplici via : causalitatis, remotionis et excellentiæ.* (a) Via *causalitatis,* inquantum, inspecto mundo, cum ordine et pulchritudine ejus, concludimus esse *causam primam,* quæ illum produxerit, et ex cognitione perfectionum, quæ creaturis insunt, aliquid de *natura et perfectione earum causæ* cognoscimus, sicut ex inspectione picturæ nonnullas pictoris qualitates merito concludimus; sed hæc cognitio est valde imperfecta, cum effectus creati virtutem causæ adæquare non possint. Hanc methodum Scriptura commemorat, dum dicit : " Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas... " [3];

[1] Ita Rmus Gasser, Episc. Brixinensis, in *Actis et Decretis Concilii Vaticani* (tom. septimo *Collectionis Lacensis),* p. 131.

[2] S. *Thom., 7 Sent.,* D. III, q. 1, a. **2.**

[3] *Roni.,* I, 20.

" A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri " [1].

(b) Via *remotionis,* quatenus omnes *creaturarum imperfectiones removemus a* Deo; hoc modo dicimus Deum esse *infinitum,* seu nullis limitibus circumscribi; *simplicem,* id est, omnem compositionem excludere ; *immutabilem,* id est, nulli mutationi obnoxium esse, etc.; quo sensu dicitur : " Apud Patrem luminum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio"[2]. Notandum est tamen illis negationibus verissimas perfectiones includi, v. g., dum negamus Deum spatio circumscribi, ejus omnipræsentiam et immensitatem affirmamus, et sic de ceteris.

(c) Via *excellentia,* quatenus quidquid perfectionis est in creaturis, hoc *eminentiori* modo Creatori tribuimus; ita, v. g., quia in creaturis est essentia, sapientia, potentia, affirmamus Deum esse superessentiam, supersapiendam et omnipotentiam. Quo sensu dicitur : " Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, *supervalebit enim adhuc...* major est omni laude " [3].

Notari tamen oportet tres illos Deum cognoscendi modos *simul uniendos esse,* ut non solum ejus existentiam, sed et essentiam atque perfectiones meliori quo fieri potest modo cognoscamus. Cujus rei exemplum exhibetur apud S. *Thomam* [4] : " Tripliciter ista de Deo dicuntur, primo quidem *affirmative,* ut dicamus : Deus est sapiens; quod quidem de eo oportet dicere propter hoc quod in eo est similitudo sapientiae a Deo fluentis; quia tamen in Deo non est sapientia, qualem nos intelligimus et nominamus, potest vere *negari* ut dicatur : Deus non est sapiens. Rursum quia sapientia non negatur de Deo quia ipse deficiat a sapientia, sed quia *supereminentius* est in ipso quam dicatur aut intelligatur, ideo oportet dicere quod Deus sit *supersapiens.* "

401. (B) *Ejus qualitates.* Naturalis cognitio Dei est : (a) *indirecta :* nam Deus attingitur non in se et per se, sed *in* creaturis et *ex* creaturis; (b) *analogica,* i. e., fit per notiones quæ eum repræsentant, non univoce, nec etiam æquivoce, sed secundum positivam approximationem aut proportionem : de quo paulo fusius dicendum est.

1 *Sap.,* XIII, 5. — 2 *Jat.,* I, 17. — 3 *Eedi.,* XLIII, 32-33.
4 *Quest, disp.,* de Potent., q. 7, a. 5, ad 2.

402. *Quomodo analogice Deum cognoscimus?* i° Notandum est notiones quæ Deo applicantur esse *transcendentales,* non quidem' sensu Kantiano [1], sed *sensu scholastico.* Scilicet aliqua notio est transcendentalis quin cesset idcirco esse objectiva, prout falso contendebat Kantius, quando transcendit limites non solum speciei determinatae, sed etiam cujuslibet generis etiam supremi, et ita invenitur proportionaliter tantum in quolibet genere.

Sunt autem sex tantum proprie transcendentalia : *ens, res, unum, aliquid, bonum* et *verum.* Sed habentur insuper notiones metaphysicæ, *causa,* scilicet, *intellectus, voluntatis,* quæ, etsi non proprie transcendentales (cum non inveniantur in omnibus generibus), definiantur tamen per relationem immediatam cum uno e transcendentalibus : causa scilicet respectu entis cujus est effectrix, intellectus respectu veri quod cognoscit, voluntas respectu boni quod appetit. Hæ notiones, *sic considerata,* non restringuntur ad unum genus, ideoque dici possunt transcendentales. Nihil ergo obstat quin notiones causæ, intellectus, voluntatis sicut et notiones entis, veri et boni applicentur rei quæ omne creatum transcendat.

403. 2° Sed *quomodo* illæ notiones possunt Deo applicari? Non *univoce,* seu secundum eamdem rationem, cum creatura, utpote imperfecta, non recipiat similitudinem Dei nisi *deficienter;* non *pttre cequivoce,* quia demonstratio de Deo non nititur æquivocatione, sed vero fundamento, scilicet relatione inter causam et effectum ; sed *analogice,* in quantum existit ea proportio qua unum refertur ad aliud tanquam ad *principale.* Possunt igitur præfatæ notiones esse in Deo κατ' αναλογίαν, eo nempe modo qui Deo convenit, seu potius sine modo, *absolute,* formaliter tamen, sed *formaliter eminenter.* Si enim Deus est causa creaturarum, ut mox sumus demonstraturi, inter Deum et creaturas adest quædam similitudo, cum omne agens agat sibi simile [2]. Et si creaturae exigunt causam præ sua contingentia, earum causa debet esse non contingens, ideoque analogice, non vero univoce similis [3].

1 Juxta Kantium, inquisitio est transcendentalis quæ fertur non in objecta, sed in modum nostrum ea cognoscendi. *{Critique de la raison pure,* Introduce, 2, 7). — ' *Sum. th.,* ia p., q. 4, a. 5.

3 Unde deficit philosophia Scoti et Suarezii quæ non satis agnoscit hanc profundam distinctionem inter analogum et univocum. (Cf. *D. A.,* I, 1013).

404. Quod ita declaratur in una e viginti quatuor propositionibus a S. *C. Studiorum* approbatis die 27 Jul. 1914 : ll Ens quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus æquivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis. " Rem egregie illustrat *Card. Billot*l : " Ratio bonitatis est analoga analogia *attributionis,* si consideretur quod in solo Deo sit *per essentiam,* in reliquis vero per dependentiam et participationem a bonitate divina. Est autem analoga analogia *proportionalitatis,* si in omnibus et singulis consideretur *intrinseca* bonitatis ratio, quatenus videlicet, sicut se habet bonitas divina ad Deum, formaliter faciens eum perfectum eo modo qui competit Deo, ita se habet bonitas humana ad hominem faciens eum perfectum eo modo qui competit homini. "

Nostra igitur cognitio de Deo *non est adæquata,* cum non exhauriat plenitudinem Entis infiniti et simplicissimi; nec *proprium modum divinæ perfectionis realiter* attingit; sed, quamvis imperfecta, non est falsa, nec *mere negativa,* cum exprimat aliquid positivum quod vere est in Deo, etsi modo eminentiori quam in creaturis.

Igitur, ope conceptuum analogorum, jure ac merito demonstramus existentiam Dei, ejusque attributorum aliqualem cognitionem positivam et formalem acquirimus 2.

l *De Deo uno et trino,* th. XVIII.

3 Cf. i, q. 12, a. 12; C. *Gent.,* l. Ill, c. 49; *in 1 dist.* 35, q. i, a. I. Ex hoc intelligitur omnino falli *Agnosticos* dum dicunt *Primam Causam* a nobis cognosci non posse : comprehendi quidem seu perfecte et adæquate intelligi nequit; sed tunj ex dictis, tum ex dicendis manifestum est Eam ita cognosci posse, ut a quolibet alio ente secernatur, et appareat esse *supreme intelligentem,* et eminenter possidere quidquid perfectionis in creaturis elucet ; nam, ut acute notat *Max Müller* (in *Nineteenth Century,* Dec. 1894, p. 893) causa fortuita et intelligentia carens, neque explicat, neque unquam explicare poterit *certa intelligentüe facta,* quæ in homine invenire licet : " *Sa Majesté le Hasard,* i. e., fatum, jamdiu e solio excidit in rebus scientificis; nec *Selectio naturalis,* nec *Pugnapro existentia,* nec *Medii efficacia,* aut similia sesquipedalia verba nunquam rationem referent του Logos (cogitationis nempe) qui per naturæ translucens velum innumeris oculis nos conspicit, postulans ut ὁ Logos qui in nobis est ipsum agnoscat " — Agnosticismi confutationem invenies apud G. W. Ward, *Essays on Theism;* G. J. Lucas, *Agnosticism and Religion,* Baltimore, 1895; *D. A.,* voce *Agnosticisme,* t I, 1-75.

Art. IL De argumentis quibus existentia Dei demonstratur[x].

405. Inter varia argumenta quæ ab auctoribus afferuntur ad Dei probandam existentiam, ea seligimus quæ S. *Thomas* exposuit, utpote efficaciora. Desumuntur autem e rebus mundanis quintuplici modo spectatis : videlicet e rebus *mobilibus* ascendimus ad primum Motorem immobilem; e *causis efficientibus* assurgimus ad prirqam Causam efficientem; e *contingentibus* ad Ens necessarium devenimus; e rebus *plus minusve perfectis* Ens supreme perfectum attingimus; e rebus *ordinatis* ad supremum Gubernatorem concludimus.

406. Advertendum est hæc argumenta : (a) esse *metaphysica,* cum procedant a quolibet *ente* creato et deducant in quinque prædicata (immobile, non causatum, necessarium, perfectum, supremum gubernans) quæ non possunt convenire nisi Ei qui est ipsum *Esse* subsistens ; (b) reduci ad unum argumentum generalissimum quo Dei existentia concluditur e principio : *Quod est non per se, est ab alio quod est per se.* Sic institui potest hoc argumentum : Experimur entia ordinis cujuscumque (physici scilicet, vegetativi, sensitivi, intellectivi) nasci et mori. Ergo *non sunt ex se,* sed *ab alio* qui ex se habet esse, vitam et intellectum.

i° Argumentum ex parte motus'

407. Motus, prout a scholasticis hic intelligitur, non est solum mutatio localis, seu translatio ab uno loco in alium, sed quilibet transitus de potentia in actum, sive in corporalibus, sive in spiritualibus[3] ; " movere, ait S. *Thomas*[4], nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum

[1] S. Thom., i, q. 2, a. 3; *C. Gent.,* lib. 1, c. 13, 15, 16, 44; lib. II, c. 15; lib. III, c. 44; *De Veritate,* q. 52, a. 2; *De Potentia,* q. 3, a. 5; *Compendium theologia,* c. 3; *Physic.,* lib. VII, lect. 2; lib. VIII, lect. 9 sq.; *MetapKys.* lib. XII, lect. 5 sq. ; Card. Billot, th. 4; Hontheim, n. 181 sq. ; Farges, p. 59 sq.; Pesch, p. 15 sq.; R. Garrigou-Lagrange, *Dieu,* I P., ch. III, et *D. A.,* t. I, art. Dieu; L. Janssens, t. I, p. 133-182; E. Hugon, p. 44-56.

[2] Cf. S. Thom., *Physic,* lib. VII, lect. 1 et 2; lib. VIII, lect. 9, 12, 13, 23.

[3] Cf. 1-2, q. 9, a. 4; q. 79, a. 4; q. 82, a. 4; q. 105, a. 5. — [4] I, q. 2, a. 3.

Unde sic : *Certum est aliqua moveri in hoc mundo. Atqui hic motus supponit primum motorem immobilem;* nam *omne quod movetur, ab alio movetur; et aliunde non est possibile procedere in infinitum in moventibus et motis; ergo est primum movens immobile.* Declaratur et probatur per partes :

(a) *Certum est aliqua moveri :* experientia enim externa et interna constat esse motus, non tantum locales; — sed et *qualitativos,* qualis est motus ad sanitatem, ad scientiam, ad virtutem et rectitudinem moralem; — et *quantitativos,* prout est motus incrementi in plantis et animalibus; — et *substantiales,* qualis est generatio et corruptio corporum.

(b) *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Hoc patet consideranti naturam motus seu τοὐ *fieri.* Etenim : i) motus seu τὸ fieri est unio successiva diversorum ; v. g., quod est hic, postea est illic (motus Ipcalis), album fit nigrum, intellectus nihil sciens acquirit paulatim scientiam (motus qualitativi). Exinde apparet motum non habere *in se* suam essendi rationem : secus enim elementa *ex se diversa* essent simul *quid ex se unum,* et sic everteretur principium identitatis, seu contradictio vinceret. 2) Motus seu το fieri, cum sit transitus ex potentia ad actum, ex indeterminatione ad determinationem, expostulat omnino rationem essendi extrinsecam qua actuetur et determinetur. Repugnat enim quod unum et idem ens sit simul sub eodem respectu in potentia seu indeterminatum et in actu seu determinatum. Evincitur ergo unum et idem ens non posse sub eodem rèspectu esse motorem et motum : unde si movetur, ab alio movetur. Quod si in eodem ente una pars alteram movet, ut contingit in vivente, pars movens et ipsa movetur motu alius ordinis qui exigit motorem extrinsecum, ut constat in vivente, sentiente et intelligente. Ergo quidquid movetur, ab alio movetur x.

(C) *Non est possibile procedere in infinitum in moventibus et motis,* seu aliis verbis, non est possibile in infinitum regredi per seriem motorum actualiter et essentialiter subor-

x Studuimus dare hujusce principii demonstrationem quæ valorem *absolutum* habeat, et idcirco non adhibuimus quædam asserta nec evidentia nec probata, ut *principium inertia.*

dinatorum. Nam repugnat motum habere suam rationem sufficientem in serie, etiam infinita, motorum, qui et ipsi moverentur. Si enim omnes motores recipiunt influxum quem transmittunt, ita ut non sit motor motum dans quin eum receperit, nunquam erit motus. Ita horologium, etiam cum numero infinito rotarum, non movebitur sine machina motrice *{ressort}*.

(d) Deveniendum est igitur ad primum motorem immobilem, non ea immobilitate potentiæ quæ præcedit motum et imperfectionem importat, sed ea immobilitate actus qui non expostulat fieri, cum jam sit, — seu ad motorem qui per se agit et consequenter per se est, est actus purus et ipsum Esse seu Deus.

20 Argumentum ex ordine causarum efficientium '.

408. Hic jam non agitur de mutationibus, quæ in mundo occurrunt, sed de causis efficientibus a quibus procedunt res *permanentes,* ut plantae, animalia, homines : unde probatio non incipit praecise a consideratione motus seu του fieri, sed τοϋ esse quod est terminus του fieri et post illud manet ; et exinde deducitur non tantum causa prima τοϋ fieri (ut in probatione praecedenti) sed etiam conservationis in esse. Processus vero deductionis est fere idem ac in demonstratione ex motu sumpta.

Sic proceditur : *Invenimus in mundo causas efficientes sibi invicem subordinatas,* v. g., omnes influxus cosmicos subordinates qui sunt necessarii ad productionem et conservationem plantae, animalis, ut generatio, gradus pressionis atmosphericae, activitas chimica aeris et alimentorum.

Atqui hujusmodi causa supponunt causam primam incausatam. Nam ex una parte impossibile est ut aliquid sit causa efficiens suiipsius, quia si res ita se haberet, aliquod ens esset prius seipso; ex altera autem parte impossibile est in causis efficientibus procedere in infinitum, sed admitti debet causa prima incausata. Si rejicitur enim talis causa, restat ut admittatur tantum series causarum causatarum et effectuum vel in linea recta vel in linea circulari; atqui neu-

' Cf. I, q. 104, a. I et 2, ubi hæc probatio egregie exponitur.

trum dici potest : non *prius,* nam in causis efficientibus ordinatis, primum est causa medii et medium causa ultimi, ita ut si removeatur prima causa, eo ipso removeantur causæ intermediæ et effectus; — non *posterius,* quia in hac hypothesi duo entia causa et effectus sibi mutuo simul essent. Pone, v. g., circulum quatuor entibus *a, b, c, d* constantem ; *a* proxime generat *b; b* generat *c* et *c* generat *d; ergo a* remote generat *d;* aliunde *d* in hoc circulo generat *a;* proindeque *d* simul generat *a* et ab ipso generatur : quod repugnat. Ergo constat minor. Proinde admittenda est, extra seriem mundanam causarum efficientium, *causa efficiens prima* quæ causam non habeat, seu *causa incausata.* Causa autem incausata eo ipso habet per se esse, est ipsum esse et actus purus : quæ merito vocatur Deus.

3° Argumentum ex existentia entium contingentium.

409. *Contingens* id dicitur quod potest esse et non esse, esse hoc vel alio modo, seu indifferens est ac indeterminatum ad esse vel non esse, ad esse tali vel tali modo. *Necessarium* autem est id quod non potest non esse, quia habet in se rationem suæ existentiæ seu est *a se.* Quibus positis, sic arguitur : *invenimus in rebus quædam quæ sunt contingentia,* id est, quæ *possunt esse vel non esse;* teste enim scientia, tempus fuit quo non erant in mundo creaturæ rationales, quo non erant animalia vel plantæ, quo corpora cælestia non existebant qualia sunt,sed solum in statu nebuloso; aliunde quotidie viventia pereunt, seu desinunt esse, proindeque multa sunt entia quæ esse vel non esse, aut etiam hoc vel alio modo esse possint *Atqui hæc contingentia* præsupponunt *ens necessarium;* nam quod contingens est, non habet in se rationem sufficientem suæ existentiæ : ergo eam habet, vel immediate, vel mediante serie aliorum contingentium, in alio quod est necessarium, a se existens. Hoc autem ens necessarium : (a) non est collectio entium contingentium, etiamsi numero esset infinito, quia multiplicatio contingentium illa relinquit in sua contingentia; (b) non est lex contingentium, cum ea lex pendeat et ab ipsis contingentibus; (c) non est quoddam *fieri* phænomenis subjacens, ut volunt *Bergson* et *Le Roy,* cum τὸ *fieri* non

habeat in se rationem τοὐ esse ad quod terminatur : *plus* enim in *minore* non continetur nec actu nec virtute; — sed est Ens a contingentia segregatum, per se necessarium, a se existens et in saecula saeculorum exstiturum : quod vocamus Deum.

4° Argumentum e gradibus perfectionis in entibus.

410. *Pranotamus* perfectiones duplicis esse generis. Quædam non suscipiunt majus et minus, v. g., animalitas et rationabilitas, substantia, corpus, etc. In homine scilicet animalitas non est de se perfectior quam in leone, licet homo animal sit perfectius ex rationis adjunctione; item rationabilitas est æqualis in omnibus hominibus, utpote uni et eidem prorsus objecto commensurata, sive proprio (quod est rerum sensibilium essentia), sive adaequato (quod est esse); tandem aurum non est magis corpus et substantia quam cuprum. Aliae vero perfectiones magis et minus suscipiunt, qualia sunt praecipua transcendentalia, ut esse, unitas, veritas, bonitas '.

Jam vero argumentum nostrum hisce posterioribus perfectionis gradibus innititur.

Invenitur in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum et nobile. Ita tenore diverso, diverso gradu bonitatem habent lapis, fructus, equus, magister, sanctus ; ita per varios gradus nobilitatis increscit vita in plantis, brutis, hominibus; unitate praecellit spiritus corpori; in necessariis locupletiora sunt veritate principia et conclusiones quam in contingentibus.

Atqui *hi varii perfectionum gradus arguunt existentiam alicujus entis summe perfecti, a quo entia imperfecta suum perfectionis limitatum gradzim accipiunt.* Nam magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod est maxime perfectum ; v. g., quod est solum partialiter bonum, ita vocatur quia est participatio quædam limitata supremæ bonitatis. Quod sic illustrari potest : id quod est minus in aliqua perfectione, ut in veritate, bonitate, hanc perfectionem limitatam ex *seipso* non habet; secus enim haberet in se rationem et exigentiam essentialem hujus perfectionis et ejus negatio-

' *Sum. thzol.y* **2-2, q. 52, a. I.**

nis seu limitis, aliis verbis ex se haberet simul et non haberet hanc perfectionem : quod repugnat principio identitatis. Ergo quod est minus in aliqua perfectione, hanc perfectionem *ab alio* habet. Hoc autem aliud vel est infinitae perfectionis, vel non : si prius, habemus intentum ; si posterius, hoc aliud, utpote limitata perfectione gaudens, suam bonitatem ab alio accepit, et ita deinceps, usquedum perveniatur ad Ens summe et infinite perfectum quod aliis communicet varios perfectionis gradus. Ergo existit *Ens summe et infinite perfectum*.

Hoc argumentum toto caelo distat ab argumento Anselmiano : in hoc enim consideratur solummodo *idea* entis perfecti, et fit transitus de ordine ideali ad realem : quod logicum non est. S. Thomas vero proficiscitur a *realibus* perfectionis gradibus, ideoque reale Ens perfectum attingit; sicut enim rivuli aquarum a fonte reali, non ideali, originem ducunt, ita entia imperfecta sed actualiter existentia a reali perfectionis Fonte originem trahunt x.

5° Argumentum e gubernatione rerum.

411. Si, post considerationem mundi sub variis respectibus, ejus ordinem attendimus, *videmus corpora naturalia, quæ cognitione carent, operari propter finem. Atqui id fieri nequit, nisi dirigantur ab aliquo supremo intellectu, qui sit a mundo distinctus,* et qui merito Deus vocatur.

Major declaratur : Corpora naturalia, etiam cognitione carentia, operantur propter finem. Nam in universo datur evidentissima ordinatio mediorum ad finem, ut variæ scientiæ testantur. Si astronomiæ studeas, miraris sane quanto ordine planetæ, cum satellitibus suis, circa solem rotent et quomodo vis centrifuga ac centripeta ita moderentur ut in suo orbe astra incredibili celeritate simul ac perfecta tranquillitate moveantur. Si geologiæ attentionem præbeas, haud ægre percipis quanta cura ac providentia terra, per longa sæcula variasque vicissitudines, disposita fuerit ut

x Hanc probationem S. Thomas *applicat* intellectui (ia, q. 79, a. 4), veritati {*Contra Gent.,* lib. II, cap. 84), bono (1-2, q. 2, a. 7 et 8), legi naturali (1-2, q. 91, a. 2). Cf. *Diet. Apolog.,* t I, 1023-1024, 1053-1063.

hominis habitaculum fieret. Praetermittendo scientias chimicas, physicas ac mechanicas, quanta unitas simul ac varietas in viventibus! Nonne systematice a viventibus imperfectissimis ad perfectissima per omnes gradus ascendimus? Si unumquodque viventium attente consideres, maxima sapientia evidenter apparet sive in evolutione ovi, quod virtualiter totum organismum continet, sive in ipsis organis, quæ, pro diversis viventium speciebus, ad diversas functiones aptissime adaptantur. Idem dici debet a fortiori de homine, qui solus inter animalia erectus stat ut caelum tueri possit, de ejus oculis ad videndum tam recte dispositis, manibus ad palpandum et multiplicem artem exercendam, pedibus ad ambulandum, etc.

Minor probatur : hæc ordinata dispositio mediorum ad finem arguit ens supramundanum supreme intelligens. Etenim hæc ordinatio vel a casu procedit, vel a natura ipsa, vel ab ente supramundano ac supreme intelligent!. Atqui duo priora repugnant : — (a) *prius,* nam casu fieri nequit ut elementa, cognitione carentia, non semel, sed frequentius aut semper ad finem tendant eumque attingant mediis proportionals; v. g., casu fieri nequit ut, si confusa multitudo characterum in terram projiciatur, frequentius ita inter se disponantur ut efforment orationem quamdam logico ordine compositam vel poema versibus apte dispositum. Hinc si quis legat poemata Virgilii aut Homeri, vel orationes Tullii, statim agnoscet ea ab aliquo intelligente ordinata esse; si quis videat horologium accurate horas diei et astrorum motum indicans, statim intelligentem artificem agnoscet. Atqui singula entia organica vel inorganica ordine pulchriori ordinantur quam poemata Homeri vel orationes Tullii, et tota machina mundi sane perfectiorem intellectum supponit quam perfectissimum horologium, (b) Nec *posterius* dici valet, nempe ordinem hujusmodi esse *a natura:hoc* enim nomine designatur : i) vel tota collectio entium intellectu carentium; atqui impossibile est res *ex se diversas* et inertes *ex se ad unitatem* ordinis redigi, et quidem modo habituali et stabili ; 2) vel causa intelligens intramundana, scilicet homo; atqui impossibile est hominem esse causam ordinis universi, tum quia pleraque entia jam existebant et

ordinata erant antequam homo existeret, tum quia homo, nedum sit par efficiendo ordini mundi et ejus singularum partium, fere ignorat ordinem ac structuram intimam membrorum pulicis et culicis, ut lepide dicit S. Augustinus.[1] Remanet ergo ut sit Ens extra et supra mundum, supreme intelligens, quo cetera entia ad suum finem dirigantur.

412. Hæc sunt praecipua argumenta ad quæ omnia alia reducuntur. Ea exposuimus quam brevissime, ac modo scientifico potius quam populari. Sed eo facilius verbis planis ac simplicibus eadem argumenta proponent prædicatores quo clarius et praecisius ea intellexerint *. Ceterum maximi interest crisi Kantianæ subjectivistarum opponere solidam argumentationem in qua appareat existentiæ Dei solidaritas et cohaerentia cum ipso principio *contradictionis.* Etenim negare existentiam primi motoris est simul affirmare motum (quem admittere experientia tum externa tum interna cogimur) et negare (cum excluso primo motore motus remaneat sine ratione sufficienti). Et ita porro de aliis argumentis. Unde omnino necessarium est eligere inter existentiam Dei et commentum hegelianum quo identitas contrariorum erigitur in legem fundamentalem cogitationis et rerum.

In *praxi* autem, quando occurrunt qui atheismum aut agnosticismum profiteantur, ita redargui possunt : Explica mihi, quæso, quomodo *sine Deo,* sine prima causa efficiente, existere possit *vita* ejusque *diversa forma;* scientifice enim constat vitam initium habuisse, *omne vivum ex vivo oriri,* etc. Ita via paratur positivæ demonstrationi quam supra exposuimus.

413. Corollarium de atheismo. (a) Non possunt esse, nisi forte *ad breve tempus,* athei *theoretici negativi,* homines scilicet qui *invincibiliter* et *inctdpabiliter* ignorant Deum : aciem enim sani intellectus nimis perstringunt probationes sive populares sive scientificæ existentiæ Dei ; aliunde Sacra Scriptura atheos vocat *insipientes, vanos, inexcusabiles.* Et sane ad suavem Dei providentiam pertinet neminem auxiliis destitui necessariis ad finem attingendum; atque cognitio Dei est absolute necessaria necessitate medii ad salutem.

(b) Possunt esse, saltem ad tempus, homines qui sint

[1] *Enarrat, in Psalm.* 148, n. 10; *P. L.,* XXXVII, 1944.

* Haec argumenta sub forma simpliciori inveniuntur apud Monsabré, *Cartme 1871;* Villard, *Dieu devant la science et la raison,* 1894.

athei *theoretici positivi,* quorum scilicet ratio, *sophismatibus* et *passionibus* deformata, dubitet Deum *esse* : existentia enim Dei nec sensui nec intellectui immediate evidens est, unde circa eam caecutire potest mens " depravata " *.

(c) Luctuosa autem experientia nos satis docet esse atheos *practicos,* qui scilicet non curant de Deo glorificando et serviendo : quibus proinde sæpe prædicari debet Deum esse super omnia amandum et glorificandum.

Art. III. De divinis nominibus[2].

Deus est quidem *ineffabilis,* quia nulla creatura potest eum nominare nomine ejus cognoscibilitatem exhauriente, et ejus quidditatem proprie exprimente. Attamen non solum per rationem, triplici modo supra exposito, cognoscitur, sed etiam per *revelationem :* pauca igitur de nominibus, quibus Deus in *Scriptura* appellatur, praemittere oportet. His nominibus non plures dii, sed variæ perfectiones unius et ejusdem Numinis designantur.

i° Nomina Dei in Vetere Testamento.

414. (A) *EI* videtur esse antiquissimum nomen Supremo Numini a Semitis datum [3]; aliquoties, sed raro, usurpatur a sacris scriptoribus in forma plurali *Elim;* sed exinde non sequitur Hebræos primitus fuisse polytheistas ; nam illud nomen construitur cum adjectivis et verbis in singulari, et est plurale *majestativum* vel *intensivum,* indicans in divina essentia multiplicem esse virtutem. Prædicatur aliquando de vero et unico Deo, juxta illud : " Scito ergo hodie quod Dominus sit Deus *{Elini)* in cælo sursum et in terra deorsum, et non sit alius " [4]; sed haud raro dicitur etiam de falsis *numinibus* [5], et analogice de *angelis* et forsan de *magi-*

' S. August., *in Joan, tract. /06,* n. 4; *P. L.,* XXXV, 1910.

* Cf. S. Thom., i, q. 13 ; Franzelin, th. XXII ; Corluy, *Spicilegium,* 1,97, 167 sq. ; Vigouroux, *la Bible et les Découvertes modernes,* t III, c. 4, p. 42-63 ed. 1889; R. Garrigou-Lagr., II P., ch. 3.

[3] *Gen.,* IV, 8; XXV, 13; XXXVI, 43. De radice hujus vocabuli silemus, quia hac de re disputant eruditi, et adhuc sub judice lis est, ut fatetur recens editor Gesenii, Leipzig, 1895.

[4] *Deut.,* IV, 39. — [5] *Exod.,* XXII, 20.

stratibus, quatenus auctoritatem divinam aliquo modo participant *. Unde probaliliter inferri potest *EI* et *Elini* designare eum qui *patens est.* — *Elohah,* juxta plerosque, idem significat; sed nonnisi raro invenitur in forma *singulari;* in forma autem plurali *Elohim* sæpe verum Deum designat, *El-Elyon,* vel simpliciter *Elyon* idem significat ac *Altissimus,* et est nomen quo Melchisedech Supremum Numen designat -. *El-Shaddai,* quod, juxta plerosque, venit ab hebraica voce *shadah* (vehemens, potens), *Omnipotentem* designat, quatenus virtutem suam modo extraordinario manifestat; attamen, juxta alios, venit a *shad* (ubera), et ubertatem seu fecunditatem designat.

415. (B) *Jehovah,* quod, juxta eruditos, pronuntiandum est *Jahweh* vel *Yahweh* 3, derivatur a forma *simplici* radicis *havat (fuit),* et, juxta multos, significat illum cujus proprium est *esse,* nullis limitibus circumscriptum, seu eum qui habet plenitudinem entis; sed, juxta hodiernos non paucos, *Jahweh* est forma *hiphilica,* seu causativa, et significat *qui causât esse,* seu creator. Quidquid est, hoc verbum cum *praeteritum imperfectum (verbe à l'imparfait),* exprimit *perseverantiam in esse,* ideoque Ens quod perpetuo existit vel perpetuo causât esse. Deus ipse hoc nomen Moysi revelavit, quando eum jussit ut filios Israel educeret de servitute Ægypti : " Dixit Deus ad Moysen : *Ego sum qui sum.* Ait : sic dices filiis Israel : *Qui est* misit me ad vos et postquam declaravit se esse *Jahweh,* addit : " hoc nomen mihi est in ætemum, et hoc memoriale meum in generationem " 4. Igitur *Jahweh* nomen est quo Deus designatur, quatenus est specialis protector Israelis, a quo salutem et victoriam sperant. Exinde quæritur num hoc

' Λ. XCVI, 7; VIII, 6; *Exod.,* XXII, 8. — ' *Gen.,* XIV, i8.

3 Nomen illud apud Judæos Alexandrinos vocabatur *tetragrammaton,* quia ex quatuor litteris *consanantibus* constabat *(vocales* enim non scribebantur) ; et hi non audebant, propter reverentiam, illud pronuntiare, ita ut quando occurrebat in Scriptura legerent *Adonai :* hinc vera ejus pronuntiatio plerisque ignota erat. \ o<_les vocis *Adonai* in *tetragrammalon* insertæ, dederunt pronuntiationem *Jéhovah,* quæ proinde non est vera pronuntiatio, nec aliunde in usu fuit ante sæc. XVI. Attamen in plerisque libris servatur adhuc lectio *Jehavah,* quia jam communis evasit

* *Exod.,* III, 14-15·

nomen Israelites ante Moysen fuerit ignotum ; ratio dubitandi desumitur ex his verbis quæ postea Dominus ad Moysen locutus est [1] : " Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai (hebr. *Jahweh)* non indicavi eis. " Probabilior sententia est hoc nomen jam fuisse notum quibusdam patriarcharum tribubus, sed plenam ejus explicationem eis non fuisse manifestatam; nam occurrit 160ies in Genesi, et expresse declaratur[2] Enos, filium Seth, invocare coepisse nomen *Jahweh.* Cum *Jehovah* designet sive *Supremum Esse,* cui competit tum aeternitas tum immutabilitas, sive *Creatorem,* nomen est incommunicabile, quod nunquam de creaturis prædicatur [3].

416. (C) *Adonai* idem significat ac *Dominus (the Lord),* proindeque supremum Dei dominium designat [4].

(D) *Yahweh élohé Sabaoth* prima vice occurrit in I *Reg.* I, 2, et in Vulgata redditur " *dominus exercituum"* : quo nomine declarabatur antiquitus Deum esse dominum castrorum Israel, et postea, sub influxu Prophetarum, dominum etiam corporum caelestium et angelorum, ut constat ex his verbis : " Tu ipse, Domine, solus tu fecisti caelum, et caelum caelorum, et omnem exercitum eorum; terram et universa quæ in ea sunt... et exercitus cæli te adorat " [5]. Ita agnoscebatur ut omnipotens, κύριο παντοκράτωρ.

Conclusio. Ex iis quæ diximus de præcipuis Dei nominibus, liquet Deum exhiberi in Vet. Testamento ut *potentem* et *fortem,* qui in unitate essentiæ suæ *multiplici virtute* gaudet, ut *Altissimum,* cui omnes servire debent, ut *Omnipotentem,* qui præter leges naturæ operari valet, ut *Ens simpliciter,* quod habet plenitudinem entis, et est *causa* aliorum entium, ut *Dominum* qui mundum *regit et gubernat,* populumque suum specialiter protegit, qui *exercitibus prceest,* dat victoriam cui vult, *cælestia corpora regit,* et *angelos ministros habet.*

[1] *Exod.,* VI, 2-3· — [2] *Gen.,* IV, 26.

[3] Circa nomen *Jehovah,* cf. J. P. Van Kasteren, *Jahve et El-Shaddai,* ap. *Science Catholique,* 15 mars 1894, p. 296; Ch. Robert, *La Révélation du nom divin Jéhovah,* in *Revue Biblique,* avril 1894, p. 161.

[4] *Gen.,* XV, X — [5] *Nehem.,* IX, 6.

Ex quibus evidenter colligimus Judæorum theologiam toto cælo distare a Paganorum mythologiis : in his enim plures dii, et quidem multis vitiis obnoxii agnoscuntur, dum apud Judæos unus perfectusque Deus agnoscitur : " Scito ergo et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum et in terra deorsum, et *non sit alius...* Videte quod ego sim *solus,* et non sit alius Deus præter me "[x].

2° Nomina Dei in Novo Testamento.

417. In Novo Testamento Deus exhibetur non solum ut *Creator omnipotens* et *Rex* saeculorum immortalis [2], ut *Alpha* et *Omega* seu principium et finis [3], ut *Dominus* [4] cujus voluntati nemo'resistere potest; sed præsertim ut *Pater* [5] qui nos diligit, qui in filios per adoptionem nos elegit, ideoque suæ naturæ nos consortes effecit, qui vult omnes homines salvos fieri et visione beatifica Deum unum et trinum videre, Eique similes esse [6].

Quæ varia nomina in decursu Theologiæ declarabuntur.

CAPUT II.

DE NATURA ET ATTRIBUTIS DEI.

Art. I. De natura seu essentia Dei.

Dei existentia probata, de ejus natura seu essentia inquirendum est Duo exponemus : i° doctrinam *catholicam* de natura Dei ; 2° doctrinam *scholasticam* de constitutivo essentiæ divinæ.

§ I. Doctrina catholica de natura Dei.

418. Sic proponitur a *Vaticano* [7] : " Ecclesia confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Do-

[x] *Deut.,* IV, 39; XXXII, 39; *Exod.,* XX, 1-6. — Cf. Abbé de Broglie, *Conferences sur l'idée de Dieu dans l'Ancien Test.,* Paris, 1891.

[2] *Rom.,* I, 20; *Matth.,* VI, 9-10 et alibi passim.

[3] *Apec.,* I, 8 ; IV, 8, 11 ; X, 6, etc.

[4] *Luc.,* I,-68; *Marc.,* XII, 29; *Rom.,* IX, 14, 21 ; *Rom.,* X, 22; *Apoc.,* IV, 8, etc. — [5] *Matth., N,* 45, 48; VI, 9; VII, 21 ; XXV, 34, etc.

[6] *Joan.,* III, 2. — [7] Sess. III, cap. 1, D. B., 1782.

minum cæli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui *cum sii una, singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis,* prædicandus est *re et essentia a mundo distinctus,* in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus".

Dicitur : i) *substantia,* non eo sensu quod in prædicamento substantiæ reponatur, tanquam in genere limitationem importante, sed quia est *ens primum* seu *essentia prima, in se existons* et *non in alio; 2) una* seu *unica,* quatenus multiplicari et pluribus specie aut numero distinctis substantiis communicari nequit; 3) *simplex omnino,* in quantum nullam patitur compositionem nec divisionem ; 4) *spiritualis,* quia est *purus spiritus,* ut ita quaelibet anthropomorphism! forma arceatur; 5) *incommutabilis,* seu nulli potentialitati nec mutationi intrinsecae admixtus, ita ut sit vere *actus purus.*

419. Concilium excludit etiam omnes *pantheismi* formas : *emanationis, evolutionis, determinationis entis indeterminati :* " Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia *emanasse;* aut divinam essentiam sui manifestatione vel *evolutione* fieri omnia; aut denique Deum esse *ens universale seu indefinitum,* quod *sese determinando* constituat· rerum universitatem in genera, species et individua distinctam : anathema sit " b

Merito itaque 5. *Officium* reprobavit propositiones *Rosmini,* quibus contendebat Deum realiter non distingui ab illo esse quod est immediatum objectum intellectus nostri (supra, n. 396) — Merito pariter Pius X damnavit Modernistarum theorias, *symbolismum* et *immanentismum,* quibus Dei personalitas aut negatur aut pessumdatur (supra n. 392). Rejiciendus est tandem *theosophismus,* qui conceptum Dei personalis et extramundani rejicit, ut diximus in *Synopsi Theol. Fundament.,* (n. 1048). Quapropter S. *Officium,* 17 Julii 1919, declaravit doctrinas quas hodie theosophicas dicunt, componi non posse cum doctrina catholica, ideoque non licere nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere a.

1 **Sess. III, can. 4, D. B., 1804.**

• *A. A. S.,* **XI, 317.**

§ II. Doctrina scholastica DE CONSTITUTIVO DIVINÆ ESSENTIÆ \

420. **Status quæstionis.** In natura divina concipere possumus perfectionem fundamentalem, quæ sit veluti radix divinorum attributorum, et ex qua cetera attributa dimanant.

Tamvero de hoc *formali constitutivo* divinæ essentiæ plures habentur opiniones : (a) *Scotista.* putant divinam essentiam constitui *radicali infinitate* seu exigentia omnium perfectionum, (b) *Suarez*[3] censebat divinam essentiam consistere in *radicali intellectualitate* seu radice intelligendi. (c) Quidam *Thomistcz,* ut *Gonet, Billuart,* eam reponunt in *ipso actu divino intelligendi.* (d) Alii eam *reponunt* in *aseitate;* (e) alii tandem, præsertim moderni, in *libertate* qua Deus est quod vult esse[3].

421. *Thesis :* **Essentia divina constituitur per hoc quod est ipsum esse subsistens.** Ita communiter.

i° Ex **Scriptura** infertur; quærenti enim Moysi quale nomen sibi competat, Deus respondet : " Ego sum qui sum", sic dices filiis Israel : Qui est *(lahweh)* misit me ad vos "[4]; quasi diceret :"Sum qui est", "Sum is cujus essentia est esse". "Non vult solum dicere se non esse nihil; nam hoc sensu omnia alia quoque sunt entia, sed se esse- τον δντα per excellentiam seu per maximam oppositionem ad nihilum "[5].

422. 2° Confirmatur auctoritate **Patrum** et **theologorum** : " Deus dicitur δ ὠν, quia esse et quidem totum esse essentialiter proprium est Dei neque ullatenus terminatum et circumscriptum, quod sit sive ante ipsum sive post ipsum"[6]. — "Principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur nominibus, est *qui est :* totum enim in seipso comprehendens habet esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum et

[1] S. Thom., *I Sent.* disL 8, q. i, a. i ; Garrigou-Lagr., *Dieu,* II P., ch. I; Hugon, p. 67-73; Van der Meersch, n. 160 sq.; Hervé, n. 12-14.

[2] *Disp. metaphys,,* sect. XIV.

[3] Ita Secretan, *La philosophie de la liberti,* 2e éd. t. I, l. XV, p. 361-370; Boutroux, *Contingence des lois de la nature,* 3« éd n 1 ;6

[4] Exod., III, 13-14.

[5] C. Pesch, *De Deo uno,* n. 117.

[6] S. Greg. Naz., *Oral.* 30, n. 18; *P. G.* XXXVI, 127; *Oral.* 45, n. 3; *P. G.,* XXXVI, 626. »

indeterminatum"[1]. — "Quanto aliqua nomina sunt minus determinata, et magis communia et absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo a nobis... Sed hoc nomen, *qui est,* nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes, et ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum " [2].

Traditionem Scholarum ita contrahit *Congreg. studiorum,* in decreto 27 Jul. 1914, prop. 23 : "Divina essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius esse identificatur, seu per hoc quod est *ipsum esse subsistens,* in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione".

423. 30. Ratione *probatur thesis :* (A) *reapse deducendo* attributa Dei εζ τοὐ Esse subsistentis.

Eo ipso quod est Ens subsistens, Deus : 1) est *omnino simplex :* quod enim est ipsa forma, et quidem formalissima, seu esse, nullam potentiam involvit; sed partes compositi sunt quid materiale ideoque potentiale relative ad .totum [3]; 2) est *universaliter perfectus :* quod enim est ipsum esse per se subsistens, totam perfectionem essendi, et consequenter omnes perfectiones in se continet [4]; 3) est *summum bonum* simpliciter, et non solum in aliquo genere vel ordine rerum : omne enim ens est bonum in quantum est in actu et perfectum; sed Deus est ipsum esse et cumulus omnium perfectionum; 4) est *infinitus,* cum esse divinum sit simul maxime formale omnium et non receptum in aliquos; 5) est *in omnibus rebus,* cum sit ipsum esse per suam essentiam et consequenter omne esse creatum sit proprius ejus effectus[6]; 6) est *omnino immutabilis :* siquidem eo ipso quod sit ipsum esse, Deus ita est ut amplius esse nequeat; et cum hujusmodi esse sit ipsa essentia Dei, nullo modo imminui potest : Deus ergo moveri nequit nec in melius nec in pejus; 7) est *æternus* aeternitate proprie dicta quæ definitur interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio : cum enim Deus sit suum esse, statim et in perpe-

[1] S. Damasc., *De orthod. Fid..,* lib. I, cap. 9.
[2] S. Thomas, Ia p., q. 13» a. ". — [3] Sum. th^ Ia Pars› 9. 3. a. 7.
[4] *Ibid.,* q. 4, a. 2. — [5] *Ibid.,* q. 7» a. 1. — [6] *Ibid.,* q. 8, a. I.

tuum totum suum esse habet quod est summe vivere; 8) est *unus :* si enim essent plures dii, necessario inter se distinguerentur per aliquam perfectionem quæ in uno esset et in altero deficeret; sed eo ipso nullus esset Deus, cum Deus comprehendat in se totam perfectionem essendi; 9) est *summe intelligens :* cum enim Deus sit ipsum esse subsistens, eo ipso est in summo formalitatis et immaterialitatis, et consequens in summo cognitionis gradux; 10) est *omnipotens:* unicuique enim potentiæ activæ correspondet possibile ut objectum proprium, secundum rationem illius actus (seu perfectionis essentialis) in quo fundatur potentia activa : esse autem divinum, super quod ratio divinæ potentiæ fundatur, est esse.infinitum : unde quidquid habet vel potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens 2; ii) est *summe beatus :* beatitudo enim est bonum perfectum intellectualis naturæ; utrumque autem excellentissime Deo convenit, scilicet perfectum esse et intelligentem3. 12) Ex his omnibus ultimo deducamus pantheismum repugnare : ex Deo enim actu purissimo ac simplicissimo nihil proprie emanare potest ad extra; et in Deo ab æterno et essentialiter quam perfectissimo nulla evolutio potest inveniri.

424. (B) *Ostendendo cetera systemata esse insufficientia :* (a) Essentia divina non consistit in *infinitate* sive radicali sive actuali; nam hæc supponit subjectum in quo est, nec proinde est id quod primum concipitur, sed potius ut modus alicujus rei jam constitute.

(b) Nec reponenda est in *substantiali et actuali intellectualitate infinita,* quia intellectualitas nec concipitur primo in Deo, nec signat originem ceterorum attributorum, sed concipitur ut proprietas ex essentia ipsius esse fluens. — Neque in *ipso actu intellegendi,* cum hic actus supponat essentiam jam constitutam.

(C) Non est sita in *aseitate;* hæc enim significat vel *esse per se subsistens,* et tunc non differt nisi nomine a sententia communi ; vel aliquid distinctum, nempe *modum essendi a se,*

l *Ibid.,* q. 26, a. I.

et tunc non concipitur ut id quod est primum, sed id quod accedit ipsi essentiæ.

(d) Non consistit in *libertate :* hæc enim supponit intellectionem, ideoque *esse* quod intelligit et intelligitur, nec proinde ut quid primum concipitur. — Aliunde si libertas est constitutiva essentiæ, sequitur voluntatem liberam esse veri et boni normam, "est dicere quod divina voluntas non procedat secundum ordinem sapientiae, quod est blasphemum " x.

425. *Corollarium :* rejiciendus est error *Schell* de essentia divina. Hic enim docebat essentiam Dei sitam esse in *aseitate,* quatenus Deus esset *causa Tjelprincipium sui*2. Quod sane admitti nequit: nam causa est prior causato et producens prius producto; si igitur Deus esset causa sui, existentia Dei esset effectus ejus essentiæ, proindeque posterior essentia; quod concipi nequit.

Art. IL De attributis divinis.

§ I. De attributis Dei in genere.

426.i° *Notio et spedes.* Attributa Dei sunt perfectiones, quæ, juxta nostrum concipiendi modum, divinam essentiam consequi intelliguntur. Sub diversis respectibus dividi possunt : (a) alia sunt *negativa,* quibus scilicet imperfectiones a Deo removentur, ut simplicitas, immensitas, etc.; alia *affirmativa,* seu *positiva,* quibus perfectiones de Deo praedicantur, v. g., veritas, sapientia, bonitas, amor, etc.; (b) alia sunt *absoluta,* quæ Deo in seipso spectato conveniunt, ut simplicitas, aeternitas; alia *relativa,* quæ relationem implicant inter Deum aliaque entia, ut creatio, providentia, etc.; (C) quædam sunt *quiescentia,* quæ exprimunt modum quo Deus est, ut infinitas, aeternitas; alia vero *actuosa,* quæ ejus modum operandi declarant

427.20 De distinctione attributorum ab essentia et inter se. *Gilbertus Porretanus* (1070-1154), Pictaviensis episcopus, tenuit attributa divina *realiter* ab essentia et inter se distingui, proptereaque a Concil. *Remensi* (1148)

1 **S. Thom.**, *De veritate,* **q. 23, a. 6.**

▮ *Katholische Dogmatik,* **t Π, pp. 137» Σ55 sq.**

damnatus fuit. *Abbas Joachim* (sæc. XII), docuit unitatem personarum in Deo non esse veram sed quasi collectivam, ideoque *quaternitatem* quamdam in Deo esse dicebat, *tres* personas et illam collectivam essentiam quasi quartam; in C. *Lateranensi IV* damnatus est. Insuper *Scotistæ* docuerunt divina attributa ab essentia et inter se distingui *formaliter'* seu *distinctione formati actuali ex natura rei,* quæ est media inter distinctionem realem. Contra quos statuimus *attributa divina nec ab essentia nec inter se realiter distingui, sed virtualiter.*

(A) *Certum est imprimis attributa divina nec ab essentia nec inter se realiter differre,* (a) Nam in *Sacris Litteris* essentia divina et attributa de se invicem prædicantur in abstracto : "Ego Sapientia habito in consilio[2]; Deus lux est.. Deus caritas est[3]; Ego sum via, veritas et vita"[4]; atqui si esset distinctio realis inter essentiam et attributa divina, non possent de se invicem praedicari, seu identificari. (b) Hinc *Eugenius III* in Cone. *Remensi* errorem *Gilberti* his verbis damnavit[5] : " Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin *Divinitas sit Deus, et Deus divinitas".*

Ratione idem evincitur : Deus, ex dictis, est *ipsum esse subsistens;* atqui ens in se subsistens est *actus purus,* cum totam entis plenitudinem in se habeat. Ergo Deus est actus

[1] Distinctio *realis* ea est quæ existit inter unam rem et aliam ; dividitur in *realem majorem,* quæ viget inter substantiam et substantiam, vel inter substantiam et accidens, aut inter accidentia ejusdem substantiæ, et *realem minorem,* quæ existit inter rem et modum ejus, v. g. inter lineam et ejusdem lineæ curvitatem. Distinctio *logica* ea est quæ existit inter varios conceptus ejusdem rei; si fundamentum sit in ipsa re ad illos diversos conceptus distinguendos, distinctio erit *virtualis.* seu *rationis ratiocinata;* ita, v. g., anima humana, licet *una realiter. virtuahter* triplex dici potest, cum revera sit simul rationalis, sensitiva et vegetativa; si vero nullum sit fundamentum in re, distinctio est *mere logica.* seu *rationis rationnantis,* qualis, v. g., existit inter hominem et animal rationale : nam a *parte rei* nulla differentia existit inter hominem et animal rationale. Hæc communiter admittuntur; sed *Scotus* aliam praeterea distinctionem excogitavit quam vocat *formalem ex natura* rei, quasi mediam inter distinctionem realem et distinctionem rationis : ita, juxta illum, hæcceitas (principium individuationis) distinguitur a materia, forma et composito sicut "aliqua entitas positiva", " ultima realitas entis". Cf. Gonzalez, *Historia de lafilosofia.* t. II, p. 266-267.

• *Prou..* VIII, 12. — 3 [illegible] i, S; IV> 8. — *Joan.* XIV, 6.

5 Apud Labbe, *Concilia,* t. X, p. no8.

purus. Atqui actus purus excludit distinctionem realem inter essentiam et attributa; si enim attributa divina ab essentia realiter distinguerentur, essentia se haberet ad attributa sicut potentia ad actum, quatenus essent veluti ultima perfectio essentiæ; atqui in Deo, qui est actus purus, nulla est realis distinctio potentiae et actus; ergo attributa non realiter ab essentia distinguuntur. Ergo nec realiter distinguuntur inter se.

(B) *Communiter tenetur divina attributa ab essentia et inter se virtualiter distingtii.* Nam in Scripturis Deus exhibetur ut diversis attributis ornatus, imo opposita de illa praedicantur : dicitur enim justus et misericors, parcens et puniens, etc. "Qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos : fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi"[1]; atqui illud fieri nequit nisi fundamentum habeatur pro variis hisce appellationibus; ergo.

Revera distinctio virtualis ea est quæ fundamentum habet in re ipsa; atqui tale fundamentum in Deo existit : nam divina natura, propter suam infinitatem, æquivalet omnibus perfectionibus quæ in creaturis divisim reperiuntur. Quod sic declarat S. *Thomas*[2] : "Omnia enim hujusmodi dicuntur de Deo et creaturis non æquivoce, sed secundum rationem analogiæ. Unde cum in creatura ratio sapientiæ non sit ratio bonitatis, oportet quod etiam hoc in Deo sit verum. Sed in hoc differt quod in Deo idem sunt re, in creaturis autem differunt re, et non solum ratione."

428. *Rejicienda est igitur Nominalistarum et Scotistarum opinio.* Nominalistæ, ut *Ockamus* et *Gregorius Ariminensis,* negarunt ullam esse distinctionem inter essentiam divinam et attributa vel inter attributa ipsa, quæ nihil aliud sunt nisi varia nomina eamdem rem designantia. Hoc autem admitti nequit; nam si nullum sit fundamentum distinctionis divinorum attributorum, revelatio divina, qua hujusmodi attributa manifestantur, vana est, et theologia, quæ de eis disserit, nihil aliud est nisi verborum congeries. *Scotista* autem admittunt inter essentiam divinam et attributa distinctionem specialem, quam vocant *formalem ex natura rei,* quæ neque realis

[1] *Jerem.,* XXXII, 18.
[2] *In lib. I Sent.* Dist. XXII, q. I, a. 3 ad 4.

est neque solius rationis. Sed si res attente consideratur, satis patet illam distinctionem nihil aliud esse nisi eam quæ *virtualis* dicitur, distinctionem videlicet logicam cum fundamento in re; jamvero novæ distinctiones non sunt multiplicand® sine ratione.

§ II. De attributis Dei in specie.

Inter attributa Dei, alia sunt *negativa,* quatenus ab eo removent quæ ei non conveniunt, utpote compositionem, mutationem, etc.; alia vero *positiva,* quibus per viam eminentiae de Deo affirmamus perfectiones quæ sunt in creaturis. — A *negativis* incipimus, de *positivis* ubi de operationibus divinis acturi.

Sex numerari possunt : *simplicitas, immutabilitas, æternitas, immensitas, infinitas, unitas,* quibus a Deo removentur imperfectiones *compositionis, mutationis, temporis, mensurationis, limitationis et pluralitatis.*

I. De Simplicitate Dei

429. i° Status quaestionis. (A) Simplicitas compositioni opponitur, et illud dicitur simplex quod non est compositum. Tres sunt autem species compositionis,*physica, metaphysical, logica,* proindeque tres species simplicitatis : simplicitas *physica,* eam compositionem excludens, quæ ex materia et forma vel ex partibus quantitativis oritur, et invenitur, v. g., in lapide ex variis moleculis constituto; *metaphysica,* eam compositionem rerum sive materialium sive immaterialium excludens, quæ resultat ex reali distinctione potentiæ et actus, substantiæ et accidentium, essentiæ et existentiæ; *logica,* illam compositionem excludens quæ oritur ex genere proximo et differentia specifica, ex natura specifica et principiis individualibus.

(B) Jamvero Dei simplicitatem negaverunt i) *Pagani* communiter, etiam Platonici, qui putarunt Deum esse universalem mundi animam ubique diffusam; 2) monachi quidem Ægyptii, *anthropomorphila* dicti (sæc. IV), qui, ignorantia laborantes, humanam

1 Cf. S. Th., I, q. 3 ; *C. Gent.,* I. I, c. 16 sq. ; Suarez, l. I, c. 5; Billuart, disp. III, a. 1 ; Lafosse, ed. Migne, 118 sq. ; Petavius, lib. II; Franzelin, th. 26-27; Card. Billot, th. V; Hurter, n. 39 sq. ; Pesch, n. 123 sq. ; A. Farges, *op. cit.,* p. 311 sq. ; J. M. Hervé, n. 16-21 ; E. Hugon, p. 74-80.

figuram Deo affinxerunt; 3) *Gilbertus Porretanus* et *Joachim Abbas,* supra, n. 427; 4) *Pantheista* plus minusve Deum identificantescum mundo; a quibus non multum recedunt *Immanentistee.* qui Deum non satis distinguunt a subjecto cogitante.

430. 2° *Thesis :* Deus est substantia omnino jimplex, et a quacumque compositione immunis. *De fide est* ex *Vaticano :* " Qui cum sit una, singularis, *simplex omnino* et incommutabilis substantia sphitualis " *(supra,* n. 386).

(A) *Script,* (a) Imprimis a Deo *removetur* quidquid *corporeum* aut *sensibile* est : " Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? " 1 " Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae artis et cogitationis hominis, Divinum esse simile " 2*; quibus verbis declaratur Deum nullo modo repraesentari posse, eo quia *immaterialis* omnino sit. Huc pariter pertinent ea omnia quæ Deo æternitatem, immensitatem et immutabilitatem adscribunt, cum hæ dotes compositionem physicam excludant, (b) Sed insuper Deus dicitur *spiritus purus* et proprie dictus : " *Spiritus* est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare " 3; item Apostolus ostendit christianam œconomiam esse spiritualem, eo quod Deus spiritus sit : " Dominus autem spiritus est " 4; atqui vocem *spiritus* hic proprie intelligendam esse tum *contextus,* tum *scopus* Christi et Pauli aperte demonstrant. (c) Præterea Deus ita simplex et spiritualis est, ut in eo non sit compositio ex essentia et attributis; creaturæ quidem habere dicuntur vitam, sapientiam, veritatem, caritatem ceterasque perfectiones, sed Deus est *ipsa sapientia, ipsa vita, ipsa veritas, ipsa lux, ipsa caritas* 5 ; atqui si distinctio realis esset inter essentiam et attributa divina, Deus posset quidem dici sapiens, vivens, verus etc., non autem sapientia, vita, veritas; ergo, (d) Quod sic contrahit S. *Augustinus :* " Ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est " 6.

1 *Ia.,* **XL. 18.** — *'Act.,* **XVII, 29.** — **Joan.,* **IV, 24.** — * *II Cor.,* **III, 17.**

5 *Prov.,* **I,** *20·, Joan.,* **I, 4, 8-9; XIV, 6;** *IJoan.,* **IV, 8.**

6 **S. August,** *De Civit. Dei,* **lib. XI, c. 10, n. I.** ; *P. L.,* **XLI, 325. Celera Patrum testimonia et argumenta videre est apud Petavium,** 1. **c., c. 1-2.**

431. (B) *Ratione. S. Thomas*[1] hanc Dei simplicitatem inultis probat argumentis, quæ breviter sic contrahimus : (a In Deo *nulla est compositio physica :* nam physica compositio ea est quæ ex partibus essentialibus vel quantitativis exsurgit, et reperitur in materia, vel corporibus, vel componentibus; atqui Deus *non est materia,* sed spiritus, immo actus purus; *nec corpus,* cum hoc includat potentiam, v. g., propter suam divisibilitatem ; *nec pars compositi,* v. g., anima mundi, nam Deus est *causa efficiens* omnium rerum : porro causa efficiens non potest esse simul causa formalis intrinseca sui effectus.

432. (b) In Deo *nulla est compositio metaphysica :* i) non compositio *actus et potentia;* nam actus perficit potentiam eaque vicissim completur; atqui Deus, cum sit ipsum esse subsistens, est actus purus sine admixtione ullius defectus et potentiæ ; 2) non compositio *substantia et accidentium :* nam Deus est per essentiam omnimoda perfectio ; unde esset supervacaneum et Deo indignum *participem* esse ulterioris perfectionis per accidentia; 3) nec compositio *essentia et existentia :* nam ubi existentia et essentia differunt, essentia comparatur ad existentiam sicut potentia, in qua existentia recipitur; atqui in essentia divina nulla est potentialitas, cum Deus sit actus purus; ergo.

433.(c) In Deo *nulla est compositio logica;* seu aliis verbis Deus *non est in aliquo genere, neque directe,* sicut species quæ sub genere continentur; nam in iis quæ sub aliquo genere continentur invenitur genus, quod est quædam potentia, et differentia specifica, quæ est veluti actus, aliquid generi addens; atqui in Deo nec est nec etiam concipi debet compositio actus et potentiæ; ergo; — *neque indirecte,* sicut principia quæ ad aliquod genus reducuntur; nam principium, quod ad aliquod genus reducitur, non se extendit ultra illud, dum Deus intra nullum genus coarctatur, cum transcendat omnia genera, utpote esse, et quidem subsistens.

Hinc Deus est quidem *ens,* sed *modo prorsus diverso* ac creaturæ; siquidem est ens *infinitum, a se subsistens, impar-*

[1] *Sum. theoln* I, q. 3; *C. Gentil.,* lib. I, cc. 16-27.

ticipatum, necessarium, dum creaturæ sunt entia finita, dependentia, contingentia. Iterum Deus est *substantia,* sed modo perfectiori quam creaturae; subsistit enim non solum *in se,* sed *a se,* et *per se,* dum substantiae creatae non a se. sed a Deo accipiunt ex quo subsistere valeant

434. *Corollarium pietatis.* Hanc divinam simplicitatem imitantur qui *simplici intentione* et *puro corde* ad Deum unice tendunt, juxta illud : " Si oculus tuus fuerit *simplex,* totum corpus tuum lucidum erit a... Beati mundo corde quoniam *ipsi Deum* videbunt. " 3 Simplicitate intentionis omnes actiones ad Deum referuntur et nos deiformes reddunt, puritate cordis Deum apprehendimus et gustamus. 4*

435· 3° *S°to· dijfic.* Scriptura manifeste supponit Deum esse extensum, figuratum, membris et sensibus præditum : " Excelsior cælo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus et latior mari s. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram 67 Oculi Domini super justos, et dextera Domini fecit virtutem " *i*

Respondet 5. *Thomas*8 ; " Sacra Scriptura tradit nobis spiritualia et divina sub similitudinibus corporalium. Unde, cum trinam dimensionem Deo attribuit, sub similitudine quantitatis corporeæ quantitatem virtualem ipsius designat; utpote per profunditatem, virtutem ad cognoscendum occulta; per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia; per longitudinem, durationem sui esse; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. Vel, ut dicit *Dionysius* (De div. nom., cap. 9) : " Per profunditatem Dei, intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiae; per longitudinem, processus virtutis ejus omnia penetrantis; per latitudinem vero, superextensio ejus ad omnia, inquantum scilicet sub ejus protectione omnia continentur ".

Ad *secundum* dicendum, quod homo dicitur esse ad imaginem Dei non secundum corpus, sed secundum id quo homo excellit alia animalia. Unde *(Gen.,* I, 26) postquam dictum est : *Faciamus*

1 Quod intellexit H. Spencer» qui scribit *(First Principies*, New-York, 1888, p. 81) infinitum non posse in aliquo genere poni cum finito, nec absolutum cum relativo. Exinde auctor quidem concludit Ens infinitum et absolutum minime cognoscibile esse; sed hæc conclusio in præmissis non continetur; nam cognoscere *Ens absolutum* esse super omne genus, nullisque limitibus circumscribi, est cognitio quædam, licet imperfecta, Supremæ Causæ.

' *Matlh.,* VI, 22. — 3 *Maith.,* V, 8. — 4 *De Imit.,* 1. II, c. 4.

5*Job.,* XI, 8. — 6 *Gen.,* I, 26.

7 *Ps.* XXXIII, 16; CVII, 16. Cf. *Isa.,* III, 13; VI, 1 et alibi passim.

8 5*. *Theolog.*, I, q. 3, æ· !·> 3> 4> 5·

hominem ad imaginem et similitudinem nostram, subditur, *utprcesit piscibus maris,* etc. Excellit autem homo omnia animalia quantum ad rationem et intellectum. Unde secundum intellectum et rationem, quæ sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei.

Ad *tertium* dicendum, quod partes corporeæ attribuuntur Deo in Scripturis, ratione suorum actuum secundum quamdam similitudinem ; sicut actus oculi est videre. Unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum modo intelligibili, non sensibili ; et simile est de aliis partibus.

Ad *quartum* dicendum, quod etiam ea quæ ad situm pertinent, non attribuuntur Deo, nisi secundum quamdam similitudinem; sicut dicitur *sedens,* propter suam immobilitatem et auctoritatem; et *stans,* propter suam fortitudinem ad debellandum omne quod adversatur ei.

Ad *quintum* dicendum, quod ad Deum non acceditur passibus corporalibus, cum ubique sit, sed affectibus mentis; et eodem modo ab eo receditur. Et sic accessus et recessus sub similitudine localis motus designant spiritualem affectum

IL De immutabilitate Deix.

436. i° *Notio.* Immutabilitas mutationi opponitur; mutatio autem est transitus ab uno statu essendi ad alium, scilicet a potentia ad actum. Doctrina catholica est Deum esse *immutabilem* non solum quoad *substantiam,* sed etiam quoaTT *cognitionem* et *volitionem,* quatenus nil novi cognoscere aut decernere vaTet, cum omnia a tota aeternitate cognoverit et decreverit. Hanc immutabilitatem negarunt *Stoici* inter Gentiles, quos secuti sunt *Hegel* et *Renan* cum hodiernis sophistis, qui contendunt ens perfectum non esse *actu,* sed *in fieri·,* et *Sociniani* inter Christianos; contendunt enim Deum esse mutabilem in suis decretis, ut sic facilius ejus libertatem explicent

437. 2° *Thesis :* Deus est omnino immutabilis. *De fide est ex Vaticano* 2 .·" Qui cum sit una, singularis, simplex omnino et *incommutabilis* substantia ".

(A) *Script,* probatur (a) ex verbis : " Ego sum qui sum " 3 :

' Cf. S. Th., I, q. 9; Suarez, l. II, c. 3; Billuart, disp. III, a. 7; Petavius, l. III, c. 1-2; Liebermann, *de Deo et divinis attributis, c.* 3, a. I, l. I, § IV; Card. Billot, th. X; Hurter, ŋ. 68 sq.; Pesch, n. 159 sq.; A. Faroes, *op. at.,* p. 325 sq.; E. Hugon, p. 91.

* D. B., 1782. — ' *Exod.,* III, 14.

nam, ut ait 5. *Augustinus* (serm. 7, n. 7), " *Esse* est nomen *immutabilitatis,* . Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet nisi qui non mutatur... Quid est : *ego sum qui sum,* nisi æternus sum; quid est : *ego sum qui sum, nisi* mutari non possum?" (b) Ex verbis, in quibus omnis mutatio de Deo negatur : " Ego Dominus (Yahweh) et non mutor" *; " Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio " 1 (C) Præsertim ex locis, ubi consilii mutatio denegatur : "Porro triumphator in Israel non parcet et *poenitudine non flectetur;* neque enim homo est, ut agat pænitentiam " 3; "Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur "4. (d) Hinc S. *Augustinus* ait 5 : " Non invenis in Deo aliquid mutabilitatis; non aliquid quod aliter nunc Sit, îfér paulo ante fuerTC Nam ubi invenis aliter et aliter, facta est ibi quædam mors : mors enim est, non esse quod fuit " 6.

(B) Λὺζ Z. (a) Deus est immutabilis *in se.* Nam mutatio supponit*fotentiam* ad novum statum \ *compositionem* vi cujus ens mutabile aliquid acquirere vel amittere potest ; *limitationem,* sine qua nec diminutio nec augmentatio concipitur. Atqui Deus_est *actus purus, omnino simplex infnifusi* — Ex hoc patet hanc immutabilitatem soli Deo convenire; cetera enim entia, utpote contingentia et imperfecta, sunt in potentia tum relate ad esse tum relate ad perfectiones acquirendas.

(b) Deus est immutabilis *in suis decretis.* Etenim ens intelligens voluntatem suam non mutat, nisi motiva, antea ignota, ejus menti occurrant, quibus a proposito desistere movetur ; atqui Deus, a tota aeternitate, omnia illa motiva perfecte unica intellectione cognoscit; ergo et una volitione hjlilUibilLiimnia decernit. 8

Licet autem immotus in se permanens, velle potest rerum mutationem ; siquidem ab aeterno vult creationem fieri in

1 *Mal.,* III, 6. — *'Jac.,* I, 17. — 3 *I Reg.,* XV, 29. — 4 *Num.,* XXIII, 19.
5 S. August., in *Joa.* tr. XXIII, 9; *P- L-,* XXXJ
6 Cetera Patrum testimonia vide apud Petavium, I
I. — 8 S. Th., q. 19, a. 7.

tempore, variasque rerum mutationes successive occurrere. Hinc haud inutilis est oratio; cum enim Deus preces nostras ab ætemo praevideat, eventus secundum petitiones nostras dirigere valet.

N. B. Divinæ immutabilitati accedimus dum, perfecte divinæ voluntati subditi, *pacem animi* acquirimus, qua, inter mundanas tempestates, in Deo quiescimus : " Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras ' ".

438. 3° *Solv. diffic.* In Scriptura Deo tribuuntur effectus iræ, vindictae, pænitentiæ, qui mutationem involvunt; ergo. "

Besp. Hanc difficultatem quoad pænitentiam sic solvit 5. *Thomas*[3] : " Illud verbum Domini *metaphorice* intelligendum est secundum similitudinem nostram. Cum enim nos pænitet, destruimus quod fecimus ; quamvis hoc esse possit absque mutatione voluntatis, cum etiam aliquis homo absque mutatione voluntatis interdum velit aliquid facere, simul intendens postea illud destruere. Sic igitur Deus pænituisse dicitur, secundum similitudinem operationis, in quantum hominem, quem fecerat, per diluvium a facie terne delevit". Quod quidem principium aliis affectibus, qui de Deo praedicantur, applicari potest; hinc recte 5. *Augustinus* › de Deo scribit : " Immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia...amas nec æstuas, zelas et securus es, pænitet te et non doles, irasceris et tranquillus es, opera mutas nec mutas consilium ".

III. De Æternitate Dei L

439. i° *Notio.* /Eternum multa significat : (a) *lato sensu* interdum sumitur pro longa duratione utrimque tamen terminata : quo sensu possessio Palæstinæ Judaeis promissa fuit *in æternum;* sæpe significat id quod, licet initium habuerit, fine tamen carebit : quo sensu justorum gaudia malorumque tormenta æterna dicuntur; (b) *stricto autem sensu* æternum dicitur quod *initio simul et fine caret,* et insuper *sine successione* seu *vicissitudine* durat. Omnibus nota est æternitatis divinæ notio a *Boetio* 5 tradita : " *interminabitis vitee tota simul et perfecta possessio* ".

* *Philip.*, IV, 7. — a S. Th., q. 19., a. 7, ad I.

4 Cf. S. Th., q. 10; Suarez, 1. II, c. 4; Billuart, 1. c., a. 8; Petavius, 1. III, c. 3.&; Liebermann, 1. c., § II; Card. Billot, th. XI; Pesch, n. 164 sq., A. Farges, p. 331 ; E. Hngon, p. 92.

5 *Dt Consol, philos.f* lib. V, pr. 6.

Dicitur *interminabilis,* quia principium aut finem non habet, nec habere potest; *tota simul,* quia non est successiva, prout creaturarum existentia, sed simultanea et immutabilis : Deus enim vitam infinitam totaliter possidet in uno instanti, ita ut in divina essentia nihil præteriti vel futuri sit, sed perpetuum *perfecta possessio;* eo ipso enim quod Deus uno instanti permanenti vivit, tota sua vita simul fruitur, et exinde infinite perfectius ac si quasi guttatim duraret, etiam per infinita momenta et sæcula.

Quam definitionem contrahit S. *Anselmus,* juxta quem æternitas est : " *interminabilis vita simul perfecte tota existens* [1] ",

440. 2° *Thesis :* Deus est vere et perfecte aeternus. *Defide* est ex *Vaticano :* " Sancta Catholica Apostolica Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum... omnipotentem, *æternum,* immensum... " Probatur :

(A) *Script,* (a) " Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat, et qui venturus est"2; quibus verbis significatur Deum principio et fine carere, ita ut præsens sit omnibus rebus praeteritis, praesentibus ac futuris, (b) Iterum Scripturae dicunt Deum ante omnia tempora fuisse et post tempora futurum esse : " Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus [3]. Opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem *idem ipse es,* et anni tui non deficient "4; quibus verbis pariter declaratur aeternitatem Dei carere successione : " tu autem idem ipse es ".

(B) *Ratione* [5]. Æternitas Dei ex ejus summa perfectione et immutabilitate necessario dimanat ;nam quod est infinite perfectum, actus purus ac propterea immutabilis, nihil omnino acquirere aut amittere potest; sed acquireret aliquid incipiendo aut successive existendo, aliquid amitteret desinendo. Ergo Deus est perfecte aeternus[6]. — Ex quo sequi-

[1] *Monologium, c.* XXV. — [3] *Apoc.,* I, 8. — [3] A. LXXXIX, 2.
[4] *Ps.* CI, 26-28; cf. ***II*** *Petr.,* III, *3; Joan.,* VIII, 58; ***I*** *Tim.,* VI, 16, etc.
[5] Cf. S. Th., I, q. 10, a. 2; *Cont. Gentil.,* l. I, c. 15.
[4] Divinam aeternitatem egregie describit J. H. Newman *(Discourses to Mixed Congres. **XIV,*** p. 287 sq.) : ""Cum Deus ab aeternitate existât et in

tur æternitatem proprie dictam ac plenam *soli Deo* competere. Nam radix hujus aeternitatis est omnimoda immutabilitas, quæ solius Dei est.

2V. *B.* Ex dictis sequitur distinctio inter *aternitatem, avum* et *tempus :* ætemitas est duratio entis immutabilis quoad *substantiam* et *operationem ;* duratio entis immutabilis quoad *substantiam* sed mutabilis quoad operationem ; tempus duratio entis *mutabilis* quoad substantiam et operationem.

441. 30 *Corollarium.* Quando de Deo loquimur, usurpare possumus *verba temporis tum prasentis, tum præteriti, tumfuturi,* quia ætemitas Dei, utpote tota simul, coexistit omnibus partibus temporis. Quod sic illustrat 5. *Augustinus* (in *Joa.,* tr. 99, n. 5, : " In eo autem quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis et ineffabilis non recipiat*fuerit* et *erit,* sed tantum *est :* ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest... tamen, propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus et*fuit,* et *erit* et *est.* Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est".

Unde cum eodem Augustino merito dicitur : " *Quod æternum non est, nihil est* ".

IV. De Immensitate et ubiquitate Dei[1].

442. i° Status quaestionis. (a) Immensitas est illud attributum, vi cujus Deus *potest* esse praesens in omnibus

principio temporis omnia creaverit, ante creationem in ætemum vixit. O cogitatio obstupescens! Erat aliquando talis rerum conditio in qua Deus solus erat, et nihil aliud præter seipsum. Terra non erat, nec firmamentum, nec sol, nec sidera, nec spatium, nec tempus, nec creatura aliqua, nec homo, nec Angeli, nec Seraphim : non ministri, non famuli ejus circumstabant thronum. Undequaque silentium, undequaque quies : Deus tantum erat!... /Etemitatem vixit; æternus non premitur somno! Suam potestatem nec detinet, nec suspendit. Numquam suipsius satietate, neque suæ infinitatis tædio afficitur. Ab ætemo erat semper actuosus et semper quietus, semper in tranquillitate et profunda ac ineffabili, in spiritus sibi perenniter præsentis actuosa vita, semper sui dominus, semper sui compos, se ipsum intelligens, vim habens in hac intellectione perseverandi, semper in quiete ac eam in se ipse inveniens, sibimet dives, finis ac suæ contemplationis et beatitudinis objectum ". — Cf. Fénelon, *Traité de TExistence de Dieu,* IIe Part., ch. 5, a. 3, p. 143-148, vol. I, ed. Vives, 1854.

[1] Cf. S. Th., I p. q. 8; C. *Gent.t* lib. III, c. 68; Suarez, l. II, c. 2; Petavius, lib. III, c. 7-10; Billuart, disp.*III, a. 6; Ginoulhiac, *histoire du*

rebus et locis; ubiquitas autem est *ipsa preesentia* in omnibus rebus et locis existentibus. Triplex ubiquitas in Deo distinguitur : siquidem ubique est non tantum ratione *scientiæ,* quatenus omnia cognoscit, aut ratione *potentiæ,* quatenus in omnibus entibus agit, sed ratione *substantiæ,* quatenus omnibus rebus substantialiter præsens est non *circumscriptive,* modo corporum quorum variae partes variis loci partibus respondent, neque *definitive* (sicut Angeli, qui licet toti in qualibet parte loci sint, in loco tamen continentur), sed modo quodam ineffabili, quatenus *totus* est *ubique, totus in omni loco,* et *totus sine loco,* cum in loco non contineatur.

(b) Hanc Dei ubiquitarem impugnarunt non solum antiqui philosophi qui Deum in *primo calo* collocabant, sed etiam quidam *Calviniste,* ut *Vorstius* et *Sotiniani,* juxta quos Deus per suam substantiam summo cælo insidet, et nonnisi *potentia* terris præsens est ; et nonnulli *Rationaliste,* inter quos *Haurtau, Rimusat, Crombie l,* qui dicunt Deum esse ubique per virtutem *non* autem per *suam substantiam,* falso putantes ita induci pantheismi periculum.

443. 20 *Thesis :* Deus est vere immensus, rebusque omnibus præsens est per scientiam, potentiam et essentiam.

De fide est ex *Vaticano* Deum esse immensum ; modus autem quo præsens est, certo Scriptura ac ratione determinatur.

(A) *Script,* (a) Deus omnibus præsens est *cognitione :* " Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis"2; (b) ubique præsens est *potentia,* quatenus omnia ipsi sunt subjecta : " Attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter... portans omnia verbo virtutis suæ " 3; (c) in omnibus adest per *essentiam :* " Non longe est ab unoquoque nostrum ;in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus" 4; nec tamen rebus creatis circumscribitur : " Si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi? " 5. Graphice

Dogme Cathol., **Paris, 1866, vol. I, p. 97 sq.; Card. Billot, th. IX; Hurter, n. 61 sq.; A. Farges, p. 338; E. Hugon, p. 84-91.**

* **Crombie ***, *Natural Theology,* **I, p. 64.**

* *Hebr.,* **IV, 13.** — 3 *Safi.,* **VIII, I** ; *Piebr.,* **I, 3.**

4 *Ad., XN11,* **27.** — s **ZZ** *Parafi.,* **VI, iS.**

describitur illa ubiquitas in *Psalmis,* praesertim *Ps. Domine, probasti me :* " Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua " x. Hinc S. *Augustinus*2 *vatnto* ait : " Sic est Deus per cuncta diffusus... in solo cælo totus, et in sola terra totus, et in cælo et in terra totus : et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus ".

444. (B) *Ratione.* Deus, utpote causa prima et universalissima, et quidem totius *fieri* et *esse,* in omnibus rebus agit ad eas producendas, conservandas et regendas; atqui non potest agere ubi non est; oportet enim omne agens conjungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere; jamvero virtus Dei ab ejus essentia non distinguitur, ut probatum est ubi de simplicitate; ergo Deus est in omnibus etiam per essentiam. — Neque hoc Pantheismo favet, ut quidam Rationalistæ contendunt, nam substantia divina, licet ubique præsens, est ab omnibus substantiis creatis realiter distincta, nec proprie in. eis continetur, sed potius eas continet, ut recte ait S. *Thomas* 3.

De ratione autem hujus præsentiæ dissentiunt theologi : juxta *Scotistas, Molinam* et quosdam alios, formalis ratio hujus præsentiæ est *illimitatum esse* divinum; juxta *Thomistas,* est *applicatio virtutis,* seu actio virtualiter transiens, ita ut Deus sit ibi præsens ubi operatur; ita immensitas est virtus qua ubique præsentem se exhibere potest. Illa autem applicatio fit non per virtutem a se emissam, sed per infinitam virtutem a se indistinctam.

445· 3° -SaZz/. *diff.* Objicitur quidem Deum esse in cælo tantum, ita ut de cælo descendat, quando homines visitat : " Dominus in cælo sedes ejus " ; " descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim "4. Sed merito respondetur Deum esse in cælo *non exclusive,* sed *excellenter,* quia ibi potentiæ ac munificentiæ suæ divitias perfectius exhibet; " Descendere dicitur, ait S. *Augustinus* 5, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur"; insu-

‘ A. CXXXVIII, 7 sq.jcf./rr., XXIII, 24; *Isa.,* XL, 12; ***III*** *Reg.,* VIII 27 ; *Baruch*^ III, 25.

3 *Ep. adDardan.'* n. 14; *P. L.*> XXXIII, 837.

3 *Sum. theol.,* I, q. 8, a. I, ad 2. — 4 A. X, 5; *Gen.,* XI, 5.

i Serm., V, in Append., n. 6; *P. L.,* XXXIX, 1740.

per *metaphorice* propius accedit animæ oranti, quatenus ejus preces exaudire paratus est, juxta illud : " prope est Dominus invocantibus eum " [*] ; modo speciali in anima justi habitat tanquam amicus et protector, ut probabitur in *Tr. de Deo Trino ;* sed hæc omnia cum perfecta Dei immensitate non pugnant.

446. 40 *Corollaria.* Divinæ præsentiæ consideratio est maxime virtutis incentiva, juxta illud : " Ambula coram me, et esto perfectus" [1]: quod quidem maxime verum est quando simul præ mente habetur specialis præsentia Dei *per gratiam,* de qua alibi agimus. Siquidem (a) *gaudium* affert : quis enim in rebus angustis, vel quando tentationes occurrunt, lætitiam non concipiet, si recordetur in anima sua, in corde suo, omnibus animæ viribus adesse Deum ipsum unum et trinum, quem protectorem et solatium habere possit? (b) *Fiduciam* excitat : " Si enim Deus non solum intra nos est, intime nos penetrans et sustentans, sed etiam undique exterius circumdat et ambit, quis poterit nobis nocere, nisi ipse id peculiariter permittat? Quod si permiserit, certe de manu ipsius patienter et libenter debemus accipere, qui facit ut diligentibus ipsum omnia cooperentur in bonum " [3]. (c) Nos *a peccato removet,* nam, ut Scriptura testatur [4], ideo peccamus quia Dei præsentiam non recordamur : "Non est Deus in conspectu ejus : inquinatae sunt viae illius in omni tempore ". Quis enim peccare auderet, dum recogitat Deum nobis esse præsentem, corda et renes scrutantem, brachioque potenti armatum, ad nos poena ætema plectendos? (d) Ad *majorem perfectionem* incitat; qui enim de Deo cogitat, quem sanctitatis fontem esse noscit, melius intelligit se omnibus virtutibus ornatum esse debere, ut divinæ majestati placeat : " Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est " [5] ; praeterea sicut miles magis strenue certat sub oculis ducis, ita et nos ad majores conatus incitamur dum cogitamus ducem nostrum nobis certantibus adesse. " Unde qui attente hanc Dei praesentiam considerat, eamque semper ob oculos habet, nunquam audebit illum offendere ; sed assidue ad ejus amorem et timorem excitabitur" [6].

V. De Infinitate Dei [7].

447. i° Notio. Infinitum in genere est id quod limitibus caret. Duplex distingui potest : infinitum *absolute,* seu

1 **A. CXLIV, 18.** — 3 *Gen.,* **XVII, I.**
3 **Cf. Lessius, op. cit, ubi egregie de divinis attributis disputat, lib. II, c. 3, n. 21.**
4 *Ps.* **IX, 26.** — 5 *Mall.,* **V, 48.** — 6 **Lessius, 1/ cit., n. 22.**
7 **Cf. S. Thom., I. p., q. 7; Suarez, l. II, c. i; Billuart, disp. III, a. 2; Lessium, lib. I, c. 6; Hurter, n. 34 sq. ; Card. Billot, th. VIII.**

in ratione entis, quod omnibus modis infinitum est; infinitum in *certo genere,* quod continet omnem perfectionem possibilem in illo genere. Jamvero Deus est infinitus priori sensu, seu *absolute :* nullos habet limites, sed totam entis plenitudinem complectitur, omnesque perfectiones, et quidem gradu infinito.

Porro perfectiones triplicis generis distingui possunt [1]: (a) *simpliciter simplices,* quæ nullam habent sibi adjunctam imperfectionem, et quas melius est habere quam non habere, quales sunt sapientia, bonitas, justitia, etc. ; (b) *simplices,* quæ nullam habent adjunctam imperfectionem, sed quæ possunt per alias æque perfectas suppleri, quales sunt relationes divinæ paternitatis, filiationis, etc.; (c) *mixta* seu *secundum quid,* quæ aliquid habent imperfectionis, et majori perfectioni opponuntur, ut vis ratiocinandi, quæ in homine perfectio est, sed in se multo imperfectior virtute res uno intuitu intelligendi. His positis, Deus possidet perfectiones simplices *formaliter-eminenter,* seu secundum suum proprium conceptum, perfectiones autem mixtas *virtualiter-eminenter,* i. e., non cum imperfectionibus, quas adjunctas habent, sed altiori modo.

448. 2° *Thesis :* Deus est infinite perfectus, seu omnes perfectiones possidet, et quidem gradu infinito. *Defide est ex Vaticano* declarante Deum esse'" intellectu ac voluntate *omniqueperfectione infinitum* Probatur :

(A) *Script,* (a) ex verbis Dei ad Moysen jam pluries citatis : " Ego sum qui sum"; his enim verbis declaratur, juxta Patres ac theologos, Deum esse τὸ esse simpliciter, seu plenitudinem entis habere 2; porro qui plenitudinem entis habet nulla perfectione carere potest ; (b) ex illis textibus, in quibus ita extollitur Dei magnitudo ut nullos limites habeat : " Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis " 3; (c) ex locis ubi repræsentatur tanquam omnis boni dator, a quo omnis perfectio fluit :

1 Cf. S. Anselmus, *Monologium** c. 13.

3 Qui vero dicunt his verbis directe significari Deum ut *Causam totius enlisy* eamdem conclusionem deducere possunt : Deus enim non potest causare quidquid existit, nisi in se habeat plenitudinem entis. — 3 *p5t* CXLIV, 3.

" Ipse dat omnibus vitam, inspirationem et omnia" [1], præsertim cum alibi addatur eum esse ipsam vitam, sapientiam, caritatem, etc. *{supra,* n. 430) : quod dici nequit nisi de eo qui est infinite vivens, infinite sapiens, etc.; (d) ex verbis quibus asseritur eum esse *solum* potentem, justum, aeternum : " beatus et *solus* potens... qui solus habet immortalitatem " 2; hæc enim omnia ostendunt illas perfectiones soli Deo competere per antonomasiam, seu gradu excellentissimo.

449. (B) *Ratione.* Dei perfecta infinitas ex eo procedit quod Deus est *ipsum esse subsistens.* Atqui esse subsistens non potest limitari ex parte *agentis,* cum non habeat causam nec ex parte *subjecti,* quia in nullo recipitur; neque ex parte *ipsius esse* quod vi sui non solum non limitatur, sed nonnisi perfectionem dicit. Cum enim sit ipsum esse in actu, habet omnes omnino perfectiones et sine ullo defectu aut limitatione. Quod sic illustrat Angelicus Doctor [3] : " Manifestum est enim quod si aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem ; sed, si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris. Unde cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei desse Cfr. supra, n. 423.

45°· 3° *Corollaria.* Triplex præsertim fructus, juxta *Lessium,* (l. cit.) ex consideratione divinæ infinitatis colligi potest : (A) Primus est ut *summa reverentia et humilitate cum Deo agamus* : quo

[1] *Ad.,* XVII, 25; cf. XI, 36; ***I*** *Cor.,* VIII, 6.

[2] ***I*** *Tim.,* VI, 15-16; cf. ***II*** *Mac.,* I, 8.

[3] S. Th., I, q. 4, a. 2 ; cf. q. 7, a. 1-2; *C. Genl.* l. I, c. 43. Infinitam Dei perfectionem accurate describit J. H. Newman *{Idea ofa University,* Dis. II, p. 36 ed. 1888) : " Deus est ens individuum, a nullo nisi a se dependens, omnino perfectum, immutabile, intelligens, vivens, personale et præsens ; omnipotens, omnia videns et omnium memor. Deum inter et creaturas abyssus profunda jacet. Principio carens, sibimet est absolute sufficiens. Universa creavit et servat; unumquemque nostrum serius ocius judicabit secundum legem boni et mali scriptam in cordibus nostris. Regnat absolute, potenter operatur etiam absque legibus quibus non subjacet. Omnia sunt in manibus ejus ; in eventibus consilium, in actionibus finem habet, atque ita se referre voluit ad cujuslibet scicntiæ objectum. Ob miram ejus perennis actionis potentiam, creationis historiæ, naturæ constitutioni, mundi vitæ, societatis origini, nationum vicissitudinibus adest ",

enim major princeps, eo majorem ei reverentiam exhibemus. Itaque cum Dei majestas sit infinita, infinito honore dignus est. Porro ad reverentiam excitandam, duo concurrere debent : consideratio divinæ excellentiæ, et nostræ vilitatis, juxta illud : " Loquar ad *Dominum* meum, cum sim *pulvis* et cinis " ».

(B) Secundus est ut Deum *supra omnia sincerissima caritate et benevolentia amemus.* Quo enim excellentius est aliquid, eo dignius amore. Jamvero in Deo est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnes thesauri, omnis nobilitas, omnis sapientia, omnis bonitas, quidquid possumus concupiscere, et infinite amplius. Ergo super omnia diligendus est ; ex quo amore sequetur promptitude ad vires omnes vitamque ipsam expendendam, ut gloria Dei maxime promoveatur, ejusque bonitas ab omnibus agnoscatur. Quæ conclusio eo magis nos urget quod Deus, eo ipso quod sit ipsum esse et bonum infinitum, nos cum libertate plena et summa benevolentia creaverit, ac sibimetipsi nos attemperaverit ut fini ultimo et bono nostro universaliter satiativo. Uno verbo, Deus est summum bonum ac nostrum summum bonum.

(C) Tertius fructus est, ut cognoscamus *Dei servitium esse nobilissimum :* quo enim princeps aliquis est major, eo nobilius est ei famulari. Quare, cum Deus sit præstantior omnibus regibus terræ, infinite nobilius est ei servire quam alicui principi ; imo Deo servire, regnare est. Quod quidem obsequium præstabimus præsertim per religionis officia et custodiam mandatorum.

VI. De unitate seu unicitate Dei[2].

451. i° Notio. *Unum* dicitur per oppositionem ad divisionem et pluralitatem, ideoque definitur : *indivisum in se et divisum a quolibet alio.* Jamvero Deus est unus non solum *intrinsece,* cum omnem divisionem excludat ex sua perfectissima simplicitate, sed etiam *extrinsece* quatenus excludit alium similem sibi in *specie* seu alium Deum, ideoque vere *unicus* est.

Hanc unicitatem Dei negant : i) *Polytheistæ,* qui docent plures esse deos; 2) *Dualistæ,* qui putant duo esse summa principia, nempe principium boni et principium mali, vel saltem duo esse principia *secundaria,* bonum et maium, sub principio absolute supremo : ita *Zoroaster* in Perside ejusque asseclae, inter quos *MarcionitiE, Manichcei* et 3) *Pantheistce,* qui Deum concipiunt ut animam mundi aut ultimam evolutionem mundi.

• *Gen.,* XVIII, 27.
' S. Thom., I, q. 11; Card. Billot, th. XII.

452. 2° *Thesis :* Deus est unus seu unieus perfectissima unitate. *Defide* ex *Vaticano* catholicam doctrinam, jam a multis Conciliis expressam, sic declarante : " Qui cum sit *una, singularis...* substantia".

(A) *Script,* (a) Sub Antiqua Lege indesinenter Deus sive per se, sive per Prophetas proclamat se esse unicum Deum, nec alium esse praeter se : " Audi Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est... Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me... Ante me non est formatus Deus,et post me non erit...1 " (b) Insuper Deus saepe praedicatur " unus bonus, solus potens, solus immortalis, solus fortis et sanctus, solus justus, solus omnipotens et aeternus, qui noverit solus cor omnium filiorum hominum "2, ideoque solus Deus, cum solus divina attributa possideat, (c) Tanti momenti est fides in unum Deum ut dirissimis poenis puniatur Israel quoties ab uno Deo se avertit, beneficiis autem cumuletur quoties unico Deo fideliter servit. Unde *monotheismus* est dogma fundamentale judaicæ et Christianae religionis.

(B) *Tradit,* (a) Symbola et concilia saepe unicitatem Dei ut veritatem primariam proclamant : " Credo in unum Deum ". (b) Toti sunt Patres, primis Ecclesiæ sæculis, in vindicando contra paganos et hæreticos unitatem Dei tanquam *regulamfidei;* ita, v. g., S. *IrenæusS :* "Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terræ seminata et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam *fidem* quæ est in *unum Deum...* " Hanc veritatem demonstrant ex eo quod Deus est infinitus et summum bonum; plures enim dii, inquiunt, imperfecti necessario essent-»; ex eo quod una est veritasS; ex nomine quo se Deus nominavit6 aliisque argumentis.

(C) *Ratione.* Triplici argumento 5. *Thomas* hanc Dei

[8] *Dent.,* VI, 4; XXXII, 39; *Isa.,* XLIII, 10, II.

' 7 *Peg.,* II, 1; ZZZÆ^.,VIII, 39; *Ps.,* CXXXLX, 2; *Mach.,* I, 25; *Matth.,* XIX, \T,*Joan.,* XVII, 5; Z *Tim.,* VI, 5; *A/oc.,* XV, 4.

3 *Adv. hares.,* I, 10, i; *P. G.,* VII, 549; R., 191.

4 Tertullianus, *Adv. Marc.,* 1. I, c. 3; *P. L.,* II, 274; S. Athanasius, *Orat. contra gentes,* n. 38; *P. G.,* XXV, 78.

5 S. Fulgentius. *Epist. 8ad Donat.,* c. 4, 10; *P. L.,* LXV, 365.

6 Novatianus, *De Trinit.,* c. 4; *P. L.,* III, 920.

unitatem demonstrat : (a) Ex ejus *simpiieitate :* Etenim ut multiplicentur individua, ejusdem speciei eorum *notis individuantes* esse debent extra rationem essentiæ. Sed in Deo, qui est simplicissimus et infinitus, nihil addi potest essentiæ. (b) Ex *infinitate ejus perfectionis :* Deus enim in se comprehendit totam perfectionem essendi; atqui tota essendi perfectio non potest pluribus communicari : si enim plures essent dii, oporteret eos differre, ideoque unus careret perfectione quæ in alio esset; ergo unus est Deus, (c) Ab *unitate mundi :* omnia quæ sunt in mundo ad invicem ordinantur et in unum ordinem conveniunt; atqui non possunt in unum ordinem reduci nisi per causam unitate præditam, "quia per se unius unum est causa, et multa non sunt causa unius nisi per accidens." Ergo oportet ut ordinator mundi sit unus.

453. Corollarium pietatis. Dei unitatem, pro posse npstro, imitamur, cum omnia ad unitatem reducimus tum in nobis tum in nostris ad proximum relationibus, i) *In nobis,* unitatem paulatim restaurando quam Deus protoparentibus contulerat : hæc in eo sita erat quod voluntas Deo perfecte subdebatur, facultates autem inferiores superioribus subordinabantur, et corpus animæ. Jamvero, *obedientia* et *mortificationis* praxi, voluntatem nostram Dei voluntati subdimus, et, vi gratiarum quas ita consequimur, voluntati nostræ ceteras facultates, imo et corpus subdimus; ita ordo et unitas instauratur in nobis. 2) *Caritate* autem unitatem spiritus in vinculo pacis cum fratribus habemus, dum Christo intime uniti eo ipso omnibus ejus membris conjungimur, juxta illud Christi : " Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum " *.

Conclusio totius capitis.

454. Totam doctrinam de Dei essentia et attributis breviter contrahit *Congreg. Studiorum* in sequentibus propositionibus, quæ defluunt ex' *differentia inter potentiam et actum :*

I. Potentia et actus ita dividunt ens ut quidquid est vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tanquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

l *ioan.y* WH, 23.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quæ est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine est actus purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus existit ; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

III. Quapropte- in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus ; cetera cuncta quæ ipsum esse participant naturam habent qua esse coarctatur, ac tanquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

XXIII. Divina essentia, per hoc quod exercitæ actualitati ipsius esse identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem notionem nobis exhibet suæ infinitatis in perfectione.

XXIV Ipsa igitur puritate *sui esse,* a finitis omnibus rebus secernitur Deus.

CAPUT III.

DE OPERATIONIBUS DIVINIS.

Cum *operatio sequatur esse,* considerationi de essentia divina logice succedit disputatio de *divinis operationibus.*

Praenotanda de operationibus et vita Dei.

455. i° Operationes in Deo. Duplex distinguitur operatio : *immanens,* cujus terminus in ipso agente sistit, et *transiens,* cujus terminus est effectus exterior agenti. Operationes Dei *ad extra* sunt : *creatio, conservatio, concursus, gubernatio, redemptio,* etc., de quibus infra dicetur. Operationes autem *ad intra* sunt : *scientia,* quæ ad *intellectum* pertinet, *volitio.* quæ ad *voluntatem* refertur, necnon *providentia* et *prædestinatio,* quæ ad utrumque spectant. Quæ quidem immanentes operationes vere *vitales* sunt, vitamque divinam constituunt.

456. 2° Notio vitæ in genere. Vita enim in actu secundo, est *sese movere;* vita in actu primo definitur principium intrinsecum substantiale, vi cujus ens seipsum movet; hinc recte ait S. *Thomas* [1] : “ Illa proprie sunt viventia, quæ

seipsa secundum aliquam speciem motus movent; sive accipiatur motus proprie, sicut motus dicitur actus imperfecti, id est existentis in potentia; sive motus accipiatur communiter, prout motus etiam dicitur actus perfecti, prout intelligere et sentire dicuntur moveri

Infimus vitæ gradus est in *piantis,* " quæ secundum formam inditam eis a natura movent seipsas, solum habito respectu ad executionem motus secundum augmentum et decrementum"1; quaeque triplici facultate gaudent *nutritiva, augmentativa* et *generativa. Secundo* gradu sunt *animalia,* quorum motus principium est forma, non a natura indita, sed per sensum accepta, licet non per seipsa praestituant sibi finem suæ operationis, sed instinctu a natura indito ducantur; præter dotes quæ plantis insunt, triplici gaudent facultate *sensitiva, afipetitiva* et *locomotiva.* Supra animalia sunt illa entia quæ movent seipsa, etiam habito respectu ad finem quem sibi præstituunt, ut sunt *entia intellectu ac voluntate prcedita.* Unde perfectior modus vivendi est eorum quæ habent intellectum, quia perfectius movent seipsa. Moventur tamen ab extrinseco hæ nobiles creaturæ, cum necessario determinentur ad primum actum intellectus et voluntatis, et recipiant hoc intellectionis principium quod nuncupatur species intelligibilis.

In Deo vero nulla motio invenitur ab extrinseco accepta : de se est ab æterno in actu perfectissimo intellectionis et volitionis, ita ut in Ipso *principium vitæ, vitæ terminus* seu objectum, ac *vita ipsa* omnino identificentur ; ergo in Deo maxime est vita.

457. 3° De vita Dei : *Deus est vere et summe vivens, imo sua vita, et fons omnis vitæ. De fide* est ex *Vaticano* Deum esse vivum : " Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum " 2.

(A) *Script.^)* In *Vet. Test.,sæ^.* sæpius Deus affirmat se esse summe viventem : " Vivo ego, dicit Dominus. Vivo ego in æternum... " 3. Insuper cultus veri Dei vocatur cultus *Dei viventis* per oppositionem ad cultum idolorum quæ sunt tanquam ligna mortua, (b) In *Nov. Test.,* Petrus Christum proclamat Filium *Dei vivi* Joannes docet *omnia*

1 S. Th., 1. c., a. 3. — ' Sess. III, cap. I, D. B., 1782.
3 *Num.,* XIV, 28; *Deui.,* XXXII, 40; cfr. *I Reg.,* XVII, 26; *Jerem.* XXIII, 36; *Dan.,* VI, 20, etc.
* *Matt.,* XVI, 16

in Deo vivere [1]; et tain perfecte vivit ut generet Filium, qui et ipse habet vitam in semetipso, ut probatur in *Tr. de Deo trino.*

(B) *Tradit.* Jam ab initio Ecclesia in suis orationibus invocat Deum Patrem " per D. N. Jesum Christum qui tecum *vivit* et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus... " Quam Dei vitam pulchre describit S. *Augustinus* : " Tu, Domine, *semper* ***vivis,*** nihil moritur in te... Tu facis nos, Domine, cui esse et vivere non aliud atque àliud est, quia summe esse et summe vivere id ipsum es... Tu vita es animarum, vita vitarum, vivens teipso, et non mutaris, vita animae meæ " [2].

(C) *Ratione.* Vivere est *sese movere* seu *operari a seipso,* et is eo perfectius vivit quo perfectius habet in se principium suæ operationis et in operante manet ipsa operatio. Atqui Deus perfectissime in se habet suæ operationis principium et operationem in se manentem ; nam, cum sit actus purus, semper ac necessario vivit independenter a quolibet alio, et ipsa operatio vitalis ab ejus essentia realiter non distinguitur.

Unde est *sua vita* sicut est suum esse; non enim vitam habet per participationem, sed absolute et simpliciter et absque diminutione.

Hinc etiam est *fons totius vitæ, vita vitarum* sicut est bonum omnis boni; nihil enim vivere potest nisi aliquam habeat participationejn vitæ divinæ : " In ipso vita erat, et vita erat lux hominum " [3].

458. Divisio. Dicemus itaque : i° de *scientia* divina; 2° de *voluntate* seu *volitione* divina; 30 de *providentia* et *prædestinatione* quæ ad intellectum simul et voluntatem spectant; 40 de *potentia* qua ponuntur *effectus ad extra;* 5° per modum coronidis de *beatitudine* Dei.

Art. I. De scientia divina [4].

459. *In Deo perfectissima est scientia.* Etenim *in tantum ens cognoscitivum est, in quantum est immateriale;*

[1] *Joan.,* I, 4.

[2] *Confess.,* I, 6; III, 6; *P. L.,* XXXII, 664, 687. — [3] *Joan.,* I, 4.

[4] Cf. S. Th., I, q. 14; Suarez, 1. III, c. 1-5; Petavius, l. IV; Salmantic., *de Scienlia Dei:* Billuart, disp. V-VI; Franzelin, th. 40-46; de Augustinis,

cognitio enim perficitur in quantum forma cogniti est in cognoscente; atqui quo immaterialior est aliqua substantia, eo facilius in seipsa recipere potest formam alterius rei; hinc plantae cognoscere nequeunt propter suam materialitatem, bruta jam cognoscunt quia eorum anima minus materiae immergitur, et intellectus est entis universaliter cognoscitivus, quia separatus est a materia. Intellectus tamen creati, licet materiæ corporalis expertes, sunt tamen omnes plus minusve potentialitati immixti. Sed *Deus est in summo immaterialitatis et actualitatis gradu,* ut supra probatum est; ergo est summe intelligens. Dicemus de *objecto, dotibus, speciebus* ac *medio* scientiae divinae.

1. De objecto divinæ scientiae.

460. i° *Status quæstionis.* (A) Duplex est objectum divinæ scientiæ : *Deus* ipse et *res extra Deum.*

(a) *Deus seipsum intuitive et adaquate per seipsum cognoscit, et comprehendit :* " Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei " x.

Ratio id sane ostendit : unumquodque actu intelligitur secundum quod est actu unum cum intelligente. Atqui quando Deus intelligit seipsum, Deus cognoscens et Deus cognitus est prorsus idem. Inde etiam sequitur Deum perfecte seipsum intelligere *per seipsum,* cum in Deo nulla sit species intelligibilis nisi ipsa essentia divina.

Quare perfecte seipsum comprehendit, quia, cum sit actus purissimus, ejus actualitas in cognoscendo est eadem ac actualitas in essendo; Deus ergo seipsum cognoscit quantum est cognoscibilis. Hinc etiam *intelligere* in Deo non est accidens, sed ipsa Dei substantia 2.

part. III, p. 173 sq.; Ginoulhiac, l. III, c. 27; Scheeben, n. 405 sq.; Card. Billot, thés. XX-XXIV; Pesch, η. 177 sq.; A Farges, p. 346 sq. ; Monsabré, ‹5* *Conférence,* Carême, 1874; E. Hugon, p. 168-233; A. d'Alès, *Science divine et décrets divins,* et *Autour de Molina* in *R. S. R.,* t. VII, 1917, P· 1-35» 443'5°6; *Prédestination* in *D. A.,* L IV, 195-270; P. Garrigou-L-ag'r., S. *Thomas et le Néo-Molinisme.*

l *t Cor.,* II, 10-II. — ' Omnia lucide explicat S. Thomas, I, q. 14, a. 2-4.

(b) Relate ad *res externas,* Deus pariter omnia cognoscit, sive *existentia,* præterita, præsentia et futura, sive *possibilia,* sive etiam *futura conditionata,* seu *fiituribilia.*

461. (B) Nonnulli tamen hac de re sunt errores : (a) Multi Gentiles, inter quos *Cicero,* quidam hæretici ut *Marcion* et *Sociniani,* et plerique hodierni *Rationalisiez* futurorum praescientiam Deo denegarunt, quo melius humanam libertatem salvarent; de quibus praedicari potest quod S. *Augustinus* de Tullio scripsit [1] : " dum vult facere liberos, fecit sacrilegos ". (b) Pauci inter Thomistas, ut *Ledesma* [2], putarunt Deum non cognoscere cum absoluta certitudine futura contingentia conditionata, id est ea quæ sub certa conditione futura essent, sed de facto nunquam futura sunt, quia conditio a qua pendent nunquam verificatur; hujusmodi exemplum habemus in his Christi verbis : "Si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent [3] ", Contra quos duæ erunt theses.

462. 2° *Thesis ia :* Deus omnia cognoscit, etiam futura libera. *De fide est ex Vaticano :* " Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam quæ *libera creaturarum actione futura sunt* ".

(A) *Script,* (a) Modo generali asseritur Dei scientiam... esse *universalem :* " Cognovit Dominus omnem scientiam... non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus "[4]. (b) Cognoscit *omnes creaturarum actiones,* immo et *arcanas cogitationes :* " Vidit omnes filios hominum... qui finxit·singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum... omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit... scrutans corda et renes Deus " [5]. (c) Cognoscit omnia *futura* sive *necessaria* sive *libera :* " Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua"; interiora scit et de futuris aestimat : " intellexisti cogitationes meas de longe... et omnes vias meas praevidisti"[6]; hinc de Christo dicitur : " Sciebat ab initio Jesus qui essent non credentes " [7].

• *De Civ. Dei,* l. V, c. 95 *p· L.* XLI, 150.
' *Lib. de auxiliis,* disp. 2 de scientia fuL conting., p. 582.
3 *Matt.,* XI, 21.
‹ *Eccli.,* XLII, 19; *Hebr.,* IV, 13.
5 *Ps.* XXXII, 13-15; XVI» 7; *1 Para/.,* XXVIII, 9.
6 *Ps.* CXXXVIII, 3-5- — *1Joan.,* VI, 65.

(d) Novit etiam *possibilia,* nam dicitur : " Vocat *ea quæ non sunt,* tanquam ea quæ sunt " *.

463. (B) *Ratione 2.* (a) Deus enim perfecte seipsum intelligit ; alioquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere; atqui seipsum perfecte cognoscere nequit nisi etiam cognoscat omnia ad quæ virtus sua se extendit, id est, omnia entia tum existentia, tum possibilia, cum virtus ipsius ad hæc omnia se extendat ; ergo, (b) Omnia quæ sunt, vel erunt in tempore, ab æterno sunt Deo præsentia; nam aeternitas tota simul existens ambit totum tempus, et omnibus instantibus praeteritis et futuris respondet, ita ut Deus e specula aeternitatis suæ tanquam *præsentia* videat ea omnia quæ fuerunt vel erunt; ergo futura tam clare et certo cognoscit ac præsentia.

464. 3° *Thesis 2* :* Deus infallibiliter cognoscit futura conditionata libera. Ita communis et certa sententia.

(A) *Script,* (a) Ex textu supra allato (n. 461) colligitur Christum certo cognovisse Tyrios Sidoniosque pænitentiam acturos fuisse, si apud illos facta fuissent miracula quæ in Corozain et Bethsaida facta sunt; (b) ex eis quæ de David narrantur 3; cum ingressus esset Ceilam, a Domino postulat num, si remaneret in civitate, Saul esset venturus ad eam obsidendam, et num in hoc casu Ceilitæ illum traditurі essent : "et ait Dominus : descendet... tradent"; atqui hoc importat cognitionem futurorum conditionato rum ; ergo.

465. (B) *Ratione.* Deus cognoscit quidquid est verum et habet rationem entis ; atqui futura conditionata sunt in se aliquid verum ; quod adeo certum est, ut a nobis conjecturaliter praevideri possint; ergo Deus ea cognoscit, et cum ejus scientia perfecta sit, ea non conjecturaliter, sed infallibiliter praenoscit.

466. 40 Conciliatio Dei praescientiae cum libertate humana. Difficilis admodum etiam doctis semper visa est hæc conciliatio. Sed notandum est imprimis utramque

' *Rom.,* IV, 17. — 3 S.
' Z *Ree.,* XXIII, I1 sq.

: It

veritatem esse certam tum ex revelatione, tum ex ratione : tota difficultas est circa modum quo ambæ veritates consistunt; jamvero ignorantia modi non tollit certitudinem facti. His positis, ad solvendas difficultates, tria animadvertere licet :

(A) Deus cognoscit omnia futura perfecte, et exinde *modo quo futura sunt,* et cum actiones humanæ sint liberae, *eas prævidet ut liberas :* igitur praescientia Dei, quia infallibilis, non aufert, sed supponit ac relinquit libertatem : falleretur enim Deus, si actiones quas futuras esse liberas praenoscit, libere non peragerentur.

467. (B) Cjm respectu Dei *omnia futura sint præsentia,* scientia divina se habet ad futura sicut scientia nostra ad præsentia; atqui ea quæ a nobis videntur, licet non possint non existere tempore quo ea cernimus, *libere tamen a suis agentibus* peraguntur, v. g., video jacentem aliquem : necessitas ei non infertur a visione mea ut jaceat, sed potius a jacente mihi infertur necessitas ut videam; ergo scientia futurorum in Deo horum libertatem non tollit. Quod S. *Augustinus* [2] comparatione illustrat : " Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda quæ futura sunt ".

468. (C) Tandem sedulo distinguendum est inter id quod *infallibiliter* atque id quod *necessario* contingit : *frius*

[1] Quod lucide declarat Bossuet, *Traité du Libre arbitre,* ch. IV, ubi ait : " C'est pourquoi la première règle de notre logique, c'est qu'il ne faut jamais abandonner les vérités une fois connues, quelque difficulté qui survienne, quand on veut les concilier; mais qu'il faut au contraire, pour ainsi parler, tenir toujours fortement comme les deux bouts de la chaîne, quoiqu'on ne voie pas toujours le milieu, par où l'enchaînement se continue".

[2] *De libero arbit,,* l. III, c. 4. — S. Thomas *(In Perihermen. Aristotelis,* lib. I, lect. 14) rem egregie exponit : "Deus est omnino extra ordinem temporis, quasi in arce æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui subjacet totus temporis decursus, secundum unum et simplicem intuitum. Et ideo uno intuitu videt omnia, quæ aguntur secundum temporis decursum, et unumquodque secundum quod est in seipso existens, non quasi sibi futurum... sed omnino æternaliter sic videt unumquodque eorum quæ sunt, sicut oculus humanus videt Socratem sedere in seipso, non in causa sua. Ex hoc autem quod homo videt Socratem sedere, non tollitur ejus contingentia, quæ respicit ordinem causæ ad *effectum...* Sic igitur relinquitur, quod Deus certissime et infallibiliter cognoscat omnia quæ fiunt in tempore, et tamen ea quæ in tempore eveniunt, non sunt vel fiunt ex necessitate, sed contingenter

certo quidem evenit, sed potest esse necessarium vel liberum prout agens ex necessitate vel ex libera electione sese determinat ; *posterius* non solum certo contingit, sed etiam ita ut non fuerit in agente facultas ad oppositum. Atqui quod Deus prævidet, *infallibiliter* quidem, i. e., *certo* eveniet, sed *non semper necessario :* quaedam enim prævidet ut certo simul et libere eventura.

Ex hoc intelligi datur quomodo solvi possit hæc trita objectio : Deus prævidit me vel salvum fore, vel damnandum; si prius, quidquid egerim, in tuto est salus mea; si posterius, quidquid fecerim, certa est damnatio mea. Minor siquidem hujus argumenti omnino falsa est ; nam si Deus prævidit me salvum fore, eo ipso prævidit me bene acturum, pariter si prævidit me esse damnandum, prævidit etiam me male acturum; proinde minor contradictionem involvit.

Ut vero hujus sophismatis vitium detegatur, contra arguentem sic retorqueatur : Deus prævidit te futurum esse divitem vel non : si prius, quidquid feceris, dives eris ; si posterius, frustra desudas, nam semper remanebis pauper ; ergo otiosam vitam agere debes. Falsa est conclusio; ergo peccat argumentum. — Manet igitur ut istam difficultatem, sicut ceteras, principiis jam expositis, n. 466, solvamus.

II. De ideis divinis et dotibus scientiæ divinæ.

i° De ideis divinis.

469. Idea *in genere* duo significat : *speciem intelligibilem*] quæ est intelligendi principium, — et *exemplar* ad cujus imitationem artifex operatur.

(A) *Dantur* quidem *idea in mente divina* hoc duplici sensu : (a) ideæ quatenus sunt *principium intelligendi;* sed hujusmodi ideæ ab essentia divina non differunt, cum Deus omnia in seipso seu in sua essentia cognoscat, (b) Sunt etiam ideæ quatenus *exemplaria rerum ;* nam qui per intellectum agit habet ideas seu formas exemplares rerum quas operatur ; atqui Deus omnia operatus est per intellectum, quatenus prius *logice* res in mente concepit quam creavit. Cognovit scilicet ab æterno suam essentiam et omnem modum quo hæc *participabilis* est ; jamvero quælibet creatura suam propriam speciem habet suasque individuates proprietates; ergo Deus, suam essentiam cognoscendo ut

participabilem a singulis creaturis, eam percipit ut *exemplar* et *ideam* secundum quod omnia operabitur.

(B) Sunt igitur *plures ideæ in mente divina*\ nam Deus cognoscit suam essentiam non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis a creaturis, et quia unaquaeque creatura habet propriam speciem, Deus intelligit plures rationes proprias rerum, et sub hoc respectu plures habet ideas. Hæc autem pluralitas divinae simplicitati non officit; nam pluralitas se tenet ex parte *objectivorum conceptuum,* seu ex parte eorum quæ objective intelliguntur, *non autem ex parte ipsius intellectus divini,* qui uno eodemque intuitu videt divinam essentiam *in se* et quatenus *participabilem ab aliis*..

(C) *Deus habet ideam proprie dictam omnium quæ quocumque tempore fiunt;* eorum quæ *nullomodo fiunt,* v. g., *malorum,* non habet ideam, sed *solum cognitionem* non in se, sed in bonis quorum sunt privationes; eorum autem quæ a Deo fiunt tantum ad productionem alterius, Deus habet quidem ideam, non autem distinctam ab ea quacum producuntur; v. g., materia et forma quæ ordinantur ad invicem, non habent nisi unam ideam in Deo.

2° De dotibus scientiae divinae.

470. Scientia Dei, ex parte objecti, est *universalis,* ut probatum est; sed insuper, ex parte Dei cognoscentis, quinque dotes praecipuas habet. Est enim :

(A) *Una et simplicissima,* quatenus *unico actu* immutabiliter permanente Deus seipsum *per seipsum* videt, et in *sua essentia* cognoscit essentias omnium rerum, et quæcumque eis accidere possunt; nam in Deo idem est esse et intelligere, ut probatum est ubi de ejus simplicitate; atqui esse divinum est unum et simplex; ergo et ejus intelligere. " Et sic patet ex omnibus præmissis quod in Deo *intellectus, intelligens,* et *id quod intelligitur,* et *species intelligibilis,* et *ipsum intelligere,* sunt *omnino unum et idem* " x.

471. (B) *Intuitiva, non autem discursiva,* quatenus *unico intuitu,* sine ullo discursu seu ratiocinio, omnia plene perspi

cit; discursus enim duplicem imperfectionem involvit, scilicet successionem idearum, et progressum a magis noto ad minus notum; atqui in Deo nulla est successio, nihil ignotum; ergo uno intuitu omnia simul perfecte intelligit r.

472. (C) *Independents,* i. e., nullo externo indigens objecto, a quo ideas suas emendicare debeat; nam, ex *dictis,* Deus perfecte suam essentiam comprehendit; atqui omnes creaturæ sunt in essentia divina sicut in causa *efficiente* simul et *exemplari,* quatenus Deus eas creare potest, et quidem secundum exemplaria, seu ideas quæ in ipso sunt; "si Deus indigeret respicere in aliquod exemplar extra se, esset imperfectum agens; sed hoc non contingit, si essentia sua exemplar omnium rerum ponatur" 1 Ergo omnia in sua essentia cognoscere valet, quin ideas a rebus externis emendicet.

473. (D) *Infallibilis,* seu nulli errori obnoxia ; nam *veritas* est *adcequatio rei et intellectus;* atqui inter res et intellectum divinum perfecta est adæquatio; nam intelligere divinum est mensura et causa omnis alterius esse, et omnis alterius intellectus. Unde sequitur quod non solum sit in ipso veritas, sed quod *ipse sit prima et summa veritas ;* ergo scientia Dei est infallibilis.

474.(E) *Efficax,* quatenus est causa rerum, non perse sola, sed in quantum adnexam sibi habet voluntatem 3. Etenim scientia Dei se habet ad res creatas sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Atqui scientia artificis est causa artificiatorum ; siquidem artifex operatur per suum intellectum, seu per ideam mente conceptam, nec instrumentis indiget et mora et laborioso conatu contra materiæ resistentiam nisi propter infirmitatem voluntatis suæ, Aliunde mens supremi Artificis tanta est ut valeat exterius producere quidquid vult et quomodo vult. Ergo plene et prævalenter est effectiva rerum quas vult producere. — Scientia quidem *per se* sola non est effectiva, quia per se non agit, sed solum *mediante voluntate;* secus enim, etiam

1 S. Th., q. 14, a. 7.
» S. Th., I *Sent.,* dist. 36, q. 2, a. i, ad 2. — 3 S. Thom., q. 14, a. 8.

possibilia existèrent, cum a Deo cognoscantur, et Deus esset causa mali, quia malum cognoscit. Unde scientia, quæ est causa rerum, est scientia cum voluntate conjuncta, seu scientia approbationis.

Et ita explicari possunt Patrum dicta quæ videntur sibi opposita : quando loquuntur de scientia speculativa, absque cooperatione voluntatis, dicunt res non fieri, sed supponi a scientia divina; cum autem loquuntur de scientia practica, dirigente voluntatem, asserunt res non supponi, sed fieri a scientia divina.

475. Divinæ scientiæ consideratio *piis solatium,* et *impiis terrorem* affert : (a) novit enim Deus justorum vota, lacrymas, luctam adversus vitia, bona opera, omniaque, etiam potum aquæ frigidæ remunerabit; novit pariter quibus gratiis indigeamus : " Scit Pater vester quia his omnibus indigetis"[1]; et si speremus in eum, non confundemur; (b) sed videt pariter impiorum cogitationes etiam secretissimas, et secreta eorum delicta stricte puniet[2][3]

Corollarium : de Sapientia Dei λ

476. Sapientia significat vel notitiam rerum per *altissimas causas,* vel rerum ordinationem qua agens finem intendit bonum eumque assequitur per *media optima.* Sapientia igitur supponit *scientiam,* quæ perfecte cognoscit quid sit bonum, quid melius, et quæ sint optima ad finem assequendum media ; supponit *voluntatem,* quæ fertur in bonum, necnon *potentiam,* cum in rebus agendis versetur·. — Jamvero Deum sapienter omnia ordinavisse constat ex dictis de scientia ejus : ibi enim est perfecta sapientia ubi est intelligentia summa cum virtute operandi conjuncta; atqui hæc duo in Deo inveniuntur, ut jam probatum est, 470, 474.

(a) Idem declaratur in *sacris Litteris :* " Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! Omnia in *sapientia* fecisti... et *sapientia* ejus *non est numerus...* [4] O altitudo *sapientia* et scientiæ Dei ! " [5] Ibidem additur *eum esse omnis sapientiafontem :* " Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum

[1] *Matth.,* VI, 32.

[2] Cf. Knoll, l. c., c. III, a. 6, § 35, *nota;* Monsabré, Carême 1874, 7' *Conf er.*

[3] Cf. Ruiz, *de Scientia Dei,* disp. 18; Liebermann, *ofi. cit.,* c. III, a. 3, § I; Knoll, p. I, s. I, c. 3, a. 10; Scheeben, n. 469 sq.; L. Janssens, t. II, p. 530.

[4] *Ps.* CIII, 24; CXLVI, 5. — [5] *Pom.,* XI, 33.

illo fuit semper, et est ante ævum...1 Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter"2. Tandem fuse divinæ Sapientiæ natura,dotes et beneficia describuntur in *Prov.*, III, io sq., *Sapient.*, VII-VIII; *Eccli.*, XXIV.

(b) *Experientia* ostenditur, nempe ex consideratione Dei operum, in quibus pulcherrimus ordo et optima mediorum ad finem adaptatio cernitur, ut probatur ubi de existentia Supremi Rectoris : porro hæc omnia sapientem ordinatorem exhibent, sicut domus bene exstructa sapientem architectum demonstrat.

III. De speciebus et medio scientiæ divinæ.

477. Status quæstionis. Quamvis scientia Dei sit simplicissima ex parte *cognoscentis,* ex parte tamen *cogniti* divisionem admittit. Sic distingui solet scientia *speculativa,* quæ res contemplatur, et scientia *practica,* quæ, quatenus cum voluntate conjungitur, res operatur; iterum scientia est *approbationis,* quando adjunctum habet actum voluntatis *complacentia,* et *improbationis* seu *reprobationis,* quæ adjunctum habet actum *displicentia* seu aversionis. Sed in scholis potior est alia *divisio,* quæ desumitur ex *medio in quo* Deus perspicit res a se distinctas.

478. Medium *quo* Deus omnia cognoscit est essentia divina, quæ veluti *species intelligibilis* omnia perfecte repræsentat. Medium autem *in quo* est id cujus cognitio includit cognitionem alterius. Quo posito, theologi inquirunt *in quo* Deus omnia a se distincta cognoscat. Jam vero omnes fere theologi omnium scholarum hodie hæc admittunt : (a) Essentia divina est medium *in quo cognito* Deus cognoscit omnia a se distincta ; res enim creatæ veritatem non habent nisi participatam ex essentia divina, proindeque Deus, essentiam suam videndo, in eadem essentia videt omnes res creatas quæ suam essentiam aliquo modo participant : (b) Deus novit res *uti sunt m seipsis* eo sensu quod eas novit in propria natura; sed non in seipsis tanquam in medio

cognito x. Si enim Deus cognosceret res in seipsis tanquam in medio cognito, hæc cognitio a rebus ipsis emendicaretur, nec esset perfecta, cum res non cognoscerentur per suam altissimam causam, quæ est essentia divina, (c) Deus cognoscit *futura necessaria* et in essentia sua quatenus participabili, et in decreto suæ voluntatis quo hujusmodi futurorum causas necessarias praeparavit.

479. Sed difficultas est quoad *futura contingentia* aut *libera,* sive *absolute* sive *conditionate* libera : quæ ultima dicuntur *futuribilia* 13

i° Juxta *Thomistas,* duplex est tantum scientia, nempe scientia *simplicis intelligentiæ* et *visionis.*

(fP) Scientia *simplicis intelligentice,* qua Deus videt omnes essentias rerum *possibilium* ; eas videt in sua essentia, quæ est omnis entis creabilis exemplar; siquidem, cum Deus suam essentiam perfecte cognoscat, eam contemplatur non solum prout in se est, sed etiam prout participabilis est a creaturis : quod idem est ac videre possibilia.

(B) Scientia *visionis,* qua cognoscit omnia *existentia* sive sint *præsentia,* sive *prceterita,* sive *futura,* etiam *libera.* Quæ quidem videt non praecise in sua essentia, sed in libero *decreto* suæ voluntatis : seu, aliis verbis, ideo ab aeterno ea cognoscit, quia ipse ab aeterno voluit et determinavit ea esse futura. Etenim Deus videt omnia *in seipso* tanquam *in medio :* secus enim scientiam suam e rebus creatis emendicare cogeretur; atqui non potest ea cognoscere in sua essentia ut essentia est, quæ directe nonnisi possibilia repraesentat, neque in intellectu, qui ex se nihil aliud continet nisi .archetypa possibilium; ergo ea cognoscit in *voluntatis* suæ decretis absolutis vel conditionatis prout agitur de futuris vel de futuribilibus. Siquidem, secundum S. Thomam, Deus

1 **Id negarunt quidam Scotistæ ac Molinistæ; sed hodie hæc sententia communis est etiam inter Molinistas. Cfr. Card. Billot, th. XXI; Pesch, η. 231.**

3 **Thomistarum opinionem inter alios advocant : Alvarez, Bannez, Gonet, SalmanticenseSj ώ** *Scientia Dei,* **disp. VIPXII; Goudin,** *de Scientia Dei,* **q. IL ; Billuart,** *de Deo,* **disp. V-VI. Molinistarum autem systema propugnant : Molina,** *Concordia;* **Suarez,** *Opusculum de Scientia Dei;* **de Augustinis,** *de Deo uno,* **th. XIV-XIX ; Franzelin, th. XLV-XLVI; Pesch, n. 244 sq.; Card. Billot, th. XXII; Dr. Schwanun,** *Doctrina deprascientia divina,* **1930.**

cognoscit res in quantum est causa earum, ideoque cognoscit volitiones nostras in quantum est nobis causa volendi ». Est autem causa volendi quatenus ab æterno decernit se daturum præmotionem physicam ut voluntas nostra hoc præ alio eligat. Ita in sua essentia prout hæc decreta continet, videt creaturam huic prædeterminationi libere consensuram esse, ideoque ab æterno novit futura libera.

Si quæritur quomodo *peccatà* prævideantur, respondent ea cognosci *non* in decreto *approbativo,* sed in decreto *permissivo,* quatenus Deus ab æterno sapienter et juste decernit in tali vel tali casu denegare speciale auxilium, quo vitaretur peccatum.

Quoad *futura conditionata,* dicunt ea cognosci in decretis *subjective absolutis* et *objective conditionatis;* v. g., ab æterno Deus vult quod Tyrii convertantur, si ipsis Evangelium prædicetur ; decretum illud est absolutum subjective " volo Tyrios converti ", sed conditionatum ex parte objecti " posito quod ipsis Evangelium prædicetur ".

480. *Objiciunt* quidem Molinistæ his decretis destrui libertatem; si enim voluntas divinis decretis determinatur ad agendum, non videtur quomodo se determinet. — *Respondent* Thomistæ : quidquid Deus ab ætemo decernit, certo quidem et infallibiliter evenit, non autem necessario. Siquidem, ut ait S. *Thomas* [1] : " Cum igitur voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi". *S. Augustinus* rem illustrat exemplo Petri, pro cujus perseverantia in fide Christus oravit : quæ quidem oratio fuit efficax ita ut Petrus certo et infallibiliter in fide perseveraverit, sed efficacitas orationis libertatem ejus non destruxit sed potius perfecit : " Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis " [2]. Quod de efficacitate orationis Christi prædicatur, de decretis divinis pariter dici potest. Aliunde Deus movet quidem voluntatem ad agendum ut *pnma causa,* sed modo proportionate naturæ voluntatis quæ et ipsa simul sese movet libere, sed dependenter a Deo :

[1] S. Th., I, q. 19, a. 8.
[2] *De Correct. et grot.,* c. VIII, n. 17; *P. L.t* XLIX, 926.

non enim de essentia causæ secundæ, etiam liberæ, est ut agat independenter a prima câusa

481. 2° **Juxta** *Molinistas,* praeter scientiam simplicis intelligentiæ et visionis, alia admittenda est, quæ versatur circa futura conditionata seu *futuribilia,* et *media* vocatur, quia ejus objectum inter mere possibilia et absolute futura interjacet. Docent siquidem futura libera non in divinis decretis cognosci, sed modo ineffabili in *altissima inscrutabilique comprehensione cujusque liberi arbitrii.*

Quod diversimode explicatur, sed duplici præsertim modo, (a) Alii cum *Franzelin* et *Pesch* a, dicunt futuribilia cognosci in eorum *objectiva realitate,* seu in essentia divina quatenus hanc *objectivant realitatem repræsentat.* Sic arguunt : Deus ab æterno cognoscit in sua essentia quidquid est *determinate verum;* atqui *futura libera* sunt in seipsis *determinate vera;* hæc enim aliquando erunt vera, quando scilicet adimplebuntur; atqui quod est determinate verum in tempore, potest a Deo ab æterno videri, cum ejus ætemitas omnia tempora coæquet. Idem docent quoad *conditionate futura* seu *futuribilia :* Deus ea cognoscit in eorum veritate objectiva, ante ac independenter ab omni actuali decreto. Sic enim arguunt : ex duabus propositionibus contradictoriis, ex. g., " si Petrus in his adjunctis constitueretur, *peccaret* ", et "si Petrus constitueretur in istis adjunctis, *non peccaret",* una est determinate vera, et altera determinate falsa; atqui Deus cognoscere potest quidquid est determinate verum. — (b) Alii autem, ut *Card. Peed* et *Card. Billot* 3, dicunt Deum cognoscere *futuribilia in sua*

1 Nil dicimus de famosa distinctione sensus *compositi,* ac *divisi,* quæ communiter a Thomistis affertur, ad Molinistarum objectiones diluendas : principium S. Thomæ supra enuntiatum, aptius videtur ad difficultatem solvendam, in quantum solvi potest. Quod recte intellexit Bossuet *[Traité du Libre Arbitre,* c. 8) qui ait nos ideo liberos esse quia Deus vult nos esse liberos, et actiones nostras ideo liberas esse quia Deos facit easdem esse liberas. Hæc quidem mysterio plena sunt, sed, ut ait idem auctor (ibid., c. 4), prima logicæ regula est firmiter adhærendum esse veritatibus semel cognitis, quamvis difficile sit eas simul conciliare ; ac diligenter tenenda esse duo extrema catenæ, quamvis annuli, quibus connectuntur, minime videantur.

' Franzelin, th. XLVI ; Pesch, n. 235 sq.

3 **Card. Pecci,** *Sentenza di S. Tommaso circa Γinflusso di Dio suile azioni delle creature ragioncvoli et stilla scienza media;* **Card. Billot, th. XXII.**

essentia prout est causa exemplaris omnis veritatis. Divinus siquidem intellectus, divinam essentiam comprehendendo, videt omnes possibiles terminos participationis ipsius, et trans divinam essentiam intuetur omnes possibiles terminos participationis ejus. Atqui *futuribilia* sunt speciales termini hujus partipationis. Ergo Deus ea intuetur in essentia sua. — Quoad *futura libera,* Deus intuetur ea ut præsentia in decreto quo vult ea transferri in ordinem existentium secundum ipsissimam rationem contingentiæ et libertatis quæ in scientia conditionalium fuit praevisa.

482. *Respondent* autem *Thomistæ* futura hujusmodi non esse *determinatefutura* nisi *ex decretis divinis;* sumatur enim haec propositio : " Petrus in his adjunctis peccabit vel non "; in *se* non est certe vera, neque certe falsa, sed indeterminata, cum voluntas libera Petri sit essentialiter indifferens ad oppositos actus; proindeque non potest fieri determinata nisi ex divinis decretis.

Quod tamen *Molinista* negant; nam, ait *Pesch* (n. 278), " hoc non provenit ex decreto Dei, sed ante omne decretum Dei verum est, neque ullo decreto Dei mutari potest Nam cum sit impossibile, ut res in ullis circumstantiis existât indeterminate, sed necessario habeat determinatam existentiam, etiam Deus hoc non potest mutare, quia non potest impossibilia et contradictoria reddere possibilia ".

Thomistæ autem dicunt Molinistas satis evidenter egredi quaestionem. Quaestioni enim : in quo medio Deus cognoscit futura, respondent potius certo et necessario hæc futura esse determinata et a Deo cognosci : quod est respondere alteri quæstioni præviæ : num Deus ea cognoscat Non quæritur autem num Deus cognoscat futura, sive absoluta sive conditionata, sed in quo medio Deus hæc cognoscat. Cui quæstioni directius satisfit per argumentum sequens : futura libera Deus cognoscit vel in seipsis, vel in voluntate creata, vel in essentia divina, vel in decretis suis. Atqui non cognoscit futura in seipsis, cum Deus suam scientiam non emendicet ab extrinseco ; nec in voluntate creata, quæ est de se indifferens et indeterminata ; nec in sua essentia sola, quæ res tantum exhibet ut possibiles et abstrahendo ab existentia. Restat igitur ut Deus futura omnia cognoscat in decreto objective multiplici suæ voluntatis. Ergo superflua est scientia media.

483. Conclusio. In re tam difficili, tria tanquam certa retineantur : 1) Deus omnia cognoscit *in seipso,* non autem *in rebus ipsis* ut *in medio;* 2) Deus ita praevidet futura libera eisque concurrit ut *integra* servetur *libertas;* 3) Deus ita agit in liberis, ut sit causa prima et universalis totius entis.

Quibus admissis, quisque cum omni caritate in suo sensu abundet.

Art. IL De voluntate divina

484. Voluntatem esse in Deo ratio facile demonstrat; nam, ut recte ait S. *Thomas* 2, voluntas intellectum consequitur, proindeque in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis. Voluntas autem Dei nec ab essentia nec ab intellectu realiter distinguitur, sed " sicut *suum intelligere est suum esse,* ita et *suum esse est suum velle* ". Dicemus de *objecto, dotibus* et *divisionibus* divinæ voluntatis.

§ I. De objecto divinæ voluntatis.

485. Objectum voluntatis divinæ *bonum* esse, nemo est qui dubitet, cum Deus, utpote summum bonum, nonnisi bonum appetere valeat. Duplex autem objectum divinæ voluntatis distingui potest : *primarium* est ipsa divina essentia seu bonitas, *secundarium* sunt creaturæ. Voluntas enim perfectissima, prout est voluntas Dei, fertur in objectum pro modo et mensura boni quod ipsi inest ; atqui essentia divina est summum bonum, dum creaturæ non habent nisi bonum participatum ; ergo Deus vult se primario, creaturas autem secundario. Quod sic breviter contrahit S. *Thomas :* " Sic igitur vult et *se* et *alia :* sed *se* ut *finem, alia* vero ut *adfinem* " 3.

I. De objecto primario divinæ voluntatis.

486. Deus primario et necessario vult se ut finem. 1° Vult se *primario* ut *finem.* Voluntas enim fertur in bonum tanquam intellectu apprehensum ; atqui Deus suam bonitatem apprehendit ut *maximum* bonum, et quidem *in*

' Cf. S. Th., q. 19; *Coni. Gent.,* 1. I, c. 72; Suarez, 1. III, c. 6-8; Petavius, lib. V, c. 1-4; Billuart, disp. VII; de Augustinis, p. IV; Scheeben, n. 503 sq.; Ginoulhiac, 1. III, c. 8-9; I. IV, c. 1 sq,; A. Farges, p. 383 sq.; Card. Billot, th. XXV-XXIX; Pesch, η. 299 sq.; Monsabré, *op. cit., g* Confer.;* E. Hugon, p. 238-263.

se et *propter se* cum sit plenitudo entis ; ergo Deus vult se primario et tanquam finem ultimum.

2° Vult se *necessario.* Quaelibet enim potentia necessario fertur ad suum objectum adaequatum, proprium et specificativum, cum ab ipso totam suam rationem volendi desumat Atqui objectum adaequatum, proprium et specificativum divinae voluntatis est ipsa bonitas divina, quæ est summum bonum. Ergo Deus vult se necessario.

II. De objecto secundario divinae voluntatis.

487. i° *Deus vult cetera entia propter seipsum : eaque secundario et libere.*

(a) *Vult et amat alia a se,* omnia enim fecit et diligit : " Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti"[1]; "Quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt " [2].

(b) *Hæc autem vult propter seipsum,* seu propter gloriam suam. Deus enim vult omnia ordinate; atqui creaturæ, utpote participatio quædam divinæ bonitatis, eo ipso ad Deum ordinari debent; ergo Deus eas vult propter se, juxta illud [3] : " Quoniam *ex* ipso et *per* ipsum, et *in ipso* (i. e., *propter ipsum}* sunt omnia : ipsi gloria in sæcula ".

(c) *Hæc etiam vult libere.* Nam, ut arguit S. *Thomas* [4], ea quæ sunt ad finem non ex necessitate volumus nisi sint media necessaria ad finem ; atqui creaturæ non sunt nisi media ad finem, et aliunde *minime necessaria :* cum enim bonitas Dei sit perfecta, et nihil perfectionis Ei ex creaturis accrescat, creaturæ non sunt necessariæ. Ergo eas vult libere; quod infra evolvetur, n. 494.

Ô 488. 20 Relate ad *malum,* hæc statuenda sunt : *Deus nullum malum per se intendit ; malum physicum, seu defectus naturales et malum pcenæ vult per accidens; malum autem culpæ non intendit neque per se neque per accidens, sed solum permittit.* Certum est contra antiquos haereticos, sc. *Florinianos,* qui 11° sæculo docuerunt Deum creasse mala et auc-

[1] *Sap.,* XI, 25. — [2] *Apoc.,* IV, II. — [3] *Rom.,* xi, 36.
[4] *Sum. theol.,* i, q. 19, a. 3.

torem esse peccati, necnon nonnullos ex *Novatoribus,* qui tenuerunt Deum ab aeterno velle, decernere et prædestinare peccata, et in tempore creaturas directe vel indirecte ad peccatum impellere x.

489. (A) *Deus nullum malunt per se intendit;* nam voluntas appetere nequit nisi quod est bonum sive reale sive apparens : jamvero nihil mali Deo tanquam bonum apparere potest, cum nullus error in ejus intellectum cadere possit®

(B) *Deus malum physicum non intendit, nisi per accidens.* Illud enim per accidens appetitur quod quis vult non ratione sui, sed propter conjunctionem cum alio; atqui Deus non vult malum ratione sui, ut probatum est, sed, cum majus bonum, sive physicum sive morale, ex aliquo malo physico sequi possit, nil impedit quin malum physicum *per accidens* velit propter majus bonum; quo sensu dicitur : " Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum " Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt... Ignis» grando, fames et mors, omnia haec ad *vindictam* creata sunt" 3 ; his enim et similibus verbis declaratur mala physica, de quibus agitur, intenta fuisse non per se, sed in poenam peccati.

490. (C) *Deus malum morale non intendit, sed solum permittit.* De fide est ex *Trident.* * : " Si quis dixerit... mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium opus ejus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, A. S. "

(a) *Scriptura* enim diserte affirmat Deum odisse et abominari peccatum : " Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus... Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus " 5; Deum neminem ten-

l Ita Melanchthon, — qui postea tamen in *Augustana Confessione* hunc errorem repudiavit, — Zwinglius, Calvinus, etc. " Unum igitur atque idem facinus, puta adulterium aut homicidium, quantum Dei auctoris, motoris, impulsoris opus est, crimen non est, quantum autem hominis est, crimen ac scelus " (Zwinglius, *de Providentia,* c. VI, Opera, t. I, p. 365).

Ofc. Th., q. 19, a. 9.

XXXIX-is»

‹ T^TTsess. VI, c.~67 — s *Ps.* V, S, 7,__

tare : " Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentât"1; immo Deum non posse ad iniquitatem respicere, sed eam æternis suppliciis punire : " Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris"2... "An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?'^ Atqui hæc omnia omnem prorsus peccati volitionem excludunt.

491. *Objici* solet in divinis Litteris nonnulla esse loca, in quibus asseritur Deum homines excæcare, indurare, etc.; hæc autem omnia, inspecto contextu, significant Deum permittere homines excæcari et indurari. Sumamus, v. g., casum Pharaonis, de quo dicitur : " Induravitque Dominus cor Pharaonis " ♦, hoc de eo non prædicatur nisi postquam pluries declaratum est Pharaonem cor suum indurasse, v. g. : " Videns autem Pharao quod data esset requies, *ingravavit cor* suum, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus "5; ipse Pharao rem agnoscit, dicendo : " *Peccavi* etiam nunc; *Dominusjustus :* ego et populus meus, impii " 6; hinc merito auctor *Sapientia, i* infert Deum Ægyptios plagis afficiendo eorum correctionem et pænitentiam intendisse.

492.(b) Peccata autem fieri *permittente Deo,* constat ex eo quod nihil contingat nisi Deo volente vel permittente, qui est omnium Supremus Rector et Gubernator : " non fit aliquid,ait S. *Augustinus*,* nisi omnipotens fieri velit, vel *sinendo utfiat,* vel *ipsefadendo* ".

Si autem inquiratur *cur* Deus peccatum permittat, hæ rationes cum *Less™*)* afferri possunt : "*Prima* causa est generalis; quia decet gubernatorem universalem et supremum, ut, postquam res optime et sufficientissime ad omne bonum instruxit, sinat eas agi suis motibus : alioquin auxilium collatum non rideretur fuisse sufficiens, et bonum opus videretur coactum, nec esset tanta laude dignum. *Secundo,* ut creatura rationalis sese excitet ad bonum faciendum et malum vitandum, semper intenta et sollicita ne gratiæ desit... *Tertio,* quia ex malo novit elicere maxima bona Unde ait S. *Augustinus* 10 ; " Neque Deus omnipotens... rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid

'Jac., I, 13. — ' *&at>.,* I, 13. — 3 Z *Cor.,* VI, 9. — ‹ IX, I2.
5 *£xod.,* VIII, 15, 19. 32 etc. — s *£xod.,* IX, 27. — 7 *Sa/.,* XI, 5, 15.
8 *Enchiridion,* cap. XCV; A *L.,* XL, 276.
9 *Op. cit.,* I. XI, η. 27-
10 *Enchiridion.* cap. XI; *P. L.,* XL, 236.

esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo ". Praecipua vero bona quæ ex malo eliciuntur sunt ostensio *justitia* in puniendis peccatis, aut *misericordia* in eis condonandis, virtutum exercitium, v. g., *patientia* ex afflictionibus irrogatis ab impiis, *humilitatis* ex proprii lapsus consideratione, etc. Ergo Deus, ut sapiens provisor, peccata permittere potest.

§ II. De dotibus divinæ voluntatis.

493. Cum Deus sit actus purus, *ejus voluntas ab ejus essentia non differt, nec voluntas ab actu,* ita ut in Deo *unicus sit actus,* qui, sua infinita virtute, innumeris æquivalet distinctis actibus amoris vel odii, misericordiae vel justitiae etc. Notandum est tamen Deum non vere commoveri, irasci vel tristari, sed solum metaphorice, quatenus externos effectus producit quos in hominibus commotis vel iratis invenire est. Insuper voluntas divina necessario cum suo primario objecto, seu supremo bono, conjungitur, ita ut cum eo identificetur et ita eo plenissime fruatur.

z."

I. De libertate Dei.

Quibus praenotatis, duae sunt praecipuae dotes divinæ voluntatis : *libertas* in omnibus operibus ad extra; *sanctitas* sive *in se* sive *quoad alios. Libertas,* de qua agitur, est *immunitas a necessitate tum externa tum interna,* et definiri potest *potestas inter plura eligendi.* Deum non esse liberum in operationibus ad intra jam exposuimus ; sed in *operibus ad extra est vere liber,* licet, ex dictis, malum morale facere non possit, propter perfectionem suæ naturæ.

Hanc libertatem negarunt *Abalardus (*1116), *Wicleffus* (1375), *Calvinus* (1536), qui docuerunt Deum facere non posse nisi ea quæ fecit; *Leibnitzius* et *Optimista,* qui contenderunt Deum esse liberum eo sensu quod possit creare vel non, sed, posito quod creare velit, optimum elicere teneri ; præsertim vero *Rationalisiez,* ut *Cousin, Saisset,* qui tenent creationem esse necessariam '.

494. i° *Thesis :* Deus liber est in omnibus operibus ad extra, ideoque omnia liberrimo consilio condidit.

1 " Deus, si causa est, creare potest, et si causa absoluta est, non potest non creare". (Cousin, *Introd. à l'Hisl. de la Philos.,* leç. 5·)

De fide est, quoad creationem, ex *Vaticano :* " Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, A. S. "

(A) *Script,* (a) De operibus enim *naturalibus* dicitur : " Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, in terra, in mari et in omnibus abyssis x... Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cæli quam in habitatoribus terræ " a. (b) Idem de operibus *supematuralibus* declaratur : " Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult 3... Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ "4: porro quod operamur ex consilio voluntatis, non ex necessitate volumus, (c) Deum autem *non teneri optimum elicere* colligitur præsertim ex eo quod Incarnatio, quæ est Dei opus optimum, libere decreta fuerit, ut infra probabitur.

(B) *Ratione.* Voluntas divina, cum a sapientia dirigatur, necessario vult ea quæ necessaria sunt ad finem suum, libere vero ea quæ necessaria non sunt ad finem ; sic et nos non ex necessitate volumus ea quæ sunt ad finem, nisi sint et appareant talia sine quibus finis esse non possit; atqui nihil eorum quæ sunt extra Deum, ipsi necessarium est, cum nihil ei perfectionis ex eis accrescat : ergo Deus, licet *in se* sit ens *absolutum,* alia a se vult libere 5.

495. 2° Conciliatio libertatis cum immutabilitate Dei. Difficultas in eo sita est quod, ex una parte, quidquid in Deo reperitur, immutabile et necessarium sit, et ex altera, actus liber aliquo modo contingens esse debeat, cum possit esse vel non esse. Sed imprimis notandum est veritates jam certo demonstratas negari non posse eo quod conciliari non possint : hoc enim intellectus imbecillitatem arguit, non intrinsecam rerum impossibilitatem. His positis, duplex systema a theologis excogitatum est ad hanc difficultatem, quam fere insuperabilem esse fatemur, aliquo modo solvendam.

* A. CXXXIV, 6. — ' *Dan.,* IV, 32.
3 *I Cor.,* XII, II.
4 *Ethos.,* I, II. —5 S. Th., I, q. 19, a. 3.

496. (A) *Scotistæ,* cum paucis aliis, duplicem in Deo actum admittunt, unum quidem essentialem et necessarium, quo seipsum vult et amat, alterum vero accidentalem et liberum, quo creaturas vult et diligit. Quo pacto facile libertatem explicant; ad salvandam vero immutabilitatem, dicunt non quamlibet mutationem ab ea excludi, sed solum eam mutationem, qua Deus pejor vel melior foret; jamvero actus liber, quo creaturas creat vel diligit, eum nec pejorem nec meliorem facit. Illud tamen systema communius rejicitur, quia in Deo modos accidentales supponit, qui ejus perfectissimae simplicitati repugnant.

497. (B) *Thomistæ* autem, cum aliis theologis communiter, docent unicum esse actum in Deo, qui, propter suam infinitam perfectionem, potest esse simul necessarius et liber, necessarius, prout ad *esse divinum,* liber, prout *ad creaturas* terminatur. Sic optime salvatur Dei immutabilitas, cum unus in eo sit actus.

Libertas autem sic explicatur : in libero actu tria distinguere licet : subjectum volens, rem volitam, et relationem inter utrumque; jamvero, ut aliqua res libere producatur, sufficit ut relatio inter subjectum et rem volitam non sit necessaria. Atqui, quando Deus vult creaturas, licet actus volitionis, in Deo spectatus, sit necessarius, relatio quam habet ad rem volitam non est necessaria, cum res illa sit ex se contingens et possit existere vel non 1. Ergo.

Ceterum duplex est perfectio et quidem utraque omnino digna Deo : seipsum diligere et velle necessario, creata vero pro suo merito libere velle : unde nil impedit quin hæ duæ perfectiones in Deo coalescant in unam ac transcendentalem perfectionem, sicut unitas et Trinitas coalescunt in unum ac simplicissimum esse.

II. De Dei Sanctitate.

498. *Notio.* Sanctitas, quæ sæpe*justitia* in S. Litteris nuncupatur seu complexus omnium virtutum, est *immunitas ab omni malo morali,* et *conformitas cum suprema regula morum.* Cum autem Deus ipse sibi sit lex, sanctitas divina bene dicitur immutabilis voluntas perfectionibus suis conformiter agendi 2 Ex quo sequitur magnum discrimen

1 Ci. **Billuart ώ disp. VII, a. 4. — ' Cf. Liebermann,** 1. **c. a. 3, §** *2.*

esse inter sanctitatem Dei et sanctitatem creaturarum : (a) Deus est *sanctus per seipsum,* seu per essentiam suam, dum creaturæ sanctæ fiunt per infusionem supernaturalis qualitatis et perfectissima unione cum Deo omnis sanctitatis fonte, (b) Sanctitas Dei, utpote infinita, *nec crescere nec minuipotest,* dum creaturarum sanctitas potest crescere sine termino, minui, immo et amitti.

Duo expendemus : i° *ipsam* Dei *sanctitatem ;* 2° *perfectiones morales* quæ ex ea veluti fluunt

499. Γ De ipsa sanctitate : *Deus est infinite et essentialiter sanctus. Certum estx.*

(A) *Script,* (a) Deus *ab omni malo morali immunis* praedicatur : ‘‘Deus fidelis, et absque ulla iniquitate justus et rectus ” 2; “ Mundi sunt oculi tui, ne videas (cum approbatione) malum : et respicere ad iniquitatem non poteris ” 3. (b) Ut *Sanctus* ab Angelis adoratur : “ Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum ” 4. Nec dici potest in his et similibus textibus agi non de sanctitate propria, sed de majestate Dei; nam hanc sanctitatem imitari jubemur : “ Sancti estote, quia ego sanctus sum...” 5; ‘‘Et ipsi in omni conversatione sancti sitis : quoniam scriptum est : sancti eritis, quoniam ego sanctus sum ” 6.

(B) *Ratione.* Sanctitas consistit in conjunctione cum Bono per affectum, et conformitate voluntatis cum suprema regula morum; atqui Deus, cognitione, voluntate et essentia, cum Supremo Bono identificatur, et aliunde ejus voluntas deficere non potest a regula morum, quæ ab ipsa divina voluntate non distinguitur; ergo Deus est essentialiter sanctus.

500. (C) *Corollarium.* Infinitam Dei sanctitatem non solum admirari sed etiam, in quantum licet, imitari debemus : “ Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est ” 7. Quod fieri nequit nisi per separationem a creaturis et unionem cum Deo. “ Munditia enim necessaria est ad hoc quod mens Deo

* Lessius, op. dt, lib. VIII; Liebermann, 1. dt; Scheeben, n. 656 sq.; Ginoulhiac, op. dt,, p. 190 sq.; Pesch, n. 312.

’ *Deut.,* XXXII, 4- — 3 *Habac.,* I, 13. —♦ *ha.,* VI, 3.

s *Levit.,* XI, 44. — 4 z *Petr.,* I, 15. — 7 *Matt.,* V, 48.

applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus conjungitur, sicut quaelibet res ex immixtione pejoris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremæ rei possit conjungi; et ideo mens sine munditia Deo applicari non potest " [1].

501.20 De perfectionibus Dei moralibus. Sicut in homine sunt virtutes quæ ejus sanctitatem constituunt, ita in Deo considerari possunt *perfectiones morales* ex ejus sanctitate fluentes, quæ tamen *proprie virtutes non dicuntur,* quia in actu purissimo haberi nequeunt habitus.

Perfectiones morales Deo quidem insunt, sed eæ tantum, formaliter saltem, quæ nullam imperfectionem in suo conceptu involvunt. Quare : i) virtutes quædam nonnisi *metaphorice* Deo tribuuntur, propter *similitudinem effectus,* v. g., longanimitas, patientia, mansuetudo, quatenus nempe eo modo agit quo patientes et mansueti agere solent, malos punire retardando; 2) aliæ autem *ne metaphorice* quidem Deo applicantur, quales sunt temperantia, castitas, quia omnino deest similitudo effectus; 3) aliæ sunt tandem quæ imperfectionem *ex se* nullam important, ideoque Deo tribui possunt ac debent.

Inter quas sunt : *amor* seu *caritas,* quæ dicitur etiam *bonitas moralis;* et *justitia.*

502. (A) De Dei caritate seu amore aut misericordia : *Deus est caritas et creaturas diligit, præsertim vero homines, amore misericordi et efficaci. De fide est ex ordinario Ecclesiæ magisterio.*

Agitur de amore *voluntatis,* cum sensibilitas in Deo non sit; de amore quo *bonum nostrum vult* et *operatur,* cum in Deo velle et operari sit unum et idem. Unde, juxta S. *Thomam,* " amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus " 3.

Script, (a) Modo generali Deus dicitur *omnes creaturas diligere,* omnibusque *bona sua largiri :* " Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti... "3; " Oculi omnium

» *Sum. theol.,* I, q. 20, a. 2. — 3 *Sal.,* XI, 25.

in te sperant, Domine; et tu das escam illorum in tempore opportuno : aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione " x. (b) Exhibetur ut *pater* optimus, qui nos tanquam filios carissimos diligit, et dat superabundanter ea quibus indigemus : " Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?... Tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum... Numquid obli-visci potest mulier infantem suum ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui " 12. (c) Sæpe etiam vocatur *misericors, clemens, patiens, longanimis :* " Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis... Apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio... Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pænitentiam... .Miserator et misericors Dominus : longanimis et multum misericors, non in perpetuum irasce-tur, neque in æternum comminabitur ", etc. 3. (d) Idem constat ex parabola boni Pastoris amissam ovem quaerentis, et eamdem humeris suis impositam ad ovile reportantis; ex ratione agendi Christi cum *muliere Samaritana* 4, *Magda-lena* s, *Zachao 6,***latrone* in cruce 7, etc.; sed præsertim ex eo quod Deus " proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum " 8. (e) Unde a S. *Joanne* Deus definitur *caritas :* " Deus caritas est " 9.

Quæ quidem omnia sic optime contrahit *Contenson l0 :* " Deus autem bona sua non parce sed effusissime emittit : nam quod magnum est, *omnibus* beneficia donat; quod majus est, donat *indi-gnis;* quod maximum est, donat *ingratis;* quod maximo majus, donat *invitis;* quod divinum est, post dona sua dat seipsum, dat Filium suum, dat osculum cordis sui, qui est Spiritus Sanctus : ire ulterius non potest divina misericordia, nisi aliquid quæramus post omnia ".

l Ps. CX.MN, 15-16.

' *Deui.,* XXXII, 6; Λα., LXIII, 16; XLIX, 15.

3 *Ps.* CII, 13; *Exod.,* XXXIV, 6; A. CXXIX, 7; *Safi.,* IX, 24. Cf. Λ. CII et CXXV ex integro; Λα., LV, 7 ; XXXIII, *li-Joet,* II, 12-13; *Afatth.,* V, 45; *Luc.,* V, 31 ; *Rom.,* II, 4; *II Petr.,* III, 9; *II Cor.,* I, 3, etc.

^*Joan.,* IV. -.5 *Luc.,* VII, 37 sq. — 8 *Luc.,* XIX, 2 sq

l Luc., XXIII, 42. — 8 *Rom.,* VIII, 32. — » Z*Joan.,* IV, 16.

« *Theolog. mentis et cordis,* 1. I, dis. 3, c. 2, spec. 3.

503. *Ratione,* (a) Ex dictis η. 448, Deus est summum Bonum perfectum ; atqui bonum est sui diffusivum; ex eo enim quod res sit perfecta in se, naturaliter propendet ad communicationem sui, sicut vas perfecte plenum ad effusionem liquoris quem continet; ergo Deus naturaliter ad diffusionem suarum perfectionum tendit. Unde Deus nos amat non quia sumus boni, sed quia ipse bonus est, et nos amando in nobis bonitatem creat.

Nec tamen ex hoc colligi potest communicationem bonorum creaturis factam, esse necessariam; nam Deus seipsum totaliter Filio et Spiritui S. communicat, et hoc plene sufficit ad divinæ bonitatis exercitium, quin aliquid creaturis largiri teneatur.

(b) Quoad *misericordiam,* Deo tribuenda est secundum *effectum,* non autem secundum passionis affectum. Siquidem misericors ille dicitur qui de miseria alterius quasi sibi propria tristatur, et exinde ejus miseriam tollere nititur; atqui tristari de miseria alterius Deo non competit, quia est impassibilis, sed hanc miseriam tollere ei convenit, quia bonus est; ergo misericors est secundum effectum [x].

504. *Corollarium,* (a) Nihil est quod nos magis ad *amorem Dei* sollicitet quam consideratio divinæ bonitatis; quis enim, multiplicia Dei beneficia, ejusque paternum amorem recogitans, non exclamabit : sic nos amantem quis non redamabit? " Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos " [a].

(b) Ex eadem consideratione *fiducia* excitatur; quis enim fiducialiter ad Deum accedere formidabit, dum divinam liberalitatem et misericordiam recordatur, præsertim vero parabolam filii prodigi? Surgant igitur peccatores, et ad patrem suum redeant, et ille misericordia motus, obviam illis occurret, pacis osculum daturus : " Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno " [3].

(c) Bonitatem et misericordiam Dei *imitari* etiam oportet; non enim propius ad eum accedere possumus quam aliis benefaciendo et parcendo : " Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos "

[1] **S. Th., I, q. 21, a. 3.**

[2] *IJoan.,* **IV, 19.** — [3] *Hebr.,* **IV, 16.**

[x] *Mail.,* **V, 46; cf.** *IJoan.,* **IV, 7, 11, 16.**

505. (B) De Dei **justitia.** Justitia *stricte sumpta* est virtus qua *voluntas inclinatur ad reddendum unicuique suum.* Duplex est : *commutativa,* qua ad æqualitatem redditur alteri quod ei debetur pro accepto vel ablato, et *distributiva,* qua communitatis Rector officia et onera, praemia vel pœnas pro meritis rependit. Justitia *commutativa* proprie Deo non competit, quia beneficia Dei semper excedunt meritum creaturaex. Justitia autem *distributiva* vere in Deo est, sive *remuneratoria,* sive etiam *vindicativa,* ut asseritur contra *Hermesium,* qui contendit hanc in Deo existere non posse, quia, inquit, Deus amore nostri operatur quidquid operatur.

Thesis : Admittenda est in Deojustitia distributiva. Certum.

Scriptura (a) modo generali declarat Deum *justum* esse : " Justus es, Domine, et rectum judicium tuum... "2; "Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viae tuae misericordia, et veritas, et judicium " 3. (b) Affirmat modo speciali esse in Deo justitiam *remuneratoriam :* ""In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex " 4; immo et *vindicativam :* " Mihi vindicta : ego retribuam... " 5; Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium " 6. Quod luculenter *exemplis* confirmatur; nam Deus " angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos " 7 ; iterum protoparentes e paradiso ejecit, homines diluvio punivit, Sodomam delevit, etc.

Ratione, (a) Voluntas divina, utpote sanctissima, essentialiter bonum amat malumque odio prosequitur ; atqui in Deo amare est velle et facere bonum, odisse autem est subtrahere gratiam pcenamque infligere ; ergo Deus bonos remunerat malosque punit.

Nec tamen dicendum est vindictam in Deo aliquid inordinatum esse; nihil aliud est enim nisi illius justitiæ manifestatio, quæ in sapientibus communitatis rectoribus fulgere debet : nisi enim puniantur rei, leges impune violantur moxque tota societas perturbatur.

S. Th., I, q. 21, a. 1-2; Lessius, op. cit., lib. XIII ; Scheeben, n. 630 sq. ; Ginoulhiac, lib. IV, c. 4, p. 218 sq. ; Card. Billot, p. 259.

' A. CXVIII, 137. — 3 *Tob.,* III, 2. — « *II Tim.,* IV, 8.

5 *Rom.,* XII, 19. — 6 *Ps.* V, 7: cf. *Rom.* I. 18. — *i II Pelr.,* II, 4.

(b) Si autem quæritur *quomodo justitia cum misericordia concilietur,* respondetur cum *Angelico Doctore* " quod Deus misericorditer agit, *non* quidem *contra* justitiam suam faciendo, sed aliquid *supra* justitiam operando : sicut si alicui, cui debentur centum denarii, aliquis ducentos det de suo : talis non contra justitiam facit, sed liberaliter vel misericorditer operatur. Et similiter si aliquis offensam in se commissam remittat. Qui enim aliquid remittit, quodammodo donat illud " [x].

506. *Corollarium.* Divinæ justitiæ meditatio duos præsertim effectus nata est producere : (a) *timorem Dei,* de quo dictum est : " Initium sapientiæ timor Domini " [2] ; hoc enim salutari timore a peccato deterremur, et ad pænitentiam excitamur, ut constat ex conversione Ninivitarum [3], praedicatione Joannis Baptistæ [4], et ipsius Christi verbis : " Si pænitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis " [5] ; qui enim amore a peccato nondum cohibetur, timore saltem æternæ pœnæ compescitur : hinc exclamat *Psalmista** : " Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui [6] (b) *spem,* nam si in hac vita rebus adversis obruimur, 'certissime scimus passiones hujus temporis nihil aliud esse nisi totidem gradus quibus majorem gloriam consequi possumus, cum praemia laboribus et conatibus proportionentur ; hinc, cum Apostolo [7], " gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Spes autem non confundit ",

§ III. De divisionibus divinæ voluntatis.

Quamvis voluntas Dei sit *in se* una ac simplicissima, multipliciter tamen dividitur ratione *objectorum* ad quae fertur et *effectuum* quos operatur : quæ tamen divisiones fiunt tantum juxta nostrum concipiendi modum de Deo.

507; i° Primum dividitur in voluntatem *beneplaciti,* et voluntatem *signi : prior* est voluntas proprie dicta, quatenus in ipso Deo existit (dicitur *beneplaciti* quia Deus in ea sibi complacet) ; *posterior* est solum externum divinæ voluntatis signum, quod per metaphoram voluntas dicitur. Quinque hujusmodi signa vulgo numerantur :

Præcipit, et prohibet, permittit, consulit, implet,

[1] S. Th., I, q. XXI, a. 3, ad 2. — [3] *Ps.* CX, 10. — [3] *Jon.,* III, 4 sq.
[4] *Mail.,* III, 7. — [5] *Luc.,* XIII, 5. — [6] *Ps.* CXVIII, 120. — [7] *Rom., N,* 3-5.

quæ *sic explicat S.* Doctor[1] : "Vel potest dici quod *permissio* et *operatio (implet)* referantur ad præsens, permissio quidem ad malum, operatio vero ad bonum. Ad futurum vero *prohibitio* respectu mali; respectu boni necessarii *præceptum;* respectu vero superabundant!^ boni *consilium*

50S. 2° Voluntas beneplaciti dividitur in *antecedentem* et *consequentem;* sed hæc divisio non eodem modo declaratur a variis theologis : S

(A) Juxta *Thomistas,* voluntas dicitur *antecedens,* quatenus fertur in objectum secundum se consideratum, et praecisum a circumstantiis; *consequens,* quatenus fertur in objectum vestitum omnibus suis circumstantiis; aliquid enim potest *in se* esse bonum, malum autem ex circumstantiis. Ita, v. g., judex *antecedenter* vult omnem hominem vivere, sed *consequenter* vult homicidam occidi; similiter Deus considerans homines secundum se, vult *antecedenter* omnes salvari, considerans vero pluribus de causis expedire ut permittat aliquos voluntarie ac libere in peccato remanere, *consequenter* vult quosdam propter peccata sua damnari 2.

(B) Juxta *Molinistas,* voluntas *antecedens* illa est qua Deus, antecedenter ad absolutam prævisionem boni vel mali usus libertatis, aliquid decernit facere; voluntas *consequens* ea est qua Deus vult aliquid, consequenter ad absolutam prævisionem boni vel mali usus liberi arbitrii 3.

3° Voluntas Dei est *conditionata, si ejus* exsecutio ab aliqua conditione pendet ; *absoluta,* si a nulla pendet conditione. Iterum est *efficax,* quando intentum effectum obtinet, vel *inefficax,* quando intento frustratur effectu.

Quidquid Deus vult simpliciter, absolute et consequenter, semper *impletu^?) Q\xo* sensu in Scriptura legitur : " Omnis voluntas mea fiet... Quæcumque voluit fecit " 5. Sed quod Deus vult' *antecedenter* vel *conditionate, aliquando non fit;* v. g. : " Mundare te *volui,* et *non es mundata...* Quoties *volui* congregare filios tuos... et *noluisti* " 6.

• Cf. Billuart, *de Deo,* dis. VII, a. 5.

3 Cf. de Augustinis, *de Deo uno,* pars IV, a. 6 · Pesch n 321

4 Cf. S. Th., I, q. 19. a. 6.

s/ro., XLVI, 10; A. CXIII, 3.

6 *Ezech.,* XXIV, 13; *Malt.,* XXIII, 37.

Art. III. De Providentia et Praedestinatione.

Hæc duo conjungimus, cum prædestinatio nihil aliud sit nisi providentia circa salutem hominum.

§ I. De ipsa Providenti^])

509.i° Notio. Cprovidentïà) definiri'solet : *ordinatio rerum ad debitum finem, per media apta ad illum finem assequendum.* Unde Providentia est *formaliter* actus *intellectus,* cujus est *providere* seu excogitare finem et media ad illum proportionata, sed supponit etiam *actum voluntatis,* quia importat intentionem finis et mediorum. Executio autem in tempore rerum ab æterno prævisarum vocatur a S. Thoma *gubernatio divina* 1 : " Ad providentiæ curam duo pertinent : scilicet *ratio ordinis,* quæ dicitur providentia et dispositio, et *exsecutio ordinis,* quæ dicitur gubernatio. Quorum primum est æternum; secundum temporale".

Providentia est *naturalise* vel *supernaturalis* pro diversitate finis ad quem media ordinantur.

Existentiam divinæ providentiæ impugnarunt *Epicurei,* qui Deum finxerunt otiosum nec de creaturis curantem; *Stoici,* qui putarunt nobiliora, non autem minuta ipsi curæ esse; plerique *Déiste* seu Rationaliste, juxta quos mundus legibus naturalibus gubernatur sine ullo Dei interventu ; necnon *Pessimistes,* ut *Schopenhauer* et *Hartmann,* qui contendunt mundum, prout existit, esse absolute malum.

510. 20 *Thesis :* Deus omnium rerum etiam minimarum curam habet, easque ad ~Jëtêrnmâtûïn finem ulPig'it. — *Defide est ex Vaticano :* " Ecclesia credit et confitetur... Universa vero quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam quæ libera creaturarum actione futura sunt". (Supra, η. 386).

1 **Cf. S. Th., I, q. 22; Suarez,** 1. **III, c. io; Petavius,** 1. **VIII; Billuart, disp IX, a,** x ; **Lessius, l. XI; A. Farges, p. 499; Card. Billot, th. XXX; Pesch, η. 323 sq. ; — Monsabré,** *Carême 1876,* **19-23® Confér. ; E. Hugon, p. 264-273; A. Bouyssouie,** *Bataille d'idées sur les problèmes de Dieu, dte Bien, du Vrai,* **Paris, 1923, p. 32-129.**

' **S. Th., q. l9> l> ad 2-**

511. (A) *Prob. Script.* (a) Declaratur modo generali Deum *omnibus* rebus providere : " Attingit a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter"... " Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus " x. (b) Quæ quidem providentia etiam ad *minima* sese extendit : " Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? " 2 (c) Etiam quæ *fortuita* esse videntur, Deo tribuuntur : " *Sortes* mittuntur in sinum, sed *a Domino* temperantur " 3. (d) *Speciatim* tamen *hominibus* prospicit sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia : " Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis... Vestri enim capilli capitis omnes numerati sunt : nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos " 4. (e) Eadem providentia ad *actus liberos* se extendit, quibus homines ad finem suum tendunt : " Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus... " " Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini " 5. (f) *Eventus* etiam a Deo *diriguntur,* et quidem ita ut *ad electorum salutem* conferant : " Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum... Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt... Omnia enim propter vos, ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei " 6.

512. (B) *Ratione!.* Providentia enim duo importat : assignationem finis et mediorum ad finem assequendum ; atqui hæc duo supremo Numini conveniunt; cum enim omne agens agat propter finem, Deus, varia entia creando, finem determinatum habuit ad quem ea ordinavit; insuper qui vult finem, vult media, proindeque Deus media determinavit idonea ad illum finem attingendum, ita ut ipse creaturas ad suum finem dirigat, et de omnibus curam

x *Sap.,* VIII, i ; XII, 13. — 2 *Matt.,* X, 29; ci. VI, 25 sq.
3 *Pm.,* XVI, 33. — 4 *Matt.,* VI, 25 sq.; X, 29 sq.
5 *Pm.,* XVI, 9; XXI, I.

habeat ; ait enim 5. *Ambrosius l :* " Cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia". Ergo datur Providentia.

513. 3° De legibus divinæ Providentiae. Has leges nonnisi imperfecte cognoscimus; nam, ut ait S. *Thomas*,* "etsi ipsæ naturæ rerum essent nobis cognitæ, ordo tamen earum, secundum quod a divina providentia et ad invicem disponuntur et diriguntur in finem, tenuiter nobis notus esse posset, cum ad cognoscendam rationem divinæ Providentiæ non pertingamus ", Pauca tamen hac de re adnotabimus.

514. (A) *Finis* propter quem Deus omnia creavit, et ad quem omnia tendunt, duplex est : (a) finis *operis* est gloria Dei et bonum hominis, ita tamen ut hoc gloriae Dei subserviat, juxta illud : " *Gloria* in altissimis Deo, et in terra *pax* hominibus bonae voluntatis... Omnia propter semetipsum operatus est Dominus " 3. Hinc *Vaticanum* definivit : " Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S." (b) Finis autem *operantis,* quem sibi Deus constituit, fuit desiderium propriam bonitatem aliis communicandi, ad *manifestandam perfectionem suam,* non autem aliquid acquirendi 4 : " Hic solus verus Deus, ait *Vaticanum,* bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur ", etc.

Ex quo sequitur *gloriam Dei et veram hominis beatitudinem in idem incidere :* nam summa Dei gloria externa est ipsum a nobis perfecte cognosci, amari et gustari; summum autem bonum nostrum est Deum videre, amare et gustare.

515.(B) Deus *omnia prceordinat,* sive naturalia sive supernaturalia, *ad salutem animarum;* dicitur enim : " Omnia enim propter vos, ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei " 5. Revera opus Dei excellentissimum, ad quod cetera· referuntur, scii. Incarna-

, XVI, 38.

* *C. Gentiles,* L IV, c. I.

tionis mysterium, decretum fuit *propter nostram salutem.*__ Justi vero et electi ordinantur in *Christum,* cui omnia Deus subjecit. *(Hebr.* II, 8; Z *Cor.,* III, 22.)

516. (C) Providentia semper assequitur finem *generalem* et *primarium* ad quem omnia dirigit, scii., manifestationem attributorum Dei, nam in ipsa impiorum reprobatione elucet perfectio justitiae ; sed non semper assequitur finem *specialem* et *secundarium* singulis creaturis assignatum; nam Provisor generalis bonum universale bono privato praeferre debet; jamvero bonum universale requirere potest ut adsint leges generales, vi quarum bonum privatum laedatur, aut creaturæ rationales et liberae a suo fine deficere possint.

517. (D) Licet Providentia ad omnia, etiam infima, sese extendat, et omnibus immediate provideat quoad finis et mediorum *determinationem,* tamen, quoad *ordinem exsecutionis, " inferiora gubernat per superiora,* non propter defectum suæ virtutis, sed *propter abundantiam suce bonitatis,* ut *dignitatem causalitatis* etiam creaturis communicet" x.

Hinc *Dionysius* ait3 : " Lex quidem hæc est sacrosanctæ summæ deitatis, ut per prima, quæ sequuntur ad divinissimam ejus lucem adducantur". Ita mineralia subserviunt plantis, plantæ animalibus, animalia homini, homo autem Christo, ac tandem Christus Deo : "Omnia enim vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei " 3.

518. 40 *Solv. difftc.* Difficultates quæ contra Providentiam urgeri solent, desumuntur præsertim ex *malorum* existentia in ordine tum *physico* tum *morali;* et ex *incequali,* ή > immo *injusta,* ut aiunt, *bonorum distributione.* Hæc autem divinæ Providentiæ non obstant, ut ex sequentibus patebit.

519. (A) *Mala physica,* quatenus sunt defectus naturales, dolores, morbi, calamitates publicæ, etc., ideo dicuntur mala quia sunt contra ordinem particularem alicujus creaturæ, sed m se non sunt essentialiter mala. His positis, sic explicari possunt :

(a) Ordo physicusxjitpotg. inferior ordini morali, ei subjar cere debet, proindeque mala in ordine physico per accidens intendi possunt^Bummodo illa adZô^^w *universale* et glo-

* S. Th., I, q. 22, a. 3-
▮ *De Eccles, hierar.,* cap. V, § 4; *P. G.,* III, 503. — 3 *J Cor.,* III, 22

*Thomas*x, " si ~ômnia mala impedirentur, multa bona Heessent universo,. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium ; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum"; ergo Deus, utpote provisor universalis,permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere^ ne impediatur Tjonum totius. —» —

Fatemur equidem haud raro nobis ignotas esse rationes cur Deus hoc vel tale malum permiserit, quia nobis non satisinnotescit ordo universi ; sed, ut recte animadvertit S. *Thomas**, " ex hoc quod nescimus qua de causa divina Providentia singula dispenset non est tamen dubium, quin in omnibus bonis et malis, quæ eveniunt sive bonis sive malis, sit recta ratio, secundum quam divina Providentia omnia ordinat. Et quia eam ignoramus, videtur nobis quod inordinate et irrationabHitef eveniant; sicut si aliquis intraret officinam fabri, videretur ei quod instrumenta fabrilia essent inutiliter multiplicata, si nesciret rationem utendi unoquoque; quorum tamen multiplicatio ex causa rationabili apparet ei qui virtutem artis intuetur ". ,

(b) *Posito 3L\i\.ç.m(fri^inalipeccatg)c\y\\ss* existentia alibi probatur, jam facilius mala physica intelliguntur : i) sunt enim ' benda ; vel etiam actualium peccatorum pœna juste irrogata; 2) insuper occasionem præbent, *satisfactionis* et *meriti, vir-Jutisqut* colendae, cum homo hujus vitae miseriis perpetuo admoneatur se non habere hic *manentem civitatem*^ sed futuram inquirendam esse : sic igitur mala physica ad altioris ordinis bonum conducunt. — Merito itaque S. *Ephræm** : " Homo quidem ideo castigat ut inde ipse utilitatem percipiat Unusquisque enim servos suos castigat ut *ipsepossi deat eos;* bonus autem Deus castigat servos suos ut *ipsi se possideant*

* *De Veritate*^ q. 5, a. 5, ad 6. — Cf. S. August, *de Genesi contra Afanick.,* l. I, c. 16; *P. L.,* XXXIV, 184; Fénelon, *Exposition des principales virilis*

^*Hebr.,* XIII, 14. — Quantum prosit patientia in adversis ad virtutis exercitium, et quantum solàtium, inter dolores animi vel corporis, religio Christiana præbeat, optime inter alios declarant Mgr Gay, *Vie et Verius chréL** *De la Douleur chrétienne;* Bougaud, *Le Christianisme et les Temps présents,* voL L ch. XI sq.; H. Perreyve, *La Journée des Malades.*

4 *Carmina Nisib.,* ed. Bickell, 1866, p. 70.

520. , ea non vult, sed solum *negative permittit.* quatenus ea non impedit, licet eadem sua lege prohibeat. His positis, sic arguimus : in tantum malum morale divinæ obesset Providentiæ in quantum nulla adesset ratio illud permittendi aut nulla possibilitas ex eo bonum eliciendi; atqui neutrum dici potest; nam, (a) *adest ratio peccatum permittendi,* et quidem duplex, ex parte Dei et ex parte creaturæ : 1) ex parte *Dei.* nam independentia ipsius postulat ut creaturarum malitia impediri nequeat a creandis iis quæ possibilia et utilia sunt; atqui,si non posset peccatum permittere, creare nequiret illas creaturas quas peccaturas prævidet, et sic ejus potentiae exercitium creaturarum malitia limitaretur; quod ejus independentiæ repugnat ; 2) ex parte *creaturæ.* nam " sicut perfectio universitatis rerum requirit ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia ; ita perfectio universi requirit ut sint quædam quæ a bonitate deficere possint ; ad quod sequitur ea interdum deficere " x.

(b) Insuper ex peccati permissione *nonnulla bona oriuntur.* tum manifestatio quorumdam Dei attributorum, praesertim vero misericordiae et justitiae, tum exercitium specialium virtutum, v. g., paenitentiae, humilitatis, etc.

521. (C) *Incequalis* autem *bonorum distributio* in se nullomodo divinæ obstat Providentiæ, cum ad perfectionem universi requiratur ut creaturæ sint aliae aliis perfectiores.

Sed objicitur *pios homines scepissime calamitatibus affligi.* dum *impii honoribus et divitiis affluunt.*

!-gj*

(a) *Notandum* est : 1) non semper bona malis et mala bonis obvenire, sed plerumque bona et mala indiscriminatim utrisque evenire, juxta illud : " Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos "3. 2) Ceteroquin, etiam in rebus adversis, justi animi pace et aliis spiritualibus gaudiis fruuntur, dum mali sæpe, inter delicias, conscientiae remorsu variisque passionibus anguntur. Quod frequenter in Scriptura, præcipue in Psalmis, diserte exponitur, simulque asseritur malorum felicitatem esse

' *Mail.,* V. 45.

caducam : " Vidi impium superexaltatam, et elevatum sicut cedros Libani ; et transivi et ecce non erat"

(b) Sed, dato etiam justos multo plus affligi quam injustos, prae oculis habendum est *bona temporalia non essefinem hominis,* sed potius *media* ad finem attingendum, et præsentem vitam esse probationis, laboris et meriti stadium, non autem remunerationis. Hoc autem posito, optime intelligitur Dei agendi ratio erga bonos et malos; nam 1) nullus est impiorum qui aliquid boni non fecerit, et convenit ut Deus illis praemium temporale largiatur, cum ab aeterna beatitudine excludantur ; 2) vix ullus justorum est qui non peccaverit, et convenit eos temporaliter affligi, quo citius aeternam adipiscantur beatitudinem ; ait enim S. *Augustinus :* " Prosunt ista mala, quæ fideles pie perferunt, vel ad *emendanda peccata* vel ad exercendam *probandamque justitiam,* vel ad demonstrandam vitæ *hujus miseriam,* ut illa, ubi erit béatitude vera atque perpetua, et desideretur ardentius, et instantius inquiratur " 2.

(c) Aliunde si virtus illico temporalem mercedem acciperet, vitiumque puniretur, plerique non propter Dei amorem virtutisque honestatem, sed propter lucri spem vel poenarum metum sua implerent officia. Unde 5. *Augustinus* ait3 : "Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur... Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur, nec pios faceret talis servitus, sed potius cupidos et avaros

§ IL De Prædestinatione et Reprobationem.

522. *Status quœstionis.* i° Prædestinatio, juxta 5. *Au-*

J *Ps.* XXXVI, 35-36. Integer legatur psalmus, pariterque *Ps.* LXXII.

* *De Trinit.,* l. XIII, n. 20; *P. L.,* XLII, 1030.

* **S. Thom., I, q. 23; Cajetanus, ibi; Alvarez,** *De auxiliis,* **disp. XXXVII; Salmant, disp. IX; Billuart, disp. IX; E. Hugon, p. 294-318; Molina,** *Concordia,* **q. XXIII; Becanus, c. XIV, q. 4; Lessius,** *opusc. de Pradest. et Reprob.*\ **Suarez,** *de Auxiliis,* **1. III; Card. Billot, th. XXXI-XXXV;**

quibus certissime liberantur quicumque liberantur ” x.

(a) Prædestinatio duos complectitur actus, unum *intellectus,* quo Deus quorumdam salutem disponit et ordinat, alterum *voluntatis,* quo vult illos salvari. Differt proinde a Providentia generali : i) hæc enim respicit omnia, rationabilia et irrationabilia, dum illa respicit tantum creaturas rationales; 2) hæc respicit tantum ordinem in finem, non ejus consecutionem, dum illa respicit etiam consecutionem finis, et quidem supernaturalis, seu salutis æternæ. Unde prædestinatio est *specialissima* providentia in ordine salutis æternæ.

Definiri potest : *ordo in mente præconceptus quo Deus aliquos de/acto ad salutem transmittendos destinat.*

(b) Duplex distingui potest, alia *completa,* seu *adæquata,* quæ complectitur totam seriem gratiarum ad salutem perducentium, et salutem ipsam ; alia autem *incompleta,* seu *inadæquata,* quæ refertur vel ad gratias singulas, vel ad seriem gratiarum seorsim a gloria, vel ad gloriam seorsim spectatam; hinc dari potest prædestinatio ad *fidem, adjustificationem* seu *gratiam, ad gloriam.* Sæpe sæpius prædestinatio in S. Litteris vocatur *propositum, electio,* et prædestinati dicuntur *electi, dilecti, salvati* 2.

Prædestinationi opponitur *reprobatio,* quæ est *actus divinæ mentis quo Deus aliquos malos fore prævidet et permittit et ut tales ab ceterna gloria excludere decernit.*

523. 20 *Prædestinationem tum ad gratiam tum ad gloriam exsistere certum est,* immo *defide divina.*

(A) In *Script,* de priore dicitur : “ Qui prædestinavit nos in *adoptionem filiorum* per Jesum Christum” 3; porro prædestinare in adoptionem filiorum idem est ac prædestinare ad gratiam, cum sola gratia filii Dei adoptivi efficiamur; de posteriore legitur : “ Venite, benedicti Patris mei, possidete *paratum vobis regnum a constitutione mundi"* 4; de utraque :

L. Janssens, t. II, p. 399 53°; A. d’Alès, *Prédestination,* in *a. D.,* t IV, p- 195-270·

’ *De dono persev.,* c. 14, n. 35; *P. L.,* XLV, 1014, R., 20c

’ *Ephes.,* I, I-II ; *Rom.,* XI, 5-7; *I Théss.,* I, 4; *I Petr.,* I

3 *Ephes.,* I, 5- — 4 *Matt.,* XXV, 34.

" Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et *justificavit;* quos autem et justificavit, illos et *glorificavit"* Ibi lucide Apostolus describit varios actus quibus Deus ad nostram salutem cooperatur : *æternum* actum intellectus *(præscivii}* et voluntatis *(præordinavit* quo nos ad gloriam *eligit;* actum quo *in tempore declarat* et *intimat ad extra* aeternum prædestinationis decretum *(vocavit); primam exsecutionem* hujus decreti *in tempore,* nempe justificationem *(justificavit);* tandem *consummationem in æternitate (glorificavit)* 2.

(B) Deus nihil facit in tempore quod ab æterno non praeordinaverit; secus enim consilium mutaret; atqui in tempore quosdam prae aliis salvat; ergo hos ab æterno praeelegit Idem dic de reprobatione.

524. 30 De *extensione* vero et *causa* prædestinationis multae quæstiones agitantur. Ut autem certa ab incertis secernamus, 1) *catholicam doctrinam* contra *Protestantes* et *Jansenistas* vindicabimus, 2) praecipua *theologorum systemata* exponemus.

I. De voluntate salvifica Dei doctrina catholica.

525. i° *Errores.* (A) *Prædestinatiani,* quorum praecipui duces fuere *Lucidus* presbyter, in Cone. *Arelatensi* damnatus (474); et *Gothescalcus* in Cone. *Moguntino* (848) et *Carisiaco* (849) condemnatus, docuerunt Deum nolle omnes homines salvos fieri, nec Christum pro omnibus, sed pro solis prædestinatis, mortuum fuisse.

(B) *Calvinus* eumdem errorem renovavit; ait enim 3 : " *Non* enim pari conditione creantur homines, sed aliis vita ætema, aliis damnatio æterna praeordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem praedestinatum dicimus ". Ejus discipuli, *Calvinistes,* qui etiam *Presbyteriani* 4 dicuntur, in duas sectas divisi sunt : (a) *Antelapsarii,* seu

* *Rom.,* VIII, 29-30. — 2 Cf. *Ephes., I,* 3-14. — 3 *Instit.,* l. III, c. 21, n. 5-7.

4 Ita vocantur quia presbyteros, non autem episcopos agnoscunt *(De Ecclesia,* n. 565). Eorum historiam breviter delineat H. Lyon*, *A Study of the Sects,* p. 99 sq., fusius P. Schaff*, *Creeds of Christendom,* I, pp. 669-816. Cf. C. A. Briggs*, *American Presbyterianism;* R. E. Thompson*, *American Church History Series,* vol. VI, *Presbyterians;* Mestral*, *Tableau de l'Eglise chrit. au XIX** ... Lausanne. 1870, p. 620 sq.; Lichtenberger*, *Encycl.f* vol. X, p. 745.

Sufralapsarii, contenderunt, etiam *ante lapsum* primi hominis prævisum, aliquos ad vitam æternam, alios vero ad pœnas ætemas fuisse destinatos, ea sola ratione quia Deus vult tum misericordiam, tum justitiam suam manifestare, (b) *Postlapsarii* seu *Infralapsarii,* quibus præfata doctrina nimis dura visa fuit, docuerunt, nonnisi *post lapsum Adami* prævisum, Deum aliquos homines ad infernum destinasse : siquidem ex peccato Adami, omnes homines damnationis rei sunt; ex hac massa damnandorum, Deus gratuito quosdam ad æternam beatitudinem eligit, nullo habito respectu meritorum, hosque solos Christus redemit; reliquos vero, justa voluntate sua, decrevit in statu damnationis relinquere, quibus proinde nulla datur gratia vere sufficiens ad conversionem. Hæc ultima sententia, post Dordracenæ Synodi decreta (1618-1619), inter Calvinistas invaluit ». Nostris diebus nonnulli in America, duce *C. Briggs,* hanc doctrinam emollire, et confessionem fidei Westmonasteriensis emendare conati sunt : sed in Conventu generali emendationes rejects sunt.

(C) *Janseniani,* sic vocati a Cornelio *Jansenio,* episcopo Iprensi, suum errorem tot æquivocationibus dissimularunt, ut vix intelligi queat Docuerunt quidem Deum, *ante* prævisum lapsum, sincere *velle* salutem omnium, sed, *post* prævisum lapsum, *non velle vere ei sincere* nisi salutem electorum ; ipsis præparat gratias efficaces, aliis autem gratias quæ, licet in se sufficientes, non sufficiunt tamen ad concupiscentiam hic et nunc prementem superandam; hinc Christus mortuus est, ut solis electis gratias vere ac relative sufficientes mereretur, aliis vero talia auxilia quibuscum tentationes in præsenti statu urgentes de facto vincere non valent

526. 20 *Thesis :* Deus voluntate antecedenti vera et sincera vult, etiam post prævisum lapsum, salutem omnium hominum, nec ullum ad seterna supplicia destinat, ante prævisa demerita.

(a) *De fide* est Deum sincere velle salutem quorumdam saltem qui non sunt prædestinati, immo omnium fidelium; nam propositio Jansenii asserens " semi-pelagianum esse

' Decreta hujus Synodi legere est apud Schaff*, *Creeds of Christendom,* vol. **III,** p. 551 sq. Illa decreta confirmata sunt in Confessione *Westmonasteriensi* (1647), quæ hodie est veluti regula fidei Presbyterianorum ; integre refertur in op. citato *Creeds of Christendom,* vol. **III,** p. 600 sq.; de iis qui non praedestinantur, statuitur (c. **III,** η. 7) t " Reliquos humani generis Deo placuit, secundum consilium voluntatis suæ inscrutabile, in gloriam supremæ suæ in creaturas potestatis, præterire ; eosque ordinare ad ignominiam et iram pro peccatis suis, ad laudem justitiæ suæ gloriosæ

' Cf. Lafosse, *De Deo,* apud *Migne, Theol. Curs.,* L VII, p. 424-430.

dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse ", intellecta eo sensu quod *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit,* non solum ut impia et blasphema, sed etiam ut *hæretica* damnata est x; insuper omnes fideles Symbolum profiteri tenentur, in quo dicitur : " qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis ergo de fide est Christum pro omnibus saltem fidelibus mortuum esse, proindeque Deum sincere eorum velle salutem.

(b) *Certum est etfidei proximum* Deum sincere velle salutem *omnium adultorum,* etiam infidelium, ut constabit ex argumentis mox afferendis.

(c) *Communiter* tenetur Deum sincere velle etiam salutem infantium, qui moriuntur antequam baptizari possint.

527. (A) *Script,* (a) Deus, etiam post originale peccatum, 1) *omnes* creaturas diligit, omnium miseretur, etiam *peccatorum,* eis dat locum pænitentiæ, et ex se omnibus parcere paratus est : " Misereris omnium quia omnia potes; et dissimulas peccata hominum propter pæpitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti... Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas... Quoniam judicans das locum in peccatis pænitentiæ " 2; atqui Deus non omnes diligeret, nec omnium misereretur, si ab ætemo decrevisset quosdam quidem salvari, alios autem damnari, ante praevisa eorum demerita, sive propter beneplacitum suum, sive etiam propter Adæ peccatum ; ergo. 2) Declaratur Deum *nolle mortem impii, nolle aliquem perire,* sed e contra *vocare* non solum justos sed *peccatores :* " Vivo ego, dicit Dominus, *nolo mortem impii,* sed ut convertatur a via sua et vivat... 3 Non tardat Dominus promissionem suam... sed patienter agit propter vos, *nolens aliquos perire,* sed omnes ad pænitentiam reverti... Non enim veni vocare justos, sed peccatores " 4; porro ibi certo agitur de hominibus lapsis ac peccatoribus, et tamen Deus exhibetur ut sincere volens eorum salutem.

* D. B., n. 1096.
' Sa/., XI, 24-27; XII, 19. — 3 *Ezech.,* XXXIII, II.
‹ *II Petr.,* III, 9; *Matth.,* IX, 13.

528. (b) Speciatim quoad *fideles* : i) Ex Scriptura enim clare colligitur Deum sincere velle salutem aliorum quam praedestinatorum; Christus siquidem declarat voluntatem Dei esse, ut omnes, quos Pater ipsi dederat, salvarentur : " Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die " [1]. Atqui non omnes de facto praedestinati erant; nam Judas unus ex illis erat et tamen periit, juxta illud : " Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis " [2]. 2) Confirmatur his Domini verbis : " Sic enim Dens dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam " [3]. Vox enim *mundum* ad solos praedestinatos restringi non potest, sed extenditur saltem ad omnes credentes, quos proinde Deus vult salvari. 3) Praeterea ait S. *Paulus* [4] : " Speramus in Deum vivum qui est salvator *omnium,* maxime *fidelium* "; atqui non omnes fideles sunt prædestinati, sed quidam ex eis damnari possunt, juxta illud : " Noli cibo tuo illum *perdere* pro quo Christus mortuus est" [5]; ergo Deus vult *speciatim* fideles salvare.

529. (c) Quoad *infideles,* demonstratur præsertim ex textu S. *Pauli* [6] : " Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes... pro *omnibus* hominibus, pro *regibus,* et omnibus qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui *omnes* homines vult *salvos fieri,* et ad *agnitionem veritatis* venire ". In hoc textu S. Paulus obsecrat ut fiant orationes pro *omnibus,* quia Christus dedit semetipsum *redemptionem* pro *omnibus,* proindeque agitur etiam de homine *lapso;* atqui, ex contextu apparet vocem illam *omnibus* complecti etiam *infideles,* quia in versiculo secundo agitur de *regibus* et *magistratibus* hujus temporis, qui adhuc infideles erant Aliunde agitur (vers. 4) de illis qui ad *agnitionem veritatis* venire indigent, et proinde de infidelibus. Tandem ratio cur Deus velit omnes salvos fieri hæc est : " Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus

[1] *Joan.,* VI, 39-40. — [2] *Joan.,* XVII, 12. — [3] *Joan.,* III, 16.
[4] *I Tim.,* IV, 10. — [5] *Rom.,* XIV, 15. — [6] *I Tim.,* II, 1-6.

Jesus, qui dedit *redemptionem* semetipsum pro *omnibus*" (5-6); atqui Deus est Deus omnium, Christus pariter omnium est mediator, et dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; ergo nullus excluditur a voluntate Dei salvifica l.

530.(d) Christi *sententia in ultimo judicio* manifeste supponit reprobos nonnisi *propter opera sua mala* damnandos esse, non autem ex beneplacito Dei, vel originali peccato; sic enim Christus eos alloquetur 2* Discedite a me maledicti in ignem aeternum... esurivi enim et non dedistis mihi manducare" etc.; atqui unica causa hic assignata pro eorum reprobatione est neglectus bonorum operum; ergo non reprobantur nisi post praevisum hujusmodi neglectum.

531.(B) *Tradit,* (a) C. *Arausicanum 11* (529), sollemniter a Bonifacio II confirmatum, hæc habet Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus" 3. Item in Epistola Cone. *Arelatensis,* circa a. 475 habiti, legitur: "Anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus est, nec omnes homines salvos esse velit",

(b) Inter *Patres* 4, nullus Graecorum thesim nostram negavit, fatentibus adversariis, imo nullus Latinorum usque ad Augustini ætatem,

l Contra hanc interpretationem opponitur S. Augustini auctoritas, apud quem triplex alia reperitur verborum S. Pauli interpretatio: (a) omnes qui salvantur, nonnisi per Deum salvantur; (b) Deus ex omni hominum genere aliquos vult salvari; (c) Deus facit ut velimus omnes homines salvari. — i) Notamus imprimis hanc ultimam interpretationem nostræ non adversari; nam Deus, per gratiam suam, desiderium omnes salvandi causare nequit, nisi tale desiderium suæ voluntati sit consentaneum. 2) Animadvertendum insuper S. Doctorem alibi (v. g. ὡ *Spiritu et lit.,* c. 33, n. 58; *P. L.,* XLIV, 258; *de Catech. rudibus,* n. 52; P. Z., XL, 345; *contra Julian.,* l. VI, 8, 14, 24; *P. L.,* XLIV, 825, 830, 836, etc.) aperte docere Deum velle omnium salutem, ita ut S. Prosper fidelis ejus discipulus, tanquam ineptam calumniam repellat accusationem, a nonnullis contra Augustinum latam, eum sc. contrariam opinionem tenuisse *(Object. vine.,* c. 1,2). Igitur quando S. Doctor negare videtur Deum velle omnes homines salvari, verba S. Doctoris intelligenda sunt *non* de voluntate Dei *antecedente,* quæ ad omnes sese extendit, sed de voluntate *consequente,* quæ ad eos limitatur qui usque ad finem sunt perseveraturi. Cf. Hurter, *de Deo,* n. 118-121; Faure, *in Enchirid. S. August., c.* 103.

a *Matt., XXV,* 41 sq. — * D. B., n. 200.

4 Patrum testimonia collecta habes apud Petavium, *de Deo,* l. X, c. 4*5» *de Incam.* l. XIII, c. 1-14; Passaglia, *De partitione divina voluntatis,*

sed e contra omnes, data opportunitate, diserte affirmant Deum, propter bonitatem suam, omnium salutem sincere velle, nec aliam esse rationem cur aliquot damnentur, nisi eorum peccata nunquam expiata. Cum vero Protestantes et Janseniani conclament a 5. *Augustino* negari Deum velle omnium salutem, pauca ex ejus scriptis excerpimus : in libro de *Catechiz. rudibus,* quem scripsit (a. 400), jam a quinque annis Episcopus, postquam errorem Semipelagianorum exuerat, dicit : " A quo interitu, hoc est poenis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, *si sibi ipsi non sint inimici,* et *non resistant misericordia* Creatoris sui, misit Unigenitum suum " Nec minus aperte in opere *de Spiritu et Littera* (a. 412) loquitur : " Vult autem Deus *omnes homines salvosfieri eX* in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicantur " Similia invenire est in aliis operibus S. Doctoris. Si quæ igitur sint dubia loca, explicanda sunt per clariora; nec mirum est aliquando S. Augustinum nostram thesim negare videri; nam contra Pelagianos scripsit, qui prædestinationem negabant, docentes Deum non magis velle salutem prædestinatorum quam reproborum; quos errores confutando, ipse verba adhibet quæ ex contextu et aliis locis emolliri debent 3. "H

532. (C) *Rat. theol.* (a) Id sane rejiciendum est quod divinis adversatur attributis; atqui aperte constat *sufiralapsariorum* systema manifeste divinis attributis adversari : 1) *bonitati,* cum crudele sit aliquot creaturas, ante ullum peccatum prævisum, suppliciis aeternis devovere; nec dicatur hoc fieri ad justitiam Dei manifestandam; nam ab ætemodecernere alicujus reprobationem, ante praevisa ejus demerita, est injustitiæ actus, cum nemo nisi reus positive puniri possit; 2) *sapientia,* nam sapiens legislator non intendit pœnas, nisi quatenus necessariæ sunt ad peccatum puniendum ; 3) *sanctitati,* quia Deus, quosdam ad infernum prædestinando, eosdem ad peccatum prædestinare debet, sicque fit auctor peccati; 4) tandem *justitia,* licet enim Deum non teneatur creaturas ad finem supematuralem destinare, si de facto eis finem supernaturalem assignet, sibimetipsi debet ut media supernaturalia ad hunc finem attingendum necessaria concedat.

Romx, 1851 ; brevius apud Franzelin, (th. L-LII), de Augustinis, *de Deo,* th. XXXVII-XXXVIII. K

3 Ad fusiorem mentis S. Augustini expositionem vide Petav lib X c 7 sq Franzelin, th. 51-52; Tixeront, *Hiet. dee Dogmee,* t. II, p. 498-511.' '

533. (b) Similia argumenta etiam contra *infralapsariorum* systema militant. Nam Deus, etiam post lapsum, in S. *Litteris* exhibetur ut bonus et providens Pater, qui sapienter de omnibus hominibus curat, omnes diligit, et nonnisi reluctanter eos, propter gravia ipsorum peccata, poenis afficit. Atqui, si post originale peccatum, Deus nonnisi aliquos ex iniquitatis massa salvare intendat, 1) ubi est ejus *sapientia?* nam, ex una parte homines ad finem supernaturalem destinati manent, et ex altera propter culpam non personalem sed capitis sui, incapaces sunt hunc finem assequendi. 2) Ubi ejus *bonitas?* cum enim facillime omnibus media ad salutem necessaria præparare valeat, mediumque redemptionis de facto instituerit quod ex se omnibus prodesse potest, positive et directe multos ab hoc medio prohibet. 3) Ubi ejus *amor?* qui enim amat, benefacere vult; jamvero Deus, in hac hypothesi, quosdam quidem diligit, eos eligendo, alios vero odio habet, et quidem absque ulla eorum culpa, cum eos, ante praevisum personalem lapsum, aeternis horrendisque devoveat suppliciis! Cum Psalmista igitur concludamus : "Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus" x.

534. 30 *Solv. diffic.* (A) Calvininistæ et Janseniani argumentantur præsertim ex *Ep. ad Rom.* 2, ubi S. *Paulus* explicans cur multi Judæi in Christum credere renuerint, dum multi Gentiles in Ecclesiam sunt ingressuri, hæc inter alia habet : "Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali... non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui... igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei... ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat... An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?"

535. *Resp.* (a) Notandum est imprimis a S. Paulo alibi clare et diserte doceri, Deum velle omnes homines salvari, Christum pro omnibus mortuum esse, etiam pro eis qui perire possunt, ut ex thesi patet; prohibent igitur hermeneuticæ leges ne caput IX ita exponatur ut præfatæ doctrinæ adver-

x *Ps.* CII, 13-14. — ' IX, 6'33.

setur, præsertim si alia ac magis obvia interpretatio ex ipso contextu colligi possit; atqui res ita se habet. Nam ex contextu, et ex toto Epistolae decursu, liquet S. Paulum sermonem habere non de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione *ad gratiam,* et præsertim de *vocatione ad fidem;* totamque ejus argumentationem eo tendere, ut demonstretur *vocationem adfidem* esse omnino *gratuitam :* quod omnes catholici libenter concedunt. Præterea, in hoc capite nono, explicat quomodo Israel a fide defecerit culpa sua, quia scilicet opera legalia, non fidem sectatus est (30-33), et nonnulla exempla adducit ad ostendendum Deum injuste non egisse, Israelitas, operibus legalibus nimis confidentes, rejiciendo, Gentilesque ad fidem vocando. Porro hæc omnia catholicæ thesi non adversantur, cum Deus fidei donum tum Israelites tum Gentilibus obtulerit, et priores nonnisi propria culpa illud amiserint

536. (b) Loca difficiliora exponamus [1] : " Jacob dilexi, Esau autem odio habui" (13); sensus est : Jacob ejusque progeniem dilexi, bonisque terrenis plurimis donavi, Esau autem ejusque sobolem odio habui, i. e., minus dilexi, minoribusque beneficiis prosecutus sum, sicque explicatur quod v. 12 dictum fuerat : "quia major serviet minori " Quæ quidem comparatio ostendit Deum, etiam in ordine supernatural], non omnes homines aequaliter diligere, sed aliis plures, aliis pauciores gratias conferre; sed ex hoc colligi nequit quosdam omni gratia, omnibus mediis ad salutem privari.

(c) Additur : " Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei" (16); cujus sensus est Dei gratiam non pendere ab operibus naturalibus vel legalibus, sed a misericordia Dei, cum gratuito concedatur [3], et quidem omnibus, ut ex thesi probatur. Postea rem

[1] Cf. Corluy, *op. cit.,* 11, p. 126 sq.

[3] Quod hodie admittunt optimi Protestantium exegetæ : " Absolute Jacob electio (amor erga Jacob, odium in Esau), est simplex unius pre altero electio ut is stirpis electæ caput evaderet et majoribus donaretur privilegiis : quod minime ad salutem aeternam se refert. In textu originali, cui Sanctus Paulus alludit, Esau est synonymon Edon (Gore*, *Studia biblica,* III, p. 44, in *Tht Internat. Critical Commentary,* Romans, by Sanday *, London, 1895, p. 245.)

[3] Quod panter hodiemi Protestantes concedunt ; legitur enim in opere mox citato, p. 254 : "Sanctus Paulus principii inster docet Dei gratiam necessario nonnisi ab ejus voluntate ortum habere ; non quatenus Deus dona sua inconsulto distribuat, sed quatenus in hac distributione quæ sine ullo nostro merito fit, ab

confirmât exemplo Pharaonis, concluditque : " cujus vult miseretur, et quem vult indurat " (18), id est, indurari permittit, ulteriorem et abundantiorem gratiam denegando.

(d) Quoad comparationem *figuli* (21), ita explicari potest : sicut figulus nil debet massæ luti et de ea pro libitu disponit, ita Deus massæ generis humani nullam supernaturalem gratiam debet; ergo, sine ulla injustitia, plus uni minusque alteri concedere potest.

Nil igitur ex his comparationibus contra thesim nostram concludi potest, et aliunde nonnulla in hoc et sequenti capite scribit Apostolus quæ eam potius confirmant, v. g. : " Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus... Non enim est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus *omnium,* dives in *omnes* qui invocant illum... tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem " x. Porro hæc omnia probant Deum omnibus esse bonum et misericordem, etiam illis qui ejus gratiæ resistunt.

537. (B) Objiciuntur etiam verba Christi 2 : " Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo"; sed immerito, nam 1) ex eo quod Dominus *hac vice* non oraverit pro mundo, minime sequitur eum *nunquam pro illo* orasse; 2) postea addit : " non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me... ut credat *mundus* quia tu me misisti" (20); ex quo colligitur eum/ζτ? *mundo* orasse, non quatenus malus est, sed *ut fidem acciperet,* quæ ad salutem ducit.

(C) Opponuntur pariter hæc verba Domini : " Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro *multis* effundetur in remissionem peccatorum "3; ergo non pro omnibus. *Resp.* Vox *multi* aliquando signifiait magnam multitudinem, quandoque significat omnes, ut colligitur ex *Ep. ad Rom.* 4, ubi S. Paulus de peccato originali et redemptione disserens, dicit : " Sicut per unius delictum in *omnes* homines in condemnationem... sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt *multi" ;* ex quo liquet " *multi* et *omnes"* eodem sensu sumi; revera græca vox ol -πολλοί (cum articulo) significat omnes. Aliunde sensus hujus vocabuli ex parallelis locis determinari debet; jamvero in multis aliis locis dicitur Christum pro omnibus sanguinem suum fudisse, ut constat ex thesi.

Difficultates desumptas ex modo quo salvari possunt infideles vel infantes, qui moriuntur antequam baptizari possint, in *Tr. de Gratia* et *de Baptismo* solventur.

alia ratione seu motivo ipse non movetur, quam a sua voluntate cui jus est eos qui ad se pertinent pro lubitu habendi ". *(Hammond.)*

' *Rom.,* IX, 24; X, 12, 21.

2 *Joan.,* XVII, 9. — 3 *Matth.,* XXVI, 28. — 4 *Rom.,* V, 18-19.

II. Theologorum de prædestinatione Systemata.

538. *Status quæstionis.* Sciendum est imprimis in quibus omnes catholici theologi conveniant : (a) Praedestinatio *adprimam gratiam* fit ante prævisionem omnis meriti, cum hæc gratia nullo modo mereri possit, (b) Prædestinatio *ad ultimam gratiam* seu ad perseverantiam finalem, non cadit sub merito de condigno; controvertitur autem num cadat sub merito de congruo, (c) Prædestinatio *adaquate sumpta,* quatenus totam gratiarum seriem complectitur a prima gratia usque ad gloriam, est *gratuita,* ideoque fit ante prævisa merita; nam ordo supernaturalis vires et exigentias naturæ superat, proindeque destinatio ad illum est omnino indebita.

Quaestio igitur est de prædestinatione *ad gloriam prcecisive* sumptam. Hic etiam omnes conveniunt gloriam in *ordine exsecutionis,* propter merita conferri; sed quaestio est utrum Deus ab æterno decreverit gloriam electis dare propter eorumdem prævisa merita supematuralia, an independenter ab illis.

Duo præcipua hac de re systemata excogitata fuerunt.

Alii, cum *Molinistis,* fundant prædestinationem super *scientiam mediam* (n. 481); alii, cum *Thomistis,* super decreta prædeterminantia (n. 479).

539. i° **Molinistæ** triplici modo suam declarant sententiam :[1]

(a) Quidam/cum *Suarez,* ponunt prædestinationem *ante omnem præscientiam* futurorum et futuribilium : Deus siquidem ante omnia absolute vult quosdam salvare et alios ad gloriam non eligere; consequenter invenit in thesauris suæ *scientia medice* auxilia efficacia pro electis, inefficacia pro non electis. — Dicuntur *congruistce,* quia hæc auxilia efficacia, vocantur *gratia congrua.*

(b) Alii, duce *Vasquez,* extremum tenentes oppositum, dicunt prædestinationem et reprobationem consequi præscientiam meritorum aut demeritorum absolute futurorum; etsi igitur prædestinatio *ad gratiam* sit gratuita, prædestinatio *ad gloriam prcecisive* spectatam minime gratuita est.

(c) Alii tandem, viam *mediam* tenentes, asserunt prælucere decreto electionis præscientiam omnium futuribilium, et inter

[1] Cfr. Molina, *op. cil.,* q. 23, a. 4-5, disp. I; Suarez, *De auxiliis,* l. III; Bcllarnun., *de Grat, et lib. arbitrio,* l. II, cc. 10, 15, Becanus, *De Deo,* c. 14, q. 4 ; Lessius, *Opusc. de Pradestinatione et Reprob.;* Franzelin, th. 59-60 ; de Augustinis, th. 41 sq. ; Pesch, n. 353 sq. Hurter, 128 sq. ; Card Billot, th. XXXI-XXXV.

infinitos ordines qui sibi in sua scientia præsentantur, Deum velle ordinem illum in quo hi homines potiusquam illi præsciuntur salvandi, rationem vero hujus præelectionis non esse aliam nisi gratuitum amorem quo liberrime divina bonitas aliquos præ aliis prosequitur. Contra Vasquez igitur statuunt gratuitam quorumdam electionem ad gloriam, — et contra Suarez non admittunt aliorum antecedentem negativam reprobationem.

Suam sententiam propugnant *Scriptura* et *ratione theologica.*

540. (A) *Scriptura* : — (a) Christus in ultimo judicio electis dicet : "Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc. Atqui hoc judicium nuda fictio esset, si Deus *independenter a meritis electos destinasset ad gloriam.* — Nec juvat dicere hic agi tantum de ordine exsecutionis; nam præmium justorum in merita refunditur non minus ac poena in malorum demerita; atqui nemo dicet poenam ante prævisa demerita destinatam fuisse reprobis; ergo.

(b) Crescit vis argumenti si præfata testimonia conferuntur cum iis quibus vita æterna exhibetur ut *corona,* quæ non datur absque legitimo certamine, ut *merces,* quæ redditur meritis sicut ignis redditur ut justa poena demeritis2; porro malis non destinatur poena ante prævisa peccata; ergo nec merces ante prævisa merita.

(c) *Gloria* exhibetur ut *pendens a nobis,* adeo ut ab ea excidere possimus; ideo etiam monemur ut magna diligentia utamur ne forte reprobi efficiamur : " Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis "3; atqui talis diligentia esset inutilis, si gloria ante prævisa merita infallibiliter esset destinata; ergo non datur nisi post prævisa merita.

(d) Huc accedunt verba S. *Pauli*4 : "Quos præscivit et prædestinavit.in quæ ita scribit 5. *Ambrosius* $: " Non ante prædestinavit quam præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit ".

541. (B) *Rat. theol.* (a) De fide est voluntatem Dei salvificam ad solos salvandos non restringi; atqui, supposita reprobatione negativa quam *Thomistce* admittunt, hæc voluntas ad solos salvandos se revera extenderet; nam Deus non potest dici sincere velle salutem eorum quibus ex industria et prædefinito consilio disponit media *inefficacia, précise* quia et in quantum inefficacia; talis *negativa* reprobatio esset æquivalenter, pro adultis,

l *Malt.,* XXV, 34 sq.
' ***I*** *Cor.,* IX, 24; ***II*** *Tim.,* IV, 8 ; Z *Cor.,* III, 8; *Rom.,* II, 5.
3 ***II*** *Petr.,* I, 10. — 4 *Rom.,* VIII, 29.
s *De Fide,* 1. 5, c. 6, n. 83 ; *P. L.,* XVI, 665.

antecedens quædam ad pcenam deputatio : quod sane omnino repugnat.

(b) Si sententia opposita admittatur, *exhortationes vim suam amittunt,* torpor et incuria salutis inducitur : posset enim quis sic arguere : vel sum prædestinatus, vel non : si prius, quidquid fecero, salvabor; si posterius, quidquid fecero, non salvabor ; quare vivam pro arbitrio.

542. 20 Thomistæ, Augustiniani, Salmanticenses, Scotistæ non pauci, etc., tenent *pradestinationem ad gloriam* esse omnino *gratuitam,* ideoque *fieri ante pravisa merita, licet reprobatio positiva provisionem meritorum sequatur '. Thomistce* sic decreta divina ordinare solent : (a) Deus voluntate antecedenti, vera et sincera, omnes creaturas rationales ad ætemam felicitatem ordinat, etiam supposito originali peccato, eisque gratias vere sufficientes præparat; (b) quasdam vero præ aliis eligit, quas decreto absoluto et efficaci vult salvare; (c) et eisdem gratias præparat *ex se* efficaces, quibus infallibiliter, etsi libere, bene agant et salventur; (d) prævidens, *in suis decretis,* electos bona opera acturos et usque ad finem perseveraturos, decernit in ordine exsecutionis illis gloriam ut mercedem conferre; (e) cum vero pariter in decretis *provideat* alios in statu mortalis peccati morituros, eos ad poenas ætemas destinat propter prævisa demerita.

543. Ita argumentantur : (A) Apostolus de prædestinatione hæc habet' : " Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, *ut* essemus sancti... qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ..." Ex quibus habes, ait *Billuart, l. c.,* (a) Deum nos elegisse, non quia futuri eramus sancti, aut quia prævidit nos fore sanctos, sed *ut* essemus sancti; (b) nos elegisse secundum propositum voluntatis suæ, id est gratuita voluntate, ut gratiam suam commendaret.

(B) Sed præ ceteris illustre est testimonium ejusdem Apostoli ad *Rom.,* c. 8, 9 et 11, ubi ex proposito de prædestinatione gratuita agens, eam *explicat, probat oi* contra impugnantes *defendit :* (fi) eam definit *propositum Dei* 3, *propositum secundum electionem* Dei 4, *electionem gratia,* id est gratuitam, nam, ut subdit, " Si gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia "5; varias ejus *dotes* explicat, hujusmodi vocatis omnia cooperari in bonum : "Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis

* Cf. Alvarez, *De Auxiliis,* disp. 37; Gonet, *De Voluntate Dei,* disp. 5; Salmanticenses, *De Pradestinat.,* disp. IX; Goudin, *De Providentia,* q. II; Billuart, *De Deo,* diss. IX, a. 4; E. Hugon, p. 286-308.

* *Ephes.,* I, 4 sq. — ' *Rom.,* VIII, 28. — ♦*Rom.,* XI, 1I#

5 *Rom.,* XI, 5-6.

qui secundum propositum vocati sunt **sanctideclarat** ex tali proposito fluere vocationem efficacem, justificationem et glorificationem : " Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit " [1]; (b) deinde quaerens cur ex Israelitis tam pauci in Christum credant, respondet non omnes fuisse efficaciter prædestinatos, sed aliquos tantum præ aliis a Deo gratis electos; et hanc gratuitam electionem variis illustrat exemplis [3]; (c) tandem objectiones contra gratuitam prædestinationem solvit, more Thomistarum, tum principio generali : " O homo, tu quis es qui respondeas Deo "[4]? tum exemplo figuli qui ex eodem luto fingit aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam [5]. Porro hæc omnia nihil aliud sunt nisi ipsissima Thomistarum thesis; supponunt enim Deum nos eligere ad gloriam e beneplacito suo, omnia bona fluere ex hac electione, etiam merita nostra.

(C) Confirmatur his Apostoli verbis[6] : "Quis te discernit?Quid habes quod non accepisti?" his enim discretio electorum a reprobis non meritis nostris, sed gratuito Dei beneficio adscribitur; nam si electio nostra fieret post prævisa merita, posset quis dicere : ego me ipsum discerno, scilicet, meritis meis.

(D) Quicumque prudenter et ordinate agit, prius intendit finem quam media; atqui Deus prudenter et ordinate agit, et aliunde merita sunt media, gloria est finis; ergo prius intendit gloriam quam merita.

544. 3° **Conclusio.** Quibus breviter relatis, unusquisque in suo sensu abundet, dummodo sententiæ oppositæ nullam censuram inurat. Fatemur enim mysterium Prædestinationis esse inscrutabile. S. Paulus, postquam illud exposuerat verbis quæ diverso modo a diversis scholis intelliguntur, hæc addidit quæ imbecillitatem ingenii nostri in solvendis hujusmodi quæstionibus manifeste ostendunt : "O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis ejus consiliarius fuit " [7]?

Duo ex Scriptura *certo* colliguntur, scilicet salutem nostram esse tum *in manu Dei,* tum *in manu consilii nostri.* Deus certo non deficiet, sed e contra gratias non solum sufficientes, sed etiam abundantes nobis largietur; remanet igitur ut *per bona opera* certam nostram vocationem et electionem faciamus.

545. 4° **Corollaria** : (A) Disputatur etiam de *numero pradestinatorum;* nil certi hac de re statui potest, (a) Magnum esse elec-

[1] *Pom.,* VIII, 28. — [3] *Pom.,* VIII, 30. — [4] *Pom.,* XI, 6-18.
[4] *Pom.,* IX, 2a — [5] *Pom.,* IX, 21. — [6] *I Cor.,* IV, 7. — [7] *Pom.,* XI, 33-34.

torum numerum ex his verbis colligitur : " Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni "[1].

546. (b) Communiter asseritur pauciores esse electos quam reprobos, si *universum genus humanum* spectetur; sed textus Scripturæ, ex quibus hoc colligitur, vim demonstrativam non habent; verba " multi sunt vocati, pauci vero electi "[2], inspecto contextu, significant multos, immo omnes Judæos ad fidem in Christum vocari, sed paucos Ecclesiam esse ingressuros. Difficilius quidem explicantur hæc verba : " Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! "[3] Attamen dici potest Christum hic loqui non de toto genere humano et pro omnibus sæculis, sed de Judæis tunc temporis viventibus, quorum pauci arctam conciliorum et præceptorum viam, quam supra descripserat, ingredi volebant. Unum extra dubium est, videlicet nullum adultum, etiam inter infideles, damnatum iri, nisi scienter et volenter contra leges sibi cognitas graviter deliquerit, atque in suo peccato pertinaciter usque in finem perseveraverit. Hinc ait *Gener*[4] : " Neque vero tot sunt reprobi... quot vulgo declamantur; nam Ecclesia habet innumeros filios occultos, de quibus ipsa dicet in die novissimo : Quis genuit mihi istos, et isti ubi erant? "

547. (c) Si agitur de solis *catholicis,* communiter docetur cum *Suarez,* etiam inter adultos, plures esse electos quam reprobos; licet

[1] *Apoc.,* VII, 9.

[2] *Matt.,* XXII, 14; cf. Maldonat et Knabenbauer, in h. loc.

[3] *Matt.,* VII, 13, 14.

[4] *Theol. dogmat. scholast.,* 2, 342 ss. — Cf. Hurter, η. Γ45, not. 2; Lacordaire, *Confer. 1851,* Résultats du Gouv. divin; Bergier, *Did. thiol.*, verbo *Elus;* Godts, C. SS. R., *De paucitate salvandorum,* Bruxelles, 1899; Castelein, S. J., *Le rigorisme, le nombre des élus et la doctrine du salut,* Bruxelles, 1899; P. Coppin, *La question de ΓEvangile : Seigneur, y aura-t-il peu de sauvés?* Bruxelles, 1899; A. Michel, *D. T. C.,* art *Elus,* L IV, 2350; Faber, *Creator,* B. III, c. 2, ubi legitur : " Si ab Evangelii parabolis ratiocinationis fundamentum sumendum esset, non pro parvo sed magno salvandorum hominum numero concludere deberemus. Bonorum et malorum separationem in extremo judicio faciendam, boni seminis separationi a zizania Jesus Christus comparat. Jam ager studiose cultus numquam copiosior est zizania quam bono semine. Comparationem quoque instituit bonorum et malorum piscium : jam cuinam piscatori malos pisces majori numero piscari contingit? E decem virginibus quæ ad nuptias vocatæ sunt, quinque sponsi domum ingrediuntur. In talentorum parabolis, duo servi præmio, unus tantum poena afficitur ; in altera convivii, unus tantum invitatorum ejicitur

enim major pars hominum mortaliter peccent, tamen in sacro tribunali resurgunt, et pauci sunt qui in fine vitae de peccatis suis sincere non doleant et sacramenta recipere recusent *.

548. (d) Si quæstio est de omnibus *Christianis,* sive catholicis, sive schismaticis, sive haereticis, multi tenent *damnatorum numerum majorem esse quam electorum.* Contraria tamen sententia aliis probabilior videtur; nam tertia pars eorum, antequam rationis usum attigerint, moriuntur, et cum plerique baptizati fuerint, salvantur; insuper eis qui inter Acatholicos versantur satis compertum est, multos inter Protestantes vel Schismaticos in bona fide versari : possunt igitur, etiam quando in peccatum mortale lapsi sunt, Deo reconciliari per actum contritionis perfectæ, immo si de schismaticis agatur, per absolutionem, quæ saltem in articulo mortis valida erit, cum Ecclesia omnibus hoc instanti suppleat jurisdictionem; aliunde Deus in necessariis non deficit, proindeque ultimo vitæ instanti speciales gratias eis concedet, quibus pænitere possint; ergo nil prohibet multos ex eis salvari. Si nonnulli Patres contrarium docere videantur, de hæreticis *formalibus, non* autem de *materialibus,* loquuntur.

Neque inter sectas *non Christianas* electi deerunt : *Judcei* siquidem et *Mahumetani,* qui non solum monotheismum, sed etiam fragmenta quædam primitivæ vel mosaicæ revelationis adhuc retinent, credere possunt in *Deum remuneratoretn supernaturalem,* et actus contritionis perfectæ, Deo juvante, elicere '.

Ethnici autem, qui nulla revelationis vestigia servarunt, si legis naturalis præcepta custodierint, ad fidem, *interna revelatione* aliisve mediis Deo notis, perduci possunt; cf. *Tr. de Gratia,* n. 222-227.

549. (B) *De signisprcedestinationis.* Licet nemo possit, absque speciali revelatione, de sua salute certus esse 3, dantur tamen proba-

1 Suarez, ώ *Prædeslinat.,* lib. VI, c. 3. Cfr. Faber, 1. c., ubi recte ait : " Sedulo distinguendum est inter catholicos qui de recta via actu divertunt et eos qui ætemam salutem adepturi sunt... Perplures sunt qui scelestissimam vitam per decem aut viginti annos duxerunt, et illico ad bonam frugem redeunt, veluti si ignita materia omnino in eis consumpta fuerit

'Quod jam aperte docebat Lugo (Z><r *Fide,* disp. XII, sect. 5, n. 50-51) : " Denique *Turcæ* et *Mahumetani,* si qui essent qui invincibiliter etiam errarent circa Christum et ejus divinitatem, non est cur non possint vera fide supernatural! credere unum Deum remuneratorem supernaturalem : hoc enim non credunt propter argumenta ex creaturis naturalibus desumpta, sed dogma hoc ex traditione habent; quæ traditio processit a vera Ecclesia fidelium et ad ipsos usque pervenit, licet alii errores admixti sunt in eorum secta... et consequenter poterunt aliquando in actum contritionis perfectæ ex tali fide prodire ". Cf. Dublanchy, *op. cit.,* p. 322 sq., ubi erudite de statu religioso sectarum non-christianarum disserit; L. Capéran, *Le problème du salut,* essai théol., p. 91, 92.

3 *Trident.,* sess. VI, can. 16, D. B., 826.

bilia signa, ex quibus de ea bene sperare possumus. Hæc sunt modo generali ea omnia quæ ad vitam æternam nos ducere valent : (a) *timorata conscientia,* quæ tanquam a facie colubri fugit peccatum '; nam solum peccatum causa damnationis esse potest, (b) *Patientia* irt adversis et voluntaria *mortificatio;* dicit enim Apostolus : " Si tamen *compatimur,* ut et conglorificemur " 3. (c) Sincera veraque *humilitas,* qua gratiam ad salutem necessariam abundanter obtinere valeamus : " humilibus autem dat gratiam " 3. (d) *Inimicorum dilectio* et *misericordia* in pauperes; nam qui aliorum offensas dimittit, a Deo veniam peccatorum consequetur juxta illud : " Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris...4 Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur " 5. (e) *Zelus* pro salute animarum : " Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum " 6. (f) *Devotio* singularis erga 55. *CorJesu* et *B. Virginem :* prior enim Christi amorem maxime fovet; porro qui Christum amat, cum 5. *Paulo* fiducialiter dicere potest : " Quis ergo nos separabit a caritate Christi?... Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu " 7. Idem fere dici potest de devotione erga B. Virginem ; cum enim hæc sit *mediatrix ad Mediatorem* et aquæductus gratiæ, qui ei adhærebit, gratia ad salutem necessaria nunquam carebit, tutoque ad Christum ibit.

Art. IV. De Potentia seu omnipotentia Dei8.

Post considerationem operationum immanentium intellectus et voluntatis, pauca dicenda sunt de divina potentia, quæ est *formaliter* quidem *immanens,* sed *virtualiter transiens,* quatenus effectus *ad extra* producit.

550. i° *Notio.* Potentia in genere duplici sensu accipitur : quatenus *activa,* est principium ad aliquid producendum ; quatenus *passiva,* est principium ad aliquid recipiendum. *Nulla est in Deo potentia passiva,* quippe quæ imperfectionem involvat. Potentia autem activa vera est

* *Etcli.,* XXI, 2. — · *Rom.,* VIII, 17. — 3 */ peir.,* V, 5. — 4 *Matth.,* VI, 12. s *Matth.,* V, 7. — «/»-., V, 20. — ? *Rom.,* VIII, 35.39.

8 Cf. S. Thom. I, q. 25; Suarez, 1. HI, c. 9; Petavius, 1. V, c. 5-11; Scheeben, n. 346 sq. ; L. Janssens, p. 533-554; Van der Meersch, n. 606-621,

perfectio, proindeque in Deo existit et quidem infinito gradu, quia operatio sequitur esse. Deus vere est *omnipotens,* quia facere potest omnia possibilia absolute, i. e., quidquid habet, vel habere potest rationem entis, non autem quod contradictionem involvit : " ea vero quæ contradictionem implicant sub divina potentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere " [x].

551. 20 *Thesis :* Deus est omnipotens, seu facere potest quidquid non est impossibile, i. e., quod nec in se repugnantiam habet, nec contrarietatem cum divinis attributis.

Defide est tum ex variis Symbolis, tum ex *Vaticano* quod confitetur " unum esse Deum verum et vivum, Creatorem cæli et terræ, *omnipotentem* ". Probatur :

(A) *Script,* (a) In V. Test., plus quam septuaginta loca numerantur in quibus Deus vocatur *Shaddai,* id est, omnipotens, v. g. : " Ego Deus omnipotens" [2]; (b) declaratur Deum *omnia posse,* ita ut nihil difficile aut impossibile sit apud eum, et nemo possit ejus voluntati resistere : " Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, et in terra, in mari et in omnibus abyssis... [3] Numquid Deo quidquam est difficile?... [4] Non erit impossibile apud Deum omne verbum...5; Domine, rex *omnipotens,* in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati " [6].

552. (B) *Ratione.* Tantum ac taliter aliquod ens agere valet quantum et qualiter est : *operatio* enim *sequitur esse;* atqui Deus est essentialiter ipsum esse infinitum; ergo potest agere quidquid habet rationem entis, seu est omnipotens [7].

Contendit *J. S. Mill*[8] Deum omnipotentem non esse, quia *mediis* utitur ad finem suum attingendum : nam qui omnia potest, effectus producere valet absque mediis. Hoc esse sophisma nemo

« S. Th., I, q. 25, a. 3. — » *Gen.,* XVII, I. — » A. CXXXIV, 6.
* *Gen.,* XVIII, 14. — 5 *Lue.,* I, 37. — 6 *Esth.,* XIII, 9.
» S. Th., 1. cit., a. 2. — 8 *Essays on Religion,* p. 176-177.

est qui non videat; licet enim Deus phaenomena producere valeat sine causis secundis, et quandoque id faciat, v. g., miracula patrando, potest sane mediis uti ad finem suum attingendum aptis, ut sic sapientiam suam manifestet, dum ordinatissime inferiora per superiora administrat et suis creaturis causalitatis participatae honorem communicat; immo major vis ac virtus elucet in producendis causis secundis idoneis ad effectus determinatos peragendos, quam in iisdem effectibus directe causandis.

553. 3° *Corollaria.* (A) Potentia Dei infinita est tum ratione *sui,* cum sit ipsa essentia divina; tum ratione *actionis et modi agendi,* cum sit plane independens, nullo egeat instrumento, nulla praejacente materia, statimque uno verbo omnia producere valeat : "Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt" x; tum ratione *objecti'* quia alia perfectioraque sine fine producere potest, cum esse divinum sit in infinitum participabile.

Frustra objicitur Deum multa non posse, quæ tamen in se possibilia sunt, v. g., nec dolere, nec mori, nec mentiri valet; respondet enim S. *Augustinus :* " Deus omnipotens est, et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, et quod ait Apostolus2, seipsum negare non potest. Quam multa non potest! Et omnipotens est; et ideo omnipotens est, quia ista non potest " 3.

(B) Theologi distinguunt potentiam Dei *ordinatam* ab ejus potentia *absoluta :* prior ea est quæ versatur circa ordinem a Deo, pro sua sapientia, electum; posterior circa ordinem quem potuisset eligere; ita, v. g., potuisset, *potentia absoluta,* homini assignare finem naturalem; non potest autem id facere *potentia ordinata,* quia de facto alium elegit ordinem. — Distinguitur etiam potentia *ordinaria* quæ secundum leges consuetas operatur, et *extraordinaria,* quæ præter ordinem naturæ aut gratiæ operatur, v. g., quando miracula patratur.

554. (C) Ex consideratione divinæ potentiæ duo potissimum nascuntur affectus : (a) *humilis Deo submissio :* " Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis"; quis enim cogitans suam imbecillitatem et illius omnipotentiam, non ei submittat se in omnibus, tanquam habenti in nos summum jus et summam potestatem? (b) *fiducia in Deum :* si enim omnipotens nobis assistit, qui omnium causarum continet habenas, ita ut absque ejus nutu nil agere valeant, cur timeamus? Nihil enim nobis inferri potest mali nisi ipse annuerit; non annuet nisi id nobis ad vitam æternam conferat : " Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum " 4.

' *Ps.* XXXII, 9· —1 *II Tim.,* II, 13.
3 *De Syntb. ad catech.,* n. 2; *P. L.,* XL, 627. — 4 VIII, 28.

Conclusio totius Tractatus : de beatitudine Dei.

555. Beatitudo a *Boetio* definitur [1] : " *status omnium bonorum aggregatione perfectus"; quæ* quidem notio creaturis convenit, non autem Deo, in quo nil est compositum vel aggregatum. Unde, secundum S. Thomam [2], beatitudo in Deo nihil est aliud " nisi bonum perfectum intellectualis nature ".

1° Deum esse infinite beatum declarat *Vaticanum* [3] : " ... *in se* et *ex se* beatissimus ", Reapse beatus ille est qui veritatem infinite cognoscit et bono infinito perfecte fruitur. Atqui Deus seipsum infinitam veritatem infinite cognoscit et seipso infinite perfecto perfectissime fruitur. Ergo *in se* et *ex se* est infinite beatus, nec est felicior ex creaturis, nec vere tristatur ob peccata. Ipse est *sua beatitudo.*

I i

556. 2° Hæc autem beatitudo in se *eminenter* continet quidquid est desiderabile in quacumque beatitudine, ut recte notat S. *Thomas* [4] : " De contemplativa enim felicitate habet continuam et certissimam contemplationem sui et omnium aliorum ; de activa vero, gubernationem totius universi; de terrena vero felicitate, quæ consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate et fama... habet gaudium de se et de omnibus aliis, pro delectatione; pro divitiis habet omnimodam sufficientiam quam divitiæ promittunt; pro potestate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium regimen; pro fama vero, admirationem totius creaturæ

I

557. 3° *Deus itaque est beatitudo nostra.* In tantum enim beati sumus, in quantum intellectus noster veritate satiatur et voluntas bono fruitur. Atqui solus Deus, utpote infinita veritas, intellectum nostrum satiare valet, et, quatenus summum bonum, voluntatem gaudio implere potest. Ergo Deus est suprema nostra beatitudo.

Itaque sicut Deus est ens omnium entium, verum et unum omnium talium, bonum omnium bonorum ac vita

[1] *De consol, phil.y* l. III, pros. 2, *P. L.>* LXIII, 724.
[2] *Sum. theol.,* I, q. 26, a. I.
[3] Sess. III, cap. 1, D. B., 1782.
[4] *S. Theol.)* i, q. 26, a. 4.

-'.3'

omnium viventium, ita beatitudo Dei est beatitudo omnium beatorum.

558. 4° *Deum igitur contemplemus et amemus totis viribus nostris.* Ipse enim, et quidem solus, est veritas et vita. "Cur ergo, egregie scribit S. *Anselmus*[1], per multa vagaris, homuncio, quaerendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et satis est. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et sufficit... Oro, Deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies usquedum veniat illud ad plenum: proficiat hic in me notitia tui, et ibi fiat plena; crescat amor tuus, et ibi sit plenus, ut hic gaudium meum sit in spe magnum et ibi sit in re plenum!

DE DEO TRINO

Historia Tractatus breviter delineatur

559. i° *Patrum cetate,* tribus prioribus saeculis, de *trinitati* personarum in genere, et præsertim de *Verbo* ejusque *consubstantialitate* agitur; quarto sæculo, non solum de Verbo, sed etiam *de Spiritu Sancto* diserte fit quæstio. Sæculis quinto et sequentibus, jam *methodice* et *philosophice* expolitur doctrina catholica.

a) Quæ de SS. Trinitatis mysterio, in N. Testamento et Patribus apostolicis, modo simplici exposita fuerant, more magis philosophico, contra Judæos, declaravit S. Justinus, (t 163) in *Dialogo cum Tryphone,* ubi de divinitate Verbi præclare disserit, etsi, philosophia platonica deceptus, in sybordinatianismum propendere videatur. Contra Gnosticos, S. Irenaeus, Traditioni magis quam philosophiæ fidens, genuinam et apostolicam doctrinam vindicat in *Tr. adversus Hcereses* (176-199). Magis philosophice et theologice rem exponit Clemens Alex, in *Pœdagogo* et *Stromatibus.* Ita pariter Origenes, præsertim in opere *De Principiis,* ubi trinitatem personarum et Verbi æternam generationem lucide probat, sed subordinatianismo favet; ejusque discipulus, S. Dionysius Alex., cujus exstant tantummodo fragmenta ex libris quatuor adversus Sabellium.

Contra *Modalistas* et *Sabellianos,* qui realem personarum distinctionem negabant, scripserunt : S. Hippolytus, *Contra Noetum,* ubi tamen temporalem Verbi generationem profiteri videtur; Tertullianus, *Adversus Praxeam,* ubi notionem et realem divinarum personarum distinctionem diserte exponit; Novatianus, qui *de Trinitate* methodice disserit.

b) *Sacujo IVe, Arianismum,* qui divinitatem Verbi ejusque cum Patre æqualitatem negabat, strenue impugnaverunt : S. Athanasius, *Orationes quatuor contra Arianos; Liber de Trinitate et Spiritu S., Epistola de Niccenis decretis; Historia Arianorum,* etc.; S. Hilarius Pictâv., *Libri 12 de Trinitate; Liber de Filii et Patris unitate;* S. Cyrillus Hierosol., *Catecheses ad Illuminandos, catech.* 6-7,11,16-17; S. Basilius Caesar., *Libri quinque adversus Eunomium* (quorum tres priores certo genuini sunt,*posteriores* autem *duo dubii)·,* S. Ambrosius, *Libri V de Fide* (alias de Trinitate); Gregorius Nazianz., *Orationes V de theologia* (orat. III-IV); S. Gregorius Nyss., *Oratio catechetica magna; Libri 12 contra Eunomium,* Didymus Alex., *Libri* j *de Trinitate.* — Eodem sæculo, divinitatem Spiritus Sancti,

jam indirecte ab Arianis negatam, et explicite a Macedonianis impugnatam, diserte Patres propugnaverunt, inter quos : S. Athanasius, in *Epistolis ad Serapionem;* S. Basilius Caesar., *Liber de Spiritu S.;* S. Ambrosius, *Libri tres de Spiritu S.;* Didymus, *Liber de Spiritu S.*

(c) *Sac. Ve,* amplissime et methodo fere scholastica de SS. Trinitate disserunt : in *Oriente,* S. Cyrillus Alex.. *Thesaurus de Sancta et Consubstantiali Trinitate,* ita dictus quia omnium argumentorum hucusque prolatorum summam ditissimam exhibet; *de Trinitate dialogi j; Opusculum de SS. et vivifica Trinitate,* — in *Occidente,* S. Augustinus, *Libri de Trinitate.* in quibus, demonstrata Trinitatis veritate ex Scriptura, aliquam hujus mysterii intelligentiam tradere nititur ex ipsa natura mentis humanæ quæ est Trinitatis imago. — Postea contra Vandalos arianismo imbutos scripsit Vigilius Tapsensis, *Dialogum contra Arianos.*

(d) Saculis VI-IX*,* præter tractatus *polemicos,* quos S. Fulgentius Rusp. contra Arianos vulgavit : *Libri tres ad Trasimundum, regem Vandalorum; Lib. de Trinitate ad Felicem notarium,* etc., — inveniuntur opera magis philosophica quæ Scolasticis facem jam praetulisse videntur, præcipue Boetii tractatus, nempe *Liber quomodo Trinitas unus Deus ac non tres dii; Utrum Pater et Filius ac Spiritus S. de divinitate substantialiter prcedicentur;* quibus adjungi debent Alcuini opera *de Fide sancta et individua Trinitatis, Libellus de processione Spiritus S.* — In *Oriente* vero doctrinam catholicam methodice exponit S. Joannes Damascenus, *Liber de SS. Trinitate, de hymno trisagio,* et in l. I *de Fide orthodoxa.*

560. 20 Inter *theologos,* qui *scholastice* hoc mysterium exposuerunt, præ ceteris laudantur : *sac.* ***XII*** *:* S. Anselmus, *Liber* ***I*** *de fide Trinitatis; Liber* ***I*** *de processione Spiritus S. ;* Richardus a S. Victore, *Libri 6 de Trinitate.*

Sac. ***XIII*** *:* S. Thomas Aq., O. P., *Summa theol.,* I, q. 27-43, cum Commentariis Cajetani; *Cont. Gentes,* lib. IV, c. 2-26; S. Bonaventura, O. M., *In* ***I*** *lib. Sententiarum ;* Ægidius Romanus, *In* ***I*** *Sentent.'*

Sac. ***XIV*** *:* J. D. Scotus, O. M., *In* ***I*** *Sentent.;* Petrus Paludanus, O. P., *In* ***I*** *Sententiarum.*

Sac. XV : Card. Bessarion, *Liber de Spiritu S. contra Marcum Ephesinum.*

Sac. ***XVII*** *:* Greg. de Valentia, S. J., *Analysis fidei catholica de SS. Trinitate;* Suarez, S. J., *de SS. Trinitatis mysterio;* Becanus, S. J., *Summa theologica,* de SS. Trinitate; D. Ruiz, S. J., *Commentaria de Trinitate,* opus profundum et eruditum; Petavius, S. J., *Dogmata theologica,* ubi positivam theologiam de Trinitate præclare

exponit; Thomassinus, Orat., *Dogmata theologica,* ubi pariter doctrinam Patrum de divina et SS. Trinitate fuse declarat; Joannes a S. Thotna. O. P., *Comment, in I p. S. Thomæ;* Salmanticenses, *de* 5. *Mysterio Trinitatis.*

Sac. XVIII : Witasse, *De SS. Trinitate, (Migne,* Theol. Curs., t. VIII); Kilber, S. J., *De Deo Uno et Trino* (in Theol. *Wirceburgensi);* Billuart, O. P., *de SS. Trinitatis mysterio.*

Sac. XIX et XX : Perrone, S. J., *Tr. de SS. Trinitate ;* Franzelin, S. J., *De Deo Trino;* Knoll, *De Deo Trino;* J. H. Newman, *Arians of the 4th Century; Annotated translation of St. Athanasius;* Ginoulhiac, *Histoire du Dogme Catholique,* 2e éd., t. II et III; Scheeben, *Handbuch der catholischen Dogmatik,* vol. II, n. 680 sq.; J. H. Oswald, *Die Trinitàtslehre,* Paderborn, 1888; F. Stentrup, *De SS. Trinitatis mysterio,* Œniponte, 1898; Th. de Régnon, S. J., *Etudes de théologie positive sur la Sainte Trinité,* Paris, 1892; Jungmann, *De Deo uno et trino,* 1882; Card. Billot, S. J., *De Deo Uno et Trino,* 1920; Pesch, *Pralect. dogmat.,* ed. 3% t. II; L. Janssens, *De Deo Trino,* Friburgi, 1899-1900; H. Buonpensiere, O. P., *Comment, in iam Part. Sum. theol.,* Romæ, 1902; G. Van Noort, *Tr. de Deo uno et trino,* Amstelodami, 1907; Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik,* 19ii sq ; J. Van der Meersch, *De Deo uno et trino,* 1917; L. Labauche, *Leç. de théol. dogmatique,* t. I; J. Lebreton, *Les Origines du Dogme de la Trinité,* t. I., *Les Origines;* t. IL, *De S. Clément à S. Irénée;* E. Hugon; Hervé.

Excerpta ex symbolo Athanasiano \

561. (1) Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem : quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

(2) Fides autem catholica hæc est : ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas neque substantiam separantes.

(3) Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

^4) Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.
Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.
Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.
Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.
Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

' Cf. D. B., 39-40. —De origine et auctoritate hujus Symboli vide *Tr. de Fonlibns Revel..,* n. 966.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam, Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur; ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.

5) Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

6) Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Filius, non tres Filii : unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

7) Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Conc. Lateranensis iv (œcum. xii), 1215,

Decretum de errore Abbatis Joachimi.

562. Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul personae, ac sigillarim quælibet earumdem : et ideo in Deo'solummod'o Trinitas est, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina : quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest : et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit : ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius/àîîus Spiritus Sanctus, non tamen aliud : sed id, quod est Pater, est Filius, et Spiritus Sanctus idem omnino ; ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse

D. B., 432. In hoc decreto integram et authenticam habes expositionem mysterii SS Trinitatis.

credantur. Pater enim, ab ætemo Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur : Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit : cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi : alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit : et ita Pater et Filius habent eamdem substantiam : et sic eadem res est Pater et Filius, nec non et Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum vero \reritas pro fidelibus suis orat ad Patrem : Volo (inquiens) ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus : hoc nomen "unum" pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia : pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait : Estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est, ac si diceret manifestius : Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ, utraque videlicet suo modo : quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur.

Objectum, utilitas et divisio Tractatus.

563. Objectum. Postquam de Deo uno secundum essentiam egimus, jam de *Deo trino* secundum personas, seu de ineffabili SS. *Trinitatis mysterio* disserere debemus, exponendo Dei *vitam intimam,* operationes ad intra, nempe ipsa profunda Dei, quæ nullus hominum vidit, sed FJlius nobis enarravit : quod præstare nequimus nisi lumine fidei adjuti, nec sine magna modestia et reverentia : nam " qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria "

564. Utilitas dicendorum ex iis patet quæ in ipso limine *Tractatus de Deo zino* exposuimus, sed insuper colligitur :

(a) *Ex dignitate objecti :* nobilius enim objectum cognitionis nostræ nullum esse potest quam Deus *trinus* in sua *vita interiori* spectatus ; et, quamvis pauca de hoc mysterio

* *Prim.,* XXV, 27.

scire valeamus, melius est modicum de Deo, omnis perfectionis fonte, cognoscere quam multa de rebus terrenis.

Aliunde vix, sine Trinitatis notitia, intelligi possunt alii tractatus theologici : cum enim in eis agatur de *communicatione vitee divines* creaturis facta per *Incarnationem, gratiam* et *sacramenta,* quomodo hæc intelligi posset communicatio, nisi prius ipsa vita divina in *suo fonte* describeretur?

(b) *Ex necessitate* hoc mysterium cognoscendi ; nam omnes tenentur, *saltem necessitate præcepti,* scire ea quæ fides de Trinitate docet; nec mirum, cum beatitude nostra in contemplatione Trinitatis consistat, juxta illud : " Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum " [1]. Sedulo igitur hujus tractatus studio incumbant ii præsertim qui alios instruere debent, haud immemores horum S. *Augustini** verborum : " Nec periculosius alicubi erratur, nec laborosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur ".

(C) *Ex erroribus confutandis :* mysterium SS. Trinitatis, propter ejus sublimitatem, jam ab initio Ecclesiæ ab *hæreticis* oppugnatum, hodie etiam impugnatur ab iis omnibus qui supematurale rejiciunt, præsertim a *Rationalistis, Protestantibus liberalibus* et *Modernistic,* qui aut aperte illud rejiciunt aut ejus naturam omnino pervertunt : quorum errores detegere et refellere necesse est

565. Divisio. *Methodum* in hujus mysterii expositione et defensione breviter delineat S. *Thomas* [3]. " Erit hic modus servandus ut ea quæ in *sermonibus S. Scripturæ* sunt tradita, quasi *principia* sumantur, et sic ea quæ in sermonibus prædictis occulte nobis traduntur studeamus utcumque mente capere, a laceratione infidelium defendendo, ut tamen præsumptio perfecte cognoscendi non adsit. Probanda enim sunt hujusmodi auctoritate S. Scripturæ, non autem ratione naturali ; sed tamen ostendendum est quod *rationi naturali* non sunt opposita, ut ab impugnatione infidelium defendantur ".

[1] *Joan.,* XVII, 3.
• *De Trinity* L I, c. 3, *P. L·,* XLII, 822.
[3] *Contra Gentiles,* 1. IV, c- I.

AV-

Duo erunt capita — :

in 1°, mysterium SS. Trinitatis *revelatione* demonstrabitur;

in 11°, *scholastica* ejus expolitio tradetur.

Prolegomena : brevis expositio mysterii.

Præparatur revelatio mysterii.

I. Doctrina *revelata*
- i° De trinitate in unitate.
- 2° De divinis processionibus.
- 30 De divinis missionibus.
- Corollaria.

II. *Scholastica* expolitio
- i° De cognoscibilitate mysterii.
- 2° De analogiis et theoriis quibus illustratur.
- 3° Dc consectariis inde fluentibus.

Prolegomena : Brevis expositio •mysterii SS. Trinitatis.

Antequam mysterium SS. Trinitatis ex revelationis fontibus demonstremus, ejus notionem breviter delineare expedit, explicando : i° mysterii *definitionem;* 2° *sensum verborum* quæ in definitione mysterii adhibentur.

I. Definitio mysterii traditur.

566. *Etymologice,* vox græca τριά , quæ jam occurrit apud 5. *Theophilum Antiochenum*[x], et vox latina *Trinitas,* quam invenimus apud Tertullianum[2], significat, juxta 5. *Isidorum*[*], trium unitatem; vel, juxta hodiernos philologos, et quidem multo probabilius, triadem, seu ternionem, aut ternarium numerum [*].

567. Quoad *rem,* definitio mysterii erui potest ex authentica notione quam tradunt Concilia.

Fides catholica, jam variis Symbolis diserte expressa, sic a C. *Lateranensi* IV (1215) contrahitur[5] : "Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod *unus solus* est *verus Deus*... Pater, et Filius et Spiritus Sanctus : *tres quidem personae,* sed *una essentia, substantia* seu *natura* simplex omnino : Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque... *consubstan-*

[1] *Ad Autol.,* II, 15, *P. G.,* VI, 1077.
[*] *Adv. Prax.,* c. 2, *P. L.,* II, 157. — [3] *Origin.,* 1. VII, c. 4.
[4] Petavius. *De Trinit.,* 1. VIII, c. 9.
[5] D. B., 428, 432.

tiales et *cocequalcs* et coomnipotentes et coæterni... Credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod *una quadam summa res est,* incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul personae, ac sigillarim quælibet earumdem : et ideo in Deo solummodo *Trinitas est, non quaternitas* : quia *qualibet* trium *personarum est illa res,* videlicet substantia, essentia seu natura divina ",

Quam definitionem complevit, quoad processionem Spiritus Sancti, *Eugenius IV,* in decreto unionis Graecorum (1439), sacro approbante *C. Florentino* [1] : " Diffinimus ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet *ex Patre simul et Filio,* et ex utroque aeternaliter tanquam ab *uno principio* et *unica spiratione* procedit ".

568. Ex quibus documentis SS. Trinitas definitur : mysterium *unius Dei in tribus personis ;* seu fusius, exponendo relationes inter personas : mysterium *trium personarum realiter distinctarum in una et eadem numérisé substantia, natura aut essentia, quarum prima a nulla procedit, secunda a prima procedit per veram generationem, tertia autem a prima et secunda, tanquam ab uno principio, per spirationem.*

Hoc mysterium igitur quatuor importat : (a) *realem distinctionem* inter tres divinas personas ; (b) perfectam *unitatem natures,* non solum genericam, aut specificam,sed etiam *numericam,* quæ dicitur *consubstantialitas ;* (c) *processionem secundes* personæ a prima per veram *generationem ;* (d) *processionem terties* personæ a prima et secunda, tanquam ab uno principio, per *spirationem.* Quæ quidem omnia sunt *de fide catholica,* et melius intelligentur ex infra dicendis.

II. Explicantur vocabula philosophica in definitione adhibita

Alia ad *unitatem natures,* alia ad *trinitatem personarum* spectant. Ad quod magis perspicue declarandum, rem exponemus cum *historice* tum *philosophice.*

[1] D. B., 691, (586).

[2] Th. de Régnon, *Eludes de thiol.positive sur la Ste Trinité,* 1892, L I, p. 113-245; J. Tixeront, *Mélanges de Patrol.,* Paris, 1921, ch. IX ; et *Hist. des Dogmes,* t. II, p. 77 sq.; L. Labauche, *Dieu, La Tris Ste Trinité,* Paris, Bloud, 1911, p. 5-21.

i° Delineatur historia discriminis inter naturam et personam.

569.(A) In Ecclesia *Occidentali,* jam ineunte saeculo tertio, Tertullianus asserebat tres esse in Deo distinctas personas, unam vero et indivisam substantiam '. — Vocabulum *persona* (græce πρόσω-ον), prius quidem designabat *larvam {masque)* quam induebant histriones seu comoedi qui famosos homines repraesentabant; postea vero hoc nomen impositum est iis qui aliqua dignitate decorabantur, tandem iis omnibus qui *natura individuali gaudentes,* juridice non erant res, sed *jurium capaces'*[2]. Eamdem fere notionem, modo tamen magis philosophico, sæc. VI°, Boetius tradidit, docens personam esse *natura rationalis individuam substantiam* 3.

570.(B) In Ecclesia *Orientali,* aliqua verborum confusio prioribus saeculis praevaluit. Saepe enim voces οὐσία et ὑ-όστασι promiscue usurpabantur ad designandam essentiam seu naturam; aliunde πρόσωπον etymologice *faciem* aut *larvam* significabat, proindeque non videbatur satis perspicue reale discrimen inter divinas personas exprimere. Attamen jam apud *Origenem* et 5. *Dionysium Alex.,* vox ὑπόστασι divinas personas designabat, ουσία autem naturam 4.* Sed Concilium *Niccenum* utrique voci eumdem sensum tribuisse videtur s. Quam occasionem arripientes Ariani, vocem ὑπο'στασιν intellexerunt de substantia, dixeruntque tres in Deo esse substantias, quarum una tantum plenitudine divinitatis gaudebat. Ad quem errorem vitandum, Occidentales optabant ut Græci adhiberent vocem -ρόσω-ον ad designandas divinas personas; hi autem nolebant, ne forte Sabelliani inde concluderent tres personas non esse nisi tres varios aspectus ejusdem substantiae. Tandem, suadente *Athanasio*6, placuit nomine οὐσία designari naturam, verbo autem ὑπόστασι significari personas.

Postea vero discrimen inter naturam et personam expolire Patres Græci tentaverunt. (a) 5. *Basilius* docuit οὐσία designari id quod est *commune* (τὸ κοινόν) individuis ejusdem speciei, et *hypostasi* quidquid est singulis individuis *proprium* t. Quæ quidem notio,

1 *Adv. Prax.,* c. 12-13, *?· D,* 168-170. — Idem fere, etsi non tam perspicue, apud S. Hippolytum, *Contra Noet.,* 7, *P. G.,* X, 813.

* "Omne jus quo utimur, vel ad *personas* pertinet, vel ad *res,* vel ad actiones". *(Digest.,* I, tit. V, i.)

3 *Lib. de persona et duabus naturis, P. L.,* LXIV, 337 sq.

◆Origen., *In Joan., P. G.,* XIV, 128; Dionys. Alex., ap S. Basilium, *De Spiritu S.,* c. XXIX, 72, *P. G.,* 32, 201.

s D. B., 54.

6 Quod refert S. Gregor. Nazianz., *In laudem Athanasii,* or. XXI, 35, *P. G.,* XXXV, 1124-1125.

3 *£pist.* XXXVIII, i, 3, 4, *P. G.,* XXXII, 325-329

etsi explicitior quam ea quæ hucusque accipiebatur, incompleta tamen erat : natura enim humana, a Verbo assumpta, etsi *individua,* non erat persona, (b) Quo facilius autem vitarentur errores hæreticorum qui in Christo naturam et personam confundebant, *Leontius Bysantinus* docuit hypostasim esse substantiam non solum *individuam,* sed etiam *per se* (καθ' εαυτόν) existentem ', ideoque vere incommunicabilem.

571. (C) Inter *Scholasticos, S. Thomas,* doctrinam Boetii perficiens, traditaersonatrhesse substantiam *individuam* et *rationalem,* quæ *per se existai* et *per se agat,* ita ut sit *domina sui actus* et *'incommunicabilis a.* ~ '

572.20 Philosophice declaratur discrimen inter naturam et personam 3.

(A) Tres voces quæ *unitatem natura* in Deo exprimunt nempe *essentia, natura, substantia,* eamdem realitatem significant. Hæc realitas dicitur *essentia,* quando respicitur ut principium quo *res est id quod est;* vocatur *natura,* quatenus *esX principium intrinsecum operationis; substantia* autem, In rebus *creatis* substantia opponitur *accidentibus;* in Deo autem nulla sunt accidentia, ac proinde substantia nihil aliud est nisi essentia, vel natura, quatenus consideratur ut *in se exsistens* et a quolibet alio ente distincta, necnon ut *principium operandi.* In Deo proinde essentia, natura et substantia non differunt realiter, sed solum diversi sunt aspectus sub quibus consideratur una et eadem res; unica igitur est essentia, unica natura, unica substantia.

573. (B) Duo sunt explicanda relate ad *personalitatem* notio personae in *creaturis,* notio personae in *Deo.*

(a) Notio personæ in creaturis. Nomine personae *communiter* intelligimus subjectum sui juris, quod sit principium elicitivum actionis et centrum ultimum attributionis.

l *Contra Nestor, et Eutych., P. G.,* LXXXVI, 1280-1289. Cfr. Ermoni, *De Leontio Byianti.no,* Paris, 1885, p. 134-144.

* *Sum. theol.,* I, q. 29, a. i, 2; *Quast, disp.,* de Potent., a. 1-4. — *Boetii* definitio "*individua substantia* " hæc omnia quidem *implicite* complectebatur : his enim verbis intelligebatur non quodlibet individuum, sed individuum in sua specie completum et *perfecte subsistens* seu *suijuris* et incommunicabile. Sed id *explicitius* declarare expediebat.

3 D. Mercier, *Ontologie,* ŋ. 148; L. Billot, *De Deo uno et trino,* ed. 6*, p. 430; Dubois, *Le concept de personnalité* in *Rev. du Cl. fr.,* 1 Oct. 1904· J. Tixeront, *op. cit.,* ch. IX.

Philosophice autenyjiersonaJJefiniri potest, ad mentem Boetii et S. Thomæ : *substantia singularis* et *completa, sui - /uris, et intellectu prædita.*^

Dicitur substantia : 1) *'singularis,* non vero universalis et abstracta, quæ, ut talis, est potius in mente, et exinde nequit esse operationis causa et centrum; ideoque *completa,* non indigens uniri alteri substantiae ut plene et omnino par sit suae connatural! operationi eliciendæ : substantiae incompletae specimen habetur in anima, quæ non est nisi pars totius, completæ vero in toto homine. 2) *Suifuris,* seu in se et sibi et incommunicabiliter subsistens, cui ultimo referuntur et proprie adseribuntur omnes operationes quas elicit; est igitur principium *quod* agit et *cui* ultimo tribuuntur actiones. Triplicem communicabilitatem excludit, nempe universalis ad inferiora, partis ad totum, assumptionis inferioris ab alio supposito superiore. 3) *Intellectu prcedita,* in hoc persona differt a *mero supposito,* cui conveniunt omnes qualitates supra descriptae, excepta tamen ratione, v. g., canis, arbor, lapis sunt supposita. Persona igitur est sui juris modo perfectiori quam suppositum, quia non solum sibi ultimo operatur ut attributionis centro, sed est domina suæ operationis per liberum arbitrium.

Unde id quod naturæ addit personalitas seu subsistentia l est munus et functio *in se* subsistendi et *sibi* operandi : natura est id *quo* alterum operatur, dum persona est id *quod* operatur ope naturæ, et consequenter proprie est et agit 23

574. *Exinde sequitur distinctio inter naturam et personam.* 1) *Sola ratione* inspecta, videmus quamdam esse distinctionem, saltem *virtualem,* inter naturam et personam. Nam natura, etiam completa, *ex se* non est sui juris, non est centrum attributionis et imputationis, sed est solum *principium quo* quis utitur ad agendum, dum persona est *principium quod agit, cui* proinde tribuuntur omnes actiones, ac proinde est centrum attributionis et imputationis. Ita compositum humanum, quod resultat ex unione corporis et animæ, potest considerari sub duplici respectu : ut principium

l Notandum est tamen vocabulum *subsistentiam* aliquando opponi *accidenti·* 3wrettunc designare quidquid non est accidens, seu quamlibet substantiam; quo sensu dicitur quandoque a Patribus humanam Christi naturam *subsistere*^ quamvis persona non sit. Cf. Petav., l. IV, c. 1-2; Newman, *Arians*^ Appendix, noL 4, p. 432.

2 Utrum personalitas sic præcisive sumpta essentialiter consistat in aliquo *negativo* an in elemento *positivo* opportunius declarabitur in *Tr. de Verbo Incarnato* (cf. ŋ. IO16-IO23).

quo cogitamus, sentimus et deambulamus, et est *natura humana completa;* et insuper ut ultimum operationis et attributionis centrum, id est, *principium quod* cogitat, sentit, deambulat, et *cui* uno verbo tribuuntur omnes actiones sive corporis sive animae : tunc dicitur *persona*.

Attamen *sola ratione* inspecta, dubitari potest num discrimen inter naturam completam et personam sit *reale :* experientia enim teste, ubi est una natura individua intelligens, ibi una persona invenitur; ubi vero duæ vel tres naturæ, ibi tres pariter personae humanæ.

2) *Revelatione* autem novimus in Deo tres esse personas et unam naturam ; in Christo autem duas esse naturas et unam personam; et exinde colligitur *in creaturis discrimen esse reale* inter naturam et personam.

575. (b) Notio personæ in Deo. 1) Deum esse personam omnes deistæ concedunt. Sed quæstio est *quo sensu* notio personæ Deo tribuatur. Cum Deus creaturas omnino transcendat, persona de eo prædicatur, non eodem sensu ac de creaturis, sed sensu *analogico,* et modo *excellentiorix.*

Non eodem sensu ac de creaturis. Revera in creaturis cum persona multiplicatur natura, et ideo tot sunt naturæ quot sunt personæ humanæ. In Deo autem non multiplicatur natura, licet distinguantur personæ, ideoque, quamvis sint tres divinæ personæ, non sunt tres dii seu tres naturæ divinæ.

ill

Sensu autem *analogico,* videlicet ad exprimendam realem distinctionem inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, qui, ob actus *proprios,* ut infra exponetur, sunt vere tria attributionis centra 13—Sensu *excellentiori;* Deus est *totus* substan-

1 Ad rem S. Thomas, 1, q. 29, a. 3 : " Unde, cum omne illud quod est perfectionis Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est ut hoc nomen *persona* de Deo dicatur; non tamen eodem modo quo dicitur in creaturis, sed excellentiori modo ; sicut et alia nomina quæ creaturis a nobis imposita, Deo attribuuntur

3 S. Augustinus animadvertit Patres nomine *personarum* usos fuisse ad designandum Jratrem, Filium et Spiritum Sanctum, non quia hoc verbo perfecte exprimitur divina realitas, sed quia alium modum aptiorem non inveniebant quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant. *(De Trinitate** L V, n. 10; 1. \ II, n. 8-9; *P·* XLII, 9^, 939) · ** Non audemus dicere unam essentiam, tres substantias; sed unam essentiam vel substantiam, tres autem

tia, dum creatura suscipit accidentia; substantia divina ita perfecta est ut eadem sit numero in tribus personis, dum substantia creata multiplicatur simul ac communicatur.

576.2) Quaeritur autem *in quo* praecise *consistat realis distinctio inter divinas personas.* Ecclesia hac de re nil explicite definivit; sed S. Augustinus, S. Thomas et theologi communiter, ex fontibus revelatis arguentes, hanc distinctionem reponunt in *relationibus originis oppositis,* nempe in relationibus quibus Filius a Patre procedit et Spiritus ab utroque. Hæc enim distinctio consistere nequit in aliqua differentia perfectionis, sive substantialis, sive accidentalis, cum tres divinæ personæ eamdem habeant numerice substantiam, nec accidentia in Deo inveniantur. Aliunde revelatione novimus secundam personam a prima procedere per generationem, tertiam a Patre et Filio per spirationem, ut infra probabitur._ In his ergo *relationibus originis oppositis* reponi debet distinctio inter divinas personas (cf. n. 716).

577.3) Ulterius quæri potest *quomodo relationes originis divinas constituant personas.*

Relatio in *humanis* est modus essendi quo aliqua res ad aliam refertur. Triplex elementum requirit : *subjectum,* quod ad aliud refertur; *terminum,* ad quem subjectum refertur; *fundamentum,* quod est ratio seu causa cur unum ad alterum refertur. Ita in relatione paternitatis, *subjectum* est *pater* generans, *terminus* est *filius* genitus, et *fundamentum* est *generatio,* quia filius a patre oritur. Relatio triplex est : *stricte realis,* cujus subjectum et terminus sunt res realiter existentes ac distinctæ, et fundamentum in utraque existit, independenter ab intellectu, qualis est relatio inter patrem et filium ; *logica* seu *rationis,* quæ non existit nisi in apprehensione intellectus nostri, prout est relatio inter pacem et olivam; *mixta,* quando ratio propter quam duo subjecta referuntur est *realis ex parte unius,* sed logica tantum ex parte alterius; ita, quando cognosco domum, mutationem realem hanc cognitionem adipiscendo passus sum, sed domus ipsa minime mutata fuit.

personas; quemadmodum multi Latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent, quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant. Revera enim cum Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus Sanctus... nec Pater sit nec Filius, tres utique sunt... Tamen cum quaeritur quid tres, magna prorsus inopia laborat eloquium. Dictum est tamen, tres personae, non ut illud diceretur, sed ne taceretur ”.

Quae notio *analogice* tantum Deo tribuitur. In creaturis, relationes supponunt personas jam constitutas, ideoque sunt quid *accidentale* personis accedens. In Deo autem, in quo nihil accidentale invenitur, persona est *relatio ut est res subsistens.* Est quidem *relatio;* nam est quid *distinctum :* tres enim personæ inter se realiter distinguuntur; atqui omnia in divinis sunt unum ubi non obviat relationis oppositio; ergo persona in Deo est relatio. — Est relatio *ut res subsistens.* Relatio siquidem spectari potest ut *respectus ad aliquid* vel ut *aliquid in subjecto* quod refertur : *priori* modo non constituit personam, sed potius eam distinguit; *posteriori* modo, est ipsa persona divina quæ subsistit in natura divina, et est ipsa divina substantia, proindeque res maxime subsistens. Persona igitur designat in recto relationem, in obliquo essentiam quacum *realiter* identificatur, etsi ab ea virtualiter differt.

Sic, v. g., persona Patris est *relatio paternitatis ut subsistens,* seu aliis verbis est *Deus quatenus active generat Filium;* item persona Filii est *relatio filiationis ut subsistens,* seu est *Deus quatenus a Patre genitus;* tandem, persona Spiritus Sancti est *relatio spirationis passives ut subsistens,* seu *Deus quatenus spiratus tum a Patre tum a Filio.*

578. Quamvis igitur tres sint in Deo personæ, *non dantur tres dii,* prout Tritheistæ contendebant, cum unica sit divina substantia seu natura. Aliunde divinæ personæ *non sunt tres respectus* logice tantum distincti aut modi quibus Deus se manifestat aut quibus operatur, prout dicebant Modalistæ, sed sunt tres *relationes internæ, reales et subsistentes,* quæ vere sunt sui juris, simulque operationis et attributionis centra. Ita etiam vitatur *pragmatismus* recentiorum, qui contendunt nil positivi nobis notum esse de divinis personis.

Quæ quidem omnia, hic breviter exposita, melius intelligentur tum ex probatione hujus mysterii tum ex ejus scholastica expositione.

CAPUT I.

MYSTERIUM SS. TRINITATIS REVELATIONE PROBATUR.

579. Mysterium SS. Trinitatis nonnisi sub Nova Lege *a Christo* et in Christo plene fuit revelatum [1]. Via tamen huic revelationi parata est tum in Vetere Testamento, per quasdam adumbrationes, tum inter Gentiles, per vagas obscurasque theorias quibus mens ad quamdam pluralitatem in Deo agnoscendam disponebatur. De quibus proinde primum aliquid attingemus.

Postea, ex doctrina Christi, agemus :

I. De *trinitate* personarum in *unitate* naturae, quæ est veluti substantia hujus mysterii;

II. De divinis *processionibus*, quibus constituuntur personæ;

III. De divinis *missionibus* quibus divinæ personæ ad nostram sanctificationem cooperantur.

In his enim tribus contrahitur revelata doctrina de SS. Trinitate.

Praenotanda : via paratur revelationi hujus mysterii.

Tria exponeyius : i° quomodo mysterium SS. Trinitatis *adurnoratum^^rxl* in *Vetere Testamento ;* 2° quid hac de re inveniatur in doctrina *rabbinica;* 30 quid in philosophia *judæo-hellenica.*

1 Ita communiter Patres, inter quos : Tertullianus, *Adv. Praxeam,* 31, *P. L.,* II, 196; S. Gregor. Naz., *Orat, theol.,* V, 26, *P. G.,* XXXVI, 161; S. Basilius, *Adv. Eunotn.,* II, 22, *P. G.,* XXIX, 620; S. Chrysostomus, *De incomprehens.,* horn. V, 3, *P. G.,* XLVIII, 740; S. Hilarius, *De Trinit.,* V, 27, *P. L.,* X, 147; S. Gregor. M., *In Ezech.,* II, 4, 9, *p. L.,* LXXVI, 979. Quorum doctrinam contrahit S. Thomas, 2a 2æ, q. 174, a. 6 : " Postmodum vero tempore gratiæ ab ipso Filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis ".

I. Mysterium SS. Trinitatis in Vetere Testamento adumbratum[1].

580. Deus Judæis mysterium SS. Trinitatis expresse proponere noluit, juxta Patres, ne forte putarent tres deos proponi colendos : historia enim constat eos, propter nationes paganas quibus circumdabantur, ad polytheismum maxime pronos fuisse. Attamen; i° tum *verbis* tum *theophaniis,* aliquam esse *pluralitatem* in divinis primum *obscure innuitur,* secundum communem Patrum interpretationem; 2° immo *quædam trinitas adumbratur* in libris posterioribus ut ita via pararetur plenæ hujus mysterii revelationi.

i° Quædam pluralitas in unico Deo innuitur.

581. In nonnullis *V. Test,* locis quædam *pluralitas* in Deo insinuatur, etsi plerique Judæi eam non intellexerunt.

(a) Deus, antequam hominem crearet, dixit : " *Faciamus* hominem ad imaginem et similitudinem *nostram* item quando jam in eo erat ut expelleret protoparentes ex paradiso, ait : " Ecce Adam quasi *unus ex nobis* '(f) tandem post ædificationem turris Babel, Deus ita loquitur : " *Venite* igitur, *descendamus* et confundamus ibi linguam eorum Atqui, licet stricte loquendo, illud plurale in lingua hebraica adhiberi possit ab unica persona, vel majestatis causa, vel ad intensitatem exprimendam, melius tamen, juxta multos Patres, explicatur si de facto adm'ttantur plures in Deo personis, præsertim ubi dicitur *unus ex nobis* 5.

Ad rem 5. *Augustinus* :* " Neque enim frustra non est dictum, *Faciamus hominem* ad imaginem tuam, tanquam Pater Filio loqueretur; aut ad imaginem meam; sed dictum est ad imaginem nostram : quod ex persona ipsius Trinitatis rectissime accipitur".

' J. Lebreton, *Lu origines du dogme de la Trinité,* p. 89-125; L. Labauche, *op. cil.,* p. 24-36.

3 t, 26· — 3 *Gen.,* III. 22. — ♦ *Gen.,* XI, 7. ita declarat P. Lagrange, *Rev.* il (Dieu) qu'il y a en lui plénitude d'être teîTe qu'il peut délibéreravec lui-meme mme plusieurs personnes délibèrent entre elles. Le mystère de la Trinité n'est pas expressément indiqué, mais il donne la meilleure explication de cette tournure".

6 *Contra serm. Anan.,* 16, *P. L.,* XLII, 695. Alia Patrum testimonia vide ap. Petav., lib. II, c. 7, n. 4-9.

Nec dici potest hic Deum alloqui Angelos; nam nulla neque praecessit neque sequitur Angolorum mentio. Aliunde, ut notat *Augustinus* *, homo ad imaginem Dei, non angelorum factus est.

582. (b) In libro *Numerorunffinvenitur* formula benedicÿonis, quam sacerdotes super populum recitabant, et in qua ter repetitur nomen Yahweh; atqui Patres non pauci in hoc viderunt aliquam adumbrationem mysterii Trinitatis, præsertim cum tria dona, quæ per hanc benedictionem impertiuntur, scilicet custodia, misericordia et pax optime approprientur tribus divinis personis.

(c) Eodem sensu Patres nonnulli intellexerunt visionem apud *Isaiam* 3 relatam, in qua scilicet Deus trina appellatione " Sanctus, Sanctus, Sanctus " a Seraphim salutatur, et auditur vox Domini dicentis : "*quem* mittam, et quis ibit *nobisl*" Unde S. *Ambrosius'* scribit : ""Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio, cur, nisi quia Pater, et Filius et Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum præteriret; non quater, ne creaturas conjungeret ".

583. (d) Aliud argumentum desumitur ex *theophaniis* in Scriptura relatis. Sic Yahweh dicitur apparuisse Abrahæ in valle Mambre 5 ; ""apparuit ei Dominus", statimque additur : " cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram " (1-2). Jamvero quidam Patres, præsertim S. *Augustinus* et 5. *Ambrosius* 6, hoc intelligunt de manifestatione Trinitatis : cui interpretationi favet Breviarium romanum, dum, post relatam hanc apparitionem, dicit : " tres vidit, et unum adoravit " 7.

(e) Sed insuper frequenter in Scriptura commemoratur *Angelus Domini (MαΓαIi),* qui variis sensibilibus signis manifestatur, scilicet forma humana, flamma ignis, sensibili voce etc., et seipsum Deum esse declarat : " Ego sum Deus Bethel... Ego sum qui sum... Deus

ÇJ7Z><r *Civit. Dei,* lib. XVI, c. 6, n. I, *P. L.,* XLI, 484.
XyNum., VI, 23-26. —*&/sa.,* VI, 1-9.

4 *De Fide,* lib. II, c. 12, n. 107 , *P. L.,* XVI, 582. —@*Gen.,* XVIII, 1 sq.

6 S. Augustinus, *de Trinit.,* 1. II, n. 19-20, *P. L.,* XLII, 858; S. Ambrosius, *De excessu Satyri,* 1. II, η. 96, *P. L.,* XVI, 1342. — Attamen quidam alii aliter hunc textum interpretantur. Ita, inter alios, S. Hilarius, *de Trinit.,* IV, 25 *{P. L.,* X, 113) : ""Abraham conspectis tribus unum adorat, et Dominum confitetur. Scriptura adstitisse viros tres edidit ; sed patriarcha non ignorat, quis et adorandus sit et confitendus ". Quam interpretationem et S. Ambrosius alibi tradit, *Defide,* I, 13, 80, *P. L.,* XVI, 547.

l Brtv. Rom., Domin. Quinquag., resp. 2.

Abraham, Deus Isaac... ” ‘. , Porro multi Patres, præsertim antiqui, docuerunt illum Angelum esse divinam personam, a Patre missam ideoque ab Eo distinctam, hominibus sese manifestantem, nempe Verbum, ut ita homines ad Incarnationis mysterium præpararentur ’.

Quidquid est, in his theophaniis pluralitas quædam in divinis adumbrabatur. Patres vero, Christiana revelatione illuminati, has adumbrationes exposuerunt et, de facto, posita Trinitate, omnes textus citati et alii multi clarius intelliguntur.

2° Quædam trinitas adumbratur.

! Judæi quidem perfectum *monotheismum* profitebantur. Attamen in unico Deo apparet gradatîm quædam trinitas : nempe *Sapientia* quæ Deo Creatori assistit, et *Spiritus Dei* quasi sint aliquid divinum a Deo distinctum.

' 584. (A) De Messia et divina Sapientia, (a) Prophetæ, dum *Messiam* annuntiant, aliquando ita eum extollunt supra homines ut Deo ipsi æquiparare videantur. Ab eis enim vocatur non solum Emmanuel (Deus nobiscum)3, sed etiam “ Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis ”4. Ejus origo antiquissima est : “ Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis ” 5. Eidem, qui a Daniele vocatur *Filius hominis,* competit suprema potestas : “ Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum ; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur”6. Jamvero hæc omnia, etsi a Judæis recte non intellecta, optime congruunt Verbo incarnato, et haberi possunt tanquam præparatio ad revelationem evangelicam mysterii SS. Trinitatis.

585. (b) In quibusdam libris Vet. Testamenti ita exhibetur Dei *Sapientia,* ut *haud improbabiliter inferri possit,*

l *Gen.,* XXXI, 11-13; A-xW., III, 2 sq.

’ P. Lagrange, *Rev. bibl.,* 1903, p. 212-225, asserit *exegetice* mysterium SS. Trinitatis ex his manifestationibus minime inferri posse.

\ III. S· Quæ appellatio *per se* posset esse symbolica, et nihil aliud exprimere nisi fiduciam in Deum qui nobiscum est, ut animadvertit J. Lebreton, *op. at.,* p. 122. —(ψχα., IX, 6. — s *Mich.,* V, 2.

» *Daniel,* VII, 13-14· Quæ quidem verba Christus sibi applicat, *Matth* XXVI, 64.

omnibus locis simul collatis, *eam non esse merum Dei attributum,* sed *quamdam divinam personam.*

Ita, in libro *Job* [1], describitur Sapientia ut homini praeexistens, cujus pretium est inæstimabile, abscondita ab oculis hominum, per quam omnia creata et ordinata sunt. Pariter, in libro *Baruch*a, [2] tanquam attributum Dei exhibetur, quo recte omnia reguntur, et liber mandatorum Dei, lex æterna, quæ postea hominibus visa est et cum eis conversata. Quæ quidem, si sola inspiciuntur, de attributo divino *personificato* intelligi possunt.

586. Sed, *in libris sapientialibus, non ut mera proprietas, sed quasi persona a Deo distincta eique æqualis adi^mbratur.* i In *Proverbiis* 3, Sapientiajta-nquam *divinuspræcô* exhibetur, in excelsis et in mediis semitis stans, et ad se vocans homines, ut audiant veritatem ; quo efficacius alliciat homines, suas *dotes* commemorat, suamque *æternam originem,* promittitque *bona quæ solus Deus concedere* valet :

"Ego Sapientia, habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Per me reges regnant.. Ego diligentes me diligo... Mecum sunt divitiæ et gloria... Dominus *possedit me* in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio : *ab aterno* ordinata sum... nondum erant abyssi et ego jam *concepta eram*... quando appendebat fundamenta terræ, cum eo *eram cuncta componens*... Nunc ergo filii audite me... Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam ",

Jamvero hujusmodi verba valde hyperbolica essent, si de *poetica personificatione* intelligerentur, præsertim ea quibus Sapientia dicitur a Deo *concepta* et *genita ;* aliunde eidem tribuitur *vis creativa :* "cum eo eram cuncta componens... ego feci ut oriretur lumen " ; *supremum dominium super reges* .-"per me reges regnant"; *æternitas :* "Ab aeterno ordinata sum ". *Haud improbabiliter* igitur præfata verba de divina *hypostasi* intelliguntur. Aliunde plerique *Patres,* scilicet plusquam viginti ab *Athenagora* ad *Augustinum,* præfata verba audierunt de divina persona a Patre distincta, licet pauci de mero attributo divino ea intellexerint [4].

[1] *Job.,* XV, 7-8 ; XXVIII, 12-18 ; XXXVIII-XXXIX.

[2] *Bar.,* III, 15, 29, 32-35; IV, 1-2. — [3] *Prn.,* VIII, 1-36.

[4] Cfr. Patrizi, *De interpret. Script.,* l. II, q. 2, n. 10. — Ariani ipsi de Verbo intelligebant præfata verba; sed, quia versio gneca habebat κὐριο

587. Confirmatur ex iis quæ in libro *Ecclesiastici*[1] de eadem Sapientia dicuntur. Hæc enim *ex ore Dei procedit,* quasi *primogenita* ante creaturas, et in cælo habitans : " Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam... Ego in altissimis habitavi..." — Pariter, in libro *Sapientiæ,* ejus *natura, dotes* et *distinctio ab ipso Deo* describuntur : ut *spiritus*[2] exhibetur, emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius[3]; omnia potest, et in se permanens omnia innovat, disponit omnia suaviter, doctrix est disciplinæ Dei et electrix atque artifex (τεχνῖτι) operum illius*, primum hominem a delicto suo eduxit, populumque electum omnipotenti atque paterna providentia direxit[5].

Quæ quidem omnia, simul sumpta, personam a Deo distinctam eique æqualem, non quidem evidenter ex solo textu, sed probabiliter arguunt[6]. Hanc conclusionem certam postea facient tum prologus S. Joannis et Epistola ad Hebræos tum communis Patrum interpretatio.

588. (B) De *Spiritu Dei* frequenter etiam agitur in Vetere Testamento[7] hic nempe, tempore creationis, fere-

ἐκτισε με (creavit me), dicebant Filium a Patre creatum esse, ideoque Ei inferiorem. Catholici autem admittebant hæc verba ad Filium referenda esse, sed vocem ἐκτισε exponebant eo sensu quod divina Sapientia a Deo concepta, genita aut formata esset, non autem proprie creata.

[1] *Eccli.,* XXIV, 1-47. — [3] *Sap.,* I, 6; VII, 22; IX, 17.

[4] Sa/., VII, 25-26. — [«] Sa/. VII, 27; VIII, 1-6. — [5] *Sa/.,* X-XI.

[6] Ad rem J. Lebreton, *op. cit.,* p. 118 : " Ce n'est point à dire que toute la Trinité soit là. Seule la Sagesse se distingue de Dieu, et encore n'a-t-elle pas tout le relief d'une personnalité vivante... Cependant c'est bien dans ce livre que nous trouvons le pressentiment le plus net du dogme chrétien, et bientôt l'interprétation authentique de l'épître aux Hébreux y fera apparaître en pleine lumière cette théologie du Verbe que nous n'avcns pu y distinguer qu'obscurément". — Nec aliter J. Touzard, in *Rev. du Cl.fr.,* t. LXVII, 15 juil. 1911, p. 146 : " Ainsi donc, à côté de Dieu et en lui, sans d'ailleurs que son unité, si sacrée aux Juifs, en soit atteinte, la Sagesse se dresse; œuvre de Dieu, sortie de sa bouche comme la parole qui manifeste l'intelligence, elle l'accompagne dans la création, elle y préside à côté de lui. Faisons la part de la personnification poétique ; mais reconnaissons aussi que l'idée de la Sagesse divine dépasse de beaucoup celle d'un simple attribut".

[7] J. F. Wood , *The Spirit of God in biblical literature,* London, 1904; H. B. Swete*, *Holy Spirit,* in *Hastings Did. of the Bible,* t. II, p. 402 sq ; J. Lebreton, *op. cit.,* p. 100-110; Labauche, *op. cit.,* p. 34-36.

batur super aquas, ut eas fecundare£^2) postea describitur ut *principium vitee,* sine quo nil subsistere potest, a quo facies terræ renovatur 2^3) tanquam *ccelestium donorum distributor,* qui super Messiam requiescet, eique dona spiritualia impertietur 3; illuminans prophetas 4, sanctificans homines 5; aliquando dicitur *missus* a Deo in mundum quasi nuntius Dei : "Emittes Spiritum tuum et creabuntur"6* Sed distinctio personalis Spiritus Sancti, solis exegeseos regulis, vix ex his textibus inferri potest, et reipsa nonnisi accedente luce Novi Testamenti percepta fuit.

589. Conclusio. Omnia hæc de Messia, de Sapientia et de Spiritu Sancto, nobis apparent tanquam varia elementa, quæ simul coordinata, mentem optime *disponebant* ad pleniorem mysterii SS. Trinitatis manifestationem. Judæi tamen non videntur ea plene intellexisse, nec in unum corpus doctrinæ coadunasse : quapropter nonnisi obscuros et vagos conceptus de quadam pluralitate in Deo habuerunt, ut ex eorum scriptis constat. ττ: 'IZΣ -4L-? H ' j ^ - '

II. Rabbinorum Palaestinensium doctrina de Deo et Messia exponitur 7.

590· Hujusmodi doctrina invenitur in Veteris Testamenti *versionibus* et *paraphrasibus* lingua aramaica scriptis circa finem primi sæculi post Christum *{Targums),* in quibus traduntur opiniones tempore Christi in Palaestina vigentes 8; necnon in *Apocryphis* paulo ante vel post Christum redactis, praecipue in libro *Henoch,* ubi agitur de Messia ?. Ex his fontibus constat doctrinam de Sapientia, et Messia in libris sacris expositam, haud parum fuisse falsis conceptibus obnubilatam.

59L i° De Deo. Rabbini imprimis Dei transcendentiam et unitatem saepe inculcant. Nomen Dei proprium *lawheh* pronuntiare non audent, sed ei substituunt *Adonai {Dominum).* Inter Deum

r\ to'i'
('Jen., I, 2. — 3 *Ps.* 144»_29-30; *Isa.,* XXXII, 15, etc.
(y *Isa.,* XI, 2-3; LXI, i. — * *II Reg.,* XXIII, 2; *Os.,* IX, 7-
**Ezech.,* XI, 19; XXXVI, 26. — 6 *Ps.* CHI, 30; *zi. Judith,* XVI, 17.
i M. Hackspill, *Eludes sur le milieu religieux et intellectuel contemporain du N. Test.,* in *Rev. bibl.,* 1902; J. Lebreton, *op. cit.,* p. 126-152.
8 Celebriores sunt paraphrases ab *Onkelos* et *Jonathan* redactæ.
' De Apocryphis in genere vide Nau, in *Diet. d'Apolog.* (A. d'Alès), t. I, p. 161 sq. ; de libro Henoch speciatim cfr. F. Martin, *Le Livre d'Henoch,* Paris, Letouzey, 1906.

et hominem immediatas relationes esse nolunt : Deus non proprie apparet hominibus, sed coram eis sua manifestat attributa; homines non loquuntur Deo, sed coram Domino; hic non extendit brachium ad rebelles puniendos, sed mittit potentiam .suam. Ita attributa Dei, quæ inter Eum et homines quasi media stant, potius *velant* quam manifestant ejus majestatem.

Sapientia Dei plerumque non ut persona sed ut *poetica personificatio* exhibetur; immo mox ei æquiparatur aut substituitur *Lex* seu *Thora.* — *Verbum Dei,* quod vocatur *Memra,* non amplius Sapientiæ comparatur, sed praedicatur de ipso Deo ad designanda præsertim divinæ Providentiæ opera externa : v. g., foedus inter Deum et Noe aut Abraham dicitur foedus inter *Memra Dei* et patriarchas. Itaque Verbum Dei non habetur pro persona media inter Deum et homines, sed pro velamento quo divina actio tegitur.

Spiritus Dei vocatur Spiritus Sanctus, ejusque actio sanctificans agnoscitur; sed non amplius prophetas inspirat, et ejus personalitas mox evanescit locumque cedit spiritibus bonis et malis, de quibus frequenter agitur tempore quo Christus apparet.

592. 20 De Messia. (A) In apocryphis (praecipue libro *Henoch* et quarto libro *Esdræ)* non invenitur generatim nomen Messiae, sed describitur persona a Deo electa, quæ nomine ipsius regnabit; in quibusdam locis tanquam homo depingitur, in aliis (quæ forsan sunt interpolata) ut ens transcendens. Attamen, in parte libri *Henoch,* quæ dicitur *liber parabolarum* *, Messias annuntiatur hominibus valde superior, ab angelis distinctus, ante creationem a Deo electus et in ætemum regnaturus; vocatur Filius hominis, et judicabit in æquitate non solum homines sed et angelos, secundum opera sua. Notandum est autem hujusmodi testimonium esse unicum, et a plerisque Judæis praetermissum.

(B) In *Targumim* et *Psalmis Salomonis,* Messias depingitur ut merus homo, a Deo electus ad liberandum populum Israel eumque in praxi legis dirigendum, minime vero ut persona divina.

III. Doctrina judæo-hellenica de Deo et λόγω declaratur[3].

Tempore Christi, apud Graeco-Romanos, duo praecipua systemata vigebant, nempe *sloicismus* et *neo-platonismus,* quibus adjungi debet *Philonismus.* seu systema quo *Philo* Judaicos conceptus graecæ philosophiæ accommodare tentavit.

593- 10 docebat *mundum esse ens anima et ratione praditum;* hanc autem animam mundi esse subtilem materiam

‘ F. Martin, *op. cit.,* p. 79 sq. ; cfr. p. XXXVIII sq.

’ J. Lebreton, *op. cit.,* p. 1-88, cum multis auctoribus ibi allegatis.

rationis compotem omnia pervadentem; omnia entia quæ mundum constituunt, ab uno eodemque Ente oriri, ad quod pariter tendunt atque ultimo redibunt; principium *activum* seu *animam* mundi, quatenus est animus seu flatus, dici πνεύμα, seu *spiritum,* et, quatenus est rationabile, vocari λόγον. Secundum Stoicos igitur, λόγο *est anima mundi activa, ratio universalis, e qua omnis anima humana dimanat et ad quam reverti debet.* Ita Stoicismus panthéisme affinis est, quia spiritus et λόγο sunt *emanationes divinitatis;* sed veram trinitatem personarum in Deo non admittit.

594· 2° *Neo-platonismus* admittit Deum esse ens a mundo distinctum atque *transcendens,* et quidem ita ut *directe* et *per se* in mundum, qui est essentialiter malus, agere nequeat, sed solum mediante aliquo ente spirituali quod λόγο dicitur. Hujusmodi λόγο est simul Dei *idea* et *organum : idea* nempe seu archetypus et exemplar mundi, *organum* seu instrumentum et *demiurgus,* quo conduntur omnia : est igitur *creatura,* sed aliis perfectior. Hic pervadit omnes creaturas, præsertim vero hominem. Quia vero in homine simul invenitur materia, certamen instituitur inter λόγον, seu principium bonum, et materiam seu principium malum. In hoc igitur systemate admittitur ens *intermedium* inter Deum et mundum, minime vero Trinitas.

595· 3° *Philonismus.* Philo, Judæus Alexandrinus, an. 20 ante Christum natus, monotheismum Judæorum cum neo-platonismo Alexandriæ vigente conciliare conatus est. Deum *unum* et verum, *revelatione* simul et *ratione* cognitum, agnoscit et colit. A Scriptura mutuatur doctrinam de Deo uno, personali, bono et benefico, misericorde, sancto, provido et homines diligente. Sed, cum Græcis philosophis, admittit Deum ita esse a creaturis remotum ut inter eum et mundum quasi media sint quædam entia, *(virtutes* seu *potestates'),* inter quæ eminet ὁ λόγο . Secundum Philonem, entia ontologice ita ordinantur : supremo gradu, Deus ipse; secundo, ὁ λόγο ; tertio, vis creatrix; quarto, potestas regia; quinto, potestas benefaciens; sexto, potestas punitiva; septimo, mundus seu κοσμο . Utrum vero necne hæ potestates sint propria personalitate præditæ, non tam clare constat; sed multo probabilius videtur eas nihil aliud esse quam varios aspectus divinitatis, quos mens nostra, propter suam infirmitatem, seorsim considerat. Idem dicendum de λόγφ : hic enim est verbum Dei, exemplar rerum quas creavit, vis quæ omnia fecundat, et per quam omnia subsistunt, et veluti *anima* quæ totum *mundum pervadit,* vivificat et in unum colligat. Attamen, quanquam ter vocatur Deus aut Deus secundarius (θεὸ , δεύτερο θεὸ), multo probabilius videtur hunc λόγον esse, sicut alias virtutes, conceptum quemdam divinum; nam Philo docet multiplicitatem in Deo esse *apparentem* tantum, non realem, ita ut

SrzZr/k AA-. /J

mens nostra, si satis perspicax esset, nihil aliud in Deo perciperet nisi perfectam unitatem. — Philo itaque vel *modalismum* vel *sutordinatismum* inculcat, non vero trinitatem.

596. Tria igitur hæc systemata præbuerunt quidem *vocabula* quibus mysterium Trinitatis menti Græcorum accommodari posset, non autem ipsam doctrinam; sed *viam paraverunt erroribus* qui in primis sæculis notionem mysterii adulteraverunt : ita stoicismus *modalismo* favebat; neo-platonismus arianismo, et philonismus utrique.

Art. I. De trinitate personarum in unitate naturæ.

597. Status quaestionis. Mysterium SS. Trinitatis, ex dictis supra, n. 568, in eo essentialiter situm est quod in Deo *tres sunt et tres tantum personæ realiter ab invicem distinctes, unica* autem *natura* non solum specifice, sed etiam *numérisé,* ita ut tres personae sint *consubstantiales* et *coaquales.*

i° Errores. Quia vero humanæ rationi difficile est *unitatem* naturæ divinæ cum *trinitate* personarum conciliare, triplicis præsertim generis prodierunt errores : 1) alii, ut melius salvarent unitatem naturæ, *unicam in Deo personam* esse contenderunt sub *diverso respectu spectatam,* ideoque *antitrinitarii* vocati sunt, quales fuere *Modalistæ, Monarchiani* et *Rationalistes ;* 2) alii, ut distinctionem personarum in tuto ponerent, earum *inesqualitatem* propugnaverunt, ut *Subordination* et *Ariani;* alii tandem, distinctionem simul et æqualitatem servare volentes, plus minusve in *tritheismum* propenderunt, talem distinctionem inter personas instituendo ut exinde inferri logice possit tres esse naturas in Deo seu tres deos.

f

Antiquos errores suo loco exponemus argumentum Traditionis evolvendo, n. 622 sq.

598. Sed pauca de *recentioribus* erroribus dicenda sunt.

(a) *Rationaliste* Trinitatem rejiciunt; sed quandoque, ad fucum faciendum, nomen retinent, ejus sensum penitus mutando. Ita, secundum *Rant,* Deus *creator* et *legislator* est Pater, quatenus *gubernator* dicitur Filius, et ut *justus judex* vocatur Spiritus.

(b) *Panthéiste* suam trinitatem habent. Juxta *Hegel,* Idea-Ens, quod se determinando rerum universitatem constituit, triplici stadio

suam evolutionem prosequitur : primum stadium est *Idea abstracta* seu *Deus in se,* secundum est *Idea ad extra* prolata seu *Natura,* tertium est *Idea in se reversa,* sui conscia facta in *Homine*[1]

Cui theoriæ affine est *Theosophte* systema secundum quod unum est Ens aeternum, infinitum, incognoscibile, quod sese manifestando fit *Logos,* et evolvendo fit *triplex : primus Logos* est radix essendi; *secundus* est *primitiva dualitas,* nempe *spiritus-materia,* principium *activum-passivum, pater-mater* mundorum; tertius est *intellectus universalis,* thesaurus omnium exemplarium quæ successive apparebunt. Hæc est, inquiunt, antiqua et esoterica sapientia, fundamentum omnium religionum!

(c) Inter *Protestantes,* alii, ut *Lutherani, Calviniste, Anglican* et omnes qui *Orthodoxi* dicuntur, catholicam de Trinitate profitentur doctrinam ; alii vero, nempe *Liberales,* Socinianorum et Unitariorum vestigiis inhaerentes, coutendunt Christum non esse Deum, sed prophetam eximiæ sanctitatis, Spiritum vero esse virtutem aut operationem Dei [a], et ita personarum trinitatem negant.

(d) Idem fere docent *Moderniste,* qui, post *Harnack, Holtzmann* et *Loisy,* fidem Christianorum in Trinitatem ita explicare conantur [λ] Christus, inquiunt, minime docuit Deum esse trinum, sed tantummodo Eum esse omnium Patrem, simulque Spiritum. Ejus discipuli ab initio credebant quidem in Deum Patrem, et in hominem Jesum Christum divinum legatum, et in Spiritum seu virtutem et operationem Dei, sed tres hujusmodi terminos non habebant ut personas distinctas, immo nec in eadem formula fidei conjungebant. Circa an. 80, jam apparet in Evangelio Matthæi formula baptismi in qua simul connumerantur Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quin tamen hi pro totidem divinis personis haberentur. Paulo post quidam christiani, Philonis systemate imbuti, Christum putarunt esse *Logon* seu ens inter Deum et hominem quasi medium; alii, hellenicis theoriis addicti, censuerunt eum esse *Filium Dei* sensu litterali, ideoque Patri æqualem : quæ theoria, post multas disceptationes, a Nicæno Concilio fuit definita. Spiritus, qui primum pro Dei virtute habitus erat, tertio sæculo, ducibus Clemente Alex., Origene et Tertulliano, tanquam *hypostasis divina* a pluribus agnitus est, non tamen sine maximis controversiis, et res plene non fuit definita nisi an. 381. Dogma igitur

[1] Quod systema exposuimus in *Syn. theol.fund.,* n. 1046-1049. — Cfr. G. Busnelli, S. J., *Manuale di Teosofia :* p. II, Teosofia e cristianesimo, Roma, 1911.

[2] Cfr. F. Lichtenberger*, *Encyclopédie des Sc. religieuses,* Paris, 1882, t. XII, vocabulo *Trinité.*

[3] Ita, inter alios, Ant. Dupin (quicumque est), in *Rev. d'hist. et de litt. relig.,* 1906. — Quem confutatum vide in *Confér. Apologétiques* par Bourchany, Périer, Tixeront, Paris, Gabalda, 1910, p. 291 sq.

Trinitatis nihil aliud est nisi theoria judæo-hellenistica, per quatuor priora sæcula lente elaborata!

599. 2° Doctrina catholica. Contra quos errores ostendemus ex doctrina ipsius Christi, qualis a Traditione authentice intellecta fuit, *tres esse in Deo terminos vere distinctos* qui merito *persona* vocantur, et hos tres esse *coæquales* et *consubstantiales,* ideoque *unum Deum.* Quæ quidem eadem thesi comprehendemus, ne bis aut ter eosdem textus allegare et explicare cogamur : multi enim ex his textibus simul trinitatem personarum et unitatem natura declarant.

600. *Thesis :* Tres sunt in Deo personæ realiter ab invicem distinctae, nempe Pater, Filius et Sniritus Sanctus, in una eademque numerice natura.

Tria in thesi includuntur : (a) unum esse Deum; (b) Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse tres terminos vere distinctos; (c) hos tres ejusdem numerice naturæ esse æqua-

Symbolis et *C. Lateranensi IV* jam allegato, n. 562.

§ I. Thesis ex Novo Testamento demonstratur[1].

Praenotamus mysterium SS. Trinitatis ibi revelari ex sua cum mysterio Incarnationis connexione. Directe quidem sacri scriptores agunt de *Christo,* sed ejus vitam aut doctrinam describendo, tres divinas personas diserte commemorant.

Inter textus allegandos, alii ad *tres* simul personas, alii speciatim ad Patrem, Filium aut Spiritum Sanctum referuntur.

I. Testimonia in quibus de tribus personis agitur.

601. 1° In evang. Synoptieis. (A) In mysterio *Annuntiationis :* (a) *trinitas personarum* satis clare enuntiatur; ibi enim videmus Angelum a Deo *Patre* missum : " Missus est Angelus Gabriel a *Deo* in civitatem Galilææ"2; deinde

[1] Maldonatus, Knabenbauer aliique commentatores in Evangelia; Corluy, *Spicilegium dagmalico-biblicum ;* J. Lebreton, *op. cit.,* p. 241 sq. ; L. Labau-

6. — «

exhibetur *Spiritus Sanctus* ut efformaturus animam et corpus Christi in utero Virginis *Spiritus Sanctus* superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi '1; tandem *Filius* annuntiatur ut ex virgine nasciturus : " Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur *Filius Dei* " *a.*

(b) Earumdem *consubstantialitas* non potest quidem evidenter demonstrari ex hoc solo textu; sed jam innuitur, quia secunda persona vocatur *Filius* Dei ; hanc vero appellationem intelligendam esse sensu *proprio ex* parallelis locis alibi probabimus, et jam inferri potest ex eo quod infra Maria vocatur *mater Domini* 3, seu mater Dei : ergo ejus Filius est vere Deus. Divinitas autem Spiritus S. subobscure significatur verbis quibus vocatur *Spiritus Altissimi,* sicut Filius dicitur *Altissimi Filius.*

602. (B) *In Baptismo Christi* trinitas manifestatur *sollemni theophania.* Clare enim apparet : (a) *realis distinctio* Jriqm personarum, qon solum variis *nominibus* quibus designantur, sed etiam *operationibus* plane distinctis quas efficiunt; siquidem *Pater* loquitur de cælo : " Et ecce vox de caelis dicens : hic est Filius dilectus quo mihi complacui 4; *Filius* autem baptizatur a Joanne Baptista et ascendit de aqua : " Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua tandem *Spiritus Sanctus* ab utroque distinguitur, nam dum Pater de cælo loquitur, Ipse descendit super Christum, et quidem sub corporali specie columbæ : " Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum " 6 ; evidens est igitur illos tres non esse unam personam, sed tres personas realiter distinctas.

(b) *Unitas* autem *natura* ibi non quidem tam clare sed tamen aliquo modo apparet; nam Christus asseritur Filius Dei, et quidem per excellentiam; vocatur enim ὑ ὑιό cum articulo, et additur : " in quo mihi complacui ", ut declaretur eum esse Filium *proprium* et præ omnibus dilectum^ —

l Luc., I, 35. — 9 *Luc*
‹ *Mattii.,* ΓΪΓ, I7· — ^*MatthÇlW,* 16

*Γ*Recte ait Maldonatus in h. loc. : " Ostendit enim gemino articulo se non de quovis, sed de naturali, de unico, de ætemo, de sibi æquali filio loqui. Αγαπητόν, dilectam... Athanasius unigenitum interpretatur. Hoc enim epitheto non apud Homerum solum, sed etiam in S. Litteris unigenitos filios soli-

Spiritus autem vocatur *Spiritus Dei,* seu a Deo ipso procedens, ut plenius alibi explicabitur, ac proinde substantiæ divinæ particeps.

γ 603. (C) *In formula baptismi,* a Christo tradita antequam ad cælos ascenderet, dum apostolos mittebat ad praedicandum evangelium : " Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine (εἰ ονοjjτα) Patris et Filii e| Spiritus SanctŒ (a) Ibi enim apparet personarum *trinitas;* nam in textu græco tum conjunctio χαἰ tum articulus τοϋ repetuntur ante nomen cujusli t personae; repetitio autem articuli tam emphatica vix "explicari potest^sine reali distinctione personarum ; insuper Pater certo est alids^ a Filio, et si ita est, tertius terminus, seu Spiritus S., debet esse persona a duabus aliis distincta, quippe cum eis annumeretur.

(b) Ex iisdem verbis deducitur etiam naturæ *unitas ;* nam ~ 1) baptizari *in nomine* (ει το ὀνομα) alieujus est ei devoveri cultu religioso qui soli Deo debetur, ut constat præsertim ex doctrina S. Pauli circa justificationem et baptismum2; 2) insuper, secundum eumdem Apostolum, baptizari est justificari a peccato et gratiam sanctificantem accipere 3; jam vero gratia non potest dari nisi in nomine, seu virtute, seu auctoritate Dei 4 ; ergo tres personæ, in quarum nomine datur gratia, sunt realiter Deus, ac proinde unius divinæ naturæ æqualiter participes 5.

tos appellari, sicut e contrario Joannes unigenitum posuit pro carissimo " *{Joan.,* Ill, 16; *IJoan.,* IV, 9).

ffjlalth., XXVIII 19.

\Jiom., VI, 3-13; *I Cor.,* I, 12-15; Ill, 26-28.

111, '5-7.----------

cur Christus voluerit hac forma dari baptismum fuit 6t ut declararet unde vim baptismus haberet, nimirum ex Patre qui Filium suum misit, ut pro hominibus moreretur; ex Filio, qui baptismum instituit, et quodammodo sanguine irrigavit, et fertilem, uberem, efficacem effecit; ex Spiritu S., qui, sicut aqua extrinsecus corpora, ita ipse intrinsecus animos sanctificando lavat (Maldonat., in h. 1.). Quod quidem implicite tradit 5. *Paulus (I Cor.,* 12-13), dum Corinthios reprehendens, asserit eos non in nomine alicujus creatura, sed in nomine Dei baptizatos esse.

5 *Rationalists* et *Liberales,* vim hujus textus percipientes, ejus genuinitatem negare conati sunt, præsertim ex eo quod Eusebius verba Christi ita allegat : baptizantes eos in *nomine meo* . Sed incassum ; nam : a) omnes codices textum receptum referunt ; b) pariter omnes Patres qui Eusebium pracessemnt,

^604. 2° In epistolis Apostolorum. (A) S. Paulus gratiæ sanctificantis concessionem tribus divinis personis tribuit : " Gratia *Domini nostri Jesu Christi* et caritas *Dei* et communicatio *Sancti Spiritus* sit cum omnibus vobis "(*? De caritate agens, quæ in mystico corpore Ecclesiæ praevalere debet, tres personas commemorat : " Unum corpus et unus *Spiritus*... unus *Dominus,* una fides, unum baptisma, unus *Detis* et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis Æqualitas autem personarum infertur ex eo quod ad collationem gratiæ, quæ soli Deo competit, tres simul conferunt.

(B) Nec aliter S. *Petrus :* " Petrus apostolus *Jesu Christi*... secundum praescientiam *Dei Patris,* in sanctificationem *Spiritus,* in obedientiam et aspersioner?! sanguinis *Jesu Christi :* gratia vobis et pax multiplicetur '^3?)

605. 3° Apud Joannem, perspicue affirmantur trinitas personarum earumque æqualitas. (A) In *promissione Spiritus Sancti* a Christo facta in Coena ultima. Ait enim Christus : " Ego rogabo Patrem, et *alium* Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum... " " Paraclitus autem Spiritus Sanctus, *quem mittet Pater* in nomine meo, ille vos docebit omnia...'(T) (a) Sane realis esse debet *distinctio* inter Patrem qui *mittit* Spiritum, et Filium qui *rogat* Patrem ut Spiritus mittatur, et Spiritum ipsum qui *mittitur* a Patre, in nomine Filii ; nam mittens a misso, Pater a Filio distinguitur; aliunde Spiritus dicitur *alius* a Filio;et ita tres habemus personas vere distinctas.

(b) Ex contextu apparet etiam trium personarum *consubstantialitas :* i) paulo-enim antea *Christus* dixerat : "qui videt *me,* videt et *Patrem*... Non creditis quia ego in Patre

inter quos : S. Irenæus, *Hares.,* III, 17, 1, *P. G.,* VII, 929; Hippolytus, *C. Noét.,* 14, *P. G.,* X, 821; Tertullianus, *P. L.,* I, 1215; Origenes, *in Rom.,* V, 2, *P. G.,* XIV, 1024; c) sæculo IV, Patres orthodoxi sæpe eo utuntur contra Arianos, quin isti ejus genuinitatem negaverint; d) Eusebius ipse aliquando breviorem formam et aliquando formam receptam allegat, secundum scopum quem sibi praefinit : ipse igitur genuinitatem textus agnoscebat. Cf. E. Lebreton,

P· 553-564- r|
(yj *Car.,* XIII, 13. IV. 4 5-
Qi *Petr.*. I. 1-2. XIV. lû, 20.___

et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite" 1 : quæ quidem verba perfectam æqualitatem Patris et Filii important, præsertim si sumantur cum toto contextu, et loco parallelo " Ego et Pater *unum* sumus... 2) *Spiritus Sanctus* dicitur procedere a Patre, vocatur Spiritus veritatis : " *Spiritum veritatis qui a Patre procedit* " 3, *porro* is sane aequalis est Deo qui ita procedit a 15eo ut sit veluti *fons veritatis,* ipsique tribuatur scientia perfecta quæ necessaria est ad Apostolos illuminandos de omnibus ad fidem pertinentibus, etiam de rebus futuris : " Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem veritatem :* non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis " 4. Ergo ex promissione Spiritus Sancti merito infertur trinitas et æqualitas personarum.

(B) Celebre est etiam *comma Johanneum* in quo diserte asseritur trinitas et consubstantialitas personarum : " Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt " 5. Hunc textum esse *dogmatice authenticum,* quatenus nempe jam a multis sæculis in Vulgatam et in libros liturgicos receptus fuit, ideoque firmu argumentum fidei Ecclesiæ in præfatum mysterium,dubitari nequit. Aliunde doctrina 1B1 exposita cum ea quam tradit Joannes in Evangelio omnino consonat.

606. *Scholion de historica genuinitate hujus textus*^ Hac de re magna orta est controversia.

(A) *Adversarii genuinitatis* sic arguunt : textus ille deest in omnibus *codicibus greeds* qui aliqua auctoritate gaudent ; nam 193, quibus 60 lectionaria accedunt, eo carent, dum 4 tantum illum continent, ex quibus duo juniores sunt (sæc. XV-XVI), duo alii illum habent in margine scriptum manu recenti ; deest pariter in multis *latinis codicibus,* præsertim in *Fuldensi* et *Amiatino,* qui sunt simul antiquissimi (sæc. VI) et accuratissimi, et si inveniatur in junioribus codicibus plerisque, id tribuendum est *Prologo* in epist. catholicas, qui sub Hieronymi nomine a falsario sæc. sexto fuit confectus ; deest etiam in præcipuis versionibus *Syriaca, Philoxe-*

1 XIY» 9› 1 u —J, 3θ·— 3*Joan,** XV, 26.

niana, et *Copticis;* nunquam ab ullo Orientali Patre adhibitus est, nec certum ejus vestigium in latina Ecclesia ante sæc. V invenitur; atqui constans hoc et unanime silentium, tempore quo controversiæ de Trinitate agitabantur, evidenter ostendit hunc versum fuisse penitus ignotum; valde probabiliter illud comma, quod nunc in textu legitur, erat solummodo *explicatio marginalis* vers. 8, quæ postea in ipsum textum irrepsit.

(B) *Authentice patroni* dicunt : Illud comma semper exstitit in versione latina, quæ antiquitate græcos codices superat; nam in plerisque *latinis codicibus* reperitur, a multis Patribus commemoratur, *Tertulliano, Cypriano, Augustino, Eugenio* et 450 Episcopis, qui in professione fidei regi Ariano Hunnerico oblata (a. 484) idem citant et explicant, allegatur a C. Lateran. IV (1215) [1] et a plerisque scriptoribus usurpatur. Omissio versus in græcis codicibus facile explicatur quia versus 7 et 8 sunt *homoioteleuti,* id est eodem modo terminantur, ita ut scriptores a fine versus 7 ad initium v. 9 facile transilierint. Aliunde a *Tridentino* jubemur libros sacros " integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in *vetere vulgata* editione latina habentur, pro sacris et canonicis suscipere ".

Hodierni tamen theologi, cum *Comely, Pesch* aliisque, fatentur a *Tridentino* nil hac de re decisum fuisse, quia Concilium de iis partibus agebtxt quæ a Protestantibus tunc rejiciebantur.

607. **Conclusio.** Attamen 5. *Officium* de authenticate hujus textus interrogatum : " Utrum tuto negari, aut saltem in dubium revocari possit esse *authenticum* textum S. Joannis in epistola prima cap. V, vers. 7', qiiod sic* se habet : *Quoniam tres sunt...* ", feria IV, die 13 Januarii 1897, respondendum mandavit : *Negative* ". — Quod quidem decretum a Catholicis debita cum reverentia atque obedientia accipiendum est. Non exinde tamen prohibetur ne docti inter Catholicos *te historica genuinitate* adhuc inquirant, dummodo parati sint Ecclesiæ decisionibus obedire [2]

[1] D. B.,431.

[3] Confirmatur declaratione S. Officii, ab initio privatim data er 2 jun. 1927 publici juris facta, quod " minime impedire voluit quominus Scriptores catholici rem plenius investigarent atque... in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare judicio Ecclesiæ ". (*Enchiridion biblicum,* n. 121 et *E. A.,* L XLVI, p. 307). Ad quæstionem critice expendendam, cf. Wiseman, *Essays,* Two letters on I John, V, 7 ; Franzelin, th. 4 ; Le Hir, *Etudes bibliques,* Les trois témoins célestes; Forster *, *A new plea for the authenticity of the text;* Bisping, *Exeget. Handbuch,* Munster 1871, VIII, p. 365 sq. ; Schanz, *Aberle's Einleitung,* Freiburg 1877, p. 124 sq. ; J. P. Martin, *Introd, a la critique textuelle,* t. 5; Comely, *Introd.,* HI. n. 231 sq. ; K. Kunstle, *Das comma Joan.,* Freiburg, 1905; L. Billot, *of. cit.,* p. 472-479; L. Janssens, p. 136-168.

II. Testimonia in quibus de personis singulatim sumptis agitur.

i° De Deo Patre.

608. Pauca tantum de *prima persona* attingimus, tum quia omnes qui Scripturae auctoritatem accipiunt admittunt Patrem esse personam divinam, tum quia testimonia quibus ostenditur Filium esse a Patre distinctum eique aequalem eo ipso divinitatem primae personæ supponunt.

Animadvertere sufficiat Deum, in *N. Testamento, patrem* vocari non tantum *sensu metaphorico* quoad creaturas, sed *sensu proprio* quatenus vere Filium sibi coæqualem generat. Ita, apud S. *Paulum* legitur : " Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi... Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula... Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi"[1]. Apud *S. Joannem* asseritur Verbum esse apud Deum [2], Christum esse Patris unigenitum Filium [3], et in toto capite XVII Christus Patrem tanquam Deum saepius invocat.

2° De Deo Filio seu Verbo.

609. (A) In synopticis Evangeliis, Christus (seu Verbum incarnatum) describitur non tantum ut *distinctus a Patre,* sed etiam *eidem æqualis,* præsertim si varii textus conferuntur. Siquidem depingitur tanquam regni spiritualis *supremus legislator,* propria auctoritate leges condens [4], *thaumaturgus* propria virtute miracula patrans [5], *Filius Dei vivi* sensu prorsus diverso ac homines [6]; *peccata remittit,* et quidem nomine proprio, sicut Deus ipse [7]; *hominesjudicaturus* est tanquam supremam potestatem in eos exercens. Pariter solus, inter omnes creaturas, perfecte Patrem novit sicut et Pater ipsum novit : " Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis

[2] *II Cor.,* I, 3; XI, 31; *Ephes.,* I, 3. — [3] *Joan.,* I, I. — [3] *Joan.,* I, 16.
[4] *Matth.,* V, 21-22; 27-29; 31-32; 43.44; *Lue.,* VI, 20-36.
[5] *Maith.,* VIII, 1-5, 7; IX, 28; *Marc., N,* 41; *Luc.,* VI, 19; VII, 14, etc.
[6] *Matt.,* VI, 32; VII, 11; X, 33; XIV, 33; *Marc.,* VIII, 38; *Luc.,* XXII, 29; XXIV, 49; sed præcipue *Matth.,* XVI, 13-17; XXVI, 63; *Marc.,* 61-62.
[7] *Matth.,* IX, 2-8; *Marc.,* II, 5-12; *Luc.,* V, 20-26; VII, 36-50.

novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare”1. Hæc enim mutua et perfecta Patris et Filii cognitio supponit amborum æqualitatem. — Hujusmodi testimonia multaque alia fuse exponentur ubi de divinitate Christi in *Tr. de Verbo Incarnato*.

610. (B) Apostoli, post acceptum Spiritum Sanctum in die Pentecostes, non solum divinam Christi missionem, sed ejus *divinitatem* manifeste prædicant. Ita, inter alios, S. *Paulus,* et quidem multoties. 1) In *ep. ad Romanos,* non solum vocat Christum *proprium Dei Filium2,3* sed etiam *Deum :* “ Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est *super omnia Deus benedictus* in æter-

cum Patre similitudinem, aeternitatem, potentiam creatricem : “ Qui est *imago Dei invisibilis,* primogenitus omnis creaturae ; quoniam *in ipso* condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes... omnia *per ipsum* et *in ipso* creata sunt, et ipse est *ante omnes,* et omnia in ipso constant ” 4. Quæ quidem attributa *soli Deo* competunt. 3) In *ep. ad Philippenses,* æqualitatem Christi cum Patre aperte declarat, et exinde infert divinos honores ipsi deberi : “ Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se *aequalem Deo*... Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum ” 5.

1 *Matth.,* XI, 27; cfr. *Luc.,* X, 22. — Hunc textum esse genuinum tum ex Patribus qui eum allegant, tum ex variis codicibus ostendit **J. Lebretoû**, *op.* P· 545*552. — * *Rom.,* **VIII,** 32.

3 *Rom.,* IX, 5. — Unitarii et Rationaliste contendunt hæc verba pon de Christo, sed de Deo Patre praedicari, ac proinde punctum ponendum esse ante pronomen *qui;* sed hoc repugnat auctoritati *Codicum,* cum inter 250 Codices quatuor tantum interpungant aliter ac in Vulgata, auctoritati *versionutn* antiquarum quæ eumdem sensum exhibent ac Vulgata; regulis *grammatica,* cum pronomen *qui* referendum sit ad nomen proxime praecedens ; tandem *contextui,* cum nihil indicet inopinatam sermonis mutationem. Cfr. **Corluy,** *Spicileg.,* L II, p. 24 sq.; **Sanday-Headlam** *, *Romans,* p. 233-238; **A. Durand,** *La divinité de J.-C. dans St Paul,* in *Rev. biblique,* 1903, p. 550-570; **Prat,** *Thiol, de S. Paul,* **II,** 149.

Coloss., i, 13-20. Cfr. **Lightfoot,** * *Colossians,* p. 139-158 **Prat,** *La Thiol, de S. Paul,* L I, p. 398-403; **Lebreton,** *op. cit.* p. 301.

s *Philit).*. **II, 5-II.** Quem textum fusius declarabimus in ***Tr. de Verbo***

611. (C) In Evangelio Joannis res tam aperte declaratur ut Rationalistæ ipsi id fateri debuerint, et vim argumenti eludere conati sint, hoc Evangelium auctori cuidam secundi sæculi, contra criticae leges, tribuendo.

(a) *In prologo Evangelii* hæc scribit : " In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt ; et sine ipso factum est nihil quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum..." x. Ibi clare exhibetur: i) *distinctio Verbi a Patre,* nam dicitur " Verbum erat *apud* Deum " ; nemo enim recte dicitur esse *apud semetipsum;* aliunde illud vocabulum paulo infra (18) his verbis declaratur : " unigenitus Filius, qui est *in sinu* Patris, ipse enarravit"; ex quibus evidenter colligitur Verbum a Patre realiter distingui, cum inter Patrem et Filium, inter sinum Patris et Illum qui in sinu Patris est, realem distinctionem admittere necessarium sit.

H

2) *Perfecta æqualitas cum Patre ;* nam Verbum vocatur *Deus;* " Et Deus erat Verbum " ; in quo inciso sine dubio *Verbum* (δ λόγο) est *subjectum,* et *Deus prædicatum,* ut constat tum ex connexione sermonis, tum ex articulo δ qui *Verbum* praecedit; aliunde vox *Deus* suam propriam retinet significationem, ut patet ex parallelismo : " Verbum erat apud *Deum,* et *Deus* erat Verbum ", cujus sensus est : Verbum non minus Deus est ac ille apud quem fuit a principio.

›

Ejus *aternitas* pariter asseritur : " *In principio erat* Verbum nonnulli Patres et theologi hæc verba eodem modo accipiunt ac si diceretur "iw *ceternitate*", suamque interpretationem firmant loco parallelo3 ubi dicitur : " annuntiamus vobis *vitam ceternam,* quæ erat apud Patrem alii eadem intelligunt de initio temporis seu creationis, ita ut sensus sit : quando nondum aliquid factum erat, jam erat Verbum; *directe* igitur asseritur Verbum exstitisse ante

Incarnato. — De doctrina S. Pauli circa divinitatem Christi, ideoque Verbi, cf. Prat, *Thiol. de S. Paul,* 6e éd., L II, p. 137 sq.; E. Lebreton, *op. cit>,* P· 352-388; E· Levesque, *Comment S. Paulprouve la divinité deJ*-C.t* 1918.

'Joan., I, 1-5. Hoc argumentum egregie tractarunt S. Augustinus, *tr.* Z, *inJoan. ;* S. Thomas, *Comment, inJoan.,* cap. I ; Maldonat, in h. 1. ; Corluy I, 138 sq.; Patrizzi, *de Evangeliis,* 1. III, dis. 8; Th. Calmes, *Evangile selon StJean,* 1904, p. 81-144; J. Lebreton, *op. cil.,* p. 447-463.

creationis tempus, et *indirecte* a tota æternitate, cum Scriptura hoc modo loquendi utatur ad æternitatem designandam '. "Quod a principio est, ait *Théophylactes,* ejus nullum omnino tempus inventum est quando non erat

Insuper eidem ascribitur *vix creatrix :* " omnia *per ipsum* facta sunt, et *sine ipso factum est nihil quod factum est",* quasi Joannes voluerit haereticorum exceptiones rejicere, ac dicere nihil omnino, nullaque excepta re, factum fuisse quod sine ipso factum fuerit 2

Ei tribuitur *origo vitæ* tam naturalis quam supernaturalis : " *in ipso vita erat" ;* quæ quidem verba alibi 3 ab ipso Christo sic declarantur : " Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso " ; seu aliis verbis, Verbum est ipsa vita subsistens, et auctor vitæ æque ac Pater. Quod non solum de vita naturali praedicatur, sed etiam de *supernatural^* nam additur : " *et vita erat lux hominum " ;* siquidem Verbum erat " lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum " (9), ea revelans quæ ratio humana attingere nequit, præsertim secreta Dei ; " Deum nemo vidit unquam ; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit " 4.

Ipse est pariter nostræ *justificationis auctor,* cum per eum efficiamur filii Dei adoptivi : " Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri " 5. Porro hæc omnia soli Deo conyeniunt ; ergo Verbum est vere Deus vereque Patri æquale.

612. (b) Eamdem aequalitatem *per totum Evangelium* Joannes affirmat. Christus omnia quidem accepit a Patre, sed eo ipso omnia agit quæ Pater operatur : " Pater diligit Filium; et omnia dedit in manu ejus...6 Quaecumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit " 7. Ita, sicut Pater, potestate gaudet suscitandi mortuos, et homines judicandi :

' Cf. *Joan.,* XVII, 7 ; *Ephes.,* I, 4; *Col.,* I, 17; *Eccli.,* XXIV, 14.

' Frustra objicitur propositionem *per* (διά) causam *instrumentaient,* non efficientem designare; sæpe enim hæc particula causam efficientem principalem significat, v. g. : " Fidelis Deus, *per quem* vocati estis in societatem Filii ejus ". ⁄ *Cor.,* I, 9; cf. ***II*** *Cor.,* I, i ; *Gaiat.,* I, I ; *Rom.,* XI, 36, etc.

4 *Joan.,* I, 18. —Cfr. *Joan.,* III. 11-13; VI, 46; VIII, 23, 38 ; XVI, 30.

5 *Joan.,* I, 12. — 6 *Joan..* III. "ïi.

"Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio" [1]. Nec mirum; nam ejusdem naturae est ac Pater : " Ego et Pater unum sumus" [2]. — Nec dicatur postea Christum sua verba emollivisse, citando textum Scripturae, in quo etiam homines dicuntur dii; hoc enim, inspecto contextu, est argumentum *a minori ad majus,* quasi diceret : si homines, quibus Deus locutus est, possunt aliquo sensu vocari filii Dei, nonne a *fortiori* vocari possum Filius Dei, et quidem in sensu proprio? Nam, addit : "si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre " [3]; quæ quidem verba important Christum vere Filium Dei esse, æqualem Patri, cum faciat ipsa opera Patris, et in Patre seu in sinu Patris habitet, ex dictis supra. Quod et Christus in ultima Coena his verbis confirmat : " Qui videt me, videt et Patrem... Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est... Alioquin propter opera ipsa credite " [4]. Nulli igitur bonæ fidei dubium esse potest Christum seu Filium Dei, secundum Joannem, esse simul a Patre distinctum eique æqualem.

3° Testimonia de Spiritu Sancto.

613. (A) In synopticis, etsi *Spiritus Sanctus* minus frequenter commemoretur quam Filius Dei (quia non incarnatus), manifestatur tamen etiam ut distinctus a Patre et Filio, eisque coaequalis, cum ei tribuantur divina opera, præsertim *prophetia* et *sanctificatio* animarum. Ita Joannes Baptista, Elizabeth et Zacharias dicuntur Spiritu Sancto repleti [5]; Simeon *propheticum responsum* acceperat *a Spiritu Sancto,* et venit *in Spiritu* in templum [6]. Joannes Baptista annuntiat excellentius baptisma *in Spiritu Sancto* conferendum [7]. Christus a *Spiritu* agitur in desertum, posteaque in Galilæam[8]. Declarat verbum contra Filium hominis

[1] *Joan.,* V, 21-22 ; cfr. 25-30.
[2] *Joan.,* X, 30. — [3] *Ibid.,* 37-38. — [4] *Joan.,* XIV, 9, 10, 12.
[5] *Luc.,* I, 15, 41, 67. — [6] *Luc.,* I, 26-27.
[7] *Matt.,* III, II ; *Marc.,* I, 8; *Luc.,* III, 16.
[8] *Matt.,* IV, I ; *Marc.,* I, 12; *Luc.,* IV, 1, 14.

remitti posse, minime vero blasphemiam contra *Spiritum Sanctum* [1]; et exinde Patres quarti sæculi inferunt Spiritum esse vere Deum. Annuntiat Spiritum Sanctum discipulis auxilium praestiturum, quando ad praesides et ad reges ducentur propter nomen Christi.

614. (B) Apostoli frequenter etiam commemorant *Spiritum Sanctum,* Spiritum Domini, Spiritum Jesu, qui effunditur super omnem carnem, præsertim super justos, ut hi prophetare valeant; qui homines sanctificat eosque replet sapientia, fide et gaudio; qui olim futura praedixit per os prophetarum; qui nunc inspirat discipulos, novos apostolos seligit, eosque regit ac dirigit, et episcopos constituit atque juvat in regenda Ecclesia [2]

Hunc autem Spiritum non esse *merum Dei attributum,* sed personam vere *distinctam* ac *divinam,* constat non solum ex superius dictis, sed etiam ex Apostolorum dictis et scriptis.

(A) *Distincta personalitas* ex eis locis apparet ubi Spiritui ascribuntur proprietates et operationes quæ non merum attributum sed verum suppositum arguunt. Siquidem ipsi tribuitur *intellectus :* " Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei " 3; eidem *voluntas et operatio* assignatur : " Hæc omnia *operatur* unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout *vult"* 4; ei pariter speciales tribuuntur operationes : ... " Dixit illis Spiritus S. : Segregate mihi Saulum et Barnabam " 5... " In quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei " 6.

B) Spiritus S. est *vere Deus,* ac proinde Patri et Filio æqualis; nam : (a) vocatur *Deus;* siquidem S. Petrus diserte asserit mentiri Spiritui Sancto idem esse ac mentiri Deo : " Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui S.?... Non es mentitus hominibus,sed Deo "7. (b) Ipsi tribuitur *omniscientia* circa res divinas : " Spiritus omnia

[1] *Matt.,* XII, 31-32; *Marc.* III, 28-30; *Luc.,* XII, 10.

[2] Act. II, 4, 17.18, 38; IV, 8-31; V, 3; VI, 3, 5, 10; VIII, 39; XIII, 2-4; XVI, 6-7; XX, 22, 23, 28, etc. — [3] *I Cor.,* II. 10.

[4] *I Cor.,* XII, II. — [5] *Act.,* XIII, 2.

[6] *Act.,* XX, 28; cf. *Act.,* XIX, 2; *Rom.,* VIII, 26, etc. — [7] *Act., N,* 3-4.

scrutatur (id est, perfecte comprehendit), etiam profunda Dei ". (C) Eidem assignatur opus *regenerationis, justificationis* et *sanctificationis,* quod Deo proprium est, utpotevera deificatio : " Abluti estis, justificati estis in nomine D. N. Jesu Christi, et in *Spiritu Dei nostri"* 2. (d) Eidem debetur cultus *latria;* siquidem, ex S. Paulo 3, corpora nostra templum sunt Spiritus S. : " An nescitis quoniam membra vestra *templum sunt Spiritus S.* qui in vobis est?"; atqui templum soli Deo ædificatur; ergo Spiritus S. est Deus : quæ quidem conclusio ab ipso S. Paulo deducitur, quando post verba citata addit : " glorificate et portate Deum in corpore vestro (e) Ei pariter ascribitur *futurorum prædictio,* quæ soli Deo competit : " Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines " 4... " Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus S. per os David " 5. (f) Ei tandem tribuuntur *varia charismata,* omniaque *dona vuraculosa* quæ primis Christianis concedebantur : " Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus... Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiæ... alii gratia sanitatum in eodem Spiritu ; alii operatio virtutum, alii prophetia... Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus " 6. Ergo Spiritus S. est vere Deus.

615. Apud S. Joannem, de Spiritu Sancto clare pariter, etsi minus diserte quam de Filio, agitur. In primis capitibus jam Spiritus Dei commemoratur, v. g., occasione baptismi Christi et baptismi christiani : " Super quem videris *Spiritum* descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in *Spiritu Sancto* 'I... Nisi quis renatus fuerit ex aqua et *Spiritu Sancto,* non potest introire in regnum Dei " ».

Sed, in sermone ad discipulos in ultima Ccena, *explicite* annuntiatur Spiritus Sanctus, tanquam *alius a Patre et Filio,* eisque tamen *cequalis,* et cum eis ad sanctificationem animarum cooperans : " Et ego rogabo Patrem, et alium Parachtum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum

* / *Cor.,* II, io. — ' *I Cor.,* VI, 11. — 3 / *Cor.,* VI, 19. — * *II peir.,* I, 21. s *Act.,* I, 16; ci. *Ad.,* IV, 25; *Ad.,* XX, 20-23.

veritatis, quem mundus non potest accipere... Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis" l. Quod jam supra declaravimus n. 605.

616. Conclusio. Inspectis igitur inspiratis libris N. Testamenti, clare apparet revelationem a Christo allatam de vita Dei interiore ad hoc contrahi, nempe *unum esse Deum,* sed *tres terminos distinctos* quos personas vocamus, nempe *Patrem,* qui ab aeterno unigenitum Filium generat, *Filium* seu Verbum a Patre genitum, et *Spiritum Sanctum* qui ab utroque procedit; tres autem personas esse *perfecte æquales* in natura. Quæ quidem doctrina omnino differt a vagis falsisque conceptibus *Stoicorum,* de λόγω et Spiritu qui ad *panlheismum* ducunt; a *neo-platonismo,* cujus λόγο est creatura ceteris perfectior; et a *Philonismo,* juxta quem λόγο est vel creatura inferior vel merum Dei attributum. Doctrina igitur Christi non a græcis philosophis mutuata fuit, sed nova et lucida manifestatio veritatis jam in Vetere Testamento adumbratæ.

§ II. Traditione mysterium SS. Trinitatis INVICTE PROBATUR.

617. Contra *Unitarios, Liberales* et *Modernistas* contendimus Ecclesiam ab initio *explicite* credidisse et prædicasse mysterium SS. Trinitatis, non quidem modo *scientifico,* utendo verbis *natures,personæ* et *trinitatis,* sed modo *simplici* et *concreto,* docendo *unum* esse Deum, sed simul Deum esse *Patrem,* ejusque *Filium* Jesum Christum, *ab Eo distinctum, esse vere Deum,* pariterque *Spiritum Sanctum, ab utroque distinctum, esse Deum.* Cum autem divinitas Filii in C. *Nicæno* (325), et divinitas Spiritus S. in C. *Constantinop.* (381) sollemniter definita fuerit, concedunt adversarii jam ab illo tempore fidem in tres divinas personas universalem evasisse; postea vero dogma expolitum est accuratiori notione naturæ et personæ. Tria itaque tempora distinguemus : 1° *ante-niccena;* 2° *post-nicæna* usque ad sæc, VIum; 30 a sæc. λ7!0 ad sæc. XXura.

[1] *Joan.,* XIV, 16, 17, 26; cfr. XV, 26; XVI, 7-15.

In *prima ætate,* modo *simplici* et *concreto, explicite* tamen, mysterium enuntiatur : *Unus est Deus,* sed *tres sunt in Deo termini distincti, Pater, Filius* seu *Verbum* et *Spiritus Sanctus.* — Quidam Patres mysterium *philosophice* declarare incipiunt, sed non omnino accurate.

In *secunda estate,* ab Ecclesia definitur *consubstantialitas Verbi* contra Arianos et *consubstantialitas Spiritus Sancti* contra Macedonianos, et ita dogma perfectæ aequalitatis trium personarum lucidius declaratur.

In tertia aetate, *expoliuntur* notiones *natures* et *persona,* ct ita dogma *philosophice* simul et *accurate* definitur.

I. Testimonia ante-Nicæna.

618. Hic sedulo distinguendum est inter documenta quæ *ipsam Ecclesies fidem* referunt, et ea quæ simul cum fide *philosophicas theorias* miscent. In prioribus, fides modo *simplici,* plus minusve distincte, *recte* tamen exponitur. In posterioribus, substantia quidem mysterii recte declaratur, sed aliquando *accidentales* inveniuntur *errores* in modo mysterium conciliandi cum philosophicis doctrinis. Nec mirum; tunc enim sensus verborum *natures* et *personos* non erat clare definitus; praeterea, cum difficile admodum sit conciliare unitatem naturae cum personarum trinitate, quidam inter Patres, ad *trinitatem* distinctius affirmandam, *subordinationem* quamdam Filii et Spiritus Sancti insinuare videntur; alii vero, ad unitatem securius tuendam, *distinctionem personarum nimis attenuare videntur.*

i° Praxi Ecclesiae mysterium SS. Trinitatis probatur.

Quæ praxis invenitur in *modo baptizandi, symbolis* et *doxologiis.*

619. (A) In modo baptismum conferendi. Ecclesia, mandatis Christi obediens, docuit et baptizavit, *fidem in Trinitatem* profitendo et a catechumenis exigendo.

(a) Baptismus enim conferebatur *trina* immersione aut ablutione, ad designandas tres divinas personas.

legitur enim in *Didache*[1] ; " De baptismo autem, sic baptizate ·

[1] *Did.,* VII, 1-3, ed. Funk', t. I, p. 16.

hæc omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva... *Effunde* in caput *ter* aquam *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* " Pariter *Tertullianus* [4] : " Non semel, sed *ter,* ad singula nomina, in *personas singulas* tingimur ". S. *Basilius* vero declarat hunc ritum non ex Scriptura sed ex antiqua traditione originem ducere' : "Ter immergi hominem... ex qua scriptura habemus? Nonne a tacita secretaque traditione? " Idem constat ex antiquissimis canonibus et constitutionibus λ

(b) Conferebatur sub *invocatione trium divinarum personarum,* ut constat ex testimoniis permultis.

5. *Justinus* testatur Christianos ablui non solum in nomine Patris, " sed et in nomine Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, et in nomine Spiritus Sancti, qui per prophetas omnia ad Jesum spectantia praenuntiavit " *Firmilianus Casar,* pariter asserit baptizatum gratiam consequi " invocata trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti "[5]. Idem constat ex omnibus *ordinibus baptismi,* etiam antiquissimis [6].

(C) *Catechumeni,* ante baptismum, *professionem* emittere debebant in *mysterium SS. Trinitatis.*

Ab eis siquidem postulabatur : " Credis in *Deum Patrem* omnipotentem?... Credis in Jesum Christum *Filium Deit...* Credis in *Spiritum Sanctum ParaclitumV'...* Baptizandi autem respondebant : *Credo t.*

Porro ex his omnibus constat fidem in Trinitatem tam necessariam existimatam esse, ut nullus, absque hujus professione, in Ecclesiam reciperetur. Aliunde hæc fides ita exprimebatur ut simul unitatem Dei et trinitatem terminorum seu personarum in Deo involveret. Ergo ab initio Ecclesia vere et explicite docuit mysterium SS. Trinitatis.

620. (B) In variis Symbolis. Jam saeculo secundo commemoratur quædam *regula fidei,* ab apostolis eorumque discipulis accepta, quam christiani profiteri debebant per universum orbem[8]. Jam vero hæc primario complectebatur,

[1] *Adv. Prox.*. c. 26, *P. L.*. II, 190.
[2] *De Spiritu Sancto.* c. XXVII, 66, *P. G.*. XXXII, 187.
[3] Cfr. P. de Puniet, in *Diet. d'Archiol. (Cabrol).* voce *Baptême,* t. II, 251-346. — [4] *Apol.*. I, 61, *P. G.*. VI, 422.
[5] Inter epist S. Cypriani, ep. 75, ed. Hartel, p. 818.
[6] Quos vide ap. P. de Puniet, Le. — [7] Ibidem, 261-262.
[8] De qua S. Irenæus, *Cont. hares.*. l. I, c. 9, 4 *(P. G.*. VII, 546) scribit : ' Sic autem et qui regulam veritatis immobilem apud se habet, quam per bap-

teste *Irenæo* », fidem in Trinitatem, nempe " in unum Deum, *Patrem omnipotentem,* qui fecit cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt; et in unum *Jesum Christum Filium Dei,* incarnatum pro nostra salute; et in *Spiritum Sanctum,* qui per prophetas prædicavit dispositiones Dei ",

Eamdem regulam fidei *Tertullianus* commemorat, " quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit ", quæ est veluti *tessera* qua signantur fideles. Hujus autem summa hæc est : "Unum Deum novit, creatorem universitatis, et Christum Jesum ex virgine Maria Filium Dei creatoris... eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, eucharistia pascitn — Jamvero hujusmodi regula, paulatim ampliata ad nascentes hæreses efficacius 'expugnandas, vocata est symbolum fidei, *symbolum apostolorum,* quippe quæ *fidem ab apostolis traditam* authentice exponeret atque interpretaretur.

Hæc autem nihil aliud est nisi *explicita fidei professio in unitatem Dei et divinarum personarum trinitatem,* ut constat ex variis formis hujus symboli apud diversas ecclesias. Omnes enim fidem profitentur in Deum Patrem omnipotentem, — et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, — et in Spiritum Sanctum qui locutus est per prophetas. Ita manifeste *distinguuntur persona,* simulque earum *aqualitas* asseritur, tum quia sunt æque objectum ejusdem fidei, tum quia de singulis prædicantur quædam divina attributa.

Quod præsertim illustratur egregia fidei professione quam circa 265 expolivit S. *Gregorius Thaumaturgus* * : " Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et virtutis suæ et figuræ : perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, figura et imago deitatis, Verbum perpetrans (seu efficax), Sapientia comprehendens omnia, qua tota creatura fieri potuit... Unus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit : imago Filii perfecti perfecta, viventium causa, sanctitas sanctificationis præstatrix... Trinitas perfecta, majestate et sempiternitate et regno minime dividitur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid aut serviens in Trinitate, tismum accepit". — Cfr. A. Hahn*, *Bibliothck der Symbole ttnd Glattbensregeln der alien Kirche*,* Breslau, 1S97; H. B. Swete', *The Apostles' Creed,* Cambridge, 1899; Vacant, *D. T. C.,* t. I, 1673-1680; Vacandard, *Les origines dit Symbole des Apôtres,* in opere *Etudes de critique,* 1905, et *Rev. des Q- hist.,* Janvier 190S; *D. A.,* t. I, 272-283.

neque superinductum, tanquam antehac quidem non subsistens, postea vero superingressum. Neque ita defuit unquam Filius Patri; neque Filio Spiritus Sanctus : sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper".

621. (C) In doxologiis. A temporibus Apostolorum, Christiani in cultu cum publico tum privato, utebantur variis *doxologiis,* quibus Deum unum et trinum glorificabant.

(a) Quas in usu fuisse a primis temporibus constat ex actis martyrii S Polycarpi, S. Joannis discipuli, qui supra rogum exclamavit : " Domine Deus omnipotens, pater dilecti ac benedicti filii tui Jesu Christi.,, benedico tibi... te glorifico per sempiternum et cælestem pontificem *Jesum Christum dilectum tuum filium,* per quem tibi cum ipso et *Spiritu Sancto* gloria et nunc et in futura sæcula. Amen " *.

Aliunde S. *Basilius* testatur hanc doxologiam frequentatam accepisse a Clemente Romano, Dionysio Romano et Alexandrino Dionysio2.

(b) Ex iis autem doxologiis infertur christianos mystérium SS. Trinitatis credidisse : tres enim personæ ibi recensentur non solum ut *distinctes,* sed etiam ut *æquales,* cum *eadem gloria* seu idem cultus cuilibet reddatur. Id patet quoad formam : *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.* Altera vero forma : *Gloria Patri per Filium in* (aut *cuin'j Spiritu Sancto,* sensum orthodoxum præ se fert, cum ordinem relationum seu processionum significet, non vero personarum inæqualitatem 3. Quia vero Ariani ea abusi sunt, ad suos errores propagandos, prior in Ecclesia praevaluit.

Præter doxologiam *minorem* seu *Gloria Patri,* in Ecclesia jam a saeculo 11° recitabatur *Doxologia major* seu *Gloria in excelsis Deo*,* in quo *fusius* declaratur fides in Trinitatem.

l *Martyr. S. Polya.* n. 14, ed. Funk, p. 330-332. — Similis doxologia refertur a Smymensibus qui martyrium S. Polycarpi descripserunt : u Optamus, fratres, vos valere ac incedere in evangelico sermone Jesu Christi, cum quo gloria sit Deo et Patri et Spiritu Sancto" (Ibid., p. 340-341). Ex quo merito infertur hanc doxologiam esse satis communiter notam. Cfr. S. Clement., *lad Cor..* XX, XXII, XXXVIII, XLIII. etc.; *Didache.* IX, X.

* *De Spiritu Sancto.* XXIX, 72, *P. G..* XXXII, 201. Eam etiam commemorant *Constitutiones ApostoL.* 1. VIII, c. 12-13.

3 Quod jam animadvertebat S. Basilius, *De Spiritu S..* II-VII, *P. G..* XXXII, 734-

4 In libro Pontificali (ed. *Duchesne.* I, 129) dicitur Papam Telesphorum jussisse ut *Gloria in excelsis* die Nativitatis Christi recitaretur.

2° Doctrina Patrum ante-nicænorum de Trinitate

622. In doctrina Patrum ante-nicænorum, tria veluti stadia distingui possunt : (a) *Patres apostolici,* more Apostolorum, mysterium SS. Trinitatis modo concreto exponunt; (b) *Apologistæ* et *Controversistæ* idem vindicantes contra paganos et gnosticos, quosdam *philosophicos conceptus* expositioni fidei miscent; (c) *Patres tertii sæculi,* contra haereticos qui unitatem aut trinitatem impugnant, dogma modo aliquatenus scientifico exponere jam incipiunt.

623. (A) Patres apostolici, Apostolorum vestigiis inhaerentes, modo quidem *simplici* et *concreto,* sed tamen *explicite,* unitatem Dei simulque trinitatem personarum docent.

Ita S. *Clemens Rom.* asserit Patrem esse omnium creatorem, resurrectionis auctorem, omnipotentem et immensum[1]; Filium esse angelis excellentiorem, splendorem divinæ majestatis, immo et Deum[3]; Spiritum Sanctum locutum esse per prophetas[4]; et ita *cuique diversas operationes assignando,* sedulo *tres distinguit personas.* Aliunde earum *unitatem* et *cequalitatem* affirmat : " Nonne *unum Deum {Patrem)* habemus, et *unum Christum* et *unum Spiritum gratis* super nos effusum?... Sicut enim Deus vivit, et Dominus Jesus Christus vivit et Spiritus "[5]... — S. *Ignatius* martyr pariter *tres terminos* in Deo agnoscit : " Præparati in *Dei Patris* ædificium, sublati in alta per machinam *Jesu Christi,* quæ est crux, *Spiritu Sancto* pro fune utentes"[6]; "Studete confirmari in doctrinis Domini... in Filio et Patre et in Spiritu "[7]. Alibi diserte *unitatem Dei* affirmat : " *Unus est Deus,* qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum,, qui est Verbum ejus e silentio progressum "[8]. Præterea hujus Filii divinitatem frequenter asserit. Dubitari igitur nequit mysterium SS. Trinitatis ab eo fuisse praedicatum.

1 Cfr. J. Tixeront, *Hist. des Dogmes3,* 1915, pp. 123 sq., 244, 285, 303, 347» 39°> 462, 479 sq.; R. de Joarnel (R), *Enchiridion pairisticum,* conferendo Indicem theologicum sub vocab. *Deus unus;* J. Lebreton, t. II.

' *Cor.,* XXIV, XXVI-XXVIII.

3 *Cor.,* XXXIV. Ibid., II, 1, secundum lectionem vetustissimi manuscript!, quam accipit *Harnack,* Christus vocatur Deus.

‹ *Coi.,* 'TUI, 1; XLV, 2.

s *Cor.,* XLVI, 6; LVIII, 2.

6 *Ephes.,* IX, i. — 7 *Magnes.,* XIII, 1.

3 *Magnes.,* VIII, 2. — Cf. J. Lebreton, *La Thiol, de la Trinité d'après S. Ignace, R. S. R.,* avril et oct. 1925.

Auctor ignotus *Canticorum Salomonis l,* circa finem primi aut initium secundi sæculi, doctrinam S. Pauli et S. Joannis consocians, docet tres divinas personas ad nostram sanctificationem cooperari : vitam nempe divinam nobis communicari tum per *Christum,* qui alius non est a Verbo divino, quod a principio erat in sinu Patris et omnia sapienter ordinavit; tum per *Spiritum Sanctum,* qui nos renovat et perficit in vita immortali.

624. (B) Apologistæ rem paulo fusius declarant, non solum quatenus *fidei testes,* sed etiam quatenus *philosophi.*

(a) Ut *fidei testes,* doctrinam orthodoxam referunt et docent prout in *Symbolis* jacet.

Ita *S. Justinus* imprimis *unitatem Dei* disertissime asserit : " Nec alius unquam erit Deus, nec alius a sæculo exstitit præter eum qui hanc universitatem fecit ac disposuit. Neque alium nobis, alium vobis (Judæi) Deum esse ducimus, sed ipsum illum qui patres vestros eduxit e terra Ægypti " 2... Attamen in Deo *tres terminos* esse profitetur, *Patrem, Verbum* seu *Filium* et *Spiritum Sanctum :* "Sed eum (Patrem) et Filium qui ab eo venit ac nos ista docuit, et ceterorum qui illum assectantur eique assimilati sunt, bonorum angelorum exercitum, et Spiritum propheticum colimus et adoramus " 3. Præterea speciatim agit de *Verbo* seu *Filio Dei,* a Patre *numerice distincto*4 simulque vere Deo, ejusque *divinitatem* contra Tryphonem Judæum variis argumentis e Vetere Testamento demonstrat 5.

Eamdem doctrinam expolit *Athenagoras,* qui, ad probandum christianos non esse atheos, scribit 6 : " Unum ingenitum et æternum tenemus Deum, invisibilem et impassibilem... Agnoscimus et *Dei Filium...* Sed *est Filius Dei Verbum Patris* in idea et operatione; ab eo enim et per eum facta omnia, cum Pateret Filius unum sint... Atqui *ipsum illum Spiritum Sanctum,* qui in prophetis operatur, effluentiam Dei esse dicimus, emanantem et redeuntem veluti radium solis. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos qui *Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum Sanctum*

' Quæ cantica recenter invenit et publici juris fecit Rendel Harris*, *The Odes and Psalms of Solomon now first editedfrom the Syriac version,* Cambridge, 1909. Cfr. Batiffol et Labourt in *Rev. biblique,* oct. 1910, janv., avril 1911; A. de Boysson, *Les Odes de Salomon,* in *Rev. prat. d'Apol.,* t. XII, 1911, p. 497-503. — 3 *Dial, cum Tryph.,* II, *P. G.,* VI, 498.

3 *Apol.* I, 6; cf. 13. — Hic S. Justinus recenset angelorum exercitum non ut personam divinam, sed quia hic ostendere vult Christianos non esse atheos, sed edere, præter Deum, ipsos angelos qui sub aliquo respectu assimilantur Filio Dei qui et ipse angelus vocatur. Cfr. Tixeront, I, p. 243.

4 *Dial.,* 56. — 5 *Dial.,* 55-56.

8 *Legat, pro christ.,* io, *P. G.,* VI, 908-909. Similia habet η. 12.

asserunt, ac eorum in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant?"

Tandem S. *Theophilus Antiochenus,* qui prior, ut videtur, nomen Τριάδα adhibuit, ait : " Similiter tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt *Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientia*"

625. (b) Quatenus autem *philosophi,* quando nempe dogma catholicum cum philosophia platonica aut stoica conciliare volunt, modis loquendi *cequivuds* utuntur. Nec mirum : laici enim erant aut simplices sacerdotes, infallibilitatis dono minime gaudentes. Sed valde mirandum est eos, non obstantibus falsis systematibus, *divinitatem Verbi* et ejus processionem ex *substantia Patris* clare docuisse.

Pauca afferamus æquivocationum exempla.

i) Dum relationes inter Patrem et Verbum explicare conantur, *aquivoce de aterna generatione* Verbi loquuntur. Verbum, juxta eos, est quidem æternum quatenus *insitum* (ενδιάθετο), sed quatenus *prolatitium* (προφορικό), paulo ante creationem prolatum est et factum est Filius Dei, ut per ipsum omnia crearentur2; ipse vero non est creatura, sed a Patre genitus atque vere Deus. 2) Dicunt pariter Filium genitum esse *voluntate* et *potentia* Patris, et exinde inferunt Ipsum *Patri ministravisse* in creatione Eique aliquo modo esse inferiorem λ 3) Addunt *Verbum,* quatenus a Patre prolatum, *visibiliter apparuisse* in Vetere Testamento, *Patrem* vero esse omnino *invisibilem* 4.

Duplici modo hic *modus loquendi explanatus* est : 1) quidam theologi putant hæc omnia *sensum orthodoxum* pne se ferre : generatio Verbi, inquiunt, duplex a Patribus distinguitur : prior qua procedit a Patre, et hæc ætema est; posterior, qua Verbum constitutum est creator mundi, et hæc fuit in tempore. — Ex eo quod Patres affirmant Patrem *voluntate* genuisse Filium, non sequitur hanc generationem fuisse *liberam* et *temporaneam;* non enim loquuntur de voluntate libera, sed de voluntate *naturali,* quæ coactioni opponitur, et ab ætemo operatur. — Tandem quando dicunt Patrem *invisibilem,* Filium autem *visibilem* esse, non significant Verbum, ratione propriæ naturæ, esse visibile, sed ratione naturæ assumptæ vel assumendæ s.

1 *Ad Atitolye.,* 1. II, 15; *P. G.,* VI, 1077.

' S. Just., *Apol.* II, 6; *Dial.,* 6i; Athenag., *Exhort.,* 10.

3 S. Just., *Dial.,* 56, 60, 71, I27i I28; ApoL If I3_

* S. Just, *Dial.,* 60, 127; Theoph., II, 22.

s Cfr. Card. Billot, *op. cit.,* p. 486-487, not. 1 : " Qua in re non diffitendum est Justinum duriusculis usum esse verbis... Verum emolliri facile possunt". E. Hugon, *op. cit.,* p. 341-346; Tixeront, *op. cit.,* ed. 8>, p. 246-253.

2) Alii autem asserunt quasdam saltem ex hujusmodi locutionibus *erroneas* esse, eas præsertim quæ ad *temporalem generationem* Verbi spectant; hujusmodi errores circa rem *nondum definitam* oriri ex falsis conceptibus philosophiæ græcæ circa transcendendam Dei, quos supra exposuimus, n. 594; — exinde vero nil contra Ecclesiæ auctoritatem objici posse : nam, ut diximus in *Tr. de Fontibus Revel..,* n. 975-977, singuli Patres non sunt infallibiles, præsertim quando more philosophorum arguunt; — nec etiam inferri posse hujusmodi Patres mysterium SS. Trinitatis ignorasse aut negasse, sed solum *inhabilesfuisse ad conciliandum dogma cum philosophia;* vidimus enim eosdem diserte affirmavisse simul unitatem Dei atque realem distinctionem trium terminorum in Dec, immo et *Verbi divinitatem;* — nec *afortiori* Ecclesiam errasse de mysterio tanti momenti : hæc enim, ut supra ostendimus, non philosophice quidem, sed modo simplici jam a primævis temporibus quæ ad fidei substantiam spectant aperte docebat.

626. Inter controversistas eminet S. *frenatus,* Lugdunensis episcopus, qui adversus Gnosticos, præsertim Valentinianos, librum scripsit contra hæreses (176-179).

Gnosticismus[1], cujus commune consilium erat doctrinam Christianam cum theoriis philosophicis conciliare, et scientiam γνώσιν fide perfectiorem instituere e duplici diverso fonte oriebatur : (a) ex theoriis *rabbinicis* quæ contendebant Deum inter et mundum esse entia veluti media, angelos nempe, Christum vero esse unum ex his angelis aliis excellentiorem ; (b) e philosophicis placitis *Stoicorum* et *Neo-Platonicorum,* qui docebant entia inferiora a Deo emanare per longam seriem *eonum* plus minusve perfectorum, Christum autem et Spiritum inter perfectiores *eones* esse. Ita multi inter Gnosticos quamdam trinitatem admittebant, sed *subordinatianismo* favebant. Quos jam impugnaverant Apostoli in suis epistolis [2], et quidam Patres secundi sæculi; diserte vero eos confutavit S. Irenæus, simulque genuinam de Trinitate exposuit doctrinam.

Summa ejus doctrinæ hæc est.

Unus et *idem* est Deus, justus simul ac misericors, Creator cæli et terræ, qui a prophetis prædicatus est et ab evangelistis annuntiatus [3]. In eo tamen *tres termini* vere distinguuntur, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus : — 1) *Filius* qui etiam Verbum dicitur a Patre genitus, et quidem ab æterno,

[1] Tixeront, *Hist, des Dogmes,* I, p. 192-206.
[2] *Coloss.,* II, 8; *Ephes.,* VI, 12; *I Tim.,* I, 20; *II Tim.,* II, 17; IV, 4; *II Petr.,* II, 10-11 ; *I Joan.,* I, 18, 19, 22, 23; IV, 3, 15, etc.
[3] *Cont. hares.,* III, 9-15, 25; IV, [illegible] Cfr. R. n. 218-219.

est et ipse vere Deus; per eum omnia facta sunt; per eum Deus sese angelis et Hominibus manifestavit. 2) *Spiritus Sanctus,* etsi ab Irenæo non vocatur Deus, divinis tamen attributis prædítus apparet : aeternus est, simul cum Patre ad creationem hominis concurrit, et locutus est per Prophetas l : vere igitur Deus est.

627. (C) Tertio Sæculo, quidam haeretici nempe *Noetus, Praxeas, Epigonus, Cleomenes* et *Sabellius,* dum Dei unitatem simulque Verbi divinitatem in tuto collocare vellent, theoriam introduxerunt quæ *personarum realem distinctionem* plus minusve aperte negabat.

(a) Asserebant *Noetus* et *Praxeas* (exeunte sæc. 11° et incipiente 111°) Patrem et Filium non vere distingui, sed esse *diversa nomina* ad eamdem personam designandam : " Duos unum volunt esse ut *idem Pater* et *Filius* habeatur " hic error *monarchianismus* dictus est, quia unicam in Deo personam agnoscebat. Quia vero Patrem incarnatum esse dicebat, passum et mortuum, hic enor *Patripassianismus* dictus est.

(b) Medio sæc. 111°, *Sabellius* propugnavit *modalismum* ita dictum, quia non personas distinctas, sed tantum *accidentales modos* in Deo admittebat. — Postea idem error modo magis philosophico expositus est : dixerunt nempe Modalistæ *unam esse* in Deo *personam,* eam vero *triplici modo sese manifestasse,* ut *Legislatorem* in Veteri Testamento (Patrem), ut *Redemptorem* in Novo (Filium), et ut *Sanctificatorem* animarum (Spiritum Sanctum).

628. In Occidente, contra hæresim Noeti scribens, S. *Hippolytus* personarum trinitatem et divinitatem diserte asserit : " Necesse est ergo ut, quamvis nolit, confiteatur *Patrem Deum omnipotentem,* et *Christum* Jesum Filium Dei, *Deum factum hominem,* cui omnia Pater subjecit præter se, et *Spiritum Sanctum;* et hos esse *vere tres* " 3.

Declarat Verbum esse a Deo *genitum, non creatum,* ideoque vere *ab eo distinctum;* nec tamen duos esse deos, sed unum : "Cum alium dico, non duos deos dico; sed tanquam lumen ex lumine, et aquam ex fonte, aut radium a sole. Una enim virtus quæ ex toto est ; totum vero Pater, ex quo virtus Verbum " 4. Attamen tempo-

Cont. hier., I, io, i ; IV, 20, i; V, 6, 1. Fidei formulam quam S. Irenaeus ab Ecclesia recepit, jam retulimus, n. 620.

3Tertul., *Adv. Praxeam,* 5.

3 *Contra Noet.*^ 8, *P. G.,* X, S16. —‹ *Ibid.** n, *p,* × 817.

rali generationi Verbi et subordinatianismo favere videtur; proptereaque a Papa Callisto reprehensus est De Spiritu Sancto non tam diserte loquitur, quia controversia cum Noeto erat de solo filio. Expresse quidem non dicit Spiritum esse personam sed *œconomiam* [1]; ex contextu autem et ex toto tractatu apparet Spiritum vere esse Deum sicut Patrem et Filium : " Ergo Verbum incarnatum cernimus; Patrem per eum intelligimus; Filio credimus; *Spiritum Sanctum adoramus* ".

629. *Praxeam* strenue impugnavit Tertullianus (213-225) in libro ubi non minus lucide *unitatem substantia* quam *trinitatem personarum* asserit variisque comparationibus illustrat : " *Unicum* quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione quam *œconomiam* dicimus ". Hanc porro œconomiam ita declarat : " Custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ *unitatem in trinitatem disponit,* tres dirigens, *Patrem,* et *Filium,* et *Spiritum Sanctum.* Tres autem *non statu,* sed *gradu;* nec *substantia,* sed *forma;* nec *potestate,* sed *specie : unius* autem *substantia,* et unius *potestatis,* quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formæ et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur " [3].

1) Distinctio inter personas est *numerica :* " Duos quidem definimus, Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit *numerum* ". 2) Hi vero tres sunt *unus Deus :* " Et Pater Deus, et Filius Deus, et Deus unusquisque " [4]. Et infra [5] : " Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paraclito, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres *unum* sint, non unus; quomodo dictum est : *Ego et Pater unum sumus,* ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem ". — Speciatim *Spiritus Sancti divinitatem* diserte asserit ejusque processionem a Patre per Filium [6]. Tertullianus igitur certo docet personarum trinitatem et substantiæ unitatem.

Attamen, quando *philosophice* relationes inter Patrem et Filium explicat, minus recte loquitur de generatione Verbi, quam temporalem supponit, et de ejus perfecta æqualitate cum Patre : " Pater enim tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur, " Quia Pater major me est " [7]. Sed, ut jam dixi-

1 Cfr. A. d'Alès, *La Théologie de St Hippolyte,* Paris, 1906.

2 " Duos quidem deos non dicam, sed unum ; personas vero duas; œconomiam tertiam, gratiam dico Sancti Spiritus" (C. *Noet.*, 14, *P. G.,* X, 822).

3 *Adv. Prox.,* 2, *P. L.,* II, 156-157.

mus, imperfectus hic loquendi modus in rebus nondum definitis tantummodo arguit difficultatem dogma conciliandi cum philosophia ».

630. **Novatianus,** unus e Tertulliani discipulis, Romæ *Sabellium* confutavit in tractatu *De Trinitate,* magistri doctrinam fusius et aliquando accuratius exponens, etsi ejus errores de generatione et inferioritate Verbi non penitus correxit : " Regula exigit veritatis ut primo omnium credamus in *Deum Patrem* et Dominum omnipotentem, id est, rerum omnium perfectissimum conditorem a... qui est sublimitate omni sublimior et altitudine omni altior, et profundo omni profundior 3... Etiam in *Filium Dei,* Christum Jesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium " *. Postea Christum esse verum Deum verumque hominem late probat. Addit nos credere debere " etiam in *Spiritum Sanctum,* olim Ecclesiæ repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum " s. Quanquam Spiritum non proprie nominat Deum, eum vocat divinam æternitatem, cælestem virtutem, illuminatorem rerum divinarum. — Propius igitur veritatem accedit quam Tertullianus, quin tamen ejus loquendi modus sit omnino accuratus 6.

631. In Oriente, dogma SS. Trinitatis duplici errore impugnatus est : *sabellianismo* et *unitarianisino.* Contra Sabellii errorem seu modalismum scripserunt præsertim Origenes et S. Dionysius Alexandrinus.

Origenes, scholæ alexandrinæ decus, *modalistis* doctrinam catholicam opponit : " Nos autem qui *tres personas, Patrem et Filium atque Spiritum Sanctum* esse credimus " 7... Postea ostendit *Filium vere a Patre distingui,* cum ab eo *generetur* et quidem *ab æterno :* "Non enim dicimus, sicut hæretici putant, partem aliquam substantiæ Dei in Filium versam, aut ex nullis substantibus Filium procreatum a Patre, id est, extra substantiam suam, ut fuerit aliquando quando non fuerit; sed, abscisso omni sensu corporeo, ex invisibili et incorporeo *Verbum et Sapientiam genitam dicimus* absque ulla corporali passione, velut si voluntas procedat a

' Ad rem A. d'Alès, *La Théologie de TeriulHen.* p. 103 : " Il se meut dans le sillage des anciens Apologistes... D'une part» il a voulu venger, contre les Monarchiens, la Trinité des personnes divines ; d'autre part, il craint tout ce qui paraîtrait compromettre la majesté du Dieu unique. Entre ces deux positions bien sûres, il cherche avec plus ou moins de bonheur à marquer la ligne du dogme. Son langage est tranchant, et, à considérer sa teneur objective, parfois grossièrement inexact; mais ces faiblesses de détail n'atteignent pas le fond du mystère

3 *De Trinity* I, A Z., III, SS6. — 3 Ibid., 2, A Z., S90.
4 Ibid., A Z., 900. — 5 Ibid., 29, A Z., 943.
6 Cfr. A. d'Alès, 1925, ch. III. —*i In Joan.*. II, 6, A *G.* 127.

mente...”[1] 1) *Verbum* itaque vere est Deus, et quidem quoad substantiam καθ'ουσίαν è<rd Θεο' 2; ipse enim cælorum rex est, et ipsa sapientia est et ipsa justitia, et ipsa veritas λ Immo vere est ὁμοούσιο id est unius substantiæ cum Patre : “ Sic et Sapientia ex Deo procedens ex ipsa substantia Dei generatur ” *. 2) De *Spiritu Sancto* quidem non tam diserte loquitur, sed ex omnibus attributis quæ ei assignat, merito infertur eum esse Deum. Asserit siquidem Eum esse æternum, omnia etiam futura cognoscentem, sanctum sicut Patrem et Filium, iisdemque honoribus dignum 5.

Attamen fatendum est Origenem, dum distinctionem personarum tam diserte asserit, in quemdam subordinatianismum *propendere,* docens Filium aliquo modo inferiorem esse Patri et Spiritum Filio6. Qua in re, Philonis influxum subire videtur.

632. S. Dionysius Alexandrinus, Origenis discipulus, tanto studio *Modalismum* impugnavit ut a quibusdam in *subordinatianismum* incidere visus sit, et hac de causa Romano Pontifici Dionysio denuntiatus. Sed mentem suam clarius exposuit in *Apologia* quam ad S. Pontificem scripsit, (a) Ibi declarabat se *æternitatem Verbi* semper propugnasse : “ Cum sit splendor lucis æternæ, et ipse omnino ætemus est. Luce enim semper existente, manifestum est et splendorem semper existere ” 7. (b) Pariter *consubstantialitatem Verbi* minime negasse : comparationes forsan minus aptas ad veritatem exprimendam adhibuisse, et voce ὁμοούσιο; non usum esse, etsi rem ipsam admitteret, quia hoc vocabulum in Scriptura non invenerat, (c) Affirmabat pariter se nunquam cogitasse Deum esse creatorem Filii 8.

Ita autem suam de Trinitate doctrinam contrahebat ? : “ Patrem dixi, et priusquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre significaram : Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non prius nominassem, is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat : Spiritum Sanctum addidi, sed simul et unde et per quem processerit adjunxi... Sic quidem nos *indivisibilem unitatem in Trinitatem* dilatamus, et *Trinitatem* iterum, quæ imminui nequit, *in unitatem* contrahimus”. Diserte igitur asserebat personarum trinitatem, simulque consubstantialitatem et circuminsessionem, immo et generationem Verbi per mentem.

[1] *De principiis,* IV, 28, *P. G.,* XI, 402-403.
[1] *Selecta in Psalmos,* bomil. XIII, 134. — 3 *In Maith.,* XIV, 7.
4 *Inepist. ad Hebr. fragm., P. G.,* XIV, 1308.
5 *Deprincipiis,* I, 3, 3-4; II, 2, I ; II, 7, 3; IV, 28; V, 35.
6 *In Joan.,* XXXII, 18, *P. G.,* XIV, 821 ; *in Joan.,* II, 6, *P. G.,* XIV, 132.
7 Ap. S. Athanasium, *De seni. Dionysii,* 15, *P. G.,* XXV, 502. — Apologia Dionysii periit, sed excerpta quædam ab Athanasio allegantur.
1 Ibid., 20, 21, *P. G.,* 510-511. — 9 Ibid., 17, *P. G.,* 505-506.

633· *Modalismum* simul et *subordinadanis>num* docuit *Paulus Samosatenus,* episcopus Antiochenus : unica nempe in Deo est persona, in quo tamen duo attributa distinguere licet, Verbum et Sapientiam. Verbum dici potest a Deo genitum, sed non est magis subsistens quam verbum humanum : inspiravit Moysen et prophetas, sed speciatim Jesum, in eoque tanquam in templo habitavit '. Damnati sunt isti errores in triplici Synodo Antiochena (264-269); ibi tamen reprobata fuit vox ὑιχοοὺ ιο , non quia *in se* erronea erat, sed quia a Paulo Samosetano usurpata fuerat ad favendum modalismo ».

634.Animadvertere etiam licet a S. Pontificibus istos errores reprobatos fuisse. Ita Papa Dionysius, in *ep. contra sdbellianos* 3 (an. 260), *modalismum* et *subordinatiani'sinum* diserte reprobat, et rem ita concludit : " Neque igitur admirabilis et *divina unitas in tres divinitates est separanda,* neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda : sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum : Verbum autem Deo universorum esse unitum. Quippe " *Ego,* inquit, *et Pater unum sumus*", et " *Ego in Patre, et Pater in me est*". Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiæ prædicatio integra servabitur".

635.Conclusio. Doctrina Patrum ante-nicænorum sic contrahi potest : divinarum personarum *realis distinctio,* simulque *earum divinitas, Deique perfecta unitas* diserte jam credebantur et prædicabantur; et exinde *logice* sequebatur trium personarum perfecta æqualitas et consubstantialitas.

Dici igitur nequit ante-nicænos Patres mysterium SS. Trinitatis ignoravisse aut in *essentialibus* adulteravisse; ex allatis enim testimoniis constat eorum fidem rectam fuisse, sed tantummodo quorumdam philosophica tentamina ad explicandum dogma catholicum fuisse imparia.

Quod etiam *historice* constat ex eo quod defensores fidei

• Ejus doctrina invenitur in fragmentis quæ collegit Routh, *Reliquia sacra,* III, p. 286-367; et exponitur a S. Epiphanio, *Hares.,* LXV.

' Cfr. S. Athan., *De synodis,* XLIII, *P. G.,* XXVI. 768; S. Hilar., *De synodis,* LXXXI, LXXXVI, *P. G.,* X, 535, 538; S. Basil., *Epist.,* LII. 1, *P. G.,* XXXII, 392·

j *P. G.,* XXV, 462 sq. ; D. B., 48-51.

orthodoxae, tempore arianæ controversiae, confidenter adversarios suos ad Patrum anteriorum fidem et traditionem provocarunt. Ita, v. g., S. *Athanasius* [1] : "Vos autem, o novi Judæi, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis". E contra Ariani fraudibus utebantur, ut suam occultarent hæresim simplicesque deciperent [2]. Atqui hæc duo manifeste supponunt tunc temporis generalem persuasionem fuisse, Patres priorum saeculorum Trinitati omnino favere; ergo.

Revera 5. *Augustinus* [3] scribit : "Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum et novorum tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuant unitatem, ideoque non sunt tres dii, sed unus Deus, quamvis... Pater non sit, qui Filius est... Spiritus Sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus Sanctus... Hæc est fides mea, quando hæc est *catholica* fides".

II. Catholica traditio a C. Nicæno ad sæc. VIum.

Duo exponenda : i° hæresis *ariana;* 2° hæresis *macedoniana.*

i° Ariana hæresis [4].

636. (A) **Arianismus exponitur.** 1) Arius, e Lybia ortus, Luciani Antiocheni discipulus, Alexandrinus presbyter, gnostico principio imbutus quod Deus, præ sua excellentia, non possit directe inferiores creaturas producere et regere, *subordinatianismum* renovavit atque exaggeravit. ^Contendebat enim *solum Patrem esse ingenitum atque æternum, solum proprie Deum; Verbum* autem, utpote genitum, initium habuisse, ideoque *non esse æternum, nec infinite perfectum,* sed præcellentissimam *creaturam,* quam Pater non e propria substantia sed ex nihilo voluntate sua creaverat; Deum Verbo usum fuisse tanquam organo ad creandum mundum

[1] *De decret. Nic. Synodi* 27, *P. G.,* XXV, 465.

[2] Cfr. S. Athanas., *Epist. ad Episc. /Egypt.,* 18; S. Hilar., *de Trinitate,* VI, 4, 7.

[3] *De Trinit.,* lib. I, n. 7, *P. L.,* XLII, 824.

[4] J. H. Newman, *The Arians of the fourth century;* Moehler, *Athanase le Grand* (trad, de l'allemand), Paris, 1840; Melvill Gwatkin*, *The arian controversy,* London, 1898; Le Bachelet, *Arianisme, D. T. C.,* I, 1779-1863.

hominesque redimendos *spiritum Sanctum* esse pariter *creaturam,* non solum Patri, sed Filio inferiorem, cui nec divina substantia nec divina gloria competit.^

2) Cujus errores strenue impugnaverunt : *Alexander,* Alexandria episcopus qui coacta synodo centum fere episcoporum, Arium pertinaciter hæresi adhærentem excommunicavit; et praecipue *Athanasius,* hujus ecclesiae tunc diaconus, postea episcopus, qui non solum eruditis operibus, sed etiam multarum persecutionum patienti toleratione, dogma catholicum invicte propugnavit.

3) Non pauci tamen episcopi et sacerdotes, præsertim Ægyptiaci et Syriaci, subordinatianismo plus minusve infecti, novam hæresim amplexi sunt et propagarunt. Cui etiam faverunt ii omnes qui plus minusve erroribus gnosticis, sabellianis, subordinatianis imbuti erant, necnon quidam e Græcis exemplo Constantini conversi, sed ab hellenicæ philosophiæ erroribus non satis alieni. Ita mox late diffusus est Arianismus.

637. (B) Concilium Nicænum. Ad pacem Ecclesiæ *primum universale concilium,* in quo acriter Arius suos errores defendit, Athanasius vero non minus fortiter impugnavit Primum quædam formulæ fidei propositae sunt, quas Ariani in sensum±æreticum detorquebant; tandem, post multas disceptationes, definitum est *Verbum esse Patri consubstantiale,* δμοούσιον, ut ita omnis æquivocatio tolleretur. ‘

Fidei formula hæc erat 1 : “ Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substantiae cum Patre, quod Græce dicunt *homousion,* per quem omnia facta sunt... Et in Spiritum Sanctum... ”

638. (C) Arianismus postnicænus. (a) Quidam tamen ex Arianis Nicæno decreto acquiescere noluerunt, inter quos ipse Arius, Eusebius Nicomediensis, Theognis, qui, primum a Constantino in exsilium missi, postea in patriam revocati, astute hæresim iterum propagarunt, juvante præsertim Constantio imperatore. Quibus accesserunt Eusebii Cæsareensis aliique Subordinatianismo faventes. Quorum ope, jussuque Constantii, Athanasius damnatus est, multique defensores catholicæ fidei in exsilium missL

[1] Secundum versionem *Hilarii Piitav., P. L.,* X, ^6; D. B., 54.

(b) Intestina autem dissidia orta sunt inter Arianos, qui in tres praecipuas sectas divisi sunt: i) *Strictiores* Ariani *(Anomai, Eunomiani)* dicebant Verbum esse omnino Patri *dissimile,* ἀνόμοιον. s) *Semi-Ariani,* quorum duces fuere Basilius Ancyranus et Auxentius Mediolanensis, hanc impietatem reprobantes, docebant Filium Dei creaturam non esse; dicere tamen nolebant eum esse Patri consubstantialem, sed *Ei similem* ὁμοιούσιον.) 3) Inter oppositas sectas tertia mox apparuit, duce Aeacio Cæsareensi, secta *homœorum* qui, ad conciliandos omnes Anti-nicænos, dicebant Filium esse *Patri similem,* ὅμοιον.— Diversæ igitur fidei formulæ a diversis sectis confectæ sunt, inter quas quædam æquivoeæ, quædam vero heterodoxæ erant.

(c) Defuncto autem Constantio imperatore, exsules episcopi in patriam revocati sunt, fidemque catholicam iterum invicte praedicarunt; et non obstante Valentis imperatoris persecutione, orthodoxia in Imperio praevaluit. Tandem hæresis ariana, quæ Germanas tribus invaserat, sæculo VI prorsus evanuit.

639. Praecipuus orthodoxiæ defensor contra Arianos fuit S. *Athanasius,* cujus doctrina de Trinitate sic breviter contrahitur 1 : (a) *Verbum,* utpote *nos deificans* seu deos efficiens *per participationem,* est Deus ac Dei Filius vere et natura (seu per essentiam). Cum sit *Filius, numerice distinguitur a Patre ;* item, cum sit Filius, est ejusdem substantiæ ac Pater, immo est *ipsa Patris stibstantia* quae est omnino divisionis ac diminutionis expers. Unde Verbum a Patre procedit non per creationem, sed *per generationem.* Praeterea generat Pater *necessario* simul et *libenter,* sicut seipsum necessario ac libenter vult et amat. Ex his sequitur hanc generationem esse *æternam,* cum Deus semper fuerit Pater ; sequitur etiam Filium *totam Patris substantiam possidere,* et esse Patri ὁμοούσιον 2. (b) Similiter, *Spiritus Sanctus,* cum nos per inhabitationem suam, *divinitatis participatione vivificet,* ipse est *Deus per essentiam :* quod confirmatur ex eo quod Spiritus Sanctus cum Patre et Filio connumeretur. Ita Spiritus Sanctus est δμοόυσιο Patri et Filio, aeternus sicut Pater et Filius : unde nihil creatum in

1 Tixeront, *Histoire des dogmes,* II, p. 67-76; de Régnon, *Etudes dethéologie positive sur la Sainte Trinité,* Etudes XΠI-XX, pp. 74, 200, 300; Etudes XXI-XXVII, passim.

* " Πλήρη γὰρ και τέλειό ἐστιν ὁ Πατήρ και πλήρωμα θεότητα ἐστιν ὁ'Γιό ", *{Cont. Arian.,* or. III, I.)

Trinitate inveniri potest, cum sit tota unus Deus : ολη γάρ ει Θεό ἐ<ττιχ.

?° Hæresis macedoniana.

640. (A) Macedonianismus exponitur. Jam *Arius* et *Eunomius* ex principiis suis deduxerant Spiritum Sanctum non esse Deum, sed *creaturam* a Filio Dei factam *eique inferiorem.* Cum autem controversia præcipue de divinitate Verbi ferveret, hæc conclusio parum animos commovit. Sed, circa an. 360, multi semi-ariani explicite docuerunt Spiritum esse creaturam angelis similem, Deique ministrum. Eodem fere tempore, in Africa, quidam fideles et pastores, etsi recte de Filio cogitarent, eumdem errorem amplexi sunt. Quos strenue confutavit 5. *Athanasius* in epistolis ad Serapionem. Semi-Ariani divinitatem Spiritus impugnantes, dicti sunt *Pneumatomachi,* et *Macedonian,* quia putabatur *Macedonium* istum errorem tenuisse (etsi id minime certum est), vel *Marathoniani,* quia ducem agnoscebant Marathonem Nicomediensem.

641.(B) Macedonianismus damnatur, (a) Jamvero hujusmodi hæresis, a S. Athanasio, S. Basilio, S. Ambrosio aliisque impugnata, damnata fuit a *Damaso* Pontifice, et a C. *Constantinopolitano.*

1) 5. *Damasus,* in C. Romano IV (an. 380) catholicam veritatem contra Macedonianos sic definivit3 : "Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divina substantia et Deum verum, anathema sit. Si quis non dixerit omnia posse Spiritum Sanctum, omnia nosse et ubique esse, sicut Filium et Patrem, A. S.... Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus Sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam..., A. S.... Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus Sancti *aquales,* semper viventes, etc., A. S... " Ibi non solum divinitas et consubstantialitas Spiritus Sancti, sed etiam perfecta aequalitas trium personarum lucide definiuntur.

2) *C. Constantinopolitanum,* oecumenicum secundum (an. 381) anathematizavit " omnem haeresim, et specialiter Eunomianorum vel Anomceorum, et Arianorum vel Eudoxianorum, et *Macedonianorum vel Spintui Sancto resistentium* "3. Praeterea accepit et rata habuit hæc verba, quæ jam paulo antea Symbolo Nicaeno addita fuerant ad Macedonianos errores repellendos : " Et in Spiritum

* *I ad Serapion.,* §17. *P. G.,* XXVI, 569.
'*P*- À..XIII, 35S sq., D. B., 74 sq.
› Mansi, Concilia, III, 566; D. B., 85.

Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum ”

Quibus definitionibus in tuto posita est fides catholica de trinitate personarum in unitate naturae, de perfecta consubstantialitate Patris et Filii et Spiritus Sancti.

(b) Ejusdem temporis *Patres* non solum unitatem in trinitate profitentur, sed etiam mutuam trium personarum in se invicem inhabitationem seu *circumincessionem,* unitatem operationis *ad extra,* aeternam generationem Filii a Patre, pariter aeternam processionem Spiritus a Patre per Filium, ita ut sequentibus saeculis nonnisi in *secundariis* punctis profecerit doctrina de Trinitate 1

III. Profectus doctrinæ a sæc. VI° ad XXum.

Hujus profectus *occasio* fuerunt errores, *causa* vero philosophiae scholasticae expolitio, duce Spiritu Sancto.

642. Errores. Quia confusae adhuc erant apud quosdam philosophicæ notiones de *persona et natura,* novi errores apparuerunt.

(A) Ita, mediante sæculo VI, *Joannes Philoponus,* Alexandrinus, philosophiae magister, naturam et hypostasim confundens, docuit tres personas divinas participare de natura deitatis eodem modo quo tres personae humanæ de eadem humanitate participant, ideoque *tres esse naturas* in Deo sicut et tres personas; ita viam parabat tritheismo, proptereaque in Cone, œcumenico V ut haereticus damnatus est 3.

(B) Sæc. XI, *Roscellinus,* Nominalium Doctor celebris, docuit tres in divinitate personas esse tres realitates seu substantias distinctas, eo fere modo quo tres animae et tres angeli differunt; eas vero, utpote una *potentia* et *voluntate* præditas, aliquid *tinum*

1 Mansi, ibid., 565; D. B., 86.

’Doctrinam theologicam Ecclesiæ *Gracœ* circa Trinitatem sic contrahit J. Tixeront : “ En Dieu, trois hypostases, une seule substance, un seul Dieu : les trois hypostases incluses, en quelque sorte, l’une dans l’autre (circumincession), et n’ayant qu’une même action, comme une même connaissance et une même volonté ; égales d’ailleurs et également adorables : le Père inengendré, source de la Trinité, le Fils éternellement engendré, le Saint Esprit éternellement procédant du Père par le Fils : les trois personnes consubstantielles : telles sont les grandes lignes de la doctrine à laquelle les siècles suivants n’ajouteront que des compléments d’importance secondaire. ” *{Histoire des dogmes,* II, p. 88).

3 Cf. Hurter, *Nomenclator* 3, t I, p. 466. not. 2.

efformare. Quem errorem S. Anselmus impugnavit[1] et damnavit Synodus *Suessionensis,* 1092.

(C) Abbas *Joachim* (XII sæc.), putans theoriis Petri Lombardi in Deo induci quamdam quaternitatem, essentiam videlicet quæ non esset neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, hunc-que errorem vitare volens, in alium incidit; docuit enim inter tres personas divinas exsistere tantum *unitatem moralem,* eam scilicet quæ oritur ex consensu voluntatis, et exsistit inter Christianos : ex quo pariter sequebatur tot esse naturas distinctas quot sunt per-sons in Deo : damnata fuit ejus hæresis in Cone. *Lateranensi IV* (1215), ubi definitum est in Deo Trinitatem esse, non quatemita-tem; et distinctionem esse realem in personis, non autem in natura, quæ eadem est identice in tribus personis (supra, n. 562).

(D) Mediante sæc. XIX°, *Günther,* personam definiendo *natu-ram sui consciam,* docuit divinam essentiam generatione Verbi et processione Spiritus Sancti *triplicari,* et *tres esse in Deo naturas sui conscias;* ex his autem tribus oriri *unam conscientiam sui abso-lutam* et hac ratione Deum esse unum. Quem errorem damnavit *Pius IX,* an. 1857.

643. Profectus theologicus. Occasione istorum erro-rum distinctio inter naturam et personam lucidius exposita fuit, ut supra notavimus, n. 569. Jam, in Conciliis *Nicceno* et *Constantinopolitano,* substantia mysterii definita fuerat, nempe : *consubstantialitas Filii et Spiritus Sancti cum Patre,* simulque *realis distinctio* inter *Patrem qui generat* et *Filium qui generatur,* inter *utrumque et Spiritum Sanctum, qui a Patre et Filio procedit.* Sed, a sæculo VI° ad sæc. XIII"m, notio personæ elucidata fuit praecipue a *Leontio Bysantino, Boetio* et S. *Thoma* (nn. 570-574); ita mysterium modo *phi-losophico* definiri potuit : *mysterium trium personarum realiter distinctarum in una eademque numerice substantia, natura aut essentia.*

Ita via parabatur elucidation! *divinarum processionum.*

Art. II. De divinis processionibus.

644. Status quæstionis. Exposita substantia mys-terii SS. Trinitatis in thesi praecedente, intimiorem et accu-ratiorem hujus notitiam adipisci nitemur, *divinasprocessiones*

[1] In *Tr. de Fide Trinitatis, P. L.,* CLVIII, 259-284.

investigando, quibus *Filius a Patre* oritur, *Spiritus autem ab utroque.*

Doctrina catholica de processionibus his verbis Symboli *Athanasiani* continetur : " Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, Sed genitus. Spiritus S. a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens". De fide est ergo *Patrem* a *nullo* procedere, *Filium* a *Patre* procedere per *generationem,* et *Spiritum ab utroque* per *simplicem processionem.*

645. Ad cujus intelligentiam, quid sit processio sive in genere sive in Deo declarandum est.

(A) *Processio* (ἐχπόρέυσι , προβολή) *in genere* est origo unius ab altero : sic, v. g., lux a sole, filius a patre procedit. Duplex distinguitur : (a) *transiens* seu ad extra, quando effectus *extra causam* producitur, v. g., in humanis, filius est extra patrem ; (b) *immanens* seu ad intra, quando terminus remanet *intra causam* seu principium, ut cogitatio quæ manet intra mentem.

(B) *In Deo* pariter duplex processio distinguitur : (a) una ad *extra,* qua creaturæ ab ipso procedunt sicut effectus a causa; (b) altera ad *intra,* qua una persona procedit ab altera tanquam principiatum a principio, et remanet intra divinam essentiam. Unde processio ad intra in Deo, *passive* spectata, definiri potest : *origo unius personte divinæ ab alia vel a duabus aliis per ejusdem numero naturæcommunicationem. Aclive* autem spectata, est *operatio immanens, qua vita divina communicatur personæ quæ ab alia procedit.*

646. Patrem a nullo procedere tota Traditio diserte asserit, docens Patrem esse ἀγενητον vel ἀγεννητον, idest nec creatum nec genitum. Quare in *decreto pro Jacobitis, Florentinum* declaravit : " Pater, quidquid est aut habet, *non habet ab alio,* sed ex se, et est *principium sine principio* " ».

Remanet igitur ut dicamus de *processione Filii per generationem,* et de *processione Spiritus Sancti per spirationem.*

' D. B., 704; cf. 39, *Symbol. Athanas.*

§ I. De processione Filii per generationem [1].

Duæ erunt theses : prior de *ipsa generatione* Verbi, altera de *modo* hujus generationis, nempe per intellectum.

647. *Thesis Ia :* Secunda persona SS. Trinitatis a prima procedit a tota aeternitate per veram generationem. *Defide* est ex C. *Nicæno* jam citato (n. 637) contra Arianos et omnes qui dixerunt Verbum seu Christum vocari Filium Dei sensu lato, seu per adoptionem. Probatur : —

648. i° Scriptura. Ille est Filius Dei verus et non adoptivus tantum qui vocatur filius *simpliciter* et per excellentiam, filius *proprius,* et filius *genitus;* atqui hæc tria de Verbo prædicantur :

(A) Dicitur *filius* Dei *simpliciter,* et quidem modo excellentiori* quam nos; nam de illo legimus : " Pater diligit *Filium* et *omnia~dedit* in manu ejus '^>dum de hominibus dicitur : " Accepistis Spiritum *adoptionis* filiorum in quo clamamus : Abba, Pater Ex quo patet maximam esse differentiam inter Verbum Dei et nos : 1) Ipsum siquidem vocatur Filius *sine addito,* dum homines *filii adoptionis* dicuntur; insuper Ipsi omnis potestas datur, " *omnia dedit in manu ejus* ", dum filii Dei adoptivi orare debent ut a misericordia Dei quæcumque necessaria obtineant. 2) Præterea *homines non efficiuntur filii Dei nisi per Ipsum :* " quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri ergo Verbum non est Filius Dei eodem sensu ac homines, sed est vere et generatione talis.

(B) Dicitur filius *proprius, verus filius familias* per com-^parationem_ad filios adoptivos^qui sunt tantum famuli : " Qui etiam *proprio* Filio suo non pepciclt... Filius DeTvenit ut cognoscamus verum Deum, et simus in *vero* Filio ejus ' et alibi : " Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus

' Cf. S. Th., *C. Gentil.,* l. IV, c. io sq. ; *Sum. theol.,* I, q. 27, a. 1-2; Salmant., disp. II; Petav.. L V, c. 6-9; Suarez, lib. IX; De Réguon, *op. at.,* t. 3, p. 263 sq.; Card. Billot, th. I-II; Van der Meersch, n. 699-709; UJanssens, p. 21-89; E. Hugon, p. 358-363.

\Z*Joan.,* III, 35· —3 VIH, 15· — 4*Joan.,* I 12
; /JoriJ^SG.---- '-------——-----

tanquam famulus... Christus vero tanquam *Filius in domo sua "Q* jamvero filius proprius et verus filius familiæ est filius naturalis, non adoptivus.

(C) Dicitur tandem filius *genitus,* immo et *unigenitus* " *Unigenitus* qui est in sinu Patris ipse enarravit '(jp.. " S enim Deus dilexit mundum ut Filium suum *unigenitum* daret "(y, atqui hæc verba veram et propriam generationem indicant; filii enim adoptivi multi sunt, nec generantur.

Fatemur equidem in uno vel altero loco homines dici etiam genitos esse a Deo, sed statim adduntur verba, quæ metaphoram indicant, ut in *Jacobo : " voluntarie* enim nos genuit *verbo veritatis* '(j?ubi tum *voluntarie* tum *verbo veritatis* manifeste indicant hic agi de adoptione tantum, dum e contra verba adhibita pro generatione Verbi ex contextu novam vim accipiunt, ut ex dictis apparet

Quod confirmatur omnibus textibus supra allatis de divinitate et consubstantialitate Verbi, nn. 609-612.

649. 20 Traditione. Præter *Symbola,* jam allegata, quæ aperte hanc generationem asserunt, *Patres* sæpe eam commemorant unanimi voce.

Ita S. *Theophilus Antioch. :* " Habens igitur Deus *suum ipsius Verbum in* propriis visceribus insitum, *genuit* illud cum sua Sapientia, proferens ante omnia " 5. — *Origenes 6 :* " Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur aut dividitur, tali quadam specie putandus est *Pater Filium genuisse,* imaginem scilicet suam, ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. *Verbum enim est Filius,* et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, et in Sapientia nihil corporeum suspicandum est ",

S. *Athandsiusi* Arianorum difficultates contra generationem Verbi solvit, animadvertendo in hac generatione *minime inveniri imperfectiones quce humante generationi insunt :*

" Nec enim hominum similis est Deus, nec Pater ex patre est, unde nec patrem geniturum gignit... Hinc in sola divinitate Pater

i. v

»«

1 III, 5.— *Joan^* I, 17. —* III, 16; cf. *IJoan.,* IV, 9.
4*Jac7>* I, 18. — *Zid Autoïyc., PГGjWy* 1064 ; X*. 179.
^*Pena7cdon*\ E I, c. 2, n. 8, *P. G.f* XI, 135.
7 *Coni. Arianos,* or. 1, 21-28, *P. G.9* XXVI, 54-71.

proprie pater est, et Filius proprie filius, atque in his solis constans firmaque est Patris et Filii conditio, ita ut Pater sit semper pater, et Filius semper filius... Si omnes fatentur Deum non eo modo esse quo nos sumus, sed esse ut Deum, nec creare ut homines creant, sed creare ut Deum : similiter quoque clarum est eum gignere, non ut gignunt homines, sed ut gignit Deus ".

S. *Augustinus,* contra Arianos, ostendit non solum generationem Verbi esse *æternam,* sed etiam distinctionem Filii a Patre *diversitatem substantias minime involvere,* cum discrimen sit in *relativo* non autem in natura :

" Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens : quia et ille semper Pater, et ille semper Filius... Quamobrem, quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia : quia hoc non secundum substantiam dicuntur, sed *secundum relativum;* quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile "

650. Corollarium. *Rejiciendus est error,* nunc omnino antiquatus, *Harduini* et *Berruyerii** docentium ideo Jesum Christum appellari Filium Dei in Scripturis, non quia \?erbum a Deo æternaliter procedit per veram generationem, sed propter unionem humanitatis suæ hypostaticam cum secunda divina persona; actionem nempe, qua Deus naturam humanam Christi in utero Virginis effbrmavit Verboque univit, veram generationem dici posse ac debere. — Hujusmodi error merito a *Clemente XIII* reprobatus est tanquam veritati catholicæ præjudicium inferens.

(a) Etenim *Symbola, Concilia* et *Patres,* ex jam dictis, diserte asserunt Jesum Christum ideo esse Filium Dei quia idem est ac Verbum (incarnatum) *ex Patre natum ante omnia scecula.* — Patres quidam antiqui affirmaverant quidem Verbum non ab ætemo, sed ante creaturas fuisse genitum; in hoc autem ab Ecclesia reprehensi sunt, ut dictum est supra, nn. 625, 639; et aliunde hæc opinio multum ab errore Harduini differebat.

(b) Insuper actus quo Deus effbrmavit humanam naturam Christi in sinu B. Mariæ Virginis non est vera generatio, quia humanitas Christi non est ejusdem naturæ ac Deus, ac proinde deficit ultima conditio ad generationem requisita, scilicet *similitudo natura;* ergo Verbum non factum est Dei filius in ipso Incarnationis instanti, sed talis jam erat ante sæcula.

' Harduini ct Berruyerii errores fuse exponuntur et confutantur a Legrand, ‹ώ *Ineamatüme (Aligne, Theol. Cun.,* IX, 1027 sq.). '

651. *Thesis IIa* Verbum seu Filius procedit a Patre per generationenTHntelhectualem seu^ ab intellectu Patris. Theologice *certum* est contra *Durandum* qui contendebat Filium procedere a natura Patris præintellecta intellectui et voluntati.

i° Ex *Scriptura* infertur tanquam *conclusio theologica.* Etenim *idem* qui dicitur *Filius* vocatur etiam *Verbum, SapientiaQ* Atqui hic non agitur de verbo *exterius* prolato, ut ex contextu patet, sed de verbo *immanente.* Verbum autem immanens est foetus *intellectus,* ut merito docent Patres "πρὸ νοῦν λόγο " 2.

652. 2° Diserte Patres hanc doctrinam asserunt, eamque colligunt ex eo quod Filius dicitur non solum *Verbum,* sed etiam *Sapientia* et *imago* Patris.

Ita S. *Athanasius* 3 ; " Neque enim extrinsecus depicta est *Dei imago,* sed ipse Deus ejus est genitor, in qua *seipsum intuens* eadem delectatur, sicut ipse Filius dicit : Ego eram, qua delectabatur. Quando igitur non videbat seipsum Pater in sua imagine aut quando non delectabatur, ut quis dicere audeat : Ex nihilo est imago, neque delectabatur Pater antequam esset imago? Quomodo enim seipsum videat factor et creator in creata et facta substantia? Talem namque necesse est esse imaginem qualis ejus Pater est". — Clarius etiam 5. *Cyrillus Alex.* 4 : " Quid, obsecro, de Joanne statues, qui *Filium vocat Verbum* atque hanc *maxime propriam appellationem* ei tribuit, quaeque essentiam ejus maxime manifestet?" Et alibi 5 : " Verbum et sapientia et splendor et character atque virtus Patris Filius appellatur. Verbum quippe et sapientia dicitur propterea quod *ex mente* et *in mente* est proxime et indivulse, et propter mutuam, ut ita dicam, immissionem ". — Tandem 5. *Basilius,* rem ita contrahit6 : " Quis erat in principio? Verbum, inquit... Cur Verbum? Ut perspicuum sit *processisse ex mente* ".

653. 30 Ratione *declaratur intellectualis generatio Verbi.*

(A) Praenotanda. 1) In *creaturis* generatio competit solis viventibus *corporeis :* in *spiritualibus* enim terminus

I, i, 14; *IJoan* ; *I Cor.,* I, 23-24; cf. *Eccli.,* XXIV, 5.

' Ita, inter alios, S. Gregor. Naz., *Orat. theol.,* 4, versus finem, *P. G.,* XXXVI, 129; S. August, *De Trinitate,* XV, 10-17, *P- L·,* XLII, 1069-1079.

3 *Orat, i cont. Arian., P. G.,* XXVI, 54.

4 *Thesaurus,* assert. 19, *P. G.,* LXXV, 314.

6 *Ho'nil.* in illud : *In principio erat Verbum, P. G.,* XXXI, 475.

intellectionis est *accidens,* non autem persona. In *Deo* autem generatio ^.*spiritualis* simul et *substantialis.* 2) In *creatis,* generatio fit per divisionem seu decisionem alicujus partis substantiae ; in *Deo, tota* substantia Patris est in Filio. 3) In *creatis,* terminus completus generationis non est immanens sed a generante separatur; in *Deo,* Filius *in sinu Patris* manet. 4) In *creatis,* generatio est actus *transiens* et *renovari* potest; in *Deo,* qui est actus purissimus, generatio est actus *aternus* et *unus.*

(B) Notio generationis. Communiter definitur : *origo viventis a principio vivente et conjuncto, in similitudinem naturæ.*

Explicatur : (a) origo *viventis* a *vivente :* quibus verbis significatur tum generantem tum genitum vita præditos esse debere; sic Adam e luto factus, sed non genitus dici potest, quia lutum vita caret.

(b) *A principio conjuncto,* id est generans debet genito conjungi per activam communicationem propriæ substantiæ aut saltem partis illius substantiæ; hinc Eva, ex Adami costa efformata, ejus filia dici nequit, quia in illo opere Adamus passive se habuit ; Angeli pariter dici nequeunt filii Dei sensu proprio, quia divinam substantiam a Deo non acceperunt.

(c) ***In similitudinem naturæ :*** duo hic exprimuntur : 1) genitum similem esse debere generanti per receptionem ejusdem naturæ saltem specificæ; 2) generationem *ex seformaliter* tendere debere *ad illam similitudinem producendam.*

(C) Applicatio Verbo divino. Quæ quidem notio *analogice* in Deum transfertur, demptis omnibus imperfectionibus, eo sensu quod Pater totam suam vitam et naturam absque ulla imminutione Filio communicat, et quidem ab æterno, ita ut Filius *eamdem numerice* habeat *naturam* ac Pater, et ab Eo non differat nisi in quantum *accipit* vitam quam dat Pater.

Quod ita declarat S. *Thomas*[1] .·“ Pater enim intelligendo se, et Filium et Spiritum Sanctum, et omnia alia quæ ejus scientia continentur concipit Verbum ”. Atqui hæc processio Verbi omnes habet conditiones veræ generationis : est enim, (a) origo *viventis* a *vivente,* nam Verbum procedit

[1] *Sum. theoLj* q. XXXIV, a. I, ad 3.

per modum *intellectionis,* quæ est operatio vitalis et supponit tum principium vitale tum terminum vitalem[1]; (b) a principio *conjuncto,* nam illa processio est *immanens,* ac proinde Verbum remanet in Deo et ei perfecte conjungitur per participationem naturæ divinæ quam Pater ipsi active tradit; (c) in *similitudinem* naturæ, nam Verbum procedit per viam intellectionis : jam vero intellectio, *ex natura sua,* tendit ad producendam imaginem objecti cogitati, quæ, in casu præsenti, est simillima Deo, juxta illud : " Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus "[2][3]. Ergo processio Verbi est vera generatio.

654. *Scholion.* Hic operæ pretium est divinum Verbum cum verbo mentis nostræ conferre, ut in quibus *conveniant* et in quibus *discrepent* pateat[3].

(A) Hæc sunt utrique *communia :* (a) utrumque verbum est expressa cognitio, seu terminus secundum cognitionem procedens, similitudinem habens rei quæ mente percipitur, (b) Sicut verbum nostrum rei cognitæ expressa est imago, ita Verbum divinum est perfectissima Patris imago et figura, (c) " Quemadmodum verbum nostrum a mente gignitur, nec idem est omnino quod ipsa mens, nec plane diversum ; nam cum a mente proficiscatur, aliud est quam mens; et cum mentem ipsam indicat, non est prorsus ab illa diversum, sed cum sit unum natura, aliud tamen subjecto est; sic et Dei Verbum, qui Filius est, quatenus propria subsistit persona, ab eo distinguitur a quo genitum est; quatenus autem illa in se exprimit quæ cernuntur in Deo, unum natura cum illo est " < (d) Sicut verbum mentis sine corruptione concipitur et paritur, ita Filius modo intellectuali ac virgineo a Patre est genitus. (e) "Potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus; opus autem esse non potest, nisi praecedat verbum; sic et Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura, creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia "[5].

(B) Nonnulla tamen sunt *discrimina* inter Verbum Dei et nostrum : (a) creatum verbum non ex ipsa procedit essentia dicentis, sed ex ejus scientia, proindeque accidens est, dum Verbum Dei ex

[1] " Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ". *Joan.,* V, 26.

[3] *Hebr.,* I, 3.

[2] S. Hil. 1. hom., *C. Gent.,* IV, c. 13; Petav., l. VI, c. 2; Hurter, n. 255; Monsabré, *Confir.,* Car. 1874, p. 180.

[4] S. Joan. Damascen., *De Fide Orthodoxa,* l. I, c. 6.

[5] S. August., *De Trinit.,* l. XV, c. 11, *P. L.,* XLII, 1073.

ejus essentia prodit, cum in eo esse et intelligere sint quid unum et idem, et est vere subsistens, (b) Creatum verbum non est coævum illi a quo producitur, nec perpetuum, sed identidem oritur atque interit; dum Verbum Dei est Patri coætemum et immutabile, perpetuoque gignitur, (c) Verbum nostrum ex indigentia producimus, Pater vero ex abundantia et fecunditate Verbum dicit et profundit.

655. Corollarium. *Non est alia distinctio inter Patrem et Filium ac distinctio originis.* Etenim Filius procedit qui-"clem a Patre, ut diximus, ac proinde ab ipso originem ducit, sed simul *totam* naturam divinam, et quidem infinitam, a tota ætemitate accipit, ac proinde sub respectu naturæ, tem-_ poris, dignitatis, potentiæ, est perfecte Patri æqualis, juxta illud Christi : " Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt '(C) Quod sane constat ex omnibus testimoniis in quibus asseritur consubstantialitas et æqualitas Filii cum Patre,

Unde dici nequit Filium a Patre esse *dependentem proprio sensu,* ea nempe dependentia quæ ex indigentia et imperfectione oritur, i) Nam tantæ perfectionis est esse divinum ut exigat subsistere in tribus personis, ita ut Filius tam necessario existât quam Pater : omnes enim operationes *ad intra,* quatenus Deum ipsum spectant, necessariæ sunt, ut dictum est in *Tr. de Deo Uno* (n. 486). 2) Insuper Verbum a Patre naturam accipit non quasi prius non habens et postea accipiens, sed quia hoc ipsum quod est, *ab æterno* totum simul habet a Pat(c^. — Pendet autem a Patre sensu *improprio,* quatenus ab eo originem ducit

§ II. De Processione Spiritus Sancti.

656. Status quaestionis. Doctrina *catholica* est Spiritum *procedere tum a Patre tum a Filio,* et quidem *tanquam ab unico principio et unica spiratione ;* doctrina autem *theologica* est eum procedere a *voluntate per modum amoris.*

Duæ igitur erunt theses.

x *Joan.,* XVI, 15. — Cfr. S. Thom., *Sent. lib. i,* dist. 9, q. 2, a. I ; *Contra enores grac.,* L I, c 2; I p., q. 42, a. 2.

' Cf. S. Thom., *d£ Pol..* q. 10, a. 1 ad 13.

657. *Thesis P :* Spiritus Sanctus non solum a Patre sed etiam a Filio vere procedit, tanquam ab uno principio et unica spiratione r.

est ex C. Lugdun. ***II*** (1274) : " Fatemur quod *Spiritus Sanctus* aeternaliter *ex Patre et Filio,* non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam *ex uno principio,* non duabus spirationibus, sed *unica spiratione procedit* ".

Quæ ultima verba addita sunt ad solvendam difficultatem Graecorum quorumdam, qui ideo formulam *ex Patre Filioque* rejiciebant quia falso putabant ita statui duo principia Spiritus Sancti. Sensus igitur thesis est non dari in Patre et Filio duplicem vim spirativam, sed *unam* tantum, quæ *utrique communis* est : *in Deo enim omnia communia sunt, ubi non obstat relationis oppositio;* atqui producendo Spiritum, Pater et Filius non sibi mutuo opponuntur; ergo producunt Spiritum Sanctum per *modum unius principii.* Ex quo sequitur eos producere Spiritum *unica spiratione;* cum enim unica sit vis spirandi, utrique communis, exerceri nequit nisi ab utroque simul agente.

ii

658. i° Script. Spiritum Sanctum *a Patre* procedere disertis verbis exprimitur^et insuper ex iis textibus infertur quibus declaratur *Spiritus Patris :* " Non enim vos estis qui loquimini, sed *Spiritus Patris* vestri qui loquitur in vobis'O Quod a Græcis libenter conceditur.

Remanet igitur probandum Spiritum Sanctum etiam *a Filio* procedere ; triplici utemur argumento : —

(a) In pluribus Scripturæ locis, Spiritus vocatur *Spiritus Filii,* vel *Spiritus Christi Jesu* .· " Misit Deus *Spiritum Filii*

a

tus Sanctus dici non potest *Spiritus Filii* nisi quia procedit *ab Eo;* nam, fatentibus ipsis Græcis, idem Spiritus vocatur Spiritus Patris quia procedit a Patre ; ergo a pari Spiritus

1 **Cf. S. Thom., I p., q. 36, a. 2-4 ; C.** *Geni.,* **L IV, c. 24-25;** *de Potent.,* **q. 10, a. 4;** *Opusc.* **I, c. 49-51; II, c. 49;~Bessarion,** *de Processione Spiritus S.,* **ap. Migne,** *P. G.,* **CLXI, p. 338 sq.; Suarez, 1. X; Petav., L VII, c. 3-11; Ruiz, disp. 67; Franzelin, th. 32-41, et** *Paralipomenon* **seu** *Examen doctrina Mac. Bulgakcraj,* **etc. ; Magliano,** *La Chiesa greca e la processione etema dello Spirit0 Santo;* **Van der Mœrens,** *Diss, theol. de Processione Spiritus S.,* **Lovanii, 1864; L. Janssens, p. 541-614; L. Billot, th. XXV-XXVII; E. Hugon, p. 364-371; D. B., 460.**

Joan,, **XV, 26. —** 3 *Matth.,* **X, 20.**

« *Galat.,* **IV.-TTIfr.** *Pom.,* **VIII, 9. —** s *Act.,* **XVI, 7.**

dicitur Spiritus Filii quia procedit a Filio Quod confirmatur ex alio loco, ubi S. Paulus, postquam Spiritum vocavit *Spiritum Dei,* addit : " Spiritum, *qui ex Deo est"*[2], quasi hæ locutiones synonymæ essent.

(b) Iterum Spiritus dicitur *missus a Filio* sicut a Patre[3] ; " Si abiero, inquit Christus, mittam eum ad vos... " " Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre"; atqui missio in divinis importat processionem personæ missæ a mittente;nam missio supponit quemdam influxum mittentis in missum : jamvero in Deo nullus alius est influxus unius personæ in aliam nisi ille qui venit ex origine seu processione : nam, præter relationes originis, omnia sunt tribus personis communia, ex supra dictis. Hinc ait S. *Augustinus* " Pater... non dicitur missus; non enim habet de quo sit, aut de quo procedat ", sic diserte declarans missionem sine processione fieri non posse.

(C) Tandem, apud *S. JoannemS,* legitur Spiritum a Verbo *aliquid accipere,* ideoque ab Eo *procedere :* " Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt ; propterea dixi : quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis ", Unde sic : hic clare asseritur Spiritum aliquid a Filio accipere; atqui in divinis persona ab altera aliquid accipere nequit, nisi ab ipsa procedat, cum, præter relationem originis, omnia sint tribus personis communia.

Nec dicatur hic agi tantum de communicatione scientiæ futurorum, " et *annuntiabit vobis* " ; nam Spiritus nequit a Filio accipere hanc scientiam, nisi simul ab eo accipiat *divinam naturam,* quæ in Deo cum scientia identificatur.

Confirmatur ex verbis sequentibus : " omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, etc. ", quorum hic est sensus : hucusque ex V. Testamento edocti fuerant discipuli futurorum scientiam soli

[2] Quod argumentum jam urgebat S. Augustinus, *In Joan.,* tr. 99, nn. 6, 7, *L.,* XXXV, 1888 : " Habes ipsum Dominum dicentem : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Habes et Apostolum : Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Numquid duo sunt, alius Patris, alius Filii? Absit... Cur ergo non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus S., cum Filii quoque ipse sit Spiritus" ?

[3] *I Cor.,* II, XI-I2. — 3 *Joan.,* XV, 26; XVI, 7.

4 S. August, *De Trinit.,* l. IV, c. 20, n. 28, *P. L.,* XLII, 908.

5 *Joan.,* XVI, 14.

Deo tribuere; dicendo autem : "omnia quæcumque habet Pater... ", Christus sibi banc scientiam ascribit; et addendo : " propterea dixi : de meo accipiet, et annuntiabit vobis ", reddit rationem cur Spiritus Sanctus, qui de Verbo accipit, eamdem divinam scientiam, proindeque eamdem naturam participet '. Hæc est Patrum interpretatio ; sic, v. g., *Didymus* aita : " *non enim loquetur ex semetipso ;* qui non ex se est, sed *ex Paire et ex me;* hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, *a Patre et a me* illi est".

659. 20 Tradit. (A) *Ex Patribus ;* cum adversarii concedant thesim nostram diserte a Patribus *latinis* tradi, satis erit *Græcorum* testimonia referre. Hi autem dogma catholicum tradere incipiunt sæc. IV°, tempore scilicet quo impugnatur divinitas Spiritus Sancti.

(a) Ita S. *Athanasius* declarat Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, ejus vim sanctificatricem et illuminatricem, a Patre procedentem et *a Filio missum et datum* 3; Spiritum eamdem *habere relationem ad Filium* quam Filius habet ad Patrem 4 5: " Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eamdem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperiemus". Alibis Filium vocat *fontem Spiritus Sancti.* Pariter S. *Gregorius Naz.* asserit Spiritum ex duobus, Patre et Filio, esse connexum εξ ἀμφοΐν συνημμένον6.* 5. *Gregorius tVys.* rem *comparatione* explicat : Pater, Filius et Spiritus sunt veluti tria luminaria, quorum *secundum accenditur a primo, tertium autem a secundo 7.*

(b) Magis diserte quidam Patres quarti et quinti sæculi docent Spiritum procedere ex Patre et Filio. Ita *Didymus Alex.,* supra, n. 658. Sed rem præsertim multoties declarat 5. *Cyrillus Alex.,* Nestorianos impugnando : " Cum igitur Spiritus S. in nobis inhabitans conformes nos Deo reddat, *procedat vero is ex Patre et Filio,* manifestum est ex divina essentia eum esse essentialiter, in ipsa et ex ipsa procedentem, sicut halitus ex humano ore prodiens, etsi humile et non dignum tanta re sit hoc exemplum"8.

l *Cf.* Maldonat., in h. loc.; Corluy, *Spicii.*, t. I, p. 158. Immerito etiam Graeci *"quia de ineo accipiet"* intelligunt de meo *Patre;* nam grammaticae regulæ non patiuntur ut pronomen τοὐ εμοϋ referatur ad nomen in phrasi non expressum ; aliunde verba sequentia " *quacumque habet Pater, mea sunt"* nostram interpretationem dilucide confirmant.

' *De Spiritu S.,* l. II, n. 34, *P. G.,* XXXIX, 1063.

' *Ad Serap.,* ep. I, 20, *P. G.,* XXVI, 576.

4 *Ad Scrap.,* ep. III, η. I.

5 *De Incarnat.,* n. 9. — 6 *Orat.,* 31, n. 2, *P. G.,* XXXVI, 136.

7 *Adv. Macedon., 6, P. G.,* XLV, 1308.

• *Thesaurus,* assert. 34, *P· G.,* LXXV, 585. — Notandum est tamen græcam vocem ποὀεισι, quæ latine redditur *procedat,* litteraliter significare *oriatur;*

(c) Plerique tamen Græci eamdem doctrinam alio modo exponunt, dicentes Spiritum Sanctum *procedere ex Patre per Filium*. Qua formula abusi sunt Photiani, quasi nempe diversam doctrinam exprimeret. Immerito tamen. Nam quandoque et ipsi Latini eadem utuntur formula, et quidem sensu catholico *. Insuper in *C. Florentino,* Græcis approbantibus, declaratum est' : "Id quod sancti Doctores et Patres dicunt, *ex Patre per Filium* procedere Spiritum S., ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur *Filium* quoque esse, *secundum Graces* quidem *causam,* secundum *Latinos* vero *principium subsistentia Spiritus S., sicut et Patrem*. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est ".

660. (B) *Ex synodis et Conciliis :* — (a) *Ante schisma Græcorum* habitis. Sæc. V°, in *fidei professione* quam *Africani episcopi* Hunnerico regi tradiderunt, legebatur 3 : " Ingenitum Patrem et de Patre genitum Filium, et. *de Patre et Filio procedentem Spiritum S.* unius credimus esse substantiæ — Synodus *Alexandrina* S. Cyrilli epistolam approbavit, in qua dicebatur Spiritum " *a Filio atque a Deo Patre procedere* Synodus *Ephesina* eamdem approbavit, damnavitque Symbolum Nestorianum in quo docebatur Spiritum " neque Filium esse neque per Filium existentiam habentem " ; item S. Cyrilli epistola laudata fuit a Cone. *Chalcedonensi* et *Constantinop. II.*

Sæc. VIP a *C. Toletano XI* receptum est symbolum fidei ab ignoto theologo sæc. V* compositum, in quo declaratur Spiritum dici simul *Spiritum Patris et Filii* et *ab utrisque procedere.* ‹ In quibusdam conciliis provincialibus Hispaniæ, Galliæ et Germaniæ quæstio ventilata fuit num Spiritus S., sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio. Ad rem definiendam, primum in Hispania, posteaque in Gallia et Germania, particula *Filioque* Symbolo Nicæno addita fuerit, ut expresse declararetur Spiritum tum a Patre, tum a Filio procedere. Quam quidem additionem *Leo III* primum sancire noluit, etsi explicite fidem suam de processione

Græci siquidem tenent Spiritum *principaliter* procedere (ἐκτορεύεσΟαι) a Patre, et *secundarie* oriri (~ρδιέναι) a Filio.

' Tertul., *Adv. Prax.,c.* 4, *P. L.,* II, 159; Hilarius, *De Trinit.,* 1. XII,

3 Victor Vit *De persec. Vand.,* L III, n. i, *P.* LVIII, 219.

<D. B., 277.

Spiritus S. ab utroque professus fuit, ne Ecclesiæ particulares in recitatione Symboli ab Ecclesia Romana differrent; successu tamen temporis (IX. s.), Romani Pontifices eam receperunt et approbarunt.

Eodem vero sæculo *Photius,* iniquus Sedis Constantinop. invasor, et a Nicolao I juste damnatus, a Latina Ecclesia sese sejunxit, inter alios errores docens Spiritum S. a Filio non procedere. Post ejus mortem, unio inter utramque Ecclesiam restituta est, sed iterum fracta *Michaelis Cærularii* pessima ambitione[x].

(b) *Post schisma* habitis : ex *Lateranensi* ***IV*** (1215), cui multi Orientales Episcopi et Abbates interfuerunt[2] : " Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac *Spiritus S. pariter ab utroque "; Lugdunensi* ***II*** jam citato; *Florentino,* ubi, cum Graecorum consensu, definitum est quod : " Spiritus S. ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et *ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et una spiratione procedit"* [3].

661. Corollarium. *Jure meritoque particula LFilioque" Symbolo additafuit.* Patet ex declaratione C. *Florentini,* a Græcis Latinisque subscripta [4] : " Definimus insuper explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam ".

Frustra Græci schismatici opponunt decretum C. *Ephesini,* quo prohibebatur ne *alterafides* conscriberetur [5] ; " definivit S. Synodus *aliamfidem* nemini licere proferre aut componere præter definitam a SS. Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu S. congregati sunt". — Respondetur enim hoc decreto prohiberi ne alia, id est *contraria* fides, non autem *magis explicita* proponatur; quod colligitur (a) ex *occasione* hujus decreti, quod conditum fuit ad condemnandum *Theodori Mopsuest.* symbolum hæresim nestorianam manifeste continens; (b) ex *Conciliorum praxi,* nam, sicut in *Nicaeno* plura Symbolo Apostolorum addita fuerant, ita C. *Constantinopolitanum* novis additamentis *Nicaenum* auxit [6], et ita de aliis Conciliis, prout se dabat opportunitas novos errores condemnandi; (c) ex *ipsa natura rei,* nam in *Tr. de Fide* probavimus Ecclesiæ infallibili jus inesse

[1] D. B., nn. 277-345.

[1] D. B., 428. — [3] D. B., n. 691. — [4] Ibid.

[5] Ap. Harduinum, I, 1526.

[4] Mens *Concit. Constantino#.* fuit hærcticos damnare exponendo doctrinam de divinitate Spiritus S., qualis ex Scriptura colligitur, non autem definire utrum necne Spiritus a Patre Filioque procedat : hæc igitur quæstio postea definiri poterat absque ullo periculo contradicendi Concilio.

doctrinam catholicam modo magis explicit© formulis et symbolis fidei proponendi.

662. *Thesis IIA :* Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit a divina voluntate per modum amoris.

(A) Hæc est *conclusio theologica* quam *communiter* Patres et Theologi e Scriptura deducunt, nempe ex variis *nominibus* et *operationibus* quæ Spiritui tribuuntur.

(a) Nomen *Spiritus,* quod sensu *generico* tribus personis convenit, quando *specifice* per oppositionem ad intellectum sumitur, actum voluntatis designat; et merito : nam, in rebus *corporeis, impulsum quemdam* et *vim motivant* designat; vis autem motiva in *spiritualibus* ad voluntatem spectat.

(b) Insuper Spiritus sæpe dicitur *Sanctus,* eique tribuuntur sanctificationis opera. Porro sanctitas, etsi in tota anima residet, magis proprie in *voluntate,* sicut sapientia in intellectu.

(C) Vocatur etiam *donum,* et quidem, secundum Patres, non soltim qülà in tëfflpore"Hâtus est"(quod verum est etiam de Filio), sed quia ab æterno ex *personali* proprietate donum est, utpote *ex amore* procedens. Jamvero amor *voluntate* proprie elicitur.

Quam doctrinam sic breviter contrahit *Catechismus Romanus :*[1] " Cum Spiritus Sanctus *a divina voluntate veluti amore inflammata procedat,* perspici potest eos etiectus, qui proprie ad Spiritum Sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amqre oriri ". (Cf. n. 721).

(B) Ratio autem cur processio Spiritus Sancti *non sit generatio,* ita a S. *Thoma* declaratur. Processio Filii est vera *generatio* quia intellectio *ex se* formaliter tendit ad producendum aliquid simile sibi, dum processio Spiritus *non est generatio,* quia amor *non tendit ex se* ad producendum simile sibi; siquidem voluntas non transit in actum per " hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate; sed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam... et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, velut Filius, sed magis ut Spiritus. Quo

[1] *Catech. Rom.,* p. I, c. 9, n. 7.

nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur; prout aliquis ex amore dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum " '.

Corollaria de tribus personis.

663. i0 *Tres divinæ Personæ sunt perfecte a* e fide est ex *Symbol. Athanasiano.* " Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personæ *coæternæ* sibi sunt *et coæquales... Æqualis gloria, coæterna majestas ",* (D. B., 39).

Sequitur ex dictis. Nam singulæ personæ sunt vere Deus, seu *integre totam possident naturam divinam,* quæ est infinitæ perfectionis; atqui personæ eamdem numerice infinitam naturam integre possidentes sunt eo ipso perfecte æquales.quia non solum *easdem qualitates* habent, sed etiam *eamdem quantitatem* perfectionis, ita ut in eis non sit majus et minus; ergo tres divinæ personæ sunt æquales.

Immo, teste *Augustino'2,* unaquæque persona divina tantam habet perfectionem quantam habent omnes simul : " Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus S. quantus est simul Pater, Filius et Spiritus Sanctus

Singulæ igitur personæ et tota Trinitas sunt æque adorabiles et eodem cultu prosequendæ 3.

Quomodo vero perfecta personarum æqualitas cum distinctione personarum et relationum quadret, opportunius infra declarabitur, n. 692.

664. 20 *Admittenda est divinarum personarum circumincessio ^xj^circuminsessio* 4 περιχώρησι , ἐνυπάρξι . Circumin-

1 *Sum, theol.,* q, XXVII, a. 4.

2 *De Trinit.,* 1. VI, c. 8, *P.* Z.^XLII, 929.

3 Hinc S. Pontifices sollemnia quædam honori Patris propria postulantibus omnino recusarunt, ne quis forte a distinguendis personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur. Festa sunt quædam specialia ad recolenda Verbi incarnati mysteria, non autem ad celebrandum Verbum secundum divinam naturam tantum ; pariter sollemnia Pentecostes Spiritus S. externam missionem commemorat. Cfr. Leo XIII, Encycl. *Divinum illudmunus›* 9 Mai 1897.

4 *Graci* utuntur priori vocabulo, quo vividius exprimitur *circulus vitalis* inter personas, nempe origo vitalis unius ab alia et reditus vitalis personæ procedentis ad personam a qua oritur. *Latini* hodie plerumque utuntur altero vocabulo. *- Quod melius intelligetur ex dicendis infra n. 701.

cessio est *mutua divinarum personarum in invicem coexjs^tentia et cohabitatio,* ita ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, et uterque in Spiritu, pariterque Spiritus in Patre et Filio$! " Non creditis quia *ego in Patre et Pater in me* est"? Idem *implicite* docet Paulus quoad Spiritum S., durn tradit Eum *in Deo esse,* sicut *spiritus hominis in homine* estMf totus est in Patre, totus in Filio

Quæ doctrina *directe* asseritur in *Scriptura* pro Patre et Filio. *De fide est ex Florentino* [1]*: " Propter hanc unitatem (naturæ) Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto; Spiritus

665. Hæc autem circumincessio ex triplici fonte oritur, nempe ex personarum *consubstantialitate, origine* et *relationibus :* (a) *E consubstantialitate ;* nam, ut recte ait S *Thomas* 4, " secundum *essentiam* Pater, est in Filio et Filius in Patre, quia Pater est sua essentia, et communicat eam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur quod, cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater. Et similiter, cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est ejus essentia "; (b) e personarum *origine :* cum enim Filius et Spiritus sint *termini operationum immanentium,* necessario manent in principio unde procedunt : " Filius est in Patre, ait S. Thomas 5, sicut originatum in originante, et e converso Pater in Filio sicut originans in originate "; (c) ex earum *relationibus :* cum enim in *correlativis* relatio esse nequeat sine suo termino, manifestum est quod " unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum " 6 (seu logice) : ita Pater concipi nequit *ut Pater* sine Filio et vice versa, ideoque Pater *generans* et Filius ab eo *genitus* in se invicem habitant.

Tria, juxta *Grcecos,* importat : 1) *distinctionem* personarum ; 2) *unitatem* naturæ; 3) *circulum vitalem* quemdam inter personas, vi cujus Filius, a Patre ortus, ad Patrem regreditur et in sinu Patris habitat; Spiritus autem, a Patre et Filio ortus, ad utrumque regreditur et in utroque habitat 7.

1 D. B., 704. ———— XIV, io; cfr. X, 30, 38.
31 Cor.y II, ïo-II. — q.42, a. 5.

7 E. Hagon, p. 442.

Non sufficit igitur circumincessionem ultimo explicare per *immensitatem divinam,* prout quidam dixerunt cum *Suarez* et *Ruiz* [3]; nam, ut recte ait *Petavius* [1], "etsi *loci* et *ubi* notio omnis excludatur animo, ac solæ per se absoluteque spectentur hypostases divinæ, nihilominus tamen περιχώρησι et mutua in seipsis existentia personarum illic erit. Quippe et nna posita poni necesse erit alteram, nec a se invicem separari poterunt, et altera intime conjuncta erit alteri, in eaque inerit et existet".

666. 3° *In Deo una eademque est operatio ad extra, quæ tribus personis communis est.* De fide ex *Symb. Athanasiano :* 'Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus : et tamen *non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens*".

(a) Etenim operationes ad extra producuntur ab omnipotentia, ac proinde a natura, in qua omnipotentia residet; atqui ex dictis, est una natura in Deo; ergo est una operatio ad extra. Illa autem unica operatio ad extra, tribus divinis personis, sicut natura ipsa, communis est.

(b) Confirmatur ex eo quod jn sacris Litteris eadem opera nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui Sancto ascribuntur; ita v. g., *creatio* Patn et Filio tribuitur; hinc Christus ait : "*Pater* meus usqüê modo *operatur,* et *ego operor";* i. e., eadem opera ac Pater operor; pariter *prophetice* seorsum tribuuntur *Patri :* "Multifariam multisque modis olim *Deus* loquens Patribus in *prophetis";* simulque Spiritui : "Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines

(c) Quam veritatem Patres variis illustrant comparationibus : "Ut lux omnia splendore illuminat, nihilque sine splendore potest illuminari : ita et Pater veluti per manum omnia in Verbo efficit nihilque sine illo facit". Alii vocant Filium *brachium* seu *manum* Patris, et Spiritum Filii *digitum,* ut sic melius significent Patrem *per* Filium *in* Spiritu Sancto omnia operari.

N. B. Doctrina de relationibus divinis, quæ est maximi momenti in expositione Trinitatis (cf. D. B., 703), exponitur infra n. 712 sq.

Art. III. De divinis Missionibus'.

667. Divinæ missiones, etsi ad intrinsecam Trinitatis naturam non spectant, *ab ea* tamen *defluunt* eamque *manifestant,* cum processiones supponant et eas nobis clarius

[1] *De Trinit.,* l. IV, 16, 5.

[3] *Cf.* S. Th., I, q. 43; Suarez, l. XII; Salmantic., disp. XIX; Petav., 1. VIII; Billuart, diss. VI, a. 4; Franzelin, th. 42-48; Scheeben, n. 1057; Pesch, n. 649-690; L. Janssens, p. 811-862; Card. Billot, th. XLII-XLIII.

revelent; aliunde, cum ad nostram sanctificationem vitæque divinae communicationem ordinentur, inutile non erit de eis catholicam et communem doctrinam exponere. Quia vero duae sunt missionum species in Deo, scilicet missio invisibilis, et missio visibilis, dicemus : i° de missionibus *in genere,* 2° de missione *invisibili,* 30 de missione *visibili.*

I. De Missionibus in genere.

668. i° Notio. (A) Missio in genere (a voce *mittere}* est motio seu *egressio alicujus entis ab alio cum destinatione ad aliquem terminum;* tria igitur includit : terminum *a quo,* terminum *ad quem* et *nexum causalem* inter utrumque.

Triplex distinguitur : (a) *physica,* quæ fit per physicam impulsionem, v. g., lapis missus a brachio; (b) *moralis,* quæ fit per impulsionem moralem sive per imperium, sive per consilium; sic, v. g., servus mittitur a domino per imperium ; rex mittitur a consiliariis per consilium; (c) *substantialis,* quæ fit per quamdam *originem,* seu *emanationem* ex ipsa substantia mittentis, sic flos emittitur ab arbore, radius a sole.

(B) Missiones divinæ sunt missiones *substantiales, analogice* tamen et sine defectibus quæ in creaturis inveniuntur; nullam scilicet *minorationem* aut *mutationem* involvunt. 1) In *humanis* " missio importat *minorationem* in eo qui mittitur, secundum quod importat processionem a principio mittente aut secundum imperium aut secundum consilium, quia imperans est major, et consilians est sapientior. Sed in *divinis* non importat nisi *processionem originis,* quæ est secundum *aqualitatem"*\ 2) In *creaturis* persona missa aliquam *mutationem* patitur, quatenus incipit esse ubi non erat, aut saltem eo modo quo nondum ibi erat. Sed *in Deo nulla est mutatio ;* persona divina missa novo quidem modo in creaturis existit, sed mutatio totam se habet ex parte ipsius creaturæ.

669. (C) Itaque missio in *divinis* est *processio unius persona ab rlia, cum destinatione ad aliquem temporalem ejectum seu cum novo existendi modo in creaturis, ad earum sanctificationem.* Dicitur : (a) *processio unius persona ab alia,* vel a

' S. Thom., I, q. 43, a. 1, ad 1.

duabus aliis ; nam missio importat influxum realem personæ mittentis in personam missam ; atqui, in Deo, nullus est influxus unius personae in alteram nisi per processionem ; ergo missio unius personæ supponit processionem ab alia persona, (b) Cum *destinatione,* etc.; missio enim supponit destinationem ad aliquem terminum, seu ad aliquid novi faciendum, et cum *in ipso Deo* nihil novi sit faciendum, destinatio illa est ad aliquem temporalem effectum. Hic autem effectus non potest consistere in *mutatione loci,* cum divinæ personæ jam sint ubique, neque in *creatione* aut *alio opere naturali,* cum hæc omnia sint communia tribus divinis personis ; consistit igitur in eo quod persona missa *novo modo existât* in creaturis, per specialem conjunctionem cum creatura intellectuali, *ad eam sanctificandam.*

Hic autem prius inquiri debet quænam personæ *mitti* aut *mittere* possint.

670. 20 *Thesis :* Inter divinas personas, Pater mitti nequit, Filius autem et Spiritus mitti possunt; e contra Pater et Filius mittere possunt, sed S. Spiritus mittere nequit. *Certum est.*

(A) *Pater mitti nequit.* Non enim legitur in Scriptura quod mittatur, sed solum quod veniat ad nos : " Ad eum *vernemus* et mansionem apud eum faciemus"[1]. Jam vero magnum discrimen est inter *venire* et *mitti :* Pater ad nos venire potest et seipsum dare, aliquem effectum gratiæ producendo ; at *mitti* non intelligitur, ex dictis, nisi ea persona quæ *ab altera procedit.*

Cujus rationem sic reddit *S. Thomas*[2]: " In omni missione oportet quod ponatur aliqua auctoritas alicujus ad ipsum missum. In divinis autem personis non est auctoritas nisi secundum originem. Et ideo nulli personæ divinæ convenit mitti nisi ei quæ est (i. e., procedit) ab alio, respectu cujus potest in alio designari auctoritas, et ideo Spiritus Sanctus et Filius dicuntur mitti, et non Pater vel Trinitas ipsa".

(Ji} Filius et Spiritus mittipossunt, (a) De Filio dicitur : " Misit Deus Filium suum factum ex muliere " 3; de Spiritu

[1] *Joan.,* XIV, 23.
[2] *In I Seni.,* dist. 15, q. 2, a. unie.; cf. I, q. 43, a. 4.
[3] *Galat.,* IV, 4.

Sancto : " Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo " (b) Illæ personæ mitti possunt quæ ab alia procedunt, et ab ea accipiunt tum potestatem tum impulsum eundi; atqui Filius et Spiritus ab alia persona procedunt, et ab ea accipiunt, simul cum natura, potentiam et impulsum seu destinationem ad effectum temporalem ; ergo mitti possunt.

(C) *Pater et Filius mittere possunt.* Etenim (a) de *Patre* dicitur : " Misit Deus Filium suum " 2 ; de *Filio :* " Si autem abiero, mittam eum (Spiritum Sanctum) ad vos " 3. (b) Insuper illæ personæ mittere possunt, ex quibus procedit alia persona ; atqui ex Patre Filius procedit, et ex Patre Filioque Spiritus Sanctus procedit; ergo Pater et Filius mittere possunt.

(D) *Spiritus mittere nequit.* (a) Nullibi enim legitur Spiritum aliam personam divinam misisse, (b) Insuper ille solus mittere potest divinam personam, ex quo procedit alia divina persona; atqui nulla persona procedit a Spiritu Sancto; ergo nulla ab eo mitti valet.

II. De Missione invisibili.

671. Missio *invisibilis* ea est quæ fit intus in anima, sine ulla exteriori manifestatione, qualis est missio Spiritus Sancti quando effundit in nos gratiam sanctificantem ; missio *visibilis* ea est quæ fit cum aliqua externa manifestatione personæ missæ, v. g., Incarnatio Verbi, descensus Spiritus super Apostolos.

672. *Thesis :* Non fit missio invisibilis divinarum personarum nisi cum infunditur gratia sanctificans in animam. *Ita communiter.*

Declaratur. Quoties gratia habitualis infunditur, sive prima, in ipso instanti justificationis, sive secunda, quæ nihil aliud est nisi primæ augmentum, tres divinæ personæ animæ illabuntur, Filius quidem et Spiritus Sanctus quatenus *missi,* Pater autem ut a seipso *veniens;* nam in utroque casu personæ divinæ novo et magis intimo modo in anima

1 *Ioant.* XIV, 26. — 3 *Galaf.,* IV, 4. — 3 XVI, 7.

incipiunt esse. Gratia vero actualis ad missionem divinam non sufficit, quia per ipsam Spiritus Sanctus stat quidem ad ostium animæ et pulsat r, sed novo modo non habitat in anima. Per gratiam sanctificantem tres divinæ personæ simul in corde nostro habitant ; attamen hæc inhabitatio, proindeque hæc missio *speciatim* Spiritui Sancto tribuitur, quia est opus amoris et sanctificationis, quod tertiæ personæ appropriatur. Nonnulli quidem theologi, post *Petavium* 2, eam esse Spiritui Sancto *propriam* dicunt : sed eorum opinio communius ab aliis rejicitur-3.

673. *Probatur.* (A) Ex *Scriptura* enim patet (a) gratiam sanctificantem seu caritatem essentialiter connecti cum habitatione *amicali* Dei in nobis. 1) Dicitur enim de *peccatore :* "In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis "4. 2) De*justo* autem : ;(Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus "5; et iterum : " Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis "?... " Caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis"6... "Quem (Spiritum) effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum " 7. Ex hoc igitur concludere licet Deum non esse speciali seu *amicali* modo in peccatoribus, sed ad nos mitti quotiescumque gratiam habitualem seu caritatem accipimus; ejus enim adventus vel inhabitatio connectitur cum dilectione Dei, cum caritate erga Deum, quæ a gratia sanctificante non disjungitur.

(b) *Ipsa persona Spiritus,* non solum ejus dona, nobis communicatur; nam : 1) in præfatis textibus sedulo distinguitur inter *caritatem,* seu donum creatum, et *Spiritum* seu tertiam personam SS. Trinitatis, et declaratur utrumque nobis dari, ita tamen ut caritas ab ipso Spiritu dispensetur, ideoque ab eo distinguatur sicut *effectus* a *causa.* 2) Præterea Spiritus ab ipso Christo annuntiatus fuerat ut *alius Paracletus,* in nobis mansurus, ut ejus missionem comple-

' *Afloe.,* III, 20. — 3 Petav., 1. VIII, c. 6, n. 5-8.
3 De quo agemus in *Tr. de Gratia.* — *4 Safi.,* I, 4. — 5*Joan.,* XIV, 23.
' *1 Cor.,* III, 16; *Kom., V,* 5. — *1 Tit.,* III, 6.

ret : " Et ego rogabo Patrem, et *alium Paracletum* dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum..." 1 ; ergo Spiritus ipse, non solum gratia ejus, nobis datur. 3) Eo modo datur ut *in nobis habitet* sicut in templo, ibique *operetur :* " Nescitis quia templum Dei estis et *Spiritus* Dei habitat in vobis?"2 Hic autem Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, scrutatur corda 3, etc.

(c) Non solum Spiritus, sed *duce alice personæ* nobis per gratiam dantur 4 -.*"ad eum veniemus",* nempe Pater et Spiritus de quibus Christus sermonem habuerat.

Merito itaque S. *Athanasius* s scribit : " Profecto cum Dominus ait ; *veniemus ego et Pater,* simul venit Spiritus non alio modo quam ut Filius in nobis habitaturus... Cum vero Filius in nobis est, Pater quoque simul est, dicente Filio : ego in Patre et Pater in me ".

674. (B) *Ratione theologica* confirmatur. Admissionem requiritur ut persona divina, ab alia procedens, novo modo existât in creaturis; atqui, per gratiam sanctificantem, Deus novo modo habitat in nobis, scilicet ut *amicus quofruamur, specialis protector,* et a nobis *glorificandus.*

h

Quod sic optime 5. *Thomas* declarat : " Est enim unus communis modus quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, et praesentiam... Super istum autem modum communem est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut *cognitum in cognoscente, et amatum in amante.* Et quia cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo"6. Et alibi : "Ad dationem Spiritus Sancti non sufficit quod sit nova relatio, qualiscumque est, creaturae ad Deum; sed oportet quod referatur in ipsum sicut *ad habitum,* quia quod datur alicui, *habetur aliquo modo ab illo.* Persona autem divina non potest haberi a nobis nisi vel ad fructum perfectum, et

1 *Joan.,* XIV, 16.
2 *1 Cor.,* III, 16; cfr. VI, 19; ***II*** *Cor.,* VI, 16
3 *Torn.,* VIII, 26, 27.
4 Quod fusius in *Tr. de Gratia* probatur.
5 s. Athanas., *ep.* I *ad Strap.,* 31, P. *G.,* t. XXVI, 601. Alia testimonia profert Franzelin, th. 43.

sic habetur per donum *glories,* aut secundum fructum imperfectum, et sic habetur per donum *gratiee* gratum facientis " *,

675. *Modus* autem *specialis* quo Spiritus in nobis habitat per gratiam in eo consistit quod *seipsum nobis donet* tanquam bonum quo *uti* et *frui* possimus[2][3] Venit siquidem : (a) ut *pater* nos ut filios carissimos *adoptans* teneraque sollicitudine circumdans : " Videte *qualem caritatem* dedit nobis Pater, ut *filii Dei nominemur et simus* "3; (b) uttfwnarj apud amicum : " Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, *intrabo ad illum* et *cœnabo* cum illo, et *ipse mecum"* quæ quidem verba *familiarem amicitiam* omnino supponunt ; (c) ut *protector specialis :* nam de ratione amici est ut super amicum speciali modo vigilet, eumque ab hostibus protegat; quod sane Deus egregie præstat, juxta illud : " Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam *ipsi cura est de vobis* " 5; (d) ut *Deus* in templo *glorificandus;* nam licet veniat ut amicus, suam dignitatem non amittit, et jus habet ut specialiter in anima nostra adoretur : " Membra vestra *templum* sunt Spiritus Sancti... *glorificate* et portate Deum in corpore vestro " 6.

Hinc ad missionem invisibilem non sufficit *gratia actualis,* qua Deus transitorie movet animam et ad ejus ostium pulsat, sed nondum ingreditur.— Nec sufficiunt *gratiæ gratis datæ,* quæ scilicet *ad aliorum ædificationem* dantur; nisi enim cum gratia sanctificante jungantur, Deus, eas concedendo, non *se,* sed dona gratuita largitur. Unde per solam gratiam habitualem fit invisibis missio.

III. De Missione visibili.

676. i° *Notio :* Ad missionem visibilem tria requiruntur : (a) signum aliquod *visibile :* secus esset missio invisibilis; (b) signum *novum,* id est aut non existens antea, aut saltem non existens *eodem modo :* nam missio visibilis exigit signum aliquo modo extraordinarium; (c) *respectus ad sane-*

1 *In I Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 2.

2 Cf. Ad. Tanquerey, *Précis cTAscitique et de Mystique,* 5e éd. 1925, η. 91*97 î Froget, *De Γhabitation du S. Esprit dans les âmes»*

3 *IJoan.,* III, I.

♦ *Apoc.,* III, 20. — 5 *I Petr., V,7.* — *6/ Cor.,* VI, 19-20.

tificationem, quia missio divina non fit nisi ad sanctificationem animarum.

2° *Species c* Duae sunt missionum visibilium species :

(A) Una est visibilis *substantialiter,* qualis est missio Verbi Divini in mysterio Incarnationis, quia in illa missione Filius Dei substantialiter unitus fuit humanæ naturæ visibili, ut explicabitur in *Tr. de Verbo Incarnato.*

(B) Altera est visibilis *reprcesentativa,* qualis fuit missio Spiritus sese manifestantis sub formis sensibilibus, quibus tamen non erat substantialiter unitus.

Quatuor numerantur præcipuæ missiones Spiritus : (a) apparitio in Baptismo Christi, sub specie *columba* ', ad ostendendam gratiæ abundantiam ei antea collatam ; (b) apparitio in Transfiguratione sub specie *lucida nubis* ', ad declarandam doctrinæ abundantiam, quæ Christo competit : quæ fuerunt *mere reprasentativa,* quia non contulerunt gratiam, sed solum gratiam antea Christo datam repræsentabant; (c) collatio Spiritus Sanctus sub specie *flatus,* quando Christus dixit : " Accipite Spiritum Sanctum " 3 ; (d) descensus Spiritus Sancti in die Pentecostes sub specie *linguarum ignea-rum* ♦.: quæ fuerunt simul *reprasentativa et effectiva,* quia gratiam internam contulerunt s.

677- *Corollaria :* (A) In collatione Sacramentorum non est .missio visibilis Spiritus Sancti, quia signum sensibile adhibitum non est novum nec extraordinarium, sed solum missio invisibilis, quatenus per ea gratia habitualis confertur.

(B) Sub antiqua lege non adfuerunt missiones visibiles Spiritus, quia conveniebat ut Filius prius manifestaretur quam Spiritus. Fuerunt quidem apparitiones divinae, sed non directe ad sanctificationem significandam aut producendam, sed ad aliquid aliud manifestandum, nempe ad præfigurandam Trinitatem aut aliquid hujusmodi

l *Matth.*. III, 16. — 3* *Maith.,* XVII, 5.
3*Joan.)* XX, 22. 4 *Act.)* II, 3. 5 S. Thom., I, q. 43, a. 7, ad 6.

CAPUT II

EXPOLITIO SCHOLASTICA MYSTERII SS. TRINITATIS.

678. Expositis veritatibus quas Scriptura et Traditio de SS. Trinitate docent, quid *ratio humana fide illustrata* de hoc mysterio cognoscere valeat, inquirendum superest. In triplici articulo dicemus : i° de *cognoscibilitate* mysterii SS. Trinitatis; 2° de *analogiis* et *theoriisphilosophico-theologicis* quibus explanatur ; 30 de *consectariis* exinde fluentibus.

Art. I. De cognoscibilitate mysterii SS. Trinitatis.

679. Errores. (A) Non defuerunt theologi, qui ingenio suo nimis fidentes, existimarint illud mysterium philosophicis argumentis demonstrari posse; inter quos numerantur : (a) *P. Abalardus* (1142), mente subtilis, sed audax novitatum amator, juxta quem philosophi gentiles, ac præcipue Platonici propriis viribus invenerunt SS. Trinitatis mysterium quale intelligitur ab Ecclesia catholical, et Trinitas est veritas naturaliter ab hominibus credita2;*sed, id probare conando, in modalismum et subordinatianismum incidit, tres personas divinis attributis æquiparans et Spiritui omnipotentiam denegans; (b) 5. *Anselmus* frequenter de Trinitate instituere videtur demonstrationes quasi peremptorias ac necessarias : in quo saltem *verbis excedit* et ejus cogitatio quadam obscuritate involvitur 3 ; *Rickardus a S. Victore* (1173), et *Raymundus Lullus* (1315), quibusdam pariter visi sunt nimis tribuere rationi, sed eorum verba ab aliis benigne intelliguntur; (c) nostris temporibus *Günther* putabat dogma Trinitatis, prout a se expositum, ratione intelligi ac demonstrari posse, sed reapse, Tritheismum sub nova forma suscitavit4; (d) *Rosmini* docuit SS. Trinitatis mysterium, postquam revelatum est, posse ita demonstrari argumentis mere

in

l *Theologia Christiana,* lib. I, cap. 5; cfr. Gonzalez, *Historia de la Jilosofia,* II, p- 130.

' *Theol. christ.,* lib. V, *P. L.,* CLXXVIII, 1123; *Introductio,* 1. II et III, *P. L.,* ibid., 1051-1086. Nec mirum est Abælardum tam superbe philosophantem, graviter errasse circa Trinitatem. Cf. *Capitula Abcelardi a Concilio Senonensi a. 1141 ab Innocentio II damnata,* D. B., 368 sq.

' J. Bainvel, S. J., in *Diet, de thiol.,* t. I, 1346; Gonzalez autem, *Historia de lafilosofia,* II, 135, contendit S. Anselmum sobrie de Deo ratiocinari.

4 *Vorschule,* I, 121. Cf. Vacant, *Etudes thiol, sur les Constitutions du Concile du Vatican,* I, p. 130.

speculativis, *negativis* quidem et *indirectis,* ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur[*]; (e) novissime *Schell* ex nexu mirabili inter aseitatem et processus immanentes studuit probare Trinitatem

(B) Ex adverso *Rationaliste* et *Unitarii* contendunt hoc mysterium aperte rationi contradicere.

Contra quos probabimus dogma SS. Trinitatis esse quidem *supra, non* autem *contra rationem.*

680. *Thesis T :* Mysterium SS. Trinitatis non potest sola ratione intelligi vel demonstrari 3.

Certum est ex declaratione *Pii IX* contra Güntherum asserentis esse mysteria " quæ ita supra rationem sunt, ut hæc nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda aut demonstranda"; et præsertim ex can. *Vaticano* infra relato.

Dicitur : non potest *demonstrari,* quatenus ejus existentia nonnisi revelatione innotescit; nec *intelligi,* cum, etiam revelata mysterii existentia, ejus intima natura maneat fidei velo et obscura caligine obtecta·*. — Probatur :

i° *Script.* Id enim per solam rationem cognosci nequit quod est notum soli Deo, aut illi cui Deus illud revelare voluit; atqui ita est de mysterio Trinitatis, ut constat ex his textibus : " Deum nemo vidit unquam : Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit " ... " Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare " s. Ergo sola ratione cognosci nequit mysterium SS. Trinitatis.

681.2° *Tradit,* (a) Patres idem diserte asserunt; *Athanasius* dicit6 : " O stulti, atque ad omnia audaces et præcipites! Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apos-

1 D. B., 1915.

3 *Kathol. Dogmatik,* II, Paderborn, 1890, 21, 31 sq. Cf. Pesch, *o£. cit.,* P· 274·

3 Cf. S. Th., I, q. 32, a. 1 ; Billuart, diss. proœm., a. 4; Pesch, n. 488 sq.; Card. Billot, th. XV ; E. Hugon, p. 394-397.

4 Quam explicationem desumimus ex ep. *Pii IX,* XI dec. 1862, contra errores Frohschammer, D. B., 1673.

5 *Joan.,* I, iS; *Maith.,* XI, 27.

6 *Ep. ad Serapionem P,* n. 18, *P. G.,* XXVI, 574.

tolorum hac in re imitati, cujus hæc sunt verba : credere enim oportet primum Deo quia est...? " De eodem mysterio aiunt S. *Gregorius Nyss. :* " Nullo sermone declarari potest ineffabilis profunditas mysterii " 1 ; S. *Hilarius :* " Extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem " 2.

(b) Declaravit *Vaticanum* quædam mysteria esse quæ per rationem *neque intelligi neque demonstrari possunt* 3 ; atqui, ex omnium confesso, mysterium Trinitatis est omnium difficillimum et altissimum ; ergo per rationem neque inveniri neque demonstrari potest.

Unde recenter damnata fuit sequens propositio *Rosmini:* 4 Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae " 5

682. 3° *Ratione.* (A) Omnis demonstratio fit vel *a priori,* vel *a simultaneo,* vel *a posteriori;* atqui existentia SS. Trinitatis non potest demonstrari *a priori,* seu per causam, quia Deus nullam causam habet ; nec *a simultaneo,* seu ex ipsa notione Dei, quam habemus nimis *analogam* ut ex ea eruamus tres esse personas in Deo; neque *a posteriori,* seu per effectus, quia effectus a Deo producti causantur a Deo, non quatenus trinus sed quatenus unus est : causantur scilicet ab omnipotentia quæ ad naturam, non ad personas pertinet.

Merito igitur concludit S. *Thomas* 5 : " *Per* rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum. Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat, i) Quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt... 2) Quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quæ non sunt cogentes, *cedit in irrisionem infidelium.* Credunt

1 *Orat, caltch.y* c. 3, *P. G.*9 XLV, 18.

3 "Si quis dixçrit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mystena contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S." *(De Fide>* can. i, D, B., 1816.)

4 Cf. 0. *Off.* decretum, 14 dec. 1887, D. B., 1915.

5 *Sum. theol.,* I p., q. 32, a. I.

enim quod hujusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probari nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides

683. (B) *Confirmatur* ex insufficientia rationum quibus præfati auctores, n. 679, SS. Trinitatem demonstrare tentarunt : — (a) *Abalardus,* comparatione potius et appropriatione quam demonstratione, Deum concipit non ut Trinitatem personarum, sed ut *Trinitatem nominalem attributorum :* " Sicut eadem oratio est propositio, assumptio et conclusio, ita eadem essentia est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus "[1] ; " Pater scilicet est potentia, Filius est sapientia, Spiritus Sanctus est bonitas " 2; immo in arianum subordinatianismum prolabitur, dicendo : " Quod Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia "[3].

684. (b) *Giinther* ita ratiocinatur : Qui sui conscientiam habet, seipsum concipit ; qui seipsum concipit intellectuali generatione, aliquid profert *a se distinctum,* sed simul cognoscit hoc esse seipsum. Atqui hæc tria, subjectum, objectum, identitas, in Deo sunt substantialia. Itaque *subjectum* est Pater, *objectum substantiale* est Filius, *identitas substantialis* est Spiritus Sanctus — Ad quæ reponimus : 1) homo qui intelligit, aliquid sibi opponit seu profert intra se aliquid a se distinctum : concedimus de *verbo mentali,* negamus de *objecto ipso cognitionis ;* 2) ratio quidem nos docet Deum seipsum cognoscere, sed tacet de verbo in cognitione divina producto tanquam *a se distincto ; ergo* Giintheri ratiocinium nihil revera concludit de Trinitate Christiana ; 3) immo concludit contra rationem : cum enim, juxta *Güntherum,* persona, etiam in Deo, sit conscientia sui s, sequitur tres esse conscientias in Deo, tres intellectus, tres substantias, tres deos : quod est *tritheismus.* Unde satis constat Güntherum non dogma catholicum explicasse et probasse, sed longe a veris rationis et fidei documentis de Deo aberrasse.

(c) *Rosminii* ratiocinium consistit in eo quod philosophiæ *Kantiana* principia adhibet ad explicationem vel potius ad deformationem mysterii. "Tres supremæ formæ *esse,* ait, nempe subjectivitas, objectivitas, sanctitas ; seu realitas, idealitas, moralitas, si transferuntur ad esse absolutum (divinum), non possunt aliter concipi

[*] Ita Otto Freising., discipulus et interpres *Abalardi.*

[1] Abaelardus, *Introductio ad theologiam,* lib. I, *P. L.,* CLXXVIII, 989; lib. II, 1086; *Theologia Christiana,* l. II, *P. L.,* 1259-1261, 1278.

[3] D. B., 368.

[4] *Op. cit.,* 10S, 109, 119. Cf. Pesch, n. 494.

[5] *Op. cit.,* II, 296; cf. Pesch, *op. cit.,* n. 495.

nisi ut personæ subsistentes et viventes " '. Hæc autem theoria, ut satis apparet, resolvitur in Trinitatem *mere nominalem,* si tres *formet* sunt tantum tres *respectus* divinitatis, vel in *tritheismum,* si *forma* sunt substantiæ.

(d) *Schell* autem studet probare Trinitatem ex *aseilate* intellecta modo a ratione et a doctrina tradita alieno. Scilicet aseitas, juxta eum, est causalitas qua ens perfectum seipsum causât, et quidem ex logica necessitate. In quantum autem hanc necessitatem *cogitando dicit* et est principium in divina principiatione sui ipsius, vocatur *Pater;* in quantum cogitando hanc logicam necessitatem in æterna existentia *principiatur,* existit ut *Filius;* in quantum per necessitatem ethicam et moralem *"voluntatis actionem principiatur,* est Deus *Spiritus Sanctus"*[1]. Jam vero supra, n. 425, probavimus hanc aseitatis notionem esse falsam; insuper sola ratio non probat has relationes in Deo esse realiter distinctas et subsistentes.

685. *Thesis 2a :* Demonstrari nequit aliquam repugnantiam esse in dogmate SS. Trinitatis recte expositos. Probatur :

(A) *Attctoritate.* Jam enim a novemdecim saeculis illud dogma creditur non solum a rudibus, sed a viris *præstantissimis,* non solum in *Theologia,* sed etiam in *Philosophia* et *scientiis naturalibus* versatis, qui difficultates contra illud allatas perpenderunt et confutarunt : quales fuerunt *S. Justinus, Origenes, S. Athanasius, S. Augustinus,* sexcentique alii Patres, necnon S. *Thomas,* aliique Scholastici Doctores, aut etiam *Cartesius, Leibnitsius,* uno verbo plerique philosophi aut scientiarum cultores qui nomine christiano gloriantur. Atqui repugnat tot tantosque viros admisisse dogma absurdum, rationi contrarium, præsertim cum minime passionibus faveat, sed ipsis opponatur.

Nec dicatur eosdem non semel circa res scientificas erravisse ; nam ex eo quod moderna inventa ignoraverint, minime sequitur eos inhabiles fuisse ad judicandum, ex conceptibus et principiis rationis, de repugnantia vel non repugnantia propositionis quæ non ad physicas scientias spectat, sed ad naturam divinam.

[1] *Propos. 2j ex* damnatis in decreto *S. Off.* 14 dec. 1887; Denz.-Bann., 1916.

[2] *Kathoi. Dogmatik,* II, 21, 31 sq.

[3] Cf. S. Th., *C. Gentil.,* cc. 10, 14,16, 23; Billuart, *dûs. proam.,* a. 3, § 3; Perrone, 131 sq.; Knoll, §115; Franzelin, th. 20.

686.(B) *Ratione.* Adesset quidem repugnantia in mysterio SS. Trinitatis, si probaretur in ejus enuntiatione contineri terminos inter se incompossibiles et se invicem excludentes ; atqui non est ita; nam non dicimus tres esse in Deo naturas et simul unam naturam, aut tres personas et unam personam, sed dicimus Deum esse unum sub respectu natur®, et trinum sub respectu personarum ; jamvero aliquod ens potest esse unum sub aliquo respectu et multiplex sub alio. Sic, v. g., in homine adest duplex substantia, substantia spiritualis seu anima, et substantia materialis seu corpus, et tamen adest unica persona. Ut igitur contradictio esset in hoc mysterio, probari deberet nullam esse distinctionem, ne virtualem quidem », inter naturam et personam : quod quidem fieri nequit, ex jam dictis.

687. *Solvuntur difficultates.* (A) *Objiciunt Rationalistes,* et *Liberales :* Mysterium SS. Trinitatis contradictionem involvit; nam, juxta communem loquendi modum, persona est ens aliquod, seu substantia ; atqui, juxta doctrinam supra expositam, tres sunt person® in Deo; ergo tria entia, tres substanti®; aliunde asseritur in Deo esse unam naturam, unam substantiam; ergo adest contradictio [1][3]

Resp. : Illa difficultas manifeste *supponit* nomen person® de Deo prædicari *eodem omnino sensu* ac de creaturis ; quod quidem falsum est; nam, ut diximus, persona in Deo est *relatio ut subsistens,* v. g., persona Patris est relatio paternitatis, qu® sane in Deo non est accidens inhærens subjecto, sed est divina essentia, Igitur ex eo quod in Deo tres sint person®, concludere licet tres esse relationes reales et subsistentes qu® sunt sui juris, non vero tres substantias seu res absolutas substantiales. Nec mirum est person® notionem nonnisi *analogice* de Deo et de creaturis prædicari; nam idem fit quoad omnes perfectiones qu® a creaturis ad Deum transferuntur, propter infinitam ejus perfectionem.

688. (B) *Instant :* Si talis dicendi modus accipitur, Deus est unum ens, quod tribus modis sese manifestat : porro hoc nihil aliud est nisi Modalismus seu Unitarianismus, solo nomine mutato.

Resp. : Concedo quidem Deum esse *unum,* id est *unam substantiam,* sed *nego* Trinitatem nostram consistere solum in tribus diver-

1 Ea autem distinguuntur in Deo *virtualiter* (seu ratione ratiocinata, seu cum fundamento in re), quæ, cum sint una res, tamen ^equivalent *in nobis* pluribus rebus realiter distinctis.

3 J. F. Clarke, *Orthodoxyy* Appendix, p. 4S9.

sis *modis* quibus Deus se manifestat, aut quibus operatur; consistit enim in tribus *relationibus internis, realibus* et *subsistentibus,* quæ plenissime gaudent privilegiis personalitatis; doctrina igitur nostra non est Unitarianismus vel Modalismus, quia in Deo tres subsistentes relationes inter se realiter distinctas agnoscimus; aliunde a Tritheismo differt, cum unicam substantiam seu naturam in Deo admittamus : doctrina igitur catholica media stat inter duos istos errores.

689. (C) *Instant* iterum : Talis loquendi modus prorsus inintelligibilis est, non solum mysterio sed fallacia plenus.

Resp. Nego suppositum; mysterium *non* est quidem *comprehensibile,* sed aliquatenus *intelligibile* iis omnibus qui sanae philosophiæ studuerunt, et inter naturam et personam aliquam differentiam percipere valent; potest enim sic exprimi : adest in Deo una natura quæ possidetur a tribus personis; seu *tria* sunt *attributionis centra,* quæ ad agendum eadem natura utuntur. Jamvero hæc propositio est quidem mysterio plena, sed non inintelligibilis.

690. (D) *Instant iterum :* Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; atqui tres divinæ personæ sunt quid unum et idem cum essentia; ergo sunt idem inter se.

Resp. : Distinguo majorem : quæ sunt eadem uni tertio sub omni respectu, sunt eadem inter se, *concedo;* quæ sunt eadem sub aliquo respectu et differunt sub alio, *nego.* Jamvero personæ sunt idem cum natura sub aliquo respectu, quatenus scilicet æqualiter divinam possident naturam, sed *virtualiter* differunt ab ea, quia non possident divinam naturam eodem modo, v. g. : Pater active generando *dat* naturam Filio, Filius eam *accipit;* jamvero inter *dare* et *accipere* realis adest distinctio.

Illustratur comparatione : *Actio* et *passio* distinguuntur *virtualiter* tantum a *motu,* nam actio est motus datus et passio est motus receptus; attamen actio et passio *realiter* distinguuntur ab invicem; ita pariter divinæ personæ virtualiter distinguuntur a natura, et realiter ab invicem; licet enim paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et similiter filiatio; tamen hæc duo important oppositos respectus; videlicet paternitas est *activa* communicatio vitæ, dum filiatio est *passiva* ejus acceptio; unde distinguuntur ab invicem *. — Rem alia comparatione illustrat *Perrone* (n. 142) : "Sic, ex. gr., longitudo idem est cum spatio quod afficit, altitudo pariter idem est cum spatio, id ipsum dic de magnitudine, quæ ex utraque exsurgit, longitudo tamen non est latitudo, nec vicissim; quod æque valet in magnitudine, quæ precise neque altitudo est, neque longitudo, sed ex utraque coalescit". Ita per-

* S. Thom., I., q. 28, a. 3, ad I.

sonæ divinæ *idem re sunt cum natura divina,* et sub hoc respectu sunt consubstantiales; at idem non sunt in *modo subsistendi,* seu in personalitate, qua inter se relative opponuntur et realiter distinguuntur.

691.(E) *Instant :* Deus est admodum simplex; atqui trium personarum existentia divinæ obstat simplicitati, quia tunc fit compositio ex essentia et personis; ergo.

Tesp. Hanc ipsissimam difficultatem jam solverat S. *Thomas*[1] : " Dicendum quod in Filio est aliquid commune Patri, scilicet *essentia,* et aliquid per quod a Patre distinguitur scilicet *relatio.* Non tamen est ibi compositio, quia relatio est secundum rem essentia". Seu, aliis verbis, divina simplicitas excludit quidem omnem compositionem *realem,* qua personæ realiter ab essentia distinguerentur, non autem *virtualem* differentiam inter essentiam et proprietates sive essentiales sive personales; atqui divinæ personæ, licet *realiter ab invicem* distinctæ, nonnisi *virtualiter ab essentia* distinguuntur : ex eo enim quod relationes translatæ ad Deum sunt *subsistentes,* optime infertur eas esse ipsam substantiam et essentiam divinam, ita ut sola ratione ab ea distinguantur.

692.(F) Sic *tandem arguunt* adversarii : Id quo personæ realiter ab invicem differunt est vel perfectio, vel imperfectio; atqui non est imperfectio, cum nulla imperfectio in Deo esse possit; aliunde non est perfectio, quia tunc duæ aliæ personæ ea privarentur, proindeque imperfectæ essenta.

Resp. : Hæc difficultas duplici modo solvi potest :

(a) Juxta multos *Thomistas**, proprietates personales *non habent perfectionem distinctam ab ipsa perfectione quæ existit in essentia divina :* v. g., paternitas et vis generandi jam eminenter continetur in essentia divina tribus personis communi. Quod sic declaratur a 5. *Thoma* [4] ; " Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut et essentia Patris. Nam dignitas est absoluta, et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vere ergo dicitur quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Nec sequitur : paternitatem habet Pater : ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid* in *ad aliquid.* Eadem enim est essentia et dignitas Patris et Filii, sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis ".

[1] *De Potent.,* q. io, a. I, ad 12.

[2] Clarke, l. cit., p. 497.

[3] Cf. Gonet, disp. III, a. 2, § 4; Billuart, diss. 3, a. 5; Card. Aguirre, *Theol. S. Anselmi,* vol. I, disp. 26, sect. 3.

[4] S. Thom., i, q. 42, a

Juxta thomistas eosdem, personæ in Deo distinguuntur, non secundum perfectionis rationem, et ideo in una earum nulla est perfectio quæ in altera non sit; sed secundum oppositionem relationum subsistentium, ut ex verbis Angelici constat.

693. (b) Juxta alios, relationes, quibus personæ constituuntur, veræ sunt *perfectiones ab essentia virtualiter distincta,* sed *aqualis dignitatis,* ita ut, v. g., non sit major perfectio in paternitate quam in filiatione : nam generatio, seu paternitas, est traditio vitæ, filiatio est ejusdem vitæ receptio; atqui in Deo tam perfectum est accipere quam dare, cum utrumque sit infinitum; ergo illæ proprietates non obstant perfectæ personarum æqualitati. Quod sic declarat *Pesch* (n. 630) : "Quælibet persona in se habet, quidquid quomodocumque est perfectionis in aliis personis, et solus ordo et modus habendi hanc perfectionem est diversus. Ita Pater habet non solum eamdem essentiam quam Filius, sed etiam relativam perfectionem Filii, non tamen habet eam *sicut* eam habet Filius; nam Pater habet eam ut dans, Filius ut recipiens... "

Ceterum hic agitur de mysterio quod perfecte intelligi nequit, sed tantum analogiis et psychologicis rationibus illustrari.

Art. II. Analogiæ et explicationes philosophicæ.

Supposita revelatione, mysterium SS. Trinitatis potest comparationum et analogiarum ope rudibus suaderi : fidelibus autem magis excultis et edoctis ope psychologiæ fructuosius et jucundius exponi. Unde duplex paragraphus.

§ I. Comparationes et analogiæ.

Has analogias invenimus tum in universalitate rerum creatarum quæ præ se ferunt *vestigia* SS. Trinitatis, tum speciatim in homine qui insignitur *imagine* illius.

694. (A) In *rebus creatis :* (a) videmus bonum esse *sui diffusivum* seu sese aliis communicare. Atqui Deus est *summum bonum;* ergo convenit ut sese infinite communicet. Porro in operibus *ad extra* nonnisi *finite* se communicare potest; ergo convenit ut in operationibus *ad intra* se infinite communicet.

(b) Omnia viventia quadam *fecunditate* poliant; atqui Deo tribuendæ sunt eminenter perfectiones quæ creaturis insunt ; ergo ei tribuenda est fecunditas. Hæc autem mirifice apparet in Deo, cum in ipso duæ procedant personæ infînitæ.

(c) Inter viventes apparet etiam quædam *societas* qua supposita vel personæ ejusdem speciei mutuo fruuntur consortio. Atqui omnino decet ut in Deo, omnis societatis fonte, plures sint personæ ejusdem naturæ quæ mutuo consortio fruantur et in suis relationibus *ad intra* perfecta beatitudine gaudeant.

(d) In suis operibus *ad extra* Deus veluti *vestigium* trinitatis in creaturis impressit. Sic mundum visibilem tribus operationibus complevit : productione, distinctione, omatu ; tria suprema genera condidit : substantiam spiritualem seu angelum, substantiam corporalem, et substantiam mixtam ex corpore et spiritu seu hominem.

In qualibet creatura sunt esse, potentia, actus; unitas, veritas, bonitas. Sunt tres mensuræ durationis, tempus, aevum, æternitas; in tempore distinguuntur præteritum, præsens et futurum. In quantitate : linea, superficies, corpus; in corpore : longitudo, latitudo, profundum. In musica, tonica, tertia, quinta constituunt perfectam harmoniam. In natura angelica sunt tres hierarchiæ, in una, quaque hierarchia tres chori, in unoquoque choro, tres operationes : purificare, illuminare, perficere. In terra sunt tria regna : minerale, vegetale, animale. In homine sunt tres vitæ naturales : vegetativa, sensitiva, rationalis. Una eademque aqua est fons, rivus et lacus [1]. In sole tria sunt, *substantia* solis, lumen et calor; in quolibet radio, *lumen, calor* et *motus.*

In *sacris Scripturis,* Verbum nobis exhibetur ut *character* substantiæ divinæ, ut *speculum* et *imago* divinæ Bonitatis, *vapor* virtutis Dei, *candor* lucis ætemæ, *emanatio* claritatis omnipotentis Dei sincera [1]. Tertia autem persona dicitur *Spiritus* Patris et Filii.

695. (B) In *homine* vero, sicut in Angelo, præter vestigium, elucescit *imago* SS. Trinitatis; angelus enim et homo Deo assimilantur non solum in quantum sunt et vivunt, sed etiam in quantum sapiunt vel *intelligunt,* id est secundum ultimam differentiam : unde similes sunt Deo " secundum

[1] Quod vestigium sic explicat S. Anselmus : " Constat quia una eademque aqua est, quæ et fons et rivus et lacus dicitur. Discernamus itaque inter fontem, rivum et lacum, et videamus quid singula hæc, cum tria sint, in una intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abysso ascendens ebullit; in rivo de fonte descendens fluit; in lacu colligitur et manet... Videmus autem quia rivus non est de hoc, unde aqua fons dicitur, sed de hoc, quod est, id est de aqua; nec lacus est de hoc, unde aqua dicitur fons aut rivus, sed de ipsa aqua, quæ una et eadem est in fonte et rivo... Sic itaque, cum dicitur Deus Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus, una in tribus intelligitur essentia et unus Deus... sed in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, et in Spiritu Sancto singulari quodam et ineffabili modo procedens". *Deprocess. Spir. Sancti,* c. 17.

[1] Cfr. Bossuet, *Elévations sur les mystères,* 2e semaine.

speciem " ;* et ita præ se ferunt illius imaginem. Quod fuse explicant, post 0'. *Augustinum*2, *S. Thomas* 3 ac *Bossuet* 4. Tripliciter autem invenitur in homine imago SS. Trinitatis : (a) in quantum ex *notitia* quam habemus, cogitando, interius *verbum* formamus et ex hoc in *amorem* prorumpimus 5; (b) in quantum etiam non actu, sed habitu tantum intelligimus et volumus : quo sensu imago SS. Trinitatis invenitur in *memoria, intelligentia* et *voluntate,* ut scribit S. *Augustinus* 6; (c) praecipue in quantum *actualiter* intellectu et voluntate ferimur in Deum : in hoc enim casu attenditur divina imago in homine non secundum verbum et amorem creaturas respicientia, sed secundum *verbum conceptum de Dei notitia,* et *amorem exinde derivatum :* quod est quasi specifice Deo assimilari. Hæc autem assimilatio erit in ultimo perfectionis gradu quando in cælo videbimus Deum sicuti est facie, ad faciem 7.

§ II. Explicationes philosophical et theological dogmatis SS. Trinitatis.

696. Has explicationes invenimus apud Patres tum *Orientales,* inter quos eminent SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus et Gregorius Nyssenus seu *Cappadoces;* tum *Occidentales* quorum princeps est S. *Augustinus ;* — apud *Scholasticos* etiam, quibus praesunt SS". *Bonaventura* et *Thomas.*

* *Sum. theol.,* I, q. 93, a. 2.

2 *De Trinitate,* libri IX-XV.

3 *Sum. theol.)* Ia p., q. 93.

4 *Elévations sur les mystères,* 2e semaine, 6e Elévation.

5 *Sum. theol.,* Ia p., q. 93, a. 7.

6 *De Trinitate,* lib. XIV, c. VIII sq., *P.* Z., XLII, 1044 sq.

7 " Alors donc nous serons réduits à la parfaite unité et simplicité. Mais dans cette simplicité nous porterons la parfaite image de la Trinité, puisque Dieu, uni au fond de notre être et se manifestant lui-même, produira en nous la vision bienheureuse qui sera en un sens Dieu même, lui seul en étant l'objet comme la cause : et par cette vision bienheureuse il produira un éternel et insatiable amour, qui ne sera encore autre chose en un certain sens que Dieu même vu et possédé; et *Dieu sera tout en tous,* et il sera tout en nous-mêmes : un seul Dieu uni à notre fond, se produisant en nous par la vision et se consommant en un avec nous par un éternel et parfait amour Bossuet, *Elévation ÿ de la semaine.*

I. Theoria Græcorum Patrum ».

697. Doctores qui Cappadocibus præiverunt, S. Athanasio non excepto, fidem potius quam theologiam statuerunt, Sacræ Scriptura documenta simul ac Traditionis coordinates, non vero proprie explicantes ope philosophiae cui diffidebant. Cappadoces vero philosophari coeperunt, et eorum conceptio mox communis evasit inter Graces. Quo melius intelligatur, exponemus quid doceant de *trinitate personarum** de earum *aqualitate** de *processionibus* et *relationibus** de *circumincessione** de *operibus ad extra.*

698.(a) De personarum trinitate. Cum *modalismum* præsertim refellere velint, *realempersonarum distinctionem* imprimis asserunt. 1) Primo accurate definiunt voces οὐσία et υπο'στασχ . Per vocem ουσία 5. *Basilius* intelligit quod est commune individuis ejusdem speciei. Hypostasis autem est *ad ovσίαv* sicut proprium (το καθ' ἑκαστον) ad commune. Unde οὐσία divina non est de se hypostasis quia, etsi individua, non *secundum se* et *in se* existit, sed in personis quibus est communis. Apertius 5. *Gregorius Nazianzenus* nobis exhibet hypostases divinas ut " *completas** *subsistentes in se** *numero distinctas** *divinitate autem non distinctas* ". 2) Sunt ergo in Deo *tres hypostases** tria πρόσωπα inter se opposita propriis characteribus. Hi autem characteres, juxta S. Gregorium Nazianzenum, sunt ἀγεννησία *{innascibiliids'),* γεννησία aut γε'ννησι *{filiatio)** et ἐκπόρευσι aut εκπερψι *{processio)'** intellectu quidem sunt difficiles, sed ad *originem* et *oppositionem personarum* referuntur.

699.(b) Cappadoces, *aequalitatem personarum* revera profitentur, eamque inferunt ex eo quod Pater *totam suam naturam* Filio communicat, et, per Filium, Spiritui Sancto. Attamen, respectu *originis* quamdam praecellentiam videntur Patri attribuere, qui nobis exhibetur ut πηγή, αρχή, αιτία τη Θεότητα , *{fons** *pnnàpium divinitatis)* dum Filius et Spiritus Sanctus sunt αἰτιατά *(principiata)* et ad Patrem referuntur.

700.(c) Quoad processiones, Graci duas tantum admittunt sicut Latini, sed *Filium* concipiunt ut complementum Patris in ordine perfectionis *physica** quatenus est sapientia et potentia Patris; dum Spiritum habent ut complementum Patris in ordine *morali** quatenus nempe est ejus sanctitas. Generationem Verbi comparant cum verbo nostro intemo seu mentali et cum verbo nostro prolato, sed non evolvunt rationem *psychologicam* quam Latini tam praclare

l Cfr. de Régnon, *op. cit.y* Etude VI, Etude XIV-XX; Tixeront, *op. cit.* t. II, p. 67-93·

exposuerunt; ideoque generatim declarant explicari non posse cur processio Spiritus non sit generatio. — Affirmant quidem processionem Spiritus a Patre et Filio (n. 659), sed formulam præferunt "‹τ.τ Patre *per* Filium

Doctrinam de *relationibus* tradunt, asserentes esse in divinis relationes *mutuas* et relationes *oppositas,* Patrem non esse nomen essentiæ sed *relationem* importare, et idem dicendum esse de Filio et Spiritu; sed *origines* potiusquam *relationes* considerant.

701. (d) **Circumincessionem** explicant *circulo* quodam *vitali,* quo personæ procedentes a principio suo oriuntur et ad principium suum regrediuntur; ita Filius a Patre oritur et ad Patrem regreditur et in sinu Patris habitat; Spiritus autem a Patre oritur per Filium et in utroque habitat : ita habetur *distinctio* personarum secundum relationes *originis,* earum *cequalitas* ex unitate *natura* quam omnes æque possident et in qua simul inexistunt.

702. (e) **Opera ad extra,** etiam juxta Græcos, tribus quidem personis *communia* sunt; sed, ad ordinem personarum tutius servandum, libentius dicunt Patrem operari *per* Filium et Spiritum Sanctum vel *in* Spiritu. Quod etiam hoc modo declaratur : Pater *imperat* opus, Filius *exsequitur,* Spiritus autem omnia *complet.* Speciatim *sanctificatio* est opus quasi personale Spiritus, qui est Sanctitas Patris. Ita ea quæ sunt *propria* personarum nonnisi, imperfecte distinxerunt ab iis quæ sunt *appropriata.*

Sed Græci, sicut Latini, trinitatem personarum et unitatem naturæ, necnon reales inter personas relationes ex earum origine manantes admittunt; sed modus id concipiendi est diversus.

II. Theologica expositio Patrum latinorum præsertim S. Augustini.

703. *Latini, unitatem divinæ naturæ* contra subordinatianos servare volentes, hanc veritatem *primario* exponunt, et personarum distinctionem ex earum relationibus desumunt.

Qua in re ceteris praecellit S. *Augustinus,* qui tam exacte ac profunde unitatem naturæ cum trinitate personarum conciliavit earumque personarum notionem ope theoriæ *relationum* illustravit ut theologiam SS. Trinitatis fere completam reliquerit*.

(a) In sua theologica expositione, Sanctus Doctor non incipit

* **Tixeront,** *ibid.,* **p. 362-368; de Régnon, Etudes XX, XXIV.**

sicut Græci, a Patre, sed ab unitate divinæ naturæ quam æstimat melius vocari *essentiam* seu *substantiam* [1,3] et sic radicitus subordinatianismum prævertit. Hæc autem essentia, individua ac determinata, est *numerice identica* in tribus personis 3; non iis tamen connumeratur ut quartus terminus, sed *unaquaque persona est hac essentia sub certo respectu considerata* : unde Trinitas nihil est aliud ac essentia divina sub suis diversis respectibus considerata seu *natura in tribus personis subsistens*[4].*

704. (b) Ex hac autem unicitate et identitate naturæ in tribus personis, S. Augustinus deducit : 1) *divinas personas habere ad extra unam voluntatem unamque operationem :* " Ubi nulla naturarum, nulla est diversitas voluntatum " [5] ; in theophaniis igitur non Verbum solum, sed totam Trinitatem apparuisse [6];* 2) incarnationem et missionem Filii a tota Trinitate effectam esse? ; 3) unamquamque personam esse tantam quanta est Trinitas tota, cum unaquæque sit Deus : " Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus Sanctus" [8];[10] 4) esse in Trinitate *circumincessionem,* seu divinas personas esse "semper in invicem "[9]; 5) quodcumque refertur ad naturam seu exprimit quid absolutum, enuntiandum esse in singulari, cum natura divina sit unica,[o].

705. (c) Hanc perfectam naturæ unitatem ac personarum realem distinctionem explicat S. Augustinus theoriam *relationum* exponendo. *Divina scilicet persona sunt relationes, cum essentia non confusa,* cum non sint quid absolutum, et tamen *non accidentia,* cum sint Deo essentiales, æternæ ac necessariæ : " Non secundum substantiam hæc dicuntur quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur : neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater et quod dicitur Filius ætemum atque incommutabile est... Hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est mutabile " ". Ita dicitur Pater *ad Filium,* Filius *ad Patrem,* Spi-

[1] *Conba sermon, arian.,* III, 4, *P. L.,* XLII, 685 ; *De Trinitate,* XLII, 916.
[2] *De Trin.,* VII, 10 ; *P. L.,* XLII, 942.
[3] *De Trin.,* VII, II ; T'. *L.,* XLII, 943.
[4] *Epist. CXX,* 13, 17, *P. D,* XXXIII, 458 sq.
[5] *Contra Maximinum,* II, 10, 2, *P. L.,* XLII, 765.
[6] *De Trin.,* II, 12 sq., *P. L.,* XLII, 853.
[7] *De Trin.,* II, 8, 9, *P. L·,* XLII, S49.
[8] *De Trin.,* VI, cap. 8, *P. L.,* XLII, 929.
[9] *De Trin.,* VI, 9 ; *P. L.,* XLII, 929.
[10] *De Trin.,* V, 9; T'. *L.,* XLII, 917.
[11] *De Trin.,* V, 6, 16, 17; VII, 24; *P. L.,* XLII, 913, 922, 934.

ritus Sanctus *ad Patrem et Filium.* "Tres utique sunt... tamen cum quaeritur quid tres, magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres *persona,* non ut illud diceretur, sed ne taceretur" Vox scilicet persona analogice sumenda est.

706. (d) De *generatione* autem *Filii* nihil novi dicit S. Augustinus; secus vero de *processione Spiritus Sancti.* Primus enim inter Doctores ratiocinando ostendit Spiritum Sanctum *procedere et a Filio :* " Nec possumus dicere quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat : neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur " [2]. Non tamen sunt duo principia Spiritus Sancti [3], dum actio productiva sit communis Patri et Filio. Virtus autem productiva communicatur Filio a Patre a quo exinde procedit Spiritus principaliter *. In quonam vero differat processio Spiritus Sancti a Filii generatione, non liquet, mysterium est [5].

III. Theoria S. Bonaventuræ.

707. S. Bonaventura de SS. Trinitate philosophatur tum in *Breviloquio* et *Itinerario mentis in Deum*[6], tum in *Commentario in I librum Sententiarum* [7].

Conceptio autem Seraphici Doctoris quasi contrahitur in cap. VI *Itinerarii,* ubi non incipit, sicut S. Augustinus, ab unitate essentiæ, sed ab illo effato mysticorum ducis, *Pseudo-Dionysii : Bonum dicitur diffusivum sui,* unde statim concludit : *"Summum* igitur *bonum summe diffusivum est sui".* Atqui, nisi in summo bono aeternaliter esset productio actualis et consubstantialis, nempe r) *producens* per modum generationis et spirationis, 2) *genitus* et *spiratus,* hoc est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, summum bonum non summe se diffunderet.

In Deo igitur " necesse est propter summam bonitatem esse summam *communicabilitatem,* et ex summa communicabilitate summam *consubstantialitatem,* et ex summa consubstantialitate summam *configurabilitatem* (seu identitatem), et ex his summam *cocequalitatem,* ac per hoc summam *coceternitatem,* atque ex omnibus praedictis summam *cointimitatem,* qua unus est in altero necessario per summam circumincessionem et unus operatur cum alio per omnimodam indivisionem *substantia,* et *virtutis* et *operationis*

[1] *De Trin.,* V, IO; VII, 8, 9 ; A *L.,* XLII, 918, 940.
[2] *De Trin.,* IV, 29, *P.* Z., XLII, 908.
[3] *De Trin.,* V, 15, *P. L.,* XLII, 921.
[4] *De Trin.,* XV, 29, *P. L.,* XLII, 1081.
[5] *De Trin.,* XV, 45, *P. L.,* XLII, 1092.
[6] *Tria opuscula Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ,* Quaracchî, 19H.
[7] Cf. novam editionem *Operum omnium* S. Bonaventuræ, tom. I, p. 40 sq., Quaracchî.

ipsius beatissimæ Trinitatis". Præterea "ibi est summa *communicabiliti^* cum personarum proprietate, summa *consubstantialitas* cum hypostasum pluralitate, summa *configurabilitas* cum discreta personalitate, summa *coaqualitas* cum ordine, summa *coceternitas* cum emanatione, summa *cointimitas* cum emissione". Sic S. Bonaventura ex effato dionysiano eruit et explicat tum unitatem tum pluralitatem SS. Trinitatis.

IV. Thomistica seu psychologica explicatio.

708. Generale argumentum delineatur. Theologica explicatio SS. Trinitatis quam proponit S. *Thomas* in *Summa theologica* ita ordine, soliditate et profunditate praecellit, ut videatur Sancti Augustini mirabili doctrinæ cumulos addidisse.

Duobus principiis hæc theoria innititur : (a) uno quidem *revelato,* nempe esse in Deo internas processiones (supra, n. 647 sq.) ; (b) altera *rationali,* scilicet, hanc processionem intelligendam esse modo omnino *spirituali,* prout fit in creaturis intellectualibus. Quibus positis, in natura intellectuali duplex datur processio immanens, una per *intellectum,* altera per *voluntatem : utraque* modo supereminenti *in Deo* invenitur; ex hac autem duplici processione *quatuor* nascuntur *relationes,* quarum *tres* sunt *sibi invicem opposite ;* hæ autem, cum sint *subsistentes in natura divina,* eo ipso sunt tres distinctæ personæ.

Quod ex verbis S. *Thomce* declarabimus.

1° De processionibus. *Duæ dantur in Deo ptocessiones et duæ tantum.*

709. (A) Datur in Deo processio secundum *emanationem intelligibilem, qua producitur verbum internum; et hæc processio est vera generatio.*

(a) *In Deo datur processio intellectualis qua producitur verbum internum : —*

" Quicumque autem *intelligit,* ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid *intra ipsum,* quod est *conceptio rei intellecte,* ex ejus notitia procedens *. Quam quidem conceptionem vox significat,

' Quod quidem intelligendum est, secundum Gonet, *Clypeus,* disp. II, a. I, n. 6, de intellectione naturali qua quaelibet creatura intellectualis *teipsam* intelligit.

et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis. Cum autem Deus sit super omnia, ea quæ in Deo dicuntur, non sunt intelligenda secundum modum infimarum creaturarum, quæ sunt corpora, sed secundum similitudinem supremarum creaturarum quæ sunt intellectuales substantiæ, a quibus etiam similitudo accepta deficit a repræsentatione divinorum. *Non ergo accipienda est processio secundum quod est in corporalibus vel per motum localem, vel per actionem alicujus causa in exteriorem effectum,* ut calor a calefaciente in calefactum, sed **secundum emanationem intelligibilem**, utpote verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso. Et sic fides catholica *processionem ponit in divinis* [1].

(b) *Nec processio est vera generatio* : —

"Generatio (in viventibus) significat originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto... sed requiritur ad rationem talis generationis quod procedat secundum rationem similitudinis in natura ejusdem speciei, sicut homo procedit ab homine, et equus ab equo... " " Sic igitur processio Verbi in divinis habet rationem generationis; procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, et a principio conjuncto, ut supra jam dictum est, art. præc., et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, et in eadem natura existens; quia in Deo idem est intelligere et esse, ut supra ostensum est, q. 3, a. 4, q. 14, a. 4. Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio et ipsum Verbum procedens dicitur Filius " [2].

710. (B) *Est in Deo alia processio, per voluntatem* : —

(a) " Ad cujus evidentiam, considerandum est quod in divinis non est processio nisi secundum actionem quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Hujusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus et actio voluntatis. Processio autem Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem. Secundum autem operationem voluntatis invenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi res dicta vel intellecta est in intelligente. Unde et *prater processionem Verbi ponitur alia processio in divinis,* quæ est processio amoris " [3].

(b) *Hcec autem processio non est generatio* : —

"Ad cujus evidentiam sciendum est quod hæc est differentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem fit in actu, non per hoc quod aliqua similitudo

[1] *Sum. thtol.,* q. 27, a- I·
[2] *Sum. thcol.,* I, q. 27, a. 2. — [3] *Ibid.,* a. 3.

voiiti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Processio igitur quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid. Et ideo *quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus*;quo nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum " *.

(C) Attamen *Spiritus Sanctus procedit similis suo Principio,* immo et perfectissime ac *substantialiter Patri et Filio identicus :* in Deo enim quidquid est, est Deus; procedit Spiritus Sanctus non duratione, natura et dignitate, sed *ordine* Patri et Filio posterior, sicut Filius non duratione, natura et dignitate, sed *ordine* procedit posterior Patri.

711. (C) *In Deo non sunt plures processiones quam duœ :*

" Respondeo dicendum quod processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones quæ in agente manent Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duæ, scilicet intelligere et velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem, neque totaliter est remotum a genere actionum quæ sunt ad extra; nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum. Relinquitur igitur quod *nulla alia processio possit esse in Deo, nisi verbi et amoris '. "*

712.2° De relationibus divinis. E duabus processionibus jam descriptis *quatuor relationes* exsurgunt, et quidem *reales,* ex quibus *tres* sunt *sibi invicem oppositæ.* Jam vero relatio in genere est respectus unius ad alium. Relatio autem *realis* ea est cujus non tantum *termini* sunt *reales,* sed insuper *realiter* ad invicem ordinantur. Quibus expositis, quatuor S. *Thomas* declarat circa relationes divinas.

713. (A) *In Deo sunt relationes qucedam reales :* —

" Respondeo dicendum quod *relationes qucedam sunt in divinis realiter.* — Ad cujus evidentiam, considerandum est quod solum

1 *Sum. theol.y* I, q. 27, a. 4. — 3 *Ibid.*^ a 5.

in his quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem; quod non est in aliis generibus; quia alia genera, ut quantitas et qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhaerens. Ea vero quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est *in ipsa natura rerum,* utpote quando aliquæ res secundum suam naturam ad invicem ordinatæ sunt, et invicem inclinationem habent; et hujusmodi relationes oportet esse *reales·,* sicut in corpore gravi est inclinatio et ordo ad locum medium; unde respectus quidam est in ipso gravi respectu loci medii; et similiter est de aliis hujusmodi. Aliquando vero respectus significatus per ea quæ dicuntur ad aliquid, est tantum *in ipsa apprehensione* rationis conferentis unum alteri; et tunc est relatio *rationis tantum;* sicut cum comparat ratio hominem animali ut speciem ad genus.

Cum autem aliquid procedit a principio *ejusdem naturce,* necesse esTquod ambo, scilicet procedens et id a quo procedit, in eodem ordine~cOnVKniant;~et sic oportet quod habeant *reales respectus* ad invicem. *Cum igitur processiones in divinis sint in identitate naturce,* (ut ostensum est quæst. præc., art. 2 et 4), *necesse est quod relationes quæ secundum processiones divinas* accipiuntur, sint *relationes reales* " *.

*'I*14. (B) *Relationes reales in Deo non differunt ab essentia secundum rem, sed secundum rationem,* seu *virtualiter,* quatenus nempe important respectum ad oppositum, essentia autem non. Quod S. Thomas probat contra *Gilbertum Porretanum,* qui putabat relationes divinas non esse idem secundum rem ac essentia divina, sed esse *essentiæ assis-*

" Quidquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod *transfertur in Deum,* habet esse substantiale; nihil enin? est in Deo ut accidens in subjecto; sed *quidquid est in Deo, est ejus essentia.* Sic igitur ex ea parte qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter exiscens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino ei existens. In hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est quod *relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in*

nomine essentia. Patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis et essentiæ, sed unum et idem ”

715. (C) In Deo *relationes reales* distinguuntur *realiter ab invicem,* non secundum rem absolutam seu essentiam, sed *secundum rem relativam : —*

“ Respondeo dicendum quod ex eo quod aliquid alicui attribuitur, oportet quod attribuantur ei omnia quæ sunt de ratione illius. Sicut quicumque attribuitur homo, oportet quod attribuatur ei esse rationale. De ratione autem relationis est respectus unius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relative. Cum igitur in Deo realiter sit relatio, ut dictum est art. i hujus qu., oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Unde *oportet quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, qua est essentia, in qua est summa unitas et simplicitas, sed secundum rem relativam* ” ’.

716.(D) *Quatuor sunt in Deo relationes reales,* scilicet paternitas, filiatio, spiratio et processio; ex quibus tamen *tres tantum realiter ab invicem distinguuntur,* utpote *sibi invicem opposita.*

(a) Animadvertit S. *Thomas* relationes reales in Deo non esse nisi *super actionem* fundentur, nec posse fundari nisi super actionem *immanentem,* cum relationes ad creaturas non sint realiter in Deo.

“ Unde relinquitur quod relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum *actiones,* secundum quas est processio in Deo non extra, sed *intra.* Hujusmodi autem processiones sunt duæ tantum, ut supra dictum est, quæst. 27, art. 3 præcipue; quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi, alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris. *Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio,* et *alia ipsius principii.* Processio autem Verbi dicitur generatio secundum propriam rationem, qua competit rebus viventibus. Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur *paternitas;* relatio vero procedentis a principio dicitur *filiatio.* Processio vero amoris non habet nomen proprium, ut supra dictum est, qu. 27, art. 4; unde neque relationes quæ secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio principii hujus processionis, *spiratio;*

l *Sum. thtol.,* I, q. 28, a. 2.
l *Ibid.,* x 3.

relatio autem procedentis, *processio;* quamvis hæc duo nomina ad ipsas processiones vel origines pertineant, et non ad relationes[2]".

(b) Tres autem tantum ex his relationibus *realiter ab invicem distinguuntur.* Realis enim distinctio inter relationes divinas non est nisi ratione oppositionis relativæ. Atqui tres tantum relationes sunt sibi invicem oppositae : *paternitas* et *filiatio* quæ immediate inter se opponuntur; pariter *spiratio passiva* (processio Spiritus) opponitur *spirationi activez,* quæ est communis Patri et Filio; sed *spiratio activa* non distinguitur quoad rem a paternitate, cui non opponitur. Ergo tres tantum sunt relationes realiter ab invicem distinctæ, nempe *paternitas, filiatio* et *spiratio passiva* ».

717. Controversia *de principio quo proximo processionum.* Omnes conveniunt *principium quod* divinarum processionum *esse personas divinas,* videlicet Patrem esse *principium quod* generationis Filii, Patrem et Filium esse *principium quod* spirationis Spiritus Sancti; omnes pariter fatentur *principium quo,* saltem *remotum,* esse *naturam divinam.* Sed controversia est de *principio quo proximo. (fi) Durandus* contendit illud principium esse ipsam naturam divinam, præintellectam intellectui et voluntati, ita ut praecisis per mentem his attributis, Filius et Spiritus nihilominus procedere valerent, (b) Quod tamen merito a theologis rejicitur *communiter,* utpote minus conforme *C. Lat. IV* declarationi[3] : " Et illa res (essentia) non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur ". Communis vero sententia est *principium quo proximum divinarum processionum non esse naturam divinam ut sic, sed intellectum et voluntatem, prout modificantur relationibus paternitatis et spirationis.* Hæc ultima verba adduntur quia, cum intellectus et voluntas sint tribus personis communes, assignanda est ratio cur intellectus in Patre generet, non autem in Filio et Spiritu ; jamvero intellectus in Patre generat, quatenus *modificatur relatione paternitatis.* Ratio fundamentalis hujus doctrinæ a *Salmanticensibus* traditur : processiones in divinis debent esse actus illarum virium, ex quibus ratio reddi possit cur una earum sit prior, et alia posterior, cur una sit generatio, alia vero non, cur tandem duæ sint tantum processiones. Atqui, posita *Durandi* opinione, hæc explicari nequeunt, dum e contra in sententia nostra sufficienter declarantur; etenim, si processiones immediate sunt a natura, nulla est ratio cur una sit prior altera, vel cur una sit generatio, altera non, cum per utramque natura communi-

[2] *Sum. theol.,* I, q. 28, a. 4.
[3] *Sum. theol.,* q. 30, a. 2. — [3] D. B., 432.

cetur et quidem ab eodem principio, vel cur non sint plures quam duo; si enim divina fecunditas unica processione non satiatur, cur duplici satietur? E contra si processiones fiunt *immediate* secundum operationem *intellectus* et *voluntatis,* hæc omnia aliquo modo intelliguntur : nam, cum *intellectio* sit *logice volitione prior,* processio per intellectum logice prior est processione per voluntatem; cum processio per intellectum sit aliquomodo *conceptus,* non est mirum quod generatio vocetur; cum in natura pure intellectuali duæ sint tantum potentiæ, intelligitur quomodo duæ sint tantum processiones, ut supra dictum est, n. 711.

718. 30 De personis divinis. *Tres sunt in Deo persona realiter ab invicem distincta,* nempe *Pater, Filius et Spiritus Sanctus.*

(A) Ad quod probandum, S. *Doctor,* post traditam et elucidatam notionem personae prout traditur a *Boetio* (supra, n. 569) : (a) merito asserit et probat nomen *persona* maxime Deo convenire, modo tamen excellentiori quam creaturis : —

" Respondeo dicendum quod *persona* significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet *subsistens in rationali natura.* Unde cum omne illud quod est perfectionis Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est ut hoc nomen, "*persona ", de Deo dicatur;* — non tamen eodem modo quo dicitur de creaturis, *sed excellentiori modo,* sicut et alia nomina, quæ creaturis a nobis imposita, Deo attribuuntur, sicut supra ostensum est, quaest. 13, art. 3, cum de divinis nominibus ageretur "[x].

719. (b) Postea tradit *notionem persona in Deo.* Hoc nomen significat non essentiam solam nec relationem solam, sed *relationem in recto,* et *essentiam in obliquo,* ita ut definiri possit *relatio ut subsistens :* —

" Persona enim in communi significat substantiam individuam rationalis naturæ, ut dictum est art. 1 hujus qu. Individuum autem est quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa; sicut in humana natura significat has carnes, hæc ossa, et hanc animam, quæ sunt principia individuantia hominem; quæ quidem, licet non sint de significatione personæ in communi, sunt tamen de significatione personæ humanæ. Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis, ut dictum est supra, qu. 27, art. 2 et 3. Relatio autem in divinis non est sicut accidens

[x] *Sum. thiol.y* I, q. 29> *- 3-

inhærens subjecto, sed est ipsa divina essentia; unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. *Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem.*

Et hoc est significare relationem per modum substantiae, quae est hypostasis subsistens in natura divina, licet subsistens in natura divina non sit aliud quam natura divina. Et secundum hoc verum est quod nomen *persona* significat *reltitionem in recto,* et *essentiam in obliquo;* non tamen relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum *hypostasis.* Similiter etiam significat essentiam in recto, et relationem in obliquo, in quantum *essentia idem est quod hypostasis* x. Hypostasis autem significatur in divinis ut *relatione distincta.* Et similiter relatio per modum relationis significata cadit in relatione personæ in obliquo. Et secundum hoc etiam dici potest quod hæc significatio hujus nominis *persona* non erat percepta ante hæreticorum calumniam " 2.

720. (c) *Tandem ostendit tres et tres tantum esse in Deo personas nempe Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum : —*

" Respondeo dicendum quod, secundum præmissa artic. præc., et art. 4, quæst. 29, necesse est ponere *tantum tres personas in divinis.* Ostensum est enim, artic. præc., quod plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter distinctæ. Realis autem distinctio inter relationes divinas non est nisi ratione oppositionis relativæ. Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quæ autem relationes oppositæ non sunt, ad eamdem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo et filiatio, cum sint oppositæ relationes, ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens, est persona Patris; et filiatio subsistens, est persona Filii. Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppositionem habent, sed sibi invicem opponuntur. Impossibile est igitur quod ambæ uni personæ conveniant. Oportet ergo quod vel lina earum conveniat utrique dictarum personarum, aut quod una uni, et alia alii. Non autem potest esse quod processio conveniat Patri et Filio, vel alten eorum ; quia sic sequeretur quod processio intellectus, quæ est generatio in divinis, secundum quam accipitur paternitas et filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio et processio; et persona generans et genita procederent a spirante; quod est contra præmissa qu. 27, art. 3 et 4. Relinquitur ergo quod spiratio conveniat et personæ Patris, et personæ Filii, utpote nullam habens oppositionem relativam nec ad paternitatem, nec ad

Subintellige : *quoad rem;* nam *virtualiter* differt ab *hypostas.*
Sum. theol., I, q. 29, a. 4.

filiationem; et per consequens oportet quod conveniat processio alteri personae, quæ dicitur persona Spiritus Sancti, quæ per modum amoris procedit, ut supra habitum est loc. nunc cit. Relinquitur ergo *tantum tres personas esse in divinis, scilicet Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum* " *.

721. (B) Exinde sequitur *Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere* et quidem *una spiratione,* ita ut *Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti*a.

" Si enim Spiritus Sanctus a Filio non procederet, nullomodo posset ab eo distingui. Etenim personæ in divinis non distinguuntur realiter ab invicem nisi per relationes oppositas : quidquid enim in Deo absolute dicitur ad unitatem essentiae pertinet; aliunde relationes quæ non sunt opposite, non sufficiunt ad distinguendas personas; ita, v. g., generatio activa et spiratio activa, quæ sibi invicem non opponuntur, non constituunt duas personas, sed unam tantum. Atqui relationes opposite non dantur in divinis nisi relationes *originis,* quatenus una persona ab alia procedit; ergo Spiritus Sanctus non realiter a Filio distinguitur nisi ab eo procedat ".

722. Conclusio. Hæc theoria *non* est quidem *demonstratio philosophica* mysterii SS. Trinitatis : primum enim principium cui innititur, nempe *existentia processionum realium in Deo* est *revelatum* nec ratione demonstrari potest; alterum vero principium, nempe in Deo esse duplicem processionem spiritualem sicut in creaturis intellectualibus, demonstrare non valet relationes exinde orientes esse *subsistentes,* ideoque personas vere distinctas.

Sed, posita revelatione, perbelle ostendit : i) in Deo *vitam esse intellectualem,* infinite tamen perfectiorem quam in crea-

l *Sum. theol.*, q. 30, a. 2.

3 Sunt tamen duo *spirantes** non autem duo *spiratores** quia, ut ait S. Thomas (q. 36, a. 4, ad 7), videtur melius dicendum quod quia *spirans* adjectivum est, *spirator* vero substantivum, ┌ mus dicere quod Pater et Filius sunt duo spirantes, non autem duo spiratores, propter unam spirationem. Quod luculenter explicat S. Doctor : " Si attendatur virtus spirativa, Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio in quantum sunt *unum* in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate. Neque est inconveniens unam proprietatem (scilicet virtutem spirativam) esse in duobus suppositis quorum est una natura. Si vero considerentur supposita spirationis, sic Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio ut sunt *plures :* procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum *Sum. theol.** I, q. 36, a. 4, ad I, ad 7. Cf. *annotationes* IV. V, VI, VII, X HI, IX Cajetam in hunc articulum; S. Franciscus Sales., *Traité de Γamour de Dieu** liv. III, ch. 13™.

turis rationalibus; 2) Deuip, etsi ens omnino *transcendens, non esse ens solitarium,* sed in plenitudine entis divini *1res esse personas distinctas in unitate ejusdem naturæ,* tres, inquam, quæ in mutuo consortio infinita fruuntur beatitudine; 3) Eum esse omnino a creaturis independentem, cum in seipso sit beatus, ideoque liberrime, ex caritate, condidisse creaturas non ad acquirendam, sed ad manifestandam eisque communicandam perfectionem suam; 4) Eum tamen, etsi creaturis non indigeat, eas diligere tanquam imaginem, etsi imperfectam, suarum perfectionum, earumque amicitiam exquirere; 5) creaturas autem rationales in Deum tendere, non solum tanquam *auctorem sui esse* ideoque ultimum finem, sed etiam tanquam *causam exemplarem* cujus perfectiones imitari debent, et præcipue tanquam *patrem* et *amicum,* intime sibi præsentem, cujus præsentia intime frui possunt.

Ita apparet dogma catholicum, nedum rationi adversetur, multiplici modo nostris conceptibus et aspirationibus convenire L

Art. III. Consectaria exinde fluentia.

Ex his theoriis philosophico-theologicis melius intelliguntur quæ respiciunt : i°*proprietates* personarum; 2° *nomina* personarum *propria* et *appropriata;* 30 *regulas ad recte loquendum* de mysterio SS. Trinitatis.

§ I. Proprietates divinarum personarum.

Declarabimus : i° *ipsas proprietates;* 2° *actus notionales;* 3° *notiones personales.*

723. i° De ipsis **proprietatibus**[2]. Proprietates *proprie personales* eæ dicuntur quibus constituuntur divinæ personæ. Tres sunt : *paternitas,* quæ constituit Patrem;

' Post *S. Thomam,* hoc argumentum convenienti» declarant, inter alios ; Bossuet, *Discours sur Γhut. universelle,* 2e Partie, ch. 19; *Sermon sur la Trinité; Elévations,* 2e Semaine, 12e Sem., 8-10; *Médit, sur ΓEvangile,* La Cène, Ie part., 5e, 6e, 86e j. ; 2' part.,' 25e, 58e, 70-77'; — Lacordaire, *ConJ. de Notre Dame,* 48e, De la vie intime de Dieu.

3 S. Thom., I, q. 40; Card. Billot, th. XXXV.

filiatio quæ constituit Filium ; *spiratio passiva* quæ constituit Spiritum.

Spiratio activa, cum sit communis Patri et Filio, non constituit personam, nec proinde est proprie dicta proprietas; *latiori* tamen sensu dicitur amborum *communis proprietas.*

724. 2° De **actibus notionalibus.** (a) Hoc nomine vocantur ii actus secundum quos divinæ personæ procedunt et distinguuntur : atqui duo sunt actus hujusmodi, *generatio* scilicet, qua originem habet Filius, et *spiratio,* qua Spiritus Sanctus procedit. Ergo duo sunt actus notionales seu personales.

(b) Jamvero hi actus dici possunt simul *necessarii* et *voluntarii :* i) *necessarii,* quatenus non possunt non esse, cum sint actus *immanentes* ex perfectione naturæ divinæ promanantes, ideoque *non* sunt *liberi;* aliunde non sunt *coacti,* cum nulla necessitate externa Deus cogi possit; 2) *voluntarii* autem, quatenus Deus generat et spirat *volens,* non reluctans *.

725. 3° De **notionibus in divinis**2. *Notiones* sunt *nota,* seu *characteres proprii, quibus personne* a nobis *dignoscuntur et ab invicem distinguuntur :* ab ipsis igitur *relationibus fluunt,c\xm* distinctio personarum solummodo a relationibus oriatur, et aliquam dignitatem important, quæ est propria uni personæ vel duabus tantum. Jamvero juxta S. *Thomam, quinque sunt notiones in divinis et quinque tantum.* 1) *Duce* enim *Patri* conveniunt : *Innascibilitas,* quia Pater a nullo procedit; *Generatio* seu paternitas, quia generat Filium. Ipsi quidem competit etiam *Spiratio activa,* quæ tamen *non realiter* distinguitur a generatione, cum ipsi non opponatur.

2) *Duce* conveniunt *Filio : Filiatio,* quia a Patre procedit per veram generationem; *Spiratio activa,* quæ ipsi communis est cum Patre quia una cum illo spirat Spiritum Sanctum.

3) *Una Spiritui Sancto,* scilicet *Spiratio passiva,* seu simplex processio, quia Spiritus spiratur a Patre et Filio.

1 S. Th.,^j p., q. 41; Suarez, 1. VI, c. 3-4; Salmant., *Comment.* in q. 41; L. Janssens,'ρΓ /Oδ-742; Card. Billot, th. XXXVII; E. Hugon, p. 440.

a£. Thom., I, q. 32; Card. Billot, th. XXXVIL

Juxta *Scotum,* Spiritui competit etiam *infecunditas,* quatenus nulla persona ab Eo procedit; sed cum hæc non sit proprie relatio, non potest *frofrie* dici notio.

§ II. Nomina propria et appropriata [x].

T2Q. i° Fundamentum hujus distinctionis, (a) Nomina divinarum personarum duplicis sunt generis : alia sunt *propria* seu *notionalia,* quæ ita conveniunt uni personæ ut de alia prædicari nequeant ; alia autem sunt *appropriata,* quæ *ex se tribus personis sunt communia,* sed *uni* tamen personæ *præ aliis* tribuuntur, propter eorum specialem relationem aut similitudinem cum attributo huic personæ proprio.

Fundamentum præcipuum hujus appropriationis est *similitudo* existens inter attributum *commune* et attributum *personale;* ita, v. g., amor essentialis tribus personis competens, modo speciali appropriatur Spiritui, quia procedit ex *amore.*

(b) Pariter, inter *opera ad extra,* quæ tribus personis sunt communia, quædam *approfriantur* uni personæ præ aliis, quia majorem similitudinem habent cum ejus proprietatibus personalibus; ita sanctificatio, habitatio Dei in anima justi, specialiter tribuuntur Spiritui, quia sunt opera *amoris.*

Ratio autem hujus appropriationis a S. *Thoma* sic declaratur. Quamvis Trinitas personarum demonstrari non possit, convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declaretur. Atqui *essentialia* attributa sunt nobis per rationem magis manifesta quam *propria* personarum : ita potentia, sapientia, amor nobis clarius innotescunt quam generatio et spiratio. Ergo convenit ut personis approprientur quædam attributa essentialia magis nota quam proprietates personales.

Quod lucidius ex applicatione hujus principii constabit, breviter describendo nomina *propria* et nomina *appropriata* cujuslibet personæ.

727. 2° Applicatio principii. (A) Quoad Patrem : (a) nomina *propria* sunt : 1) *primum principium,* quia est fons totius Trinitatis, cum ab eo procedant Filius et Spiritus ; dicitur autem *principium, non causa* vel auctor Filii,

[x] S. Thom., I, q. 33-38 ; Card. Billot, th. XIX-XXIX; E. Hugon, p. 434.

quia illæ voces in lingua latina important in causato diversitatem et dependentiam naturæ *.

2) *Ingenitus, Innascibilis,* quia a nullo procedit

3) *Pater,* quia generat Filium ; et sane paternitas in Deo perfectior est quam in creaturis, cum Deus sit Pater absque ullo consortio maternae subministrationis, vel lenta progressione vel ullo ex defectibus qui cum humana generatione connectuntur.

(b) *Nomina appropriata :* 1) *Omnipotens,* quia potentia est veluti *summum principium* Dei operum et ideo convenit specialiter Patri, qui est principium totius Trinitatis. 2) *Creator,* quia creatio est præsertim opus potentiæ; ideoque ei appropriantur *opera ad extra.* 3) *Æternus :* ætemitas enim, quæ initio caret, convenit Patri qui sine principio est. 4) *Pater noster,* quia adoptiva paternitas imitatur veram paternitatem.

728. (B) Nomina secundæ personæ. (a) *Propria :* 1) Nominatur *Filius,* quia procedit a Patre per veram generationem. 2) *Verbum,* quia procedit per viam intellectionis; atqui actus intellectus vocatur verbum internum seu conceptio mentis. 3) *Imago* [1] Patris, quia vi ipsius originis, Filius est perfecte Patri similis; vocatur etiam *splendor gloria* et *figura substantiel,* quia est imago splendidissima et substantialis Patris [4].

(b) *Appropriata :* 1) *Sapientia,* quia sapientia pertinet ad intellectum ; atqui Verbum procedit per intellectum ; 2) omnia *opera sapientia, n.* g., ordo in mundo existens ; 3) *causa exemplaris* omnium creaturarum, cum hæc ad intellectum et sapientiam spectet.

[1] " Unde hoc nomen *causa* videtur importare diversitatem snbstantiæ, et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen *principii.* In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam et id cujus est causa, secundum aliquam virtutem aut perfectionem. Sed nomine principii utimur etiam in his quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solum secundum quemdam ordinem. Sicut cum dicimus punctum esse principium lineæ... " (S. Th., I, q. 33, a. 1.) — ‘‘Notandum est, ait Card. Bessarion (sess. XXV, C. *Florent* SS. Doctores orientales etiam in divinis utantur nomine causæ aut causati largo modo, non quidem ut limitationem et dependentiam importat, sed prout productionem et emanationem a principio significat

* *Colon.,* i, 15· — 3 3- — 4 s. Thom., I, q. 34-35.

729. (C) Nomina tertiæ personæx. (a) *Propria :* i) Vocatur *Spiritus,* quia procedit per viam spirationis seu amoris3. 2) *Amor,* quia est terminus substantialis illius unicæ dilectionis qua Pater amat se et Filium et qua Filius amat se et Patrem, ideoque merito vocatur amor subsistens. Vocatur etiam *nexus, unio, amplexus,* quia, est velut-i nexus quo Pater et Filius invicem se complectuntur. 3) *Donum* quia procedit per viam amoris; atqui amor nihil aliud est nisi sui ipsius donum.

(b) *Appropriata :* 1) *Caritas* quæ optime convenit Spiritui qui procedit per viam amoris; 2) omnia *opera caritatis ;* 3) præsertim vero opus *sanctificationis,* quia sanctificatio nostra est opus amoris. Hinc etiam vocatur *Paracletus,* seu consolator et advocatus, quia nos per gratiam consolatur, et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ; *non* tamen *exclusive,* cum hoc nomen pariter Filio tribuatur.

§ III. Regulæ ad recte loquendum de SS. Trinitate.

730. Cum mysterium SS. Trinitatis essentialiter in *unitate naturæ* et *personarum distinctione* situm sit, ea omnia vitari debent quibus utrumve dogma lædatur.

1° Nomina *substantiva, directe* exprimentia *divinam essentiam,* sive *concreta* sive *abstracta,* vel *attributa absoluta,* adhiberi debent numero *singulari,* non autem plurali. Nam divina essentia est una, pariter attributa absoluta non multiplicantur in Deô ; v. g., dici debet : unus est Deus, unus creator, unica omnipotentia; et dici nequit : tres sunt dii, tres sunt deitates, etc.

2° Nomina *adjectiva,* quæ *directe personas* designant et indirecte tantum naturam, numero plurali enuntiari possunt. Ratio est quia hæc nomina referuntur ad personas. Atqui plures sunt personæ. Ergo dici debet, v. g. : tres sunt personæ æternæ, omnipotentes.

* S. Thom., I, q. 36, a. 1 ; q. 37*38-

1 Nomen illud *Spiritus,* quatenus spiritualem substantiam designat, convenit quidem tribus divinis personis; sed hic sumitur quatenus significat motionem et impulsionem amantis in rem amatam.

Inveniuntur quidem in symbolo *Athanasiano* hæ expressiones : "Non tres ætemi, sed unus æternus";sed ibi *aternus* sumitur tamquam nomen substantivum, ita ut sensus sit : una est æterna natura.

3° Nomina *substantiva essentia/ia concreta,* quæ nempe essentiam vel attributa absoluta in concreto significant, *supponere* (stare) possunt pro ipsa *essentia divina,* et pro *personis,* sive pro una tantum, sive pro duabus, sive pro tribus simul. Ita vocabulum *Deus* stare potest pro essentia divina (Deus est substantia spiritualis), vel pro tribus personis (credo in unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum), vel pro una persona (credo in Jesum Christum, Deum verum de Deo vero), vel pro duabus (ita vox *Dominus* stat seu supponit pro Patre et Filio). Ratio est quia hæc nomina concreta designant formam (seu proprietatem) ut in subjecto habente eam.

4° Nomina *substantiva essentialia abstracta* nullatenus possunt *supponere* pro persona, v. g., vocabula divinitas, omnipotentia non possunt *supponere* pro Patre aut Filio, quia significant formam ut *in se* subsistentem non ut in subjecto eam habente.

Nomina autem *adjectiva* significantia *processionem* non possunt prædicari de illis nominibus substantivis abstractis; v. g., dici nequit : essentia divina est generans vel genita. Quod declaravit Cone. Later. IV, supra, n. 562.

50 Nomina *distinctionem exprimentia* ita caute adhiberi debent ut distinctionem naturæ et inæqualitatem personarum non importent. (a) Ita adhibendæ sunt voces trinus, trinitas, non autem triplicitas, triplex, quia hæc ultima verba plures esse naturas supponunt. (b) Dicitur : alius Pater, alius Filius, non autem aliud, quia genus neutrum naturam designat ; Filius autem non habet aliam naturam ac Pater, (c) Dici vero nequit : " Pater est unus cum Filio ", quia genus masculinum communiter refertur ad personam ;jamvero Pater non est una persona cum Filio, (d) Vitandae sunt expressiones : " Deus est singularis, solus, solitarius ", quia talia verba excludunt pluralitatem personarum, (e) Dici nequit : tres sunt personæ diversæ, quia diversitas supponit multiplicationem naturæ. (f) Dici nequit etiam personas esse similis substantiae, quia similitudo in casu multiplicitatem substantiæ importat; sed dici debet tres personas esse unius substantiæ. (g) Nec dicere licet in Deo esse *tria individua,* quia individua designant naturam specie unam, diversam tamen numero, dum in Deo una est natura non solum specifica, sed etiam numerica.

Conclusio : Devotio erga SS. Trinitatem[1].

731. Cum SS. Trinitas objectum sit primarium nostræ religionis, et in nobis habitare dignetur seseque totam dare quærentibus ac diligentibus Eam, Deum unum ac trinum perpetuo glorificare debemus : u Glorificate et portate Deum in corpore vestro"[2]. Quod quidem præstamus sæpe dicendo : *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,* et signando nos signo crucis ; *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

(A) Trinitatem vero glorificamus præsertim *cognitione* et *amore.* Nam, ut ait Contenson : (a) " duplici operationi, cognitioni scilicet et amori innititur. Sic, ut Trinitatem, ad cujus imaginem conditi sumus, et in cujus nomine baptizamur, vere imitemur, de Deo assidue cogitare, ipsumque amore complecti necesse est. Hæ sunt duæ spiritales pennæ quas sibi dari optabat propheta[3] : " Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam"? Quibus suspensus, et a terrenis elatus, ad centrum divinæ bonitatis perpetuo mentis impetu extra se rapitur animus ætemitatis candidatus ". — Hunc vero amorem manifestamus præsertim imitando, pro posse nostro, divinam perfectionem, quatenus in Christo Deohomine elucet : " Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est "[4]

(b) Dum perfectam trium personarum *unitatem* recolimus, præ oculis habeamus orationem Christi : " Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint unum sicut et nos unum sumus "5; et hanc unitatem tam Deo caram pro posse imitemur per*fraterna caritatis praxim.*

(c) Iterum divinarum personarum *circumincessionem* imitari valemus, si hisce verbis attendimus: " Societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo "[6]. Si enim Deo conjungi conamur per *caritatem, Ipse in nobis manebit,* nos sibi arctiori vinculo uniet, nam " Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo " L

(B) Quoad *personas sigillatim sumptas,* frequenter meditemur has pias elevationes quas proponit Contenson, l. c. : —

(a) " Nemo tam pius, tam pater nemo quam Deus ", ait *Tertullianus;* proindeque eum ut *Patrem* agnoscere debemus, eo magis quia voluntarie genuit nos verbo veritatis. Cum Christo ergo dica-

* **Contenson,** *Theol. mentis,* l. **III, d. II, c. I, spec. I; R. Plus,** *Dieu en nous,* **1919; J. E. Laborde,** *Dévotion à la T. Ste Trinité,* **1924-1925** ; **Ad. Tanquerey,** *Précis de Théol. ascétique,* **n. 98-101** ; **Gellé,** *Le mystère de la S. Trinité,* **1922.**

3 *I Cor.,* **VI, 20.** — 3 *Ps.* **LIV, 7.** — 4 *Matth.,* **V, 48.**

mus: "honorifico Patrem "; quod præstabimus : r) *confessione laudis* et *gratiarum actione :* " Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terne"[3]... "Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me "[3]; 2) *amore et dilectione,* quæ non verbis tantum sed et *voluntatis conformitate* manifestetur : " ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio "[4]; 3) *zelo gloria Dei :* " nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me

(b) Ille idem qui in ætemitate *Filius Dei* est non confunditur nos vocare fratres ; cum esset solus Dei hæres, et filius unicus per naturam, *nos filios voluit esse fier gratiam,* qui natura filii eramus diaboli. Injuste tamen nomen fratrum Christi usurpamus, *nisi vita nostra divina generationis exprimât characteres,* Christumque, primogenitum in multis fratribus, pro posse imitemur : " hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu "[6]...

(c) De *muneribus qua Spiritus in Ecclesia adimplet* et officiis quæ ipsi solvere debemus, præclare scribit 5. *Augustinus? :* "Sicut spiritus nostra omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, etc., vitam dat omnibus, officia singulis : sic est *Spiritus in tota Ecclesia.* In aliis sanctis facit miracula, in aliis loquitur veritatem ; in aliis hoc, in aliis illud, singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Sed videte quid caveatis, quid timeatis. Membrum præsectum de corpore humano non sequitur animus, sic nec Spiritus Sanctus sequitur membrum de Ecclesia amputatum; si ergo vultis vivere de Spiritu Sancto, *tenete caritatem, amate veritatem, desiderate unitatem,* ut perveniaris ad ætemitatem ",

(d) Ut invisibili *divinarum personarum missionefrui* valeamus, hæc attendamus : " tunc invisibiliter ad nos mittitur Spiritus S., cum mundo morimur, non separatione corporis ab anima, sed affectu a sæculo; cum odisse incipimus quæ mundus amat... ; cum non desinimus cælestia sitire, et humana fastidire...; cum utimur hoc mundo tamquam non utentes,et nostra conversatio in cælis est"[8].

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

'*Joan.,* VIII, 49. — ' *Matth.,* XI, 25. — 3*Joa.,* XI, 41.
'*Joan.,* XIV, 31. — s *Luc.,* II, 49. — 6 *Philipp.,* II, 5.

1 S. August., *Serm. 186* de temp. De devotione erga Spiritum S. pneclare scribit C. Manning, *Internal Mission ofthe H. Ghost,* XVII.

• Contenson, *op. di.,* diss. VI, c. 2, spec. 2, reflex.

&

DE DEO CREANTE ET ELEVANTE

Historia hujus tractatus breviter delineatur.

732. Inter Patres, *tribus prioribus sæculis,* nonnisi*fragmenta* invenimus systematis theologici de creatione et elevatione ad statum supematuralem. Ita Hermas, in *Pastore,* de creatione et præsertim de angelis satis confuse disserit ; — Apologetæ autem, praecipue S. Justinus, in *Apologiis* et *Dialogo cum Tryphone,* aperte docent mundum *ex nihilo* creatum fuisse per Verbum, et sæpe agunt de *angelis* et cultu eis debito, necnon de *homine,* ejus creatione et lapsu ; — S. Iræneus, contra Gnosticos, existentiam mali in mundo explicat per *hominis liberum arbitrium* et *peccatum originale;* — Ongenes, maxime in *de Principiis,* creationem *ab ceterno* docet, originem et divisionem angelorum, animarum præexistentiam, peccatum originale ejusque transmissionem; — S. Methodius errores Origenis confutavit in opere *de libero arbitrio,* ubi ostendit unicam mali causam esse libertatis abusum, et in *libro de rebus creatis* (cujus excerpta tantummodo supersunt) in quo demonstrat rerum universitatem Deo coæternam non esse; — Tertullianus, in opere *contra Marcionem,* doctrinam de creatione egregie exponit.

Sæc. ***IV****e,* nonnulli Patres jam *magis diserte* commentariis declarant mosaicam narrationem de opere sex dierum; inter quos : S. Basilius M., *Homilia* ***IX*** *in Hexaemeron* qui insuper, in *lib.* ***X*** *cont.Julian, imperat.,* de origine mundi præclare disserit; — S. Gregorius Nyssen., *Explicatio apologetica,* seu *liber in Hexaemeron ;* et *De opificio hominis;* — S. Ambrosius, *Hexaemeron,* et *De paradiso;* — S. Gregorius Nazianz. scribit *Poemata dogmatica* de Creatione, de Angelis bonis, de Hominis creatione et lapsu, etc. — S. Ephræm, in *Sermonibus de paradiso Eden,* delicias paradisi et protoparentum lapsum describit.

Sæc. Ve, S. Augustinus, erudite ac profunde omnes fere quaestiones theologicas de origine mundi, de creatione, elevatione et lapsu hominis attingit; præsertim in his operibus : *de Civitate Dei,* ubi disserit de angelorum creatione, natura et lapsu, de hominis creatione ac statu primitivo, *çXc.\de Genesi contra Manichœos;* ***LibriXII*** *de Genesi ad litteram; Liber imperfectus de Gen. ad litteram; lib.* ***III*** *de libero arbitrio; lib.* ***IVde*** *anima et ejus origine; lib.* ***II*** *de gratia*

Christi et peccato originali, etc. — Cujus discipulus, Prosper Aquitanus, opus magistri complevit, Semi-pelagianorum errores confutando, præcipue in *libro contra Collatorem* et *Carmine de ingratis,* ubi catholicam doctrinam propugnat de peccato originali et ejus sequelis necnon de libero arbitrio. — Paulo post vulgata sunt opera *Pseudo-Dionysii,* qui, in *libro de calesti hierarchia,* de angelis eorumque ordinibus ac muneribus fuse disserit.

733. Inter Theologos, qui doctrinam de creatione mundi et elevatione hominis ad statum supernaturalem ejusque lapsu systematice exponunt, legi possunt :

*Sac. **XII** :* S. Anselmus, *Monologium,* c. 5-9 ; P. Lombardus, *Sententiarum lib. II.*

*Sac. **XIII** :* S. Thomas Aq., O. P., *Summa theol.,* I p., q. 45 sq.; *Cont. Gentes,* lib. II et alibi passim ; S. Bonaventura, O. M., *Comment. in Magistrum Sentent.,* lib. II.

*Sac. **XVII** :* Gregorius de Valentia, S. J., t. I, disp. 3 sq.; F. Suarez, S. J., *De Angelis, De Opere sex dierum, de Anima;* M. Becanus, S. J., *Summa de Angelis, de Homine in statu innocentia;* Salmanticenses, O. C., *de Angelis;* Petavius, S. J., *de Angelis, de Opere sex dierum;* Bellarminus, S. J., *Controversia,* de Gratia primi hominis, de Amissione gratiæ; J. B. Gonet, O. P., *Clypeus,* De Angelis, De Homine.

*Sac. **XVIII** :* Billuart, O. P., *Summa S. Thoma,* De Angelis, De Opere sex dierum; Neubauer, S. J., De Angelis, in *Theol. Wirceburgensi.*

*Sac. **XIX** :* Perrone, S. J., *De Deo Creatore;* F. P. Kenrick, *De Deo Creatore;* Jungmann, *De Deo Creatore;* A. Knoll, O. M., *De Deo Creatore;* Scheeben, *Dogmatik,* lib. III-IV ; Palmieri, S. J., *De ordine supernatural!,* 1910; Mazzella, S. J., *De Deo Creante;* Hurter, S. J., *De Deo Creatore; A.* Paquet, *Disputationes theologica in Summam S. Thoma,* De Creatione; Pesch, *De Deo Creante;* Van Noort, *De Deo Creatore;* Pignataro, *De Deo Creatore,* Romae, 1904; L. Janssens, *De Deo creante et elevante,* Friburgi, 1905 ; *De hominis elevatione et lapsu,* 1909; L. Billot, *De peccato originali,* 1912; R. Martinez Vigil, *La Creaciôn, la Redenciôn y la Iglésia ante la Cienaa,* Madrid, 1892; J. M. A. Vacant, *Etudes théologiques sur les Constitutions du C* du Vatican.* Paris, 1895, vol. I, n. 193 sq.; J. Guibert et L. Chinchole, *Les Origines,* Paris, 1923; Abbé de Broglie, *Confer, sur'là vie naturelle,* t. II; L. Labauche, *Lee. de Théol. dogmat.,* t II, L'homme, 3e éd., 1911; H. Pinard, *in D. T. C,* t. III, 2034-2201 et *D. A.,* t. I, 722-734; A. d'Alès, *D. A.,* t. II, 457'511 ; J- B· Kors» O. P., *La Justice primitive et le péché originel,* 1922; Boyer, *De Deo creante et devante,* 1933.

Conc. Milevitani II (416) ab Innoc. I approbati et C. Carthaginiensis XVI (41'8) a ZOSIMO APPROBATI CANONES DE PECCATO ORIGINALI '.

734. *Can. 1.* (Placuit) Ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita, ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. 101

Can. 2. Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis "in remissionem peccatorum" non vera, sed 102
falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus : Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt : nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Canones C. Arausicani II (529) a Bonifacio II confirmati. 3

735. *Can. 1.* Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ dicenti : Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Et : Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis? Et : A quo quis superatur, ejus et servus addicitur.

Can. 2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non et ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animæ, V5
per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti : Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Excerpta ex C. Lateranensi IV (1215) de creationes.

736. Firmiter credimus et simpliciter confitemur... unum uni- 428
versorum principium : creator omnium visibilium et invisibilium,

' D. B., lot-102. — 3 D. B., 174-175.

3 D. B., 428. — *Vaticanum* decretum de Deo Creatore retulimus initio *Tr. dc Deo uno,* n. 386.

spiritualium et corporalium : qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem : angelicam videlicet et mundanam : ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit...

Decretum trident, de peccato originali *(Sess.* V)«.

737· Ut fides nostra catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus Christianus omni vento doctrinæ circumferatur, cum serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali ejusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit : sacrosancta cecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes, et nutantes confirmandos accedere volens, Sacrarum Scripturarum, et Sanctorum Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia, et ipsius Ecclesiæ judicium et consensum secuta, hæc de ipso *peccato originali* statuit, fatetur, ac declarat.

Can. 1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per
78S offensam praevaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, *totumque* Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum *corpus* et *animam in deterius* commutatum fuisse : anathema sit

Can. 2. Si quis Adæ praevaricationem sibi *soli* et *non ejus propagini,* asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non *nobis* etiam eum perdidisse; aut
789 inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et *peccatum,* quod *mors est animee : A..* S. : ciim contradicat Apostolo dicenti : " Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, *in quo omnes peccaverunt*

Can. 3. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et
790 *propagatione,* non imitatione, transfusum omnibus, inest *unicuique*

* D. B., 7S7-792·

proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam *per meritum* unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio, et redemptio; aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari; A. S. : quia "non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri". Unde illa vox : " Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi". Et illa : " Quicumque baptizati estis, Christum induistis

Can. 4. Si quis parvulos *recentes ab uteris matrum* baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed *nihil ex Adam trahere originalis peccati,* quod regenerationis lavacro necesse sit *expiari ad vitam æternam consequendam,* unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; A. S. : quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus : " Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt" : nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit; propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in *remissionem peccatorum veraciter baptizantur,* ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. " Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei".

Can. 5. Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, *reatum originalis peccati remitti negat;* aut etiam asserit non tolli totum id quod *veram et propriam peccati rationem* habet : sed illud dicit tantum *radi,* aut *non imputari,* A. S. In renatis enim nihil odit Deus : quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.

Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur, et sentit : quæ, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur.

Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod *vere et proprie in renatis pec-*

catum sit; sed quia *ex peccato est* et *ad peccatum inclinat.* Si quis autem contrarium senserit, A. S.

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, *beatam et immaculatam Virginem Mariam,* Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

Objectum, utilitas et divisio Tractatus.

738. Objectum. Post doctrinam *de Deo Trino* seu de operationibus Dei *ad intra,* de operibus ejus *ad extra* disputandum est, scilicet de creaturarum *productione* et *elevatione.* præsertim hominis, ad statum supernaturalem.

Creaturæ autem triplicis sunt generis : *mere materiales,* scilicet mundus corporeus ; *mere spirituales* seu angeli; *materiales simul et spirituales* seu homines. Cum de *Creatione in genere* satis fuse disserant Philosophi, hic ea tantum exponemus quæ fides docet de *opificio mundi, de Angelis* et *Homine.*

Utilitas dicendorum patet : (a) ex eo quod *creaturæ* sunt veluti *scala* qua ad Creatorem ascendimus[1]. Sunt enim quasi *specula divinarum perfectionum,* in quibus elucent ejus potentia, magnitudo et majestas : " Invisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur"[2]. Atqui per speculum rem in eo repræsentatam videre licet. Ergo per creaturas discere possumus quomodo Deum cognoscamus et amemus, juxta præclara S. *Augustini* verba[3] : " Cælum et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem : nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles (b) Ex *necessitate confutandi errores* qui hac nostra ætate ubique grassantur de rerum omnium origine, præsertim vero de hominis creatione et statu primigenio, necnon de generis humani lapsu : cum enim hæc omnia dogmata ab *Agnosticis, Rationalistis* et *Liberalibus* multiplici ex capite impugnentur, a nobis strenue propugnari debent.

1 B. Bellarmini, *Dt Ascensione mentis in Deum per scalas creaturarum.*
2 *Rom.* I> 20.
3 *Confess.,* lib. X, cap. 6, *P. L.,* XXXII, 782.

739. Divisio. In triplici capite agemus :

I. De creaturis *non spiritualibus* seu de *opificio mundi;*
II. De creaturis *mere spiritualibus* seu de *angelis;*
III. De creaturis *materialibus simul et spiritualibus* seu de *homine.*

- **De Deo creante.**
  - **Cap. I. De opificio mundi.**
    - Art. I. De Cosmogonia mosaica.
    - Art. II. De Transformismo.
  - **Cap. II. De Angelis.**
    - Art. I. De Angelis in genere.
    - Art. II. De Angelis custodibus.
    - Art. III. De Angelis malis.
  - **Cap. III. De Homine.**
    - Art. I. De Hominis origine.
      - Creatio.
      - Unitas generis humani.
      - Natura hominis.
      - Ortus singulorum hominum.
      - Existentia gratiæ in Adamo.
    - Art. II. De Hominis elevatione.
      - Existentia donorum præternaturalium in Adamo.
      - Conclusiones inde fluentes.
    - Art. III. De Hominis lapsu.
      - De peccato originante.
      - De peccato originali.
- **De Deo elevante.**

CAPUT I.

DE OPIFICIO MUNDI.

Præsupponimus jam ratione, in *prælectionibus philosophicis,* demonstratam fuisse creationem mundi. Hic autem inquirimus quid *fides* doceat de *origine mundi (cosmogonia mosaicaj* necnon de *origine zdtœ* variarumque viventium *specierum,* quo tutius *limites determinentur* intra quos tum *scientiarum cultores* tum *theologi* sistere debeant.

In memoriam revocamus creationem esse *productionem rei ex nihilo sui et subjecti,* seu ex nihilo eorum quæ *rei constitutionem* spectant, seu, aliis verbis magis positivis, *productionem rei secundum totam suam substantiam.*

Art. L De Cosmogonia mosaica[1].

740. *Prcenotamus,* secundum recens *Commissionis de re biblica* responsum[2] : i) *minime excludendum esse sensum litteralem historicum* trium priorum capitum libri Geneseos, præsertim ubi agitur de factis quæ christianæ religionis fundamenta attingunt, qualia sunt : universarum rerum creatio a Deo facta initio temporis; formatio primæ mulieris ex primo homine, generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu justitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam

[1] S. Thomas, I, q. 66-74; Petavius, *De sex dierum opificio** lib. I; Pianciani, *In historiam creâtïoms*mosaicam Commentatio** initio Commentarii Cornelii a I>apide (ed. Vives); Molloy, *Geology and Revelation;* Vigouronx, *Mélanges Bibliques** Cosmog, mosaïque ; Motais, *Origine du monde d|après la Tradition** avec Introd, sur la Cosmogonie biblique par *Ch. Robert; J,* A. Zahm, *Bible* Science and Faith** gallice redditum a *Flageolet** 1897 ; J. Guibèrt et L. Chinchole, *Les origines;* Meignan, *Le Monde et ГHomme primitif;* Pozzy, *La Terre et le Récit biblique;* Castelein, S. J., *La première page de Moïse,* Louvain, 1884;. Card. Gonzalez, *La Biblia y la ciencia** Madrid, 1891; Lagrange, *Hexaméron** in *Rev. biblique** L V, 1896, p. 381-407; F. Kaulen, *Der biblische Schbpfungsbericht* der Genesis** Gockel, *Schopfungsgeschichtliche Theorien** 1907 ; Vacant, voce *Création** in *Diet, de la Bible (Figouroux)** L II, iioi; H. Pinard, in *D. T. C.** t. III, 2034.2201; et in *D. A.** t I, 722-734: E. Mangenot, *D. T. C.** L VI 2325, *HeAaméron.*

[2] 30 Jun. i , *A. A. S.,* t. I. p. 567-569; F. CavaUera, n. 106; D. B., 2121-2128.

probandam; divini præcepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum dejectio ab illo primævo innocentiae statu, necnon Reparatoris futuri promissio; 2) non omnia tamen et singula verba, quæ in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda esse sensu proprio, sed ab eo discedere licere quando locutiones ipsæ manifesto apparent improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatæ, præsertim si Patres ipsi allegorice hæc verba intellexerunt ; 3) præcipue vero in *primo Geneseos capite* non fuisse sacri auctoris mentem *scientifico more docere intimam rerum constitutionem ordinemque creationis completum,* sed potius suæ genti tradere *notitiam popularem,* prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam ; 4) tandem vocem *yôm* (diem) sive sensu *proprio* pro die naturali, sive sensu *improprio* pro quodam temporis spatio sumi posse.

Quibus principiis innixi in duplici paragraphe declarabimus : 1) quid *certo ct evidenter* in Scriptura et præsertim in primo Genesis capite de origine mundi doceatur; 2) quid autem *libere,* salva fide, *disputari* possit. Sic enim melius apparebit *mosaicam narrationem* recte intellectam *cum disciplinis naturalibus minime pugnare.*

§ I. De dogmaticis veritatibus in primo Geneseos capite certo contentis.

In primo capite Genesis quatuor præsertim de opificio mundi revelantur : i° *mundum et omnia quee in eo sunt ex nihilo fuisse a Deo creata;* 2° *et quidem non ab ceterno, sed in tempore ;* 30 *omnia a Deo solo creata fuisse ;* 40 *eaque bona esse x.*

741. *Thesis Ia :* Omnes creaturae, sive spirituales sive materiales sive spirituales simul et materiales a Deo ex nihilo factæ sunt[1]. Λ c j Trt

1 Alia quæ in I cap. Gen. revelantur de origine vitæ, vel de origine hominis, infra expenduntur, ubi de *Transformisme* et de *Homine.*

2 Palmieri, *De Deo Creante,* th. 2; Corluy, *Spicileg.,* vol. I, p. i66; Hummelauer, S. J., *Comment, in Genes.,* Paris, 1895, P· 86 sq.; A. Van Hoonacker, *De rerum creatione ex nihilo,* Louvain, 1886; L. Janssens, *De Deo Creat.,* p. I2I sq.

De fide est ex *symbolo :* Credo in Deum *Creatorem cœli et terra,* et ex Conciliis *Lateranensi* ***IV*** et *Vaticano* supra allegatis, nn. 736 et 386.

Γ *Mundum et omnia quæ in eo sunt a Deo fuisse creato* Moyses, contra *Pantheistas, Dualistas* et *Idololatras,* his verbis declarat : " In principio creavit Deus *ccelum* et *terram : "1* hæc enim ex usu biblico *universitatem rerum* designant ; aliunde, ne res incerta maneat, auctor sacer varias res, de quibus dubium esse poterat, successive commemorat, nempe *lucem, firmamentum, maria, terram, solem et luminaria,* omniaque *animantia* (2-27), et omnia fuisse a Deo facta diserte affirmat.

Jamvero hic agi de vera creatione *ex nihilo* colligitur :

(A) ***Ex ipso textu ;*** vox enim hebraica *bara* (creavit) in formis *kal* et *niphal* nunquam usurpatur in Scriptura nisi de *operatione Dei propria;* videlicet quadragies septies in *V. Test,* occurrit, ibique prædicatur de operatione Dei tum naturali tum supernatural! : quotiescumque de ordine naturali fit sermo, operatio de qua agitur est vel stricte creativa, ut hic et infra *(Gen.,* I, 27), vel talis qualis a creatura perfici nequeat, v. g. : " Formans montes et *creans* ventum... Ego Dominus et non alter, formans lucem, et *creans* tenebras "2; quando agitur de ordine supernatural!, actio tam prodigiosa est ut creationi æquivalens censeri debeat : v. g. : " Cor mundum *crea* in me, Deus " 3. Ergo illa vox aptissima est ad designandam productionem *ex nihilo,* quæ est actio prorsus Deo propria 4.

(B) Sed ex *contextu* firmatur argumentum, (a) Vult enim auctor sacer *primam rerum originem* describere, ut patet ex voce " *In principio* ", quæ, inspecto contextu, designat initium creationis rerum visibilium. Nec tamen ullam præexistentem materiam, ex qua mundus formatus fuerit, com-

1 *Gen.,* I, i. — * *Arnos,* IV, 13; Zra., XLV, 6-7. — 3 *Ps.* L, 12.

4 Quod aperte declarat Wellhausen * *{Prolegom. zur Geschichte Israel,* Berlin, 1S83, p. 321) : " Liber Genesis propria utitur voce ad solam actionem Dei creatricem designandam Merito igitur Lagrange, 1. c., p. 381 : "Il est aujourd'hui reconnu par tout le monde que le verbe *bara* exprime mieux qu'aucun mot des langues anciennes *l'action propre de Dieu qui produit quelque chose de nouveau*

memorat, sed *implicite saltem eam excludit.* Quando enim de aliis operibus loquitur, materiam ex qua confecta fuerant indicat, v. g. : " Formavit igitur Dominus Deus hominem *de limo terree*... formatis igitur, Dominus Deus, *de humo* cunctis animantibus terrae " 1; sed quando commemorat creationem cæli et terrae, de *materia prcejacente prorsus silet,* eamque aequivalenter saltem excludit.

(b) *Amplitudo terminorum {ccelum et terram)* ostendit hic agi de omnium rerum productione, non autem de materiae jam existentis elaboratione.

(C) *Modus* quo fit creatio, nempe *unico verbo {dixit),* denotat potentiam quæ materia præjacente non indiget.

(d) *Finis* quem sibi proponit auctor, nempe *dualismum* rejicere, postulat ut ipsa materia a Deo creata fuerit.

(C) Tandem ex *locis parallelis* res omnino certa evadit : (a) Prophetæ sæpe *creatricem potentiam* Dei extollunt, et quidem verbis ita amplis ut *omnem dualismum excludant,* clareque appareat Deum esse omnium rerum auctorem, etiam lucis et tenebrarum 2.

(b) Eadem doctrina invenitur in *Psalmis,* ubi omnia *simplici verbo* Dei facta esse dicitur 3; in *libris sapientialibus,* ubi asseritur Deum omnia fecisse, etiam abyssos, immo et ea quæ nobis videntur mala (grando, fames et mors)4.

(c) Lucidius etiam in *libro Machabceorum :* mater enim Machabæorum unum ex filiis suis sic alloquitur : " Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia *ex nihilo* fecit illa Deus " 5. Quæ quidem verba clare ostendunt quomodo versiculus primus Genesis a piis Judæis intelligeretur 6; et cum mater Machabæorum *sapientia repleta* dicatur, ejus verba probare Spiritus Sanctus censeri debet.

' *Gen.,* II, 7, 19.

3 Amos, IV, 13; IX, 5.7 -,*Jere>n.,* X, 12-17, LI, 15-20; *Isa.,* XL-LVI.

3 Ps. XXXII, 6, 9; CIII, CXIII, 3; CXXXV, 5-10.

4 Prov., VIII, 22-32; *Eccli.,* XXXIX, 30-39.

5 ***II*** *Machab.,* VII, 28.

COnresseiim, aiL-KflSbenbauer *(In Genes.,* p. 87}, non omnes lectores hebræos vim vocis *bara* h. 1. adhibitæ satis perpendisse, sicut non omnes Christiani dogmata sua satis norunt "

Neque objici possunt verba quibus orbis terrarum dicitur *ex materia* creatus : "Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum *materia invisa..." l.* Nam duplex creatio distingui potest : prior, proprie dicta, qua res producitur ex nihilo sui et subjecti, posterior improprie dicta, qua materia jam existens formatur; atqui in textu allato, de posteriori agitur, cum alludatur ad vers, 2 : " Terra autem erat inanis et vacua"; ideoque agitur de formatione rerum ex materia quam Deus creavisse dicitur in vers. 1 ; quod ex auctoris scopo colligitur; vult enim Sapiens ibi probare Deo impossibile non esse multitudinem ursorum aut audaces leones immittere, ad puniendos Ægyptios : provocare igitur sufficiebat ad creationem secundam, seu productionem animalium.

2° *Ratione* ostendit S'. *Thomas* mundum fuisse a Deo creatum. Si aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo cui essentialiter convenit, sicut ferrum fit ignitum ab igne. Atqui Deus est ipsum esse perse subsistens, ut probatum est in *Tr.de Deo uno,* n. 421 ; et aliunde ens per se subsistens non potest esse nisi unum. Ergo omne ens quod in mundo est causatur a primo ente quod per se subsistit 2 Jam vero si aliquod ens producitur ex praejacente materia, necesse est ut hæc materia *ex nihilo* tandem producatur. Nam, ut ait S. *Doctor,* si Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur illud præsuppositum non esse causatum ab ipso. Ergo necesse est dicere quod Deus ex nihilo res in esse producit 3.

742. *Thesis IIa :* Mundus non ab æterno, sed in tempore, seu potius cum tempore fuit creatum 4.

De fide_est. utpote definitum a *C. Lateranensi IV0* contra *Albigenses : " Ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam", supra n. 736; quam definitionem innovavit *Vaticanum,* n. 786.

i° Scriptura probatur, nempe ex his verbis : "Zw *prin-*

1 *Sap.y* XI, 18. — 2 *Sum. theol.y* I, q. 44, a. 1.

3 *Sum. theol.y* I, q. 45, a. 2. Cfr. *C. Gentil.y* l. II, c, 16. — S. Doctor, a. 2, declarat creationem esse *emanationem totius entis a causa universali;* sed in hac definitione vox *emanatio* intelligi debet, ex contextu, in sensu processionis ad extra.

4 Patrizi, *De interpret. Script.y* t. 2, q. I, a. i; Palmieri, th. 13; Mazzella, n. So sq.; Pesch, n. 58 sq.

cipio creavit Deus caelum et terram"; nam *principium* intelligi debet de principio temporis :

(a) Talis est enim *sensus obvius* hujus vocis, qui aliunde minime repugnat, sed potius *contexlu* confirmatur ; nam ab eo principio numerantur deinde dies sex, qui quomodocumque intelliguntur, aliquot temporis intervalla designant; sermo igitur est de *initio temporis,* seu de initio *operum Dei visibilium,* quorum formatio infra describitur.

(b) *Locis parallelis* pariter comprobatur; nam hæc exprèssio " *in principio"* alibi redditur per " *in die",* qua certe designatur tempus. Præterea ubicumque creatio commemoratur, talia verba adhibentur quibus mundum initium habuisse certo constet; v. g. *Priusquam* montes fierent aut formaretur terra et orbis "... " Dominus possedit me in *initio viarum* suarum, *antequam* quidquam faceret *a principio* " ... " Elegit nos in ipso *ante mundi constitutionem* "[2].

2° Patrum *auctoritate.* Ita S. *Irenæus,* contra Gnosticos, explicite asserit *solum Deum esse sine initio* et fine, *creaturas vero initium accepisse in temporel :* ""Quæ autem sunt ab illo omnia, quæcumque facta sunt et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita".

Pariter *S. Athanasius*,* contra Arianos, qui contendebant creaturas dici posse ab æterno creatas si Verbum ab æterno genitum esse admittatur, statuit rem ita se habere non posse : " Illae enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent : quæ autem non erant antequam fierent, quomodo simul cum Deo, qui semper est, possint existere... At vero Filius, cum non opus, sed naturæ Patris sit proprius, semper idcirco est". Item S. *Basibus* :* ""Et quia complures mundum ab æterno cum Deo existere opinati sunt... errorem certe hujusmodi corrigens propheta, hoc accurato verborum delectu usus est, dicens : *In principio...".* Nec aliter S. *Ambrosius*[6] ; ""Ad tempus refertur, si velis dicere in quo tem-

[1] *Gen.,* II, 4.

[2] *Ps.* LXXXIX, 2; *Prau.,* VIII, 22; *Ephes.,* I, 4-

[3] *Adv. hares.,* l. II, c. 34, η. 2, *P. G.,* VII, 835.

[4] *Cont. Arianos,* orat. I, c. 29, *P. G.,* XXVI, 71.

[5] S. Basil, *in Hexaemeron,* hom. I, n. 7, *P. G.,* XXIX, 18. Alia testimonia lege apud Petavium, l. I, c. I, n. 12 sq.

[6] *Hexaëm.,* l. I, c. 4, n. 12, *P· L-t* XIV, I2^·

pore Deus fecit cælum et terram, id est, in exordio mundi, quando fieri cœpit ".

Nonnulli Patres intellexerunt quidem *in principio* eodem modo ac si esset *in Verbo!;* sed illa expositio jam antiquata est, et aliunde nostræ non contradicit, sed, ex eisdem Patribus, eam potius includit.

743. *Thesis IIT :* Deus solus est creationis causa efficiens immediata2, ita ut nullius creaturæ ministerio usus fuerit ad creandum. _*Defide est* ex ordinario Ecclesiae magisterio. Constat : (A) *Scriptura :* (a) ex *silentio* auctoris sacri qui, dum alibi sæpe commemorat angelos tanquam Dei adjutores in gubernatione mundi, hic de eorum interventu in creando prorsus tacet; (b) ex *locis parallelis* i) ubi declaratur *ad Dei nutum* omnia facta esse : " Quoniam ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt "3; hoc enim quamlibet causam instrumentalem excludit; 2) ubi expresse significatur Deum *solum* esse factorem cæli et terræ : " Tu ipse, Domine, *solus,* tu fecisti cælum et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum"... " Ego Dominus, faciens omnia, extendens cælos *solus,* stabiliens terram et nullus mecum "4.

(B) *Traditione.* Patres sæpe asserunt fabricatum non esse mundum ab Angelis vel ab alia creatura, sed *a Patre per Verbum,* et exinde divinitatem Verbi inferunt, cum actio creatrix sit propria Deo. Ad rem S. *Irenæus* 5 : " Nullius indigens, Verbo condidit omnia et fecit, neque Angelis indigens adjutoribus ad ea quæ fiunt... Proprium est enim hoc Dei supereminentiæ non indigere aliis organis ad conditionem eorum quæ fiunt : et idoneum

1 S. Thom., I, q, 46, a. 3. — Hic non expendimus quaestionem *philosophùamÂtàex* theologos agitatam, num mundus ab aeterno creari potuerit. Hac de re, lege, si placet, S. Th., I, q. 46, a. 1-2, ubi ait : " Mundum non semper fuisse sola fide tenetur et demonstrative probari non potest". Cfr. *C. Gent.,* l. II, c. 34, 37; *De potent.,* q. III, a. 17; opusc. *De cetemitate mundi contra murmurantes;* Billuart, diss. I, a. 6; Zigliara, *Summa philos.,* Cosmol., 10. Alii vero putant evidenter probari repugnantiam mundi ab aeterno producti; quorum rationes exponit Hontheim, *Theodicaa,* 710 sq.

2 S. Thom., I, q. 45, a. 5; *C. Gent.,* l. II, c. 21; *de Potent.,* q. 3, a. 4; Mazzella, n. 49 sq.; Palmieri, th. 6; Hurter, ŋ. 276; Pesch, ŋ. 24 sq.

3 *Ps.* XXXII, 9. — ‹ *II Esdr.,* IX, 6; *Isa.,* XLIV, 24.

5 *Cont. hares.,* l. II, c. 2, 4, 5, *P. G.,* VII, 714, 715.

est et sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum ",

Ita etiam 5. *Athanasius* creationem dicit solius Dei esse' : "Nam ministrare rerum factarum est tanquam servorum : res vero producere et *creare* solius Dei est propriique ejus Verbi et Sapientia?. Hinc nemo alius in rebus creandis occurrit præter solum Dei Verbum". Nec minus lucide 5. *Augustinus'** "Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam, solus enim unus cujuslibet naturæ seu magnæ seu minimæ creator est Deus, id est, ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus... Creare naturam tam nullus angelus potest quam nec se ipsum ".

Merito igitur ait *S. Thomas* :* "Secundum *fidem catholicam* ponimus quod omnes substantias spirituales et materiam corporalium Deus *immediate* creavit : *hcereticum* reputantes, si dicatur per angelum, vel aliquam creaturam aliquid esse creatum

744. **Controversia.** Hic autem ulterius inquiri potest num aliqua creatura creare possit. 1) Jamvero *certum est,* contra *Durandum* et *Biel,* nullam creaturam posse creationis causam esse *principalem;* Patres enim, contra Arianos arguendo, sæpe demonstrant Filium Dei non esse creaturam, quia vi creatrici pollet; quod certo supponit vim creandi ita Deo propriam esse, ut nulli competat creaturæ; ita, v. g., 5. *Athanasius* :* "Neque enim vel Angeli possunt creare, cum ipsi sint creati ",

2) *Communiter* etiam, contra *P. Lombardum,* asseritur nullam creaturam posse creationis causam *instrumentaient* esse. Quod sic probari potest, duce S. Thoma5 : Causa instrumentais non potest adhiberi ad aliquid faciendum, nisi ex se aliquam proportionem habeat ad effectum producendum, et per aliquid sibi proprium dispositive ad eumdem effectum concurrat; ita securis non potest esse causa instrumentalis ad scindendum nisi in quantum acuitate sua aliquid concurrat ad incidendum. Atqui creatura ex se nihil prævium efficere potest quod sit dispositio ad creationem : nam nullum est medium inter *nihilum* et *ens,* proindeque nulla creatura potest prævie disponere *nihilum* ut fiat *ens.* Ergo nulla creatura tanquam causa instrumentalis creationis assumi potest.

745. *Thesis IVa :* Omnes creaturæ a Deo factæ sunt bonas, ita ut m nonnisi creaturarum malitia

l Cont. Arianosi **orat. II, 27,** *P. L.y* **XXVI, 203.**

3 De Gen. ad **1. IX, c. 15, nn. 26, 28,** *P. L.f* **XXXIV, 403, 404-**

3 De Potent., **q. 2, a.** *4.*

4 S. Athan., *Contra Arian.t* **or. II, n. 21,** *P. G.,* **XXVI, içijcf. S. Basil.,** *Contra Eunom.^* **1. IV., c. 3; S. August,** *De Gen. ad lit.** **1. IX, c. 15, n. 26-28, etc. —** 5 *S. theol.,* **I, q. 45, a. 5;** *C. Gent.** **1. II, c. 21.**

De fide est ex *C. Later. IV :* "Diabolus et alii dæmonesa Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali *{supra,* n. 736).

Constat ex verbis *Genesis* quæ sæpe in hoc capite repetuntui0: "Et vidit Deus quod esset bonum... Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona ",

Constat pariter ex dicendis infra de angelis et hominibus qui a Deo creati sunt boni et nonnisi propria culpa facti sunt mali. Quod quidem excludit errorem eorum qui, cum *Zoroastre* posteaque *Manichafis,* creaturas quasdam malas esse, et a principio malo factas esse impie asserebant.

Revera Deus, utpote summe Bonus, malum velle nequit, ut alibi probavimus *{De Deo uno,* n. 479 sq.). Difficultates vero ex malorum existentia desumptæ, solutæ manent ex dictis ubi *&e Providentia* (n. 504 sq.).

Ex hoc tamen non sequitur mundum a Deo creatum esse omnium perfectissimum. Cum enim bonitas et potentia Dei nfinitæ sint, per opus finitum exhauriri nequeunt, ideoque Deus dias creaturas perfectiores, alioque perfectiori modo ordinatas facere posset. — Dici tamen potest mundum esse *relative opti-*wwWjQuatenus nempe Deus optima media elegit ad consequendum finem quem sibi creando proposuerat.

746. Conclusio. Ex dictis colligi potest quantum Cosmogonia mosaica ceteris,.quæ apud varios populos inveniuntur, *præcellat*.* Siquidem in his tum *materiæ æternitas,* tum *polytheismus,* vel *dualismus,* vel *pantheismus,* multaque alia consignantur quæ Deum prorsus dedecent. Mosaica autem narratio, licet rudis populi ingenio adaptata, nil præ se fert nisi Deo dignum, erroresque inter paganas gentes sparsos excludit. Ita dogma creationis in tuto collocatur, et æternitas materiæ condemnatur; cum Deus solus res omnes creaverit, ipse solus omnium Dominus est, et sic rejicitur tum polytheismus, tum pantheismus; tandem, cum

Q)Gen., I, io, 12, ı8, 2ï, 25, 31·

' Cf. Vigoureux, *Zzr Livres Saints et la Critique,* t. Ill, c. 3, a. 2, § I. Traditionem apud varios populos vigentes circa originem mundi referunt Lenormant, *Hist, de ΓOrient,* L I, L I, c. 2, § i; Les Origines de l'Histoire, Append. I; Lagrange, O. P., *Etudes sur les relig. sémitiques,* Paris, 1903, c. IX-X; Meyer, *Dieeddische Kosmogonie^xâtssa^'xns* Br., 1891; J. P. Arendzen, *nCathohc Encyclof.* (Appleton) verbo *Cosmogony,* I. IV, 405 413.

omnia a Deo creata sint bonitate prædita, manichæismus e medio tollitur. Quæ quidem omnia adeo *diversa sunt a ceteris cosmogoniis iisque superiora* ut, nonnisi *Deo inspirante*. a Moyse scribi potuerint[1].

Corollaria de causa mundi.

747.1° Ex dictis *Deus et quidem solus est causa efficiens omnium creaturarum* secundum totum earum esse, cum *ex nihilo* eas produxerit, i) Creatio, utpote opus *ad extra* est actio omnino *libera,* ut probatum est supra, n. 494. 2) Est actio *communis tribus personis·,* nam omnia sunt in Trinitate communia, ubi non obviat relatio *originis;* atqui creatio, utpote opus sapientiæ et potentiæ *ad extra,* nullomodo refertur ad originem divinarum personarum ; ergo non alicui personæ, sed tribus personis communis est. Cur autem *approprietur* Patri jam expositum est, n. 727.

748.2° Deus est *causa exemplaris creaturarum,* quatenus omnia *creavit secundum ideas æternas quas inmente habuit.* Deus enim agit per intellectum et cum sapientia : "Omnia in *sapientia* fecisti... et sapientiæ ejus non est numerus"[2],[3] ideoque prius *mente concipit* quod vult efficere, n. 469; atqui hæc idea est vere *exemplar* secundum quod res producuntur; ergo Deus est causa rerum exemplaris.

749. 3° *Finis primarius creationis est bonitas Dei manifestanda et glorificanda, finis autem secundarius est bonum creaturarum.*

(A) Declaratur, (a) Ex parte *Dei,* finis consideratus non ut movens Creatorem, sed ut *ratio volendi creaturas,* nihil aliud est nisi *ipsa divina bonitas :* Deus enim primario vult bonitatem suam *utfinem,* alia autem tanquam ea quæ sunt *adfinem* (n. 486-487).

[1] Quod libenter concedit Dillmann * *(Genesis,* p. 9), qui, licet rationalisticis faveat ideis, de mosaica cosmogonia scribit : u A tempore quo scriptores describere conati sunt, verbis humano intellectui accommodatis, creationis opus, quod semper nobis erit mysterium, impossibile evasit majori magnificentia aut dignitate illud exhibere. Merito igitur ex hac narratione argumentum eruitur quod sit revelata; nisi enim Deus seipsum manifestet, ejus opus recte delineari nequit. Opus equidem est Spiritus revelantis".

[3] *Ps.* CIII, 24; cfr. *Prov.* III, 19; VIII, 21 sq.; *Sa/.f* XI, 21; *de Deo uno,* n. 476.

(b) Ex parte *creatura,* finis est bonum a Deo intentum in creando. Hoc autem bonum non potest esse acquisitio alicujus boni pro seipso, cum jam sit infinite perfectus. Erit igitur primario manifestatio suæ bonitatis et secundario creaturarum bonum, prout declaratur in propositione.

(B) Probatur : (a) Quoad *primarium finem,* declarat *Vaticanum* Deum creasse " non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad *manifestandam perfectionem suam per bona qua creaturis impertitur ";* et definit : "Si quis mundum *ad Dei gloriam conditum* esse negaverit,

Deus enim, cum sit *plenitudo entis,* plane sibi sufficit, et in sui contemplatione et possessione perfectam beatitudinem invenit; non igitur creat ad aliquid sibi acquirendum. Hanc autem plenitudinem entis *manifestare* potest et vult, creaturis *bona impertiendo.* Atqui hæc manifestatio in ipsius *gloriam* redundat : in quantum enim creaturæ a Deo *producuntur.* ejus bonitatem *participant,* et in quantum Ei aliquo modo *similes* sunt, eamdem *manifestant.* Ergo *primario* Deus vult suam gloriam.

Hæc est autem gloria Dei *externa :* ejus enim *interna* gloria, quæ consistit in cognitione quam ipse habet suæ infinitæ perfectionis, augeri nequit. Gloriam Dei externam *objective* promovent creaturæ *irrationales,* quatenus vestigium exhibent ejus perfectionum; creaturæ autem *intellectuales formaliter* seu *conscie* Creatorem glorificant, Eum cognoscendo, laudando, amando et colendo.

750. (b) *Finis secundarius creationis est bonum creaturarum.* 1) Deus enim non potest suam gloriam intendere quin simul velit creaturarum bonum : in tantum enim hæ gloriam Dei manifestant in quantum ejus bonitatem participant. Ergo Deus, primario suam gloriam volendo, eo ipso vult suam bonitatem creaturis communicare.

2) Aliunde creaturæ, Deum glorificando, *suam perfectionem* et *beatitudinem* consequuntur. In tantum enim sunt perfectæ, ac consequenter beatæ, in quantum finem suum

' D. B., 1783, 1805.

ultimum seu suum bonum consummatum prosequuntur et propius accedunt; atqui eo ipso quod creaturæ hujusmodi finem seu bonum attingunt, Deum imitantur, manifestant, glorificant Eique inserviunt de quo dictum est : *cui servire regnare est.*

Confirmatur ex iis Scripturae locis ubi asseritur Deum diligere creaturas : " Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti...1 Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum " 2 Jamvero amare est bene velle alicui ; et, si de Deo agitur, bene velle idem est ac bene facere.

Quamvis autem Deus omnia propter semetipsum ultimo operatus sit, non est tamen *egotismi* reus, prout falso dixerunt *Günther* et *Hermes :* " Non enim, ait S. *Irenæus* 3, quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia... ipse autem sequentibus et servientibus sibi vitam, et incorruptelam, et gloriam aeternam attribuit, beneficium praestans servientibus sibi ob id quod serviunt, et sequentibus ob id quod sequuntur, sed non beneficium ab eis percipiens". Quod et 5. *Thomas* contrahit : " Unde patet quod Deus suam gloriam non quaerit propter se, sed propter nos ".

Attamen Deus vult *primario* gloriam suam et *secundario* nostram, quia amor recte ordinatus vult ut bona participata amentur propter bonum imparticipatum.

Gratias igitur Deo qui voluit ut Ipsum glorificando cognitione, amore et cultu, perfectionem et beatitudinem nostram consequamur!

§ II. De ordine creationis a Moyse descripto.

751. Præter quatuor veritates jam expositas, Moyses in 1° capite *Genesis* describit ordinem creationis, opera praecipua in *sex dies* distribuendo, et addit Deum die septimo requievisse.

1 *Sap.,* XI, 25. — ' Λ. VIII, 5·
3 *Adv. hares.,* 1. IV, c. 14, n. I, *P. G.,* VIII, 1010.
4 *Sum. theol.,* 2a 2® q. 132, a. I, ad I.

De interpretatione hujus capitis innumera fere prodierunt systemata. Quare in *thesi,* ostendemus narrationem mosaicam esse *historico-popularem,* posteaque varia exponemus *systemata* inter Catholicos disputata.

I. De historico valore narrationis mosaicæ.

752. *Thesis :* In capite 1° Genesis non describitur scientifico more intima rerum constitutio ordoque creationis completus, sed delineatur narratio historico-popularis, captui hominum hujus temporis accommodata. Certum est ex resp. *Commissionis de re biblica,* n. 740.

i° Narratio mosaica est *historica,* seu res *vere* gestas tradit " quæ objectivæ realitati et historicæ veritati respondeant " ». Id enim constat : (a) ex generali *indole historica Geneseos,* ubi, toto decursu libri, facta, non fabulae aut mythi, referuntur, nempe generationes vere historicæ Adam, Noe et filiorum ejus, Sem, Thare, Ismael, Isaac, Esau et Jacob; quando igitur prima rerum origo necnon generationes caeli et terræ describuntur, hæ pariter pro historicis habendæ sunt.

(b) Ex peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu : sicut enim in sequentibus capitibus narratur prima populi judaici origo, ita et in prioribus delineatur origo totius generis humani et mundi ipsius; pariter si conferuntur inter se priora capita, satis clare apparet ibi describi successivam creationem massae confusae et informis, postea vero productionem diversorum entium, primi hominis primaeque mulieris formationem, praeceptum eis datum, eorum tentationem et lapsum; porro hæc omnia inter se connectuntur tanquam historica facta.

(c) Ex aliis locis Scripturae, in quibus pariter ut historica commemorantur facta in prioribus capitibus relata : ita sæpe laudatur opus creationis a Deo peractum 2, recensetur Adami formatio ejusque lapsus3, etc.

(d) Ex fere unanimi Patrum sententia et traditione.

* *Commis. Bibi.,* 30 jun. 1909, ad II, D. B., 2122.

' *Gert.,* XIV, 19; *Isa.,* XLII, 5; XLV, 18; *Prov.,* III, 19; VIII, 21; *Sa/:.,* IX, 9; *Ps.* XXXII, 9; CXLV, 5; ***II*** *Mac.,* VII, 2S. — 3 *Sa/>.,* X, 1-2.

Ex quo sequitur narrationem biblicam : (a) non esse *fabulosam,* ex veterum populorum *mythologies* et *cosmogoniis* depromptam et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheistic® accommodatam, prout quidam cum *Lenormant* et *Loisy*[1] contendebant; (b) nec mere *allegoricatn* et *symbolicam,* fundamento objectivæ realitatis destitutam, sub histori® specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas propositam, prout asserunt ii qui *symbolice* dogmata interpretantur; (c) nec *legendariam,* ex parte historicam et *ex parte fictitiam,* ad animorum instructionem et aedificationem libere compositam, sicut quidam *Idéalisiez* putabant. Hæc enim omnia non satis cum indole historica libri consistunt.

753. 2° *Hæc autem narratio est simul popularis, non scientifica.*

(A) *Declaratur.* Scopus enim auctoris sacri non est docere *scientias physicas,* astronomiam, geologiam aut biologiam, etc. Quare de origine et formatione mundi loquitur *populari modo :* (a) non describit igitur *scientifico more* intimam adspectabilium rerum constitutionem, v. g., naturam luminis aut firmamenti seu cæli, strata geologica àut leges biologicas; sed res prout *apparent,* seu prout communis sermo per ea ferebat tempora, (b) Nec *ordinem creationis completum* describit, proindeque non recenset omnia entia aut phaenomena, sed solum ea quæ populo magis nota sunt, nempe diem et noctem, lucem et tenebras, cælum et terram, maria et aridam, plantas et arbores, solem, lunam et stellas, reptilia et volatilia, pisces et aves, et postremo hominem, ut longa hujusmodi recensione vividius inculcare valeat omnia vere esse a Deo. (c) Nec semper sequitur ordinem *stricte chronologicum :* ita quando lux facta dicitur prima die, luminaria autem quarta die, inferri nequit ex sola hujusmodi narrationè lucem præcessisse ipsam formationem solis, vult enim primario scriptor sacer ostendere lucem et luminaria Deum habere auctorem, (d) Aliquando adhibentur locutiones *metaphoricæ* aut *anthropomorphiccz,aà.* modum *dialogi* ut res vividiori modo describantur, v. g., *dixit :fiat lux ; et facta est lux; quæ* proinde non possunt litteraliter accipi;

[1] Lenormant, *Les origines de Γhistoire d'après la Bible et les traditions orientales,* Paris, 1880; Loisy*, *Les mythes chaldéens de la création et du déluge,* Amiens, 1892.

sed, præsupposito historico sensu, nonnullorum locorum interpretatio allegorica admitti potest, præfülgente sanctorum Patrum et Ecclesiæ ipsius exemplo.

754. (B) *Probatur,* (a) Jam S. *Thomas* i) animadvertebat nihil certi circa *modum et ordinem* creationis ex Scriptura erui posse, quia quæ in ea hac de re dicuntur, diversimode a Patribus exponuntur : " Circa mundi principium aliquid est quod ad *substantiam fidei* pertinet, scilicet mundum incepisse creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt Quo autem *modo et ordine* factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem *diversa expositione* sancti salvantes, diversa tradiderunt "x. Quod quidem ex variorum systematum expositione magis patebit. 2) Pariter asserebat Moysen, quando de rebus astronomicis agit, non doctiorum morem, sed communem loquendi modum sequi : " Moyses autem rudi populo condescendens secutus est quæ sensibiliter apparent " a.

(b) Quod principium *Leo* ***XIII*** sancivit in Encyc. *Providentissimus,* ubi ait De cujus æquitate regulæ in consideratione sit primum scriptores sacros, seu verius " Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam aspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura "3; quare eos, potiusquam explorationem naturæ recte persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam *translationis* modo, aut sicut *communis sermo* per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos " 4.

7 55. (e) Res autem aperte declarata est a *Commissione de re biblica,* 30 Jun. 1909, ad VII, ubi, proposito dubio : " Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico

x *In lib.* ***II*** *Sent.*, dist. XII, q. I, a. 2.
' *Sum. theol.*. I, q. 70, a. 1, ad 3.
3 S. August, *De Gen. adiit.*. II, 9, 20, *P. L.*. XXXIV, 270.
‹ *Leonis Papa* ***XIII*** *Allocutiones. Epistola,...* t. V, p. 219 (éd. ***Desciit*** .

more docere sed potius suæ genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientificj sermonis proprietas? Responsum est : *Negative*". Declaratum est pariter, ad VIII, sumi posse vocem *Yom* (diem), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio [1].

II. Judicium de variis systematibus disputatis.

756. Principium generale est libere propugnari posse omne systema quod, ex una parte, servet sensum *historico-popularem* hujus capitis, et ex altera, non aperte contradicat factis certo probatis [2].

Jamvero systemata ad tria revocari possunt : systema *litterale, allegoricum,* et *concordismus.*

757. 1° *Litterales* dicuntur illae expositiones quæ verba Moysis *litteraliter* interpretantes, tenent dies genesiacos stricte esse *dies viginti quatuor* horarum.

Quod systema communiter hodie rejicitur, quatenus Geologiæ et Palæontologiæ certis factis repugnat. Qui enim *Geologies,* studuerunt norunt imam *terree corticem ex* massa lapidea constare, quæ primum igne resoluta, paulatim coaluit ad ingentem altitudinem; super quam ab inundantibus aquis effusa sunt strata telluris parallela decursu temporis solidata, novisque stratis cooperta quæ pariter maximam altitudinem attigerunt. In hisce stratis sepultæ inventæ sunt vegetalium et animalium reliquiæ petrificatæ, quas *fossilia* vocant : quod quidem longa tempora supponit, nam multæ inveniuntur species quæ amplius non existunt, et quæ ita sunt dispositæ ut una alteri successerit; immo integræ insulæ ex animalculorum coacervatis reliquiis natæ sunt, quales sunt insulæ madreporicæ et coralicæ; creta ipsa, cujus ingentes moles in terræ visceribus exstant, nihil aliud est rfisi animalculorum acerva-

[1] *A. A. S.,* I, 567; D. B., 2128.

[2] Quod jam suo tempore innuebat S. Thomas, 1, q. 68, a. 1 : " Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus docet, in hujusmodi quæstionibus duo sunt observanda. Primum quidem, ut veritas Scripturæ inconcusse teneatur. Secundum, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur ".

Quis vero credat strata illa terrestria, cum omnibus fossilibus ibi inventis, cum reliquiis escarum in stomachis animalium repertis, immediate simulque a Deo creata fuisse? Nonne tunc Deus esset deceptor? Nec ad miraculum confugere licet; nam, ut recte ait S. *Thomas*[1], "in prima institutione naturæ non quæritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut Augustinus dicit".

758. 20 *Allegoricum,* seu *idealisticum* systema, plurimis modis fuit propugnatum.

(A) Doctores sive Judæi, ut *Aristobulus* et *Philo,* sive Christiani scholæ *Alexandrina,* ut *Clemens Alex., Origenes, Athanasius, Gregor. Nyss.,* et, inter latinos, S. *Augustinus,* docuerunt mundum integrum *uno instanti* creatum fuisse, Moysen vero sex dies distinguere, ut ordinem logicum in sua descriptione instituat.

759. (B) Moderni nonnulli, ut *Hummelauer,* putant Moysen non chronologicam rerum successionem describere voluisse, sed *logicum ordinem* aut ordinem subjectivum *visionum* propheticarum, quibus creatio ipsa revelata est : ordo autem ille non est chronologicus, sed *logicus,* ab imperfectioribus creaturis ad perfectiores gradum faciens.

Res ita concipi potest : Adamus, cui revelata est, *visionis* ope, prima rerum origo, primum videt lucem fieri, Deo ita jubente, et terram conspicit aquis coopertam; lux recedit, finemque accipit prima dies. Lux prophetica redit : Adamus videt Deum dividentem aquas; luce recedente, desinit secunda dies. Iterum lux effulget, videtque Adamus terram ex aquis ascendentem plantasque in ea crescentes; hæc est tertia dies, et ita de ceteris. Dies igitur sunt visiones diversæ; *mane* et *vespere* lucem propheticam apparentem et evanescentem designant. Ordo autem quem Moyses in visiones referendo sequitur, est *logicus* potiusquam chronologicus; seu, aliis verbis, quod objective his diebus respondet, sunt divina opera in sex classes distributa.

760. (C) Huic systemati affinis est sententia *Clifford, Cliftoniensis* episcopi, qui tenet mosaicam descriptionem non esse historicam narrationem, sed *carmen liturgicum singulos hebdomadis dies singulis Creatoris operibus dedicans;* siquidem Moyses, populum Judaeum avertere volens ab Ægyptiorum superstitionibus, qui singulos hebdomadis dies septem planetis, quasi diis, sacrabant, singulos illos dies voluit ad *pracipua opera unius Dei Creatoris referre,* simulque sabbaticam requiem commendare exemplo ipsius Dei, qui, postquam sex diebus operatus est, die septima quievit.

[lit 11 [

[1] *Sum. theol.,* I, q. 67, a. 4, ad 3; q. 68, a. 2, ad 1.

761. Systema a S. *Augustino* traditum hodie rejicitur propter argumenta (757) allata, ex quibus certo constat mundum nonnisi per longa saecula fuisse efformatum.

Hodierna autem idealistica systemata reformari debent secundum recens decretum *Commissionis de re biblica.*

Admitti quidem potest Deum Adamo revelasse opus creationis in sex visionibus; sed simul fatendum est in his visionibus inveniri *historicam* et *popularem* descriptionem operum Dei. Ordinem vero logicum cum chronologico componi posse, patet ex eo quod historici, vitam alicujus principis narrando, sæpe non describunt quid hic egerit singulis diebus et annis, sed primum referunt quid præstiterit ut dux exercitus, quid ut legislator, quid ut persona privata. Moyses igitur eodem fere modo narrare potuit quid Deus fecerit quoad *creationem, distinctionem* et *ornatum* creaturarum, prout S. Thomas declaravitl.

Pariter fieri potest ut auctor sacer opus creationis in sex dies distribuerit, eo fine ut totam hebdomadam, secundum praecipua creationis opera, ad Deum referret, Sed dici nequit narrationem mosaicam esse *tantummodo carmen liturgicum;* fatendum est eam insuper *historicam* esse, etsi auctor simul forsan sibi proposuerit singulos dies hebdomadae Deo speciatim consecrare.

762. 30 Systema *concordistarum* agnoscit concordiam plus minusve perfectam inter mosaicam narrationem et scientias naturales, dummodo dies intelligantur de longissimis periodis. Priores quidem expositores satis strictam admittebant concordiam; sed, cum ex recentioribus scientificis investigationibus, id impossibile videretur, posteriores apologistæ eam nonnisi lato sensu admiserunt quoad præcipua phænomena.

Hodie vero parum probabile videtur hoc systema. Nam : (a) supponit Moysem voluisse populum docere de rebus *ordinis scientifici;* atqui id parum verisimile est, cum a populo talis expositio intelligi non potuisset, (b) Insuper ordo a Moyse descriptus, etiam lato sensu intellectus, cum factis geologicis hodie admissis nonnisi ægre conciliari potest; nonne igitur potius admitti debet, cum *Leone* ***XIII*** et *Commissione de re biblica* nn. 754, 755, auctorem sacrum noluisse ordinem creationis scientifico more exponere, sed notitiam *popularem* tradidisse?

763. Conclusio. Ad difficultates solvendas, necesse non est *positivam concordiam* quaerere inter primum caput Genesis, in quo res non describuntur scientifico modo, et scientias

x *Sum theol.* l I, q. 64. A. Bea, S. J., in suo libro *De Pentateucho,* (Romæ, 1929), idealisticum systema docet (p. 124) : ‘‘Verior (est) illa explicatio quæ opus sex dierum intellegit de variis periodis quibus successive formatus est mundus, consideratus tamen non ut existit in se et secundum leges scientifice statutas, sed prout ætate S. Auctoris concipiebatur.

naturales; sed sufficit ostendere discrepantiam nullam argui posse inter narrationem, historicam quidem, sed *popularem,* quæ stricte ordini chronologico non adhæret, et scientias quæ seriem stricte chronologicam describere conantur.

Si igitur contendunt increduli longa tempora necessaria fuisse ad intimam mundi constitutionem, et ordinem a Moyse descriptum minime respondere ordini quem geologia et palæontologia manifestant, respondetur Moysen non excludere hujusmodi longas periodos, ut constat ex variis interpretationibus superius allatis; et aliunde *non omnia* descripsisse, sed solum *præcipua* quæ oculis magis apparent, eaque *non* ordine chronologico, *more physicorum,* sed prout *communiter a vulgo* intelligi poterant.

Ceterum nil prohibet quin auctor sacer voluerit rerum productionem ita describere ut præcipua opera alicui diei hebdomadæ adscriberentur, quo facilius constaret omnia et singula a Deo creata fuisse.

Art. II. De Transformismo.

764. Status quaestionis. Hucusque de origine mundi : nunc de *origine viventium* agendum est. Viventia omnia, sive vegetabilia sive animalia a Deo creata fuisse ex primo capite Genesis certo constat, ut jam probavimus. Nostris autem diebus, ortus est *Transformismus* qui tenet species hodiernas ex uno vel pluribus typis primitivis, per modum *progressives evolutionis,* derivatas fuisse, et sic videtur esse *evolutionism/* surculus.

(A) Jam nonnulli antiqui Philosophi, ut *Anaximander Milesius*[1], et *Empedocles, Lucretius,* transmutationes hujusmodi admiserant. *Linnceus* eamdem theoriam tanquam conjecturam proposuit : " Suspicio est quam diu fori neque jam pro veritate indubia venditare audeo, sed per modum hypotheseos propono, quod scilicet omnes species ejusdem generis ab initio unam constituerint speciem, sed postea per generationes hybridas propagatæ sint " [2].

(B) Sed præcipui hujus theoriæ auctores fuere *Lamarck, Darwin, . Wallace, H. Spencer, G. Mivart, Haeckel, E. Cope,* quos sequuntur scientiæ cultores permulti; non omnes tamen

[1] Cf. Plut., *Quas/. Symp.,* VIII, 8, 4; Euseb., *Prapar. euasig.,* I, 8. 2.
[2] Linnæus, *Amani/. Acad.,* vol. VI, p. 296 (ed. 1763).

eodem modo evolutionem explicant, i) *Lamarck* admittit *generationem spontaneam* quoad infimas viventium formas; viventia autem e formis simplicioribus ad formas magis complexas successive transire, secundum ordinem a Creatore præfixum; hanc evolutionem partim adseribendam esse *adjunctis externis,* quæ indigentias quasdam *{des besoins)* procreant; indigentia vero facultates et organa generari, quæ usu et consuetudine perficiuntur.

2) Juxta *Darwin,* duæ sunt præcipuæ causæ mutationis specierum : *lucta pro existentia* (struggle for life), qua animantia perpetuo conflictantur cum elementis et inter se, ut vitam servare et amplificare possint : qua in pugna ii victores et superstites evadunt qui ceteris superiores sunt; et *selectio naturalis,* vi cujus ea animalia inter se copulantur quæ, eisdem pollent differentiis, ita ut hæreditate transmittantur et augeantur illæ qualitates quæ sunt ipsis speciales, novæque species efformentur. 3) *Wallace,* legi continuitatis innixus, docet perfectiora per *lentam transmutationem* ex imperfectioribus orta fuisse. 4) *Mivart* admittit species quasdam, sine transitu, et quasi *per saltum, subito* in species perfectiores transmutatas esse : videlicet omnes organismi ab initio simul sunt conditi, non eo sensu quod actu exstiterunt, sed quatenus in potentia materiæ continebantur : successive autem ex hac potentia educti sunt temporibus locisque a Deo prædefinitis, causis extrinsecis concurrentibus. Quod systema recenter confirmavit *H. de Vries,* qui, ex unica specie plantarum a se exculta, nempe Œnothera Lamarckiana, duodecim diversas species eduxit[x].

Duplex etiam esse potest evolutio : *monophyletica* seu ex unico principio *{monerd) ex* quo omnes plantæ omniaque animalia exorta essent; aut *polyphyletica,* nempe ex diversis speciebus a Deo creatis. Multi hodie hanc ultimam evolutionismi formam propugnant, utpote notis factis magis consentaneam [2].

Cæteroquin notandum est non *eamdem speciei definitionem* a diversis auctoribus tradi, et sæpe *speciem* ab aliis dici quod *varietas* ab aliis vocatur.

765. Qt æquum de transformismo feratur judicium, duplex transformismi forma distingui potest : 1) transformismus *absolutus* qui primæ causæ existentiam rejiciens,

' Quæ species sunt : œnothera lævifolia, — lævifolia-brevistylis, — nanella, gigas-rubrinervis, — albida, — oblonga, — semilata, — leptocarpa, — lata, scintillans. Cfr. Hugo de Vries*, *Espèces el variétés, leur naissance far mutation* (traduct. *Blaringhem},* Paris, Alcan, 1909.

2 Schmitt, *Das Zeugnis der Versteinerungen gegen den Darvsinismus,* Freiburg-im-Br., 1908; Waagen, *Die Entwicklungslhere und die Taisachen dei Palaontoloeie,* Mllncben, 1909.

æternitatcm materia, spontaneam generationem viventium ex solis materiæ viribus, et successivam *specieruin transmutationem sine Dei interventu* admittit ; 2) transformismus *mitigatus,* qui Supremæ Causæ existentiam agnoscens, tenet Deum immediate creavisse primitivas vegetalium et animalium species,eisque virtutem dedisse producendi alias species quas ita mediate creavit ; vitam animalem non potuisse, sine Dei interventu, a vita vegetativa evolvi, Deumque pariter intervenisse in efformatione corporis humani. Unde duplex erit thesis.

766. *Thesis* **Ia** *:* Transformismus absolutus, omnem Dei interventum negans, non minus fidei quam rationi aperte contradicit *.

Etenim tale systema tria supponit : *materiæ æternitatem, spontaneam generationem* et *fortuitam specierum evolutionem;* atqui hæc tria repugnant. Primum satis constat ex Philosophia et ex dictis supra, *de Deo uno,* n. 405 sq.

767. i° *Spontanea* seu *æquivoca generatio,* qua tenetur animalcula minima, ut infusoria, ex materia generari, *sine ullo ovo* vel *semine,* et *citra Dei interventum,* tum Scripture, tum naturalibus scientiis repugnat :

(A) *Scripturæ.* Sic enim refertur prima viventium origo : " Et ait (Deus) : germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta

* Transformismum absolutum, inter alios, propugnant : Lamarck, *Philosophie zoologique,* 1809; *Histoire des animaux sans vertèbres,* 1816-1822; Ch. Darwin, *Origin of species by means of natural selection,* 1859; gallicc, *Origine des espèces;* A. R. Wallace, *Darwinism, an Exposition of the theory of natural selection.* 1889; T. H. Huxley, *Man's place in nature,* 1803: H. Spencer, *Principles of Biology,* 1898; E. Hæckel, *Getterelle Morphologie der Organismen,* 1S66; *Naiürliche Schcpfungsgeschichte,* 1868 ; gallice *Morphologie générale ; Histoire de la création des êtres organisés,* Paris, Schleicher; A. Weismann, *tortrage über Descendenztheorie*,* 1904; K. von Nâgeli, *Mechanisch-physiologische Theorie derAbstammungslehre,* 1884; Yves Delagc, *Structure duprotoplasme,* Paris, Schleicher; Le Dantec, *Lamarckiens et Darwiniens,* Paris, Alcan, 1904; Bergson, *L évolution créatrice,* Paris, Alcar, 1907; Cuénot, *La genèse des especes animales,* 1921.

Quem errorem impugnant : Abbé de Broglie, *Le positivisme et la science expérimentale ;* Eymieu, *Le naturalisme devant la science ;* P. Mallebrancq *Monisme* in *D. A.,* t. III, 878-930; Guibert et Chinchole, *qp. cil.,* p. 342-352.

genus suum"[1]... De quibus verbis hæc scribit *Corluy*[2]: "Sacer textus dubium relinquit utrum tertio illo die Deus semina tantum vegetalium produxerit et terræ mandaverit, an plantas integras in sinu terræ creaverit, an demum *dederit terne virtutem extraordinariam primas plantas e sinu suo absque semine educendi,* ex quibus deinde orirentur prima semina. Hoc ultimum magis obvium facit litera textus "[3]. Quomodocumque vero hæc verba interpretemur, patet virtutem plantas producendi ab ipso Deo acceptam fuisse, Quod idem de animalibus dici potest.

768. (B) *Experientia;* nam inductione universali et perpetua perspicuum est omne vivens ex alio vivo oriri, juxta illud effatum : *omne vivum ex ovo.* Generationis spontaneæ defensores experimentis quidem probare conati sunt, nonnullas *infusoriorum* species ex certis quibusdam substantiis, sine ullo ovo aut germine, generari. Sed *Pasteur, Tyndall* aliique periti novis experimentis demonstrarunt (a) in aere plurima esse suspensa ova et semina; (b) nulla viventia generari ubi omnia ova et semina destructa sunt : ex quo sequitur animalcula quæ sæpe sæpius in aere dicuntur generata, non ex materia inorganica, sed ex ovis in aere depositis, oriri [4].

[1] *Gen.,* I, n. — [2] Cf. Corluy, l. cit., vol. I, p. 198.

[3] Ex quo sequitur generationem spontaneam, eo sensu acceptam quod Deus ipse materiæ dederit facultatem, in certis circumstantiis, viventia producendi, non esse fidei contrariam. Ad rem Gladstone* *{Introduction to the People s Bible History) :* " Supponatur paulisper probatum fuisse, aut saltem scientia progrediente, concedi posse, imperfectiores et simpliciores vitæ formas esse materiæ non viventis immediatam evolutionem. Quænam sacræ Scripturæ propositio hac speculatione in discrimen veniret? Quid hoc probaret nisi nonnullas inanimatas substantias vim accepisse, quando cum aliis miscentur, mutari in quasdam infimas viventium formas, quæ tamen præclarissimis vitæ prærogativis carent? Homini recte cogitanti unica rationabilis conclusio hæc erit, Omnipotentem opportunum duxisse vires quasdam in nonnullis adjunctis concedendas (quas in aliis denegat) materialibus elementis ab eo creatis, quorum existendi conditiones, generationis vim, operationis ambitum et modum determinare ipsius refert

[4] Cf. Pasteur, *Les corpuscules organisés qui existent dans l'atmosphère,* Paris, 1862. De ejus experimentis hoc judicium tulit Alma Parisiensis Academia : " Facta quæ retulit Pasteur, quæque Pouchet, Joly et Musset negaverant, certissima sunt ", Quod idem dilucide probavit in alio opere *{Etudes sur la Bière,* Paris, 1876, c. 3, § 5). Hinc Huxley* ipse ait *{Origin of species,* lect. III) : " Pasteur ad hanc claram conclusionem pervenit, omnes hujusmodi

Fatemur equidem nonnullos Patres et plerosque Scholasticos generationem spontaneam docuisse, putantes animas sensitivas animalculorum, per virtutem cælorum, e materiæ potentia erui; sed hoc tenuerunt propter imperfectam cognitionem rerum naturalium, simulque docuerunt virtutem has formas educendi e potentia materiæ fuisse *a Deo acceptam;* quod neque fidei neque rationi directe opponitur.

769. 2° Repugnat etiam *fortuita specierum evolutio.*

(A) *Scriptura* enim, post verba quæ retulimus, hæc addit: "Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam"...1 Jamvero hæc verba, quomodocumque intelligantur, nihil aliud sunt nisi divini imperii, versu præcedenti expressi, exsecutio, certoque divinum supponunt interventum.

(B) Insuper *ratio* ipsa sufficienter ostendit *omnes species hodie existentes non potuisse fortuito casu* ex una vel pluribus ortum habuisse; inter illas siquidem mirificus exstat ordo coordinationis et subordinationis: similis ordo præhistoricis temporibus viguit, ut ex fossilibus patet; item in qualibet specie organa perfecte coordinantur, et pleraque saltem, si non omnia, ad determinatum finem adaptantur; atqui hæc omnia *casui* tribui nequeunt, sed causam intelligentem supponunt; immo specierum evolutio ex uno vel pluribus* typis majorem Conditoris intelligentiam videtur manifestare quam stabilium specierum productio 2: supponit enim Auc-

Ü» .

manifestationes (prout in casu vermium in came), nihil aliud esse nisi germina ab aere translata atque in liquidis demissa, ubi postea visenda se praebent. Experimenta Pasteur præ oculis habenti mihi affirmandum videtur ejus conclusiones esse admittendas, simulque concludendum doctrinam de generatione spontanea explosam esse — Idem demonstravit aliis experimentis J. Tyndall*, *Essays on the Floating-Matter of the air,* Appleton, 1892, qui (p. 126) aperte dicit: "Nullus casus pseudo-spontaneæ generationis mihi sese obtulit, quin eum diversimode explicare potuerim Cf. D. Cochin, *L'Evolution et la Vie,* p. 225; A. Farges, *La Vie et l'évolution,* p. 120 sq.; Guibert et Chinchole, *0/. cit.,* p. 159-22S.

* *Gen.,* I, 12.

2 Quod ab ipsis transformistis agnoscitur, v. g., Huxley, *The Academy,* Oclob. 1869, apud Mivart, *Gen. of species,* p. 291. Idem alibi asserit, *Darwiniana,* p. HO; cf. Mivart, *On Truth,* pp. 493, 509, 519 et alibi passim; Cl. Bernard, *La Science expérimentale,* p. 53; Zahm, *Evolution and Dogma,* p. 372 sq.; L. Vialleton, *L'origine des êtres vivants,* 1929.

torem naturæ prævidisse omnes mutationes, quæ saeculorum decursu occurrerunt, simulque primis viventibus, a se creatis, illas indidisse vires quæ, causarum naturalium ope, spectabilem hodiernarum specierum varietatem producere possent; quod sane maximam sapientiam ac potentiam arguit.

770. Nec selectio naturalis ad *omnes species explicandas sufficit :* nam, (a) quando animalia naturalem instinctum sequi permittuntur, generatim abhorrent a commixtione cum animalibus alterius speciei, et *hybridæ* ex hoc commercio nati, vel pereunt vel ad primitivum typum redeunt[1]; (b) insuper, dato etiam per naturalem selectionem novas species formari posse, hoc per accidens eveniret, nec varietatem specierum perfecte coordinatarum producere posset hujusmodi selectio, nisi vi legum naturalium quæ *sapientem legislatorem* certo requirunt; (c) tandem multa sunt in evolutionis theoria, quæ selectione naturali aliave theoria explicari nequeunt, ut aperte declarant nonnulli transformistæ[2,3] qualia sunt, v. g., mirabilis instinctus, qui in nonnullis brutis apparet, eisque innatus esse videtur, et *a fortiori* humanus intellectus, aliaque hujusmodi quæ divinum interventum certo supponunt.

771. *Thesis 2a :* Transformismus mitigatus divinum interventum admittens, non evidenter fidei adversatur, sed ut hypothesis propugnari potest.

772. i° *Fidei non evidenter opponitur.*

(A) Verba Genesis quæ retulimus (n. 767) ostendunt quidem aliquam distinctionem esse inter species, voluntate divina causatam, sed non evidenter asserunt omnes species fuisse immediate a Deo creatas, ut fatentur optimi hodierni interpretes, (a) Ait siquidem *Corluyi:* "Unde transformismus Darwinianus dicendus est sensui Scripturæ *obvio* contradicere; *non* tamen *aperte textui sacro adversari :* tacet

[1] Cf. Mivart, *Genesis of species*, ch. V, p. 127 sq.

[3] De quibus vide Mivart, *op. cit.,* passim, et præsertim c. XI, ubi breviter contrahuntur argumenta contra selectionem naturalem; *On Truths* p. 514 sq. — Hodie fere omnes admittunt selectionem naturalem non sufficere, sed alio modo evolutionem explicare conantur.

[3] *Spicii, dogniatico-biblicum*, t. I, p. 198.

enim Scriptura modum quo terra varietatem illam specierum produxerit, an *stativi,* an *decursu temporis,* an cum specierum firmitate omnimoda, an cum relativa dumtaxat. Sed et de sensu disputari posset quem Scriptura hæc assignet nomini *viin {genus)* Revera hoc verbum tunc temporis non habebat determinatam significationem quam diebus nostris, post multas scientificas investigationes, obtinuit.

(b) Aliunde, ut scribit *Lahousse* [1] : " Quarumdam specierum ab aliis derivatio non impedit quin dicatur Deus has species creasse determinata die sive epocha. *Præsciebat* enim ab aeterno has posteriores species esse orituras : praelucente hac scientia, *priores creavit,* ideoque hunc ortum *voluisse* dicendus est ". Addi potest Deum non solum id praescivisse, sed dedisse speciebus a se creatis virtutem alias producendi, et ita has etiam mediate creavisse.

773.(B) Aliunde *Patres* nonnulli, et *Scholastici* fere omnes, *specierum. aliquam transmutationem* admiserunt, et ut probabile saltem tenuerunt *species quasdam* viventium ex *speciebus inferioribus originem duxisse.*

Ita S. *Augustinus* ait : "Terrestria similiter animalia (creavit), tanquam ex ultimo elemento mundi ultima : nihilominus *potentialiter,* quorum numeros tempus postea visibiliter explicaret "[2]. Nec aliter 5. *Thomas* [3] ; " *Species* etiam *novce,* si quæ apparent, præexstiterunt in quibusdam activis virtutibus ; sicut et animalia putrefactione generata, producuntur ex virtutibus stellarum et elementorum quas a principio acceperunt, etiamsi novæ species animalium producantur. Animalia etiam quædam secundum novam speciem aliquando oriuntur ex commixtione animalium diversorum secundum speciem, sicut cum ex asino et equa generatur mulus ; et hæc etiam praecesserunt causaliter in operibus sex dierum ". — Dici ergo nequit *specierum aliquam transmutationem,* vi legum *a Deo* conditarum effectam, evidenter Scripturæ adversari.

774. 2° *Ut probabilis hypothesis proponi potest.*

(a) *Est mera hypothesis;* nam argumenta a transformistis allata ex *embryogenia, palæontologia* vel ex *hodierna mutabilitate* quarumdam specierum præsertim *vegetalium, non* sunt *apodictica,* cum doctissimi viri adhuc stabilitatem specierum propugnant argumentis minime spernendis, et quæ-

[1] *Psychologia,* n. 264 sq.

[2] *De Gen. ad lit.,* lib. V, c. 5, n. 14; cf. c. 23, n. 45, etc., *P. L.,* XXXIV[7]

[3] 5. *tfteol.,* I, q. 73, a. I, ad 3; q. 69, a. 2, o.

dam facta, ab evolutionistis allegata, contra evolutionem retorqueantx.

b *Proponi potest* ut *hypothesis;* nam non opponitur aperto fidei magisterio, et non pauci inter catholicos moderatum et limitatum transformismum admittunt, et rationes afferunt valore non carentes2.

Pergant igitur naturalium disciplinarum cultores rem scientificis investigationibus penitius inquirere, dummodo Ecclesiæ judicio parati sint obedire.

1 Paucos commemorare sufficiat : Agassiz, *Essay on the classification..,* 1869; J. D. Dana ; J. W. Dawson ; Flourens, *Examen du livre de Darwin,* 1864; A. de Quatrefages, *Ch. Darwin et ses précurseurs...* 1870; Faivre, *La variiti des espèces et ses limites;* De Nadaillac, *Le Problème de la Vie;* Blanchard, *La vie et les êtres animés;* Dr Jousset, *Evolution et transformisme;* J. J. Bianconi, *La théorie darwinienne,* 1874; J. H. Fabre, *Souvenirs Entomologiques,* Paris, Delagrave; Lecomte, *Le Darwinisme et l'origine de Γhomme,* Bruxelles, 1873; Vialleton, *Morphologie générale, Critique morphologique du transformisme,* Paris, 1924. Fatendum est tamen hodie plerosque naturalium disciplinarum cultores transformismo plus minusve favere, quamvis concedant selectionem naturalem ad omnia explicanda imparem esse. — Quid hodierni sentiant de evolutione et darwinismo erudite declaratur in *Revue de Philosophie (E. Peillaube), Etudes sur le Darwinisme,* sept.-oct. 1910; *L'Evolutionisme dans les Sciences Morales,* sept.-oct. 1911.

* *Mitigatam evolutionem* advocant : Mivart, *On the Genesis of species,* London, 1871; A. Gaudry, *Les enchaînements du monde animal dans les temps géologiques,* Paris, 1883-1895; *Essai de paléontologie philosophique,* 1896; Cochin, *Dévolution et la vie;* Orban, *Transformism,* Philadelphia, 1891; Maisonneuve, *Création et Evolution,* 1896; Guillemet, *Pour la théorie des ancêtres communs,* 1894; Zahm, *Evolution and Dogma,* Chicago, 1896; P. Leroy, *L'Evolution restreinte,* 1891; Abbé Leroy, *Pour et contre ΓEvolution,* Paris, Bloud, 1901 ; Wasmann, S. J., *Die moderne Biologie unddie Entwicklungstheorie,* Freiburg-im-Br., 1906; *Der Kampfum das Entwicklungsproblem in Berlin,* 1907; *Die psychischen Fdhigkeiten der Ameisen,* 1909; A. de Lapparent, *La Providence créatrice,* Paris, Bloud, 1907; C. Depéret, *Les Transformations du Monde animal,* Paris, Flammarion, 1908; Lebrun, *Création et Evolution,* Paris, Gabalda, 1909; O. Daumont, *Les preuves, les principes et les limites de TEvolution,* 1910; H. de Dorlodot, *Le Darwinisme au point de vue de l'orthodoxie catholique,* Bruxelles, 1921; P.-M. Périer, *Transformisme et Création,* in *R. A-,* I et 15 juin 1922 ; de Sinéty, *Eludes,* 1911, t. II, p. 660-696; Guibert et Chinchole, *op. at.,* p. 304-313.

CAPUT II.

DE ANGELIS

Post dicta de creaturis non spiritualibus, de creaturis *mere spiritualibus* seu de *angelis* agendum est.

Dicemus : i° de Angelis *in genere;* 2,° de Angelis *custodibus;* 3° de Angelis *malis.*

Art. I. De Angelis in genere. ⁑

Dicemus de eorum *existentia, dotibus, elevatione* ad gratiam et *lapsu,* necnon de eorum *ordinibus.*

§ L Angelorum existentia.

I. Status quæstionis.

775. i° Prævia de angelorum notione. (A) *Quoad nomen,* (a) *Etymologice* vox angelus (græce ἀγγελο , hebraice *malak}* idem sonat ac *nuntius.* Hinc praedicatur : i) de *Verbo Incarnato,* quod vocatur Angelus Testamenti quia mittitur a Patre tanquam nuntius, ad novum testamentum condendum; 2) de *hominibus,* qui speciali modo *Deum repræsentant* et sunt veluti ejus nuntii, ut Prophetae, Apostoli, Sacerdotes, S. Joannes Baptista[2].

(b) Sensu *usuali, angeli* designant spiritus præsertim bonos, quia hi sunt *nuntii Dei,* quibus utitur' ad mundum gubernandum [3].

(c) In hoc tractatu et in sensu *theologico,* vox *angelus* significat omnes *creaturas mere spirituales* sive bonas, sive malas, id est, sive bonos Angelos sive dæmones.

(B) *Quoad rem,* Angelus definiri solet *substantia creata, mere spiritualis, intellectualis et subsistens.* Dicitur substan-

1 *Malachy* III, I.

2 *Malachy* II, 7; Zra., XLII, 19; Λ/α/Z., XI, io.

3 S. Augustinus *(in Ps. CUI, Enar.* Z, n. 15, *P.* XXXVII, 1348) : "Cum Spiritus sunt, non sunt Angeli; cum mittuntur, fiunt Angeli, Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, Spiritus est; quæris officium, Angelus est

tia : (a) *creata,* ut sic Angelus distinguatur a Deo, qui est ens a se; (b) *mere spiritualis,* i. e., nullo modo ad informandum corpus ordinata; nam, etsi non sit de fide Angelos esse puros spiritus, hoc saltem certum est ex Cone. *Later.* ***IV*** et *Vatie.,* et ex hoc differt Angelus ab omnibus creaturis corporalibus; (c) *intellectualis,* in quo differt ab hominibus qui plerasque veritates non intuitu intellectuali, sed ratiocinio acquirunt ; (d) *subsistens,* seu personalitate gaudens, et sic asseritur Angelum esse substantiam *completam,* quæ per seipsam suas operationes exercere valet, et *sui juris,* seu dominium habere suarum actionum.

776. 20 Errores. (A) *De eorum existentia.* (a) Olim *Epicurei,* et etiam *Sadduccei* negaverunt existentiam Angelorum : " Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum"[1]

(b) Hodie existentia Angelorum negatur non solum ab *Atheis,* sed etiam a *Rationalistic,* qui contendunt Judæos a Gentilibus suam opinionem de Angelis, tempore exsilii, accepisse; immo a *ProtestantibUs Liberalibus,* qui asserunt Angelos, de quibus sermo fit in Scriptura, esse vel bonas inspirationes a Deo missas, vel homines a Deo missos ad alios erudiendos.

(B) *De eorum natura.* Quidam antiqui Patres et theologi (n. 783), erraverunt circa *naturam* Angelorum, putantes eos uniri corporibus subtilibus; qua in re decepti sunt vel a philosophia platonica, vel a quibusdam Scripturae textibus quos recte non intellexerunt, praesertim ubi legitur[2] : " Videntes *filii Dei* filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores"; putabant enim *filios Dei* de quibus agitur, esse Angelos, propter versionem alexandrinam, quæ ita præfata verba reddiderat. — *Spiritistæ* angelos confundunt cum animabus defunctorum.

II. Thesis catholica [3].

777. De fide est existere Angelos, seu creaturas intellectuales a Deo distinctas et hominibus præstantiores; certum est Angelos esse mere spirituales.

[1] *Act.,* **XXIII, 8.** — [2] *Gen.,* **VI, 2.**

[3] **S. Thom., I, q. 50-54; 106-114; Suarez,** *de Angelis,* **lib. I, c. 1; Palmieri,** *De Deo Creante,* **th. 17-18; Pesch, n. 356 sq.; A. Guillemin,** *Les Anges de la Bible,* **1854; Oswald*,** *Angelologie,* **2* ed., Paderborn, 1889; Haag*,** *Théol. biblique,* **1870, § 96, 108, 121, 132; Vacant, in** *Diet, de la Bible,* **voce** *Ange ;* **et in** *D. T. C.,* **t. I, 1189 sq.; L. Janssens,** *De Deo Creatore et Angelis,* **p. 445-468; E. Hugon, t. II, p. 3-16.**

C. *Later.* ***IV*** his verbis rem definivit, n. 736 : "Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem : angelicam videlicet et mundanam : ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ",

In hac definitione, a concil. *Vaticano* confirmata, tria sunt notanda : (a) aperte definitur *existentia* Angelorum, ac proinde illa veritas est *de fide.*

(b) Ex eadem definitione certo eruitur Angelos esse *mere spirituales;* nam asseritur Angelos distingui tum a creaturis corporalibus, tum ab homine, qui est simul corporalis et spiritualis; atqui talis distinctio fundata non esset, si Angeli non essent mere spirituales; ergo. Attamen illa ultima pars non est de fide, quia Concilium nihil aliud expresse voluit definire quam unitatem primi principii contra Manichæos.

(c) Ex hac autem definitione erui nequit Angelos *eodem tempore* fuisse creatos ac homines, ut ex *Actis C. Vaticani* liquet : cum enim nonnulli Concilii Patres quærerent : " quo jure asseratur Angelos et homines simul esse creatos ", consultor *Franzelin* explicavit vocem *simul* temporis simultaneitatem non importare. Revera hoc vocabulum significare potest *paritatem creationis,* ita ut sensus sit Deum *aque* Angelos et homines creavisse, ut alibi dicitur : " Qui vivit in ætemum, creavit omnia *simul (gr.* κοινή, i. e., æqualiter) " '. Præterea etiamsi *simul* ut particula temporis accipiatur, hoc est verbum incidens quod sub definitione non cadit; tandem postea additur *deinde humanam,* ex quo sequitur homines post Angelos creatos fuisse, quin determinetur quodnam tempus inter utramque creationem intercesserit[2].

778. Prob. i° Scriptura. (A) Quod attinet ad *Veins Testamentum,* existentia Angelorum diserte asseritur et in libris qui *ante* exsilium scripti sunt et in libris qui *post* exsilium sunt editi.

(a) Ante exsilium, memorantur Angeli vel nomine ipso angelorum [3] (ἀγγελο , mal'ak), vel nomine filiorum Dei [4],

' *Eccli.,* XVIII, i.

[3] Cf. Granderath, *Consi. Sacr. C. Valu.,* p. 75, not 3; Vacant, *Etudes sur les Constit. au C. du Vatican,* voL I, n. 203 sq.

[3] *Cenes.,* XVI, 7, 9; XIX, 1, ı5; χχϊ, I7; χχπ, 11-15; XXIV, 7, 40; XXVIII, 12; XXXI, ii; XXXII, i; XLVIII, 16. — * *foi,* I, 6; II, 1.

aut spirituum »; exhibentur ut præ multitudine innumerabiles3; eorum diversi ordines innuuntur 3, sicut eorum creatio 4; exhibentur ut hominibus superioress, spirituales6, cælestes7 et ad thronum Dei religiose adsistentes 8 ut decreta Dei omnipotentis exsequentes 9, voluntatem Dei nuntiantes ro, hominibus auxiliantes IX.

Ex quibus satis apparet quam falso aliqui *Rationaliste* contenderint Judaeos *in exsilio* a Persis mutuasse suam doctrinam de angelis I2.

(b) Post exsilium, ex omnium confesso, testimonia de Angelorum existentia invenire est apud *Danielem* *3, II *Esdræ* librum *4, *Tobiam* *5, *Zachar. l6, Machab. l7.*

779. (B) In *Novo Test,* frequentius et apertius asseritur Angelorum existentia.

(a) In *Evangeliis,* Angelus apparet Zachariæ ad praedicendam nativitatem Joannis, et B. Virgini ad annuntiandum Incarnationis mysterium18; necnon Josephs, ut ipsum edoceat de miraculosa Christi conceptione et de morte Herodis; Angeli apparent pastoribus dicentes : "Gloria in excelsis Deo" 20; ministrant Christo, post ejus tentationem 2I. Multoties apparent ad nuntiandam Christi

1 A. CI, 6. — *3 Genes.,* XXVIII, 12.
3 Genes., III, 24; *Exod,* XXV, 22; *Ezech.,* X, 1-20; *Isai.,* VI, 2, 6.
* *Genes.,* I, i; *Exod.,* XX, II.
s *Genes.,* XXI, 17; XXII, u; XXIV, 7, 40;jW., VI, 12-21; A. VIII, 6.
6 Num., XXII, 3ï;7«Λ, VI, 2i; XIII, 16, 20.
l Genes., XXI, 17; XXII, *il-,Job,* I, 6; II, I.
iJob, I, 6; II, i; *Isai.,* VI, 9.
9 Genes., XVI, 7; XIX, i; XXI, 17; XXII, 15; *Num.* XXII, 22;.*Jud.,* II, I.
'° *Genes.,* XXII, 15; *Num.,* XXII, *35;Jud,* VI, 12.
" Genes., XXIV, 7, 40; *Exod,* XXIII, 20, 23; XXXII, 34; XXXIII, 2; *Genes.,* XLVIII, *16-,Judith,* XIII, 20.
" " La croyance à l'existence des anges chez les Hébreux n estpas du tout le résultat du contact des captifs avec les conquérants perses; ils y croyaient longtemps auparavant, et s'il fallait absolument chercher ailleurs que dans les traditions Israélites l'origine de cette croyance, ce serait évidemment du côté de la religion chaldéenne que les recherches devraient porter, puisque les Hébreux sont sortis de la Chaldée; mais en ce cas, il faudrait convenir que l'emprunt a été purifié de tout élément polythéiste". J. Souben, in *D. A.,* t. I, 126.
13 III, 57, 58, 95; VI, 10; VII, 10; VIII, 13; X, 13, 21, 51; XIV, 33.
M IX, 6. — «s ni, 25; XII, 15, 19, 20; XIII. — 16 I, 9.
'7 I, VII, 41; II, XV, 23.— " *Luc.,* I, U, 26 sq.
" *Matth...* I. 20: II. 12. IQ. — 30 *Luc..* II. 12. — " *Matt..* IV. ir.

resurrectionem x. Praeterea, teste Christo in Evangeliis, sunt in caelo plus quam duodecim legiones angeloruma, angeli puerorum semper vident faciem Patris 3, gaudium est coram angelis Dei super peccatore paenitentiam agente 4, angelus descendebat in piscinam ad movendam aquam 5, apostoli visuri erant caelum apertum et angelos ascendentes et descendentes supra Filium hominis6, angeli in die judicii separabunt malos de medio justorum 7, filii resurrectionis erunt æquales angelis 8, Christus confitebitur justos coram angelis Dei 9.

(b) In *Actibus Apostolorum,* videmus Angelum aperientem per noctem apostolis januas carceris I0, alterum loquentem ad diaconum Philippum XI, alium liberantem Petrum I2, alium percutientem Herodem x3, alium nocte astantem Paulo in mari periclitanti m ; Sadducæi reprehenduntur quod dicant non esse angelos *5.

(c) *In Apocalypsi,* multoties apparent angeli tuba canentes, phialas plenas iracundiae Dei effundentes, incensum offerentes, adorantes, in sole stantes, testificantes, in circuitu throni Dei stantes, cum dracone praeliantes 16

(d) S. *Petrus,* in ia Epistola, nobis angelos ostendit Incarnationis et Redemptionis cognitione et attenta contemplatione gaudentes x7, et Christum dominantem " angelis, et potestatibus et virtutibus " 18.

(e) Plura de *ordinibus* et *officiis* Angelorum tradit S. *Paulus.* Diversi sunt Angelorum ordines, " sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates " ; in Verbo, tanquam rerum omnium causa ideali, exemplari, aeterna, creati sunt x9; — angeli sunt spiritus intellectu praediti, cum cognoscant et adorent Deum ; sunt longe inferiores Filio ", cum sint summi Regis ministri, quibus Deus opera

1 *Matth.,* XXVIII; *Marc.,* XVI; *Luc.,* XXIV; *Joan.,* XX, XXI.
• *Matth.,* XXVI, 53. — 3 *Matth.,* XVIII, io.
4 *Luc.,* XV, IO. — 5*Joan.,* V, 4. — 6*Joan.,* I, 51.
» *Matth.,* XIII, 49; cf. *Matth.,* XIII, 41; XXIV, 31.
8 *Luc.,* XX, 36. — 9 *Luc.,* XII, 8, 9. — « V, 19. — *' VIII, 26
» XII, 7-15. — *3 XII, 23. — «4 XXVII, 23. — «5 XXΠI, 8.
16 VII, II; VIII, 4; XI, 15; XII, 7; XV, 7; XXII, 6, 8, 16.
IJ I, 12. — 18 III, 22. — *9 *Coloss.,* I, 16. — « *Heb.,* I, 4-7.

sua perficienda committit præsertim in gratiam eorum qui salutem adepturi sunt[1]; — mali autem angeli hominum incredulorum mentem excæcant ut Evangelii lumen non perspiciant 2*; — et ad facilius decipiendos homines, Satanas, angelus tenebrarum et perversitatis, in angelum lucis et sanctitatis se quandoque transfigurat 3; unde, necesse est induamus armaturam Dei ut possimus stare adversus insidias diaboli 4, " quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ " 5 (seu " spiritus nequissimos ", ut ait S. Thomas); — in ultimis autem temporibus, antichristus, ope Satanæ, innumera operabitur mala, varia faciet pseudomiracula atque prodigia fallacia, quibus multos ad iniquitatem seducet6; — sed gratia Christi, Deus Satanam sub pedibus brevi conteret?.

780. (C) Angeli autem, quales in Scripturis exhibentur, sunt (a) veræ *substantiæ,* non autem meræ abstractiones mentis; nam liberant Loth, eum manuducendo ex Sodoma8, custodiunt homines 9, Deum adorant10; quidam ex ipsis peccant et in infernum detruduntur11 : porro hæc omnia non possunt dici de meris abstractionibus, sed solum de entibus realibus, de veris substantiis ; sunt enim actus vere personales.

(b) Sunt substantiæ *Deo inferiores,* nam ab ipso *creantur,* et mittuntur tanquam *famuli :* " In ipso condita sunt universa... sive Throni, sive Dominationes"; "Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi?" 12

(C) Sunt substantiæ *hominibus fræstantiores,* nam dicitur de homine : " Minuisti eum paulo minus ab Angelis " *3 ; de Angelis autem : " Angeli fortitudine et virtute cum sint majores " *4...

(d) Sunt *mere spirituales,* tum quia nusquam de eorum corpore loquitur Scriptura; asserit quidem Angelos appa-

1 *Heb.,* I, 14. — * ***II*** *Cor.,* IV, 4. — 3 ***II*** *Cor.,* XI, 14. — ‹ *Ephes.,* VI, 11.
5 *Ephes.,* VI, 12. Cfr. *Comment. S. Thomæ* in h. loc.
6 ***II*** *Thessal.,* II, 9-10. — ' *Rom.,* XVI, 20. — 8 *Gen.,* XIX, 16.
9 *Ps.* XC, II-12. — 10 *Hebr.,* I, 6. — 11 ***II****Petr.,* II, 4.
« *Heb.,* I, 14; *Col.,* I, 16. — *' *Ps.* VIII, 6. — M ***II*** *Petr.,* II, n,

ruisse sub corporali specie, non autem eos esse corpori naturaliter seu personaliter unitos[1]; tum quia sæpe vocantur *spiritus;* atqui illa vox, quando de naturis intellectualibus prædicatur, prout sunt Angeli, designat semper substantiam omnino incorpoream, v. g. : "Spiritus est Deus"[2]; homines autem qui corpus habent, non vocantur spiritus nisi post mortem, quando jam a corpore separantur : "existimabant se *spiritum* videre"[3]. Ergo Scriptura constat Angelos existere, tales quales supra definiti fuerunt — Verba autem Genesis superius (n. 776) citata, juxta communem sententiam, intelligi nequeunt de matrimonio *angelorum* cum filiabus hominum, sed potius de unione *Sethitarum,* qui filii Dei vocantur quia verum Deum colebant, cum *Cainitis,* qui dicuntur filiæ hominum[4].

781. Documentis autem authenticis Scripturæ canonicæ *libri Judaorum apocryphi* elementa addunt phantasiæ potius quam traditioni adscribenda. Ita Michaeli, Gabrieli, Raphaeli connumerant Urielem[5]; plures angeli luxuria lapsi sunt[6]; quorum duces fuerunt Azazel, Semiaza, Mastema seu Satan, Belial[7]. Hi autem mali angeli, etsi in inferno alligati, nos tamen ad malum incitant, et imprimis filii ab iis procreati seu daemones[8].

Juxta Philonem angelorum alii aerem inhabitant; alii in sublimioribus sphaeris, unice Deum colunt; alii terrae cum essent viciniores, animæ hominum facti sunt : animæ autem malorum hominum sunt dæmones.

[1] Ita *Raphael* angelns Tobiæ dicit *(Tob.,* XII, 19) : "*Videbar* quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor ex quo inferre licet Angelos non vere uti cibo humano, nec habere corpus sibi naturaliter unitum, sed apparens. — Cf. dom Legeay, O. S. B., *L'Ange et les Thèophanies d'après la doctrine des Pères,* in *Revue thomiste,* X, 138 sq., 405 sq. „

[2] *Joan.,* IV, 24. — [3] *Luc.,* XXIV, 37-39.

[4] De Moor, *Etude exégètique sur le passage du livre de la Genèse,* IV, 1-14, \n *Science Catholique,* jan. 1896, p. 151 sq.; Hummelauer, *in Genes.,* in h. loc., p. 211 sq.

[5] *Enoch.,* IX, i. — Cf. Leclercq, *Anges,* in *Did. d'arch. chrit.,* tom. I, 2083, 20S6, 2153.

[6] *Jub.,* V, 5-11 ; *Enoch.,* VI-XVI ; *Apoc. Baruch.,* LVI, 12, 13.

[7] *Enoch.,* VIII, I; IX, 6; VI, *T, Jub.,* X, 8; XVII, 16; X, 18; *Testam, duodecim Patriarch.,* Simeon, 5; Levi, 19, etc.

[8] *Enoch.,* XV, 8; XVI, 4 -,*Jub.,* X, 1 sq. Cf. Hackspill, in *Revue biblique,* 1902, p. 527 sq.

[9] Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes,* I, 52 sq. ÔS

782. 2° Traditione *. (A) Usque ad VIIDra saeculum fere omnes Patres Angelos memorant, sed breviter (excepto tamen *Pseudo- Dionysio,* qui librum composuit de *Hierarchia cœlestî),* quidam tamen de illorum natura sæpe hæsitando aut etiam erronea admittendo, quæ a libris apocryphis et neoplatonicis mutuantur.

(a) Angeli scilicet *a Deo* creati sunt, intellectu et libertate prædiți, juxta omnes. Ad *tempus* quod spectat, *simul cum* mundo corporeo conditi fuere, juxta *Clementem Alexand.**; *ante* mundum corporeum, juxta *Origenem* 3· ac plerosque Patrum Græcorum, item juxta SS. *Ambrosium**, *Hilarium* s, *Hieronymum* 6. Difficultate metaphysica notionis temporis irretitus, S. *Augustinus* anceps manet, et tanquam probabilius putat angelos *post* mundum materialem conditos esse 7. Juxta *Pseudo-Dionysium,* angeli creati fuerunt *in ævo,* et consequenter ante tempus et res temporales8; S. *Gregorius Magnus* sententiæ Clementis adhæret 9.

783. (b) *Spiritualitas* autem absoluta Angelorum non clare asseritur a Patribus non paucis, præsertim quia difficile concipiebant aliquam creaturam esse realem quin simul adjunctum haberet corpus, saltem tenue et æthereum. Ita *S. Justinusl0, Athenagoras11,* S. *Irenieusl3, Tertullianus* '3, *Clemens Alex.* x*, S. *Cyprianus* '5, *Lactantius* ,6, S. *Ambrosius 't,* corpus quoddam æthereum, lucidum,

1 Cf. Bareille, *Angélologie d'après les Pères,* in *Diet, de Thiol, cath.,* I, 1192 sq.; *Le culte des anges, à l'époque des Pères de ΓEglise,* in *Revue thomiste,* mart. 1900; Petau, *de Angelis.*

3 *Strom.,* VI, ιὸ, *P. G.,* IX, 369.

3 *Princip.,* lib. III, c. V, 3, *P. G.,* XI, 327.

4 *Hexam.,* I, 5, *P- L.,* XIV, 131.

s *In Psalm. CXXXV,* 8, *P. L.,* IX, 772; *Cont. Auxent.,* VI, *P.* X, 612.

6 *In Til.,* I, *P- L.,* XXVI, 560.

? *De Genes, imp.,* VII, 8, *P. L.,* XXXIV, 222; *De civit. Dei,* XI, 9, 33, *P. L.,* XLI, 325, 347.

8 *P. G.,* III, 853. — 9 *Moral.,* XXXII, 16, *P. L.,* LXXVI, 645.

'° *Apol.,* II, 5, *P. G.,* VI, 432. — " *Leg.,* 24, *P. L.,* VI, 984.

l3 Hier., III, 20, 4, *P- G-,* VII, 944.

'3 *Idol.,* IX, *P. L.,* I, 671; *Cult.Jemin.,* I. 2, *P. L.,* I, 1305.

l4 Ped., III, 2, *P. G.,* VIII, 576; *Strom.,* III, 7, *P. G.,* VIII, 1161 ; V, 1,

«s *De hab. Virg.,* 14, *P- L.,* IV, 857.

,6 *Div. inst.,* II, 15. *P-* 333· — *7 L)e virgin.,* I, 8, *P. L.,* XVI, 203.

cæleste, spirituale Angelis attribuunt, unde filios procreare potuerint ex filiabus hominum ’. *Origenes* ipse plane videtur angelis adscribere corpus subtilissimum quod alimentis intellectualibus enutritur ’. S. *Hilarius* in angelis corpoream substantiam agnoscit, “ quia, ait, omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est ” 3. 5. *Ambrosius* putat nihil materialis compositionis immune atque alienum esse, “ præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam ” ♦. 5. *Hieronymus* Angelos existimat habere corpora ætherea quibus erunt similia corpora hominum glorificata 5. Item 5. *Augustinus* Angelis tribuit corpus cæleste, spirituale, angelicum 7.

Post quartum sæculum, Patres Græci angelos profitentur incorporeos, immateriales, spirituales L S. *Chrysostomus* absurdam et blasphematoriam vocat sententiam juxta quam Angeli habuerunt commercium carnale 89 Attamen, ex diversis textibus apparet hanc spiritualitatem a Patribus Græcis admissam esse tantum relativam?. *Pseudo-Dionysius* ipse supponit potius quam diserte affirmat spiritualitatem absolutam ‘°. 5. *Gregorius Afagnus* dicit : “ Ipsi (angeli), comparatione quidem nostrorum corporum, spiritus sunt; sed comparatione summi et incircumscripti Spiritus-, corpus ” n.

(B) A sæculo VII° ad XII““, doctrinis Pseudo-Dionysii, quas jam amplexi erant S. Gregorius Magnus et S. Damascenus, nihil fuit additum, nihil immutatum. S. Isidorus 12 et Rabanus Maurus ’3 de Angelis nonnisi obiter sermonem habent.

1 Sic interpretabantur, post *Pseudo-Enoch,* vers. 2 cap. VI *Geneseos.*

2 *De princip.,* IV, 27, *P. G.,* XI, 401 ; *in Joan.,* XIII, 33, 34, *P. G.,* XIV, 457-

3 *In Matth.,* V, 8, 58, *P. L.,* IX, 940.

♦*De Abraham.,* II, 8, *P. L·,* XIV, 482.

s *Epist.,* LXXV, 2, *P. L·,* XXII, 687.

* *In Psalm. CXLV,* 3, *P. L.,* XXXVII, 1185; *Retract.,* I, 26, *P. L.,* XXII, 626. — Forsan quædam Patrum expressiones, quæ materialitatem angelorum significare videntur, explicari possunt eo sensu quod angeli dicuntur corpora habere quatenus sunt in loco circumscripti, in oppositione ad Deum qui incircumscriptus est Quod inferri potest ex sermone *Joannis Thessal.* coram Nicæno concil. II, ubi ait : “ Solus Deus incorporeus et incircumscriptus est, intelligibiles vero creaturæ non penitus incorporem sunt et invisibiles sicut Deus; ideo in loco sunt et circumscribuntur ” (Harduin, IV, 294).

7 Ita, v. gr. Didymus, *De Spirit. Sancto,* I, 5, 6, *P. G.,* XXXIX, 1037; Eusebius Caesar., *Dem. evang.,* IV, 1, *P. G.,* XXII, 252; S. Basilius, *Horn. Quod Deus non sit auctor mali,* 9, *P. G.,* XXXI, 349. Cfr. Tixeront, *Hist, des dogmes,* t. II, p. 33.

8 *In Genes.,* homil. XXII, 2, *P. G.,* LUI, 187.

9 Ita S. Cyrillus Hierosol., *Catech.,* XVI, 16, *P. G.,* XXXIII, 939.

•° *Cael. Hier.,* XV, *P. G.,* III, 328-340.

“ *Moral.,* II, 3, *P. L.,* LXXV, 557.

” *Etymol.,* VII, 5, *P. L.,* LXXXII, 272-274.

’3 *De Universo,* I, 5, *P. L.,* CXI, 28-32.

(C) Sæculo autem XII0, incipiunt theologi tractare de Angelis, et eorum disquisitiones satis feliciter contrahit *Petrus Lombardus*,* qui et ipse autumat angelos habere corpus aereum, unde possunt dæmones igne inferni torqueri.

(D) Post saeculum XII, *communiter* theologi docent angelos esse *omnino incorporeos.* Tria autem magna systemata de angelis concinnata fuerunt a S. Thoma, Scoto et Suarezio'. i) 5. *Thomas* profitetur *immaterialitatem absolutam* angelorum 3; 2) juxta *Scotum,* angeli, etsi mere spirituales, *componuntur exforma et materia incorporea^,* quatenus in eis invenitur aliquid potentiate *(materia)* et actuatio potentialitatis *(Jorma) f) Suarez* cum S. Thoma absolutam immaterialitatem docet, sed ab eo discrepat in quibusdam aliis, praecipue de intellectu et voluntate angelorum.

784. Conclusio. Ex his satis apparet auctores ecclesiasticos semper ab initio docuisse Angelos existere et esse naturæ saltem sublimioris et subtilioris, usque dum concilium *Later. IV,* S. Thomas et deinceps theologi omnes angelorum *absolutam spiritualitatem* ut certam habuerunt.

785. 30 Ratione non demonstratur thesis, sed *convenientia* existentiæ creaturarum mere spiritualium ostenditur,

(a) *Ex ordine universi.* Ad perfectionem universi decet ut entia creata participent omnes diversos essendi gradus. Atqui posita angelorum existentia, res ita se habet : tunc enim adsunt entia *mere corporalia, corporalia simul et spiritualia,* et tandem *mere spiritualia.* Sed sine angelis, series ascendens creaturarum appareret abrupta et quasi indigna sapientia et omnipotentia Creatoris. Videmus enim creaturas visibiles perfectione sensim increscere a materia inorganica usque ad hominem qui in se colligit omnes gradus inferiores iisque addit *rationem.* Atqui ratio humana est participatio valde deficiens luminis intellectualis, cum paucissimas veritates simplici intuitu attingamus, plerasque vero laborioso conatu ratiocinii. Nonne ergo oportuit, ad complendum opus Dei, esse creaturas mere spirituales et intellectuales quæ veritatem universaliter simplici contemplatione perciperent? 5

* *USent.,* dist II-XI, *P. L.,* CXXI, 655.

2 Vacant, in *D. T. C.,* I, 1228-1248. — ' *Sum. th.,* 1· p., q. 1.

4 *De rerum principio,* q. VII, n. 27.

Au-dessous de nous, nous voyons les êtres décroître; ils pourraient croître

(b) Mundus præ se ferre debet Creatoris imaginem. Atqui sine angelis, mundus non præ se ferret perfectissimam imaginem Intellectus divini : homo enim videtur esse imago *nimis deficiens,* cum sit *rationalis* potius quam *intellectualis, discursu* potiusquam uno intuitu veritatem attingens.

(c) Mundus gloriam Dei cognitione et laude proclamare debet. Atqui sine angelis, opus Dei non esset plene cognitum et exinde laus Dei esset manca et imperfecta : homo enim longe est a cognoscendo adæquate mirabilia creationis[1].

III. De Dotibus Angelorum naturalibus.

786. r° *Angeli intellectu gaudent, quo hominibus prcestantiores sunt.* Hoc innuitur in Scriptura, ubi mulier sic David alloquitur : "Tu rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram"[3]. Juxta communem theologorum doctrinam [3], Angeli per *ideas innatas* naturaliter cognoscunt Deum, alios Angelos et homines, et futura necessaria quae tanquam effectus necessarii in causa continentur. Non vero cognoscunt futura libera vel secreta cordium cum certitudine, sed tantum conjecturaliter; talis enim cognitio ut proprium Divinitatis signum asseritur: " Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis "... " Tu enim *solus* nosti corda filiorum hominum Ratio idem confirmat; nam, ut ait S. *Thomas* [5], creatura rationalis soli Deo subjacet, et est domina suorum actuum ; atqui si secreta cordium ab Angelis cognosci possent, voluntas humana jam non esset perfecte domina suorum actuum.

Possunt pariter ad invicem loqui : " clamabant alter ad alterum "[6];quod faciunt, conceptus mentis.proprios, non quidem locutione externa, sed libero voluntatis actu aliis Angelis manifestando, modo nobis ignoto.

787. 20 *Angeli pariter voluntate libera gaudent f.*

Constat ex eo quod, teste Scriptura, quidam inter Angelos peccaverint et puniti fuerint, dum alii perseveraverunt et visione beati-

au-dessus de nous et former de magnifiques **hiérarchies**Lacordaire, *ig, Confer.*

[1] S. Thom., I, q. 50, a. i; *C. Gent.,* II, c. 46.

['] *II Reg.,* XIV, 20.

[3] De Angelorum cognitione præclare disserit Angelicus Doctor, I, q. 54-58; de eorum locutione, q. 107.

[*] *Isa.,* XLI, 23; *II Parap.,* VI, 30. — [3] I, q. 57, a. 4. — [4] *Isa.,* VI, 3.

[7] De Angelorum voluntate et amore egregie disputat S. Thomas, I, q. 59-60.

fica fruuntur ' : meritum enim et demeritum libertatem manifeste supponunt.

788.30 *Angeli sunt in loco, non circumscriptive, sicut corpora, sed definitive;* i. e., non sunt ubique, quia finita tantum virtute gaudent;sed in determinato loco, ita tamen ut toti sint in qualibet parte loci quem occupant, sicut anima nostra tota est in qualibet parte nostri corporis. Possunt agere in diversis locis simul, *intra* tamen *spharam suæ virtutis,* sicut homo simul agere potest in plura objecta inter se distantia, dummodo ad ea brachia sua extendere valeat2. Hæc quidem ad fidem non spectant, sed sunt conclusiones ex ipsa natura spirituum deductae.

789.40 *Angeli naturaliter potentia præstant hominibus.* Hoc enim expresse declarat S. Petrus 3 : " Angeli fortitudine et virtute cum sint majores". Quod quidem illustrari potest variis factis, v. g., " Angelus percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia"... "Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone " ·». Quousque eorum virtus sese extendat nescimus; sed, cum sint creaturæ, nil possunt agere contra Dei voluntatem.

IV. De Angelorum gratia et lapsu.

790. Doctrina quam tenet Ecclesia hac de re his verbis *Catech.. Trident,* s comprehenditur : " Præterea spiritualem naturam, innumerabilesque Angelos, qui Deo ministrarent, atque assisterent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde *admirabili gratiæ suæ* et *potestatis munere auxit atqiCe ornavit...* Sed quamvis omnes ii cælestibus donis ornati fuerint, plurimi tamen, qui a Deo parente et creatore suo *defecerunt, ex* altissimis illis sedibus deturbati, atque in obscurissimum terræ carcerem inclusi, æternas superbiæ suæ poenas luunt ".

791· i° *Angeli nonfuerunt creati in supernaturali beatitudine, seu beatifica visione fruentes, sed quasi in via ad hunc terminum, ornati scilicet gratia sanctificante et donis supematuralibus.* Certum est.

(A) *Prius* sic probatur : " De ratione beatitudinis est stabilitas, sive confirmatio in bono. Sed Angeli non statim ut creati sunt,

' ***II*** *Petr.,* II, 4; *Matth.,* XVIII, 10.

* Cf. S. Th., I, q. 52-53, nbi dilucide exponitor qoomodo Angeli sint in loco, et localiter moveri possint

3 ***II*** *Petr.,* II, 11.

4 *ha.,* XXXVII, 36; *Dan.,* XIV, 35; cf. *Maith.,* XXVIII, 2.

fuerunt confirmati in bono; quod casus quorumdam ostendit. Non ergo Angeli in sua creatione fuerunt beati" Quod quidem optime convenit, nam decet ut nemo, libero arbitrio gaudens, coronetur, nisi legitime certaverit

(B) *Posterius* constat : (a) ex locis ubi Angeli dicuntur *filii Dei* 3, *sancti*,* *angeli lucis* 5 ; his enim prædicatis designatur status grariæ sanctificantis, ut infra probabitur ; (b) ex textibus ubi describuntur tanquam beatifica visione fruentes : " Angeli enim eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est"6; nemo enim gloria frui potest, nisi prius ad statum supernaturalem per gratiam fuerit evectus.

7Q2. Quo tempore vero gratia ornati fuerint, non potest cum certitudine determinari : " Quamvis super hoc sint diversæ opiniones, quibusdam dicentibus quod creati sunt Angeli in naturalibus tantum, aliis vero quod sunt creati in gratia : hoc tamen probabilius videtur tenendum, et magis dictis sanctorum consonum est quod fuerint creati in gratia gratum faciente "7. Ita S. *Augustinus* scribit: ""Qui eos (Angelos) cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam

793. Angelis omnibus gratia collata est, omnibusque concessum fuit *vice etprobationis* tempus. Multi inter illos fideles Deo permanserunt, et sic visionem beatificam meruerunt. Juxta 5. *Thomam* ?, tempus probationis longum non fuit : " Respondeo dicendum quod Angelus post primum actum caritatis, quo beatitudinem meruit, statim beâtus fuit. Cujus ratio est, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ... Est autem hoc proprium naturæ angelicæ quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed *statim* per naturam habeat ".

794· 2° *Alii vero Angeli propria culpa peccaverunt, et suppliciis ceternisfuerunt deputati*l0.

(A) Prius sic a *C. Lateran. IV* declaratur : " Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed *ipsiper se facti sunt mali*". Quomodo autem Angeli, naturalibus donis et

* S. Thom., I, q. 62, a. I. — 'JI *Tim.*, II, 5. — 3*Job.*, XXXVIII, 7. VIII, 13; *Marc* VIII,*^"3 j; for.TXiTTZ XVIII, 10; cf. *1 Dim.*, V, 21 ; *Marc.*, XII, 25; *Lue.*, XX, XII, 22-

1 S. Thom., I, q. 62, a. 3.

§ *De Civit. Dei,* lib. XII, c. 9, *P. L.*, XLI, 357.

» S. Thom., I, q. 62, a. 5.

10 Cf. F. Nau, *Démons,* in *Diet. Apolog. {A. cTAUs),* I, 917 sq.

gratia eximie ornati, peccare potuerint, optime declarat 5. *Thom.l* : " Peccare nihil aliud est quam declinare a rectitudine actus, ita ut ille solus impeccabilis sit cujus regula est ipsa voluntas agentis; atqui nulla voluntas creata est sua regula, sed a voluntate divina regulatur, sicut quælibet voluntas.inferioris debet regulari secundum voluntatem superioris; divina autem voluntas sola est regula sui actus, quia non ordinatur ad superiorem finem. Sic igitur in sola voluntate divina peccatum esse non potest; in qualibet autem voluntate creaturae potest esse peccatum ".

795· (a) Quærunt theologi *quale peccatum Angeli commiserint.* Communiter respondetur primum Angelorum peccatum fuisse *superbiamfycmas,* teste Scriptura, superbia initium est omnis peccati : " Superbiam nunquam in tuo sensu, aut m tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio... quoniam initium omnis peccati est superbia ÙJ Cujus ratio est quia illa solum peccata in malis angelis esse possunt ad quæ contingit affici spiritualem naturam ; atqui spiritualis natura non afficitur ad bona sensibilia quæ sunt corpori propria ; ergo afficitur tantum ad spiritualia; proindeque diabolus peccavit inordinate spiritualia appetendo, seu superbiendo. Quod sic explicat 5. *Thomas :* Angeli peccaverunt considerando, amando et volendo suam perfectionem quin considerarent, amarent et vellent normam supernaturalem juxta quam, ex voluntate positiva Dei, hæc perfectio erat prosequenda 3.

796. (b) Iterum inquirunt *in quo fuerit illud superbia* peccatum. Respondet *Angelicus Prceceptor* diabolum peccavisse *appetendo inordinate divinam similitudisiem.* Noluit quidem esse ut Deus per *cequalitatem,* quia hoc esse impossibile naturali cognitione scivit, sed per *similitudinem* ♦, et quidem modo inordinato : " In hoc appetiit indebite esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernatural!, quæ est ex gratia Dei ; vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei simi-

3 Cf. S. Th., I, q. 63, a. 2 et 3. — Antiqui Patres docebant primum diaboli peccatum fuisse *invidiam,* quam concepit videndo primi hominis felicitatem, ideoque eum non peccasse nisi post creationem protoparentum : " Sic etiam diabolus..., invidens homini, apostata a divina factus est lege " (S. Irenæus, *Adv. Hares.,* V, 24, *P. G.,* VII, 1188). Sed Origenes *(De princip.,* l. I, V, 5, *P. G.,* XI, 163) contendit hanc invidiam e *superbia* ortam fuisse et in probationem adduxit cap. XIV Isaiæ, quod de diabolo intellexit.

4 Scripturae textus *(Isa.,* XIV, 13-14; *Ezech.,* XXVIII, 2) a multis theologis allati ad hoc probandum, sensu *litterali* non de diabolo, sed de regibus Babylonis et Tyri praedicantur.

litudinem quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem " '.

Juxta *Suarez'*, aliosque quos citat theologos, diabolus primum peccavit circa unionem hypostaticam, vel eam inordinate appetendo, vel Christo Domino angelis revelato obedire denegando. Quod tamen minus probabile est. Nam primum peccatum Angeli debuit versari circa finem ultimum ipsius : prius enim voluntas fertur circa finem quam circa media ad ipsum; atqui unio hypostatica non est ultimus finis -Angeli, neque naturalis, ut patet, neque supematuralis, qui in visione beatifica consistit; ergo[3].

797. (B) Post peccatum suum^jwaZ/ *angeli æternis suppliais fuerunt deputati :* " Deus angelis peccantibus non pepercit, sed

" Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis ætemis sub caligine reservavit '(J/ Probabilius a Patribus et theologis docetur angelis lapsis pænitentiæ spatium non fuisse, quia cum immobiliter intelligant, et immobiliter volunt atque eligunt : " Differt autem apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; homo vero per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhaeret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere et contrg io adhærere, voluntas autem angeli adhaeret fixe et immobiliter

V. De ordinibus Angelorum [7].

798. (A) *Ingentem esse Angelorum multitudinem* colligitur tum ex eo quod Scriptura eos sub figura exercitus repræsentet[8], tum ex his aut similibus verbis : " Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei " " Et hujus ratio est, ait S. *Thomas*™, quia cum perfectio universi sit illud quod præcipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata a Deo Angelos autem societatem perfectissime ordinatam constituere

' S. Th., I, q. 63, a. 3. — ' Cf. Suarez, *de Angelis,* 1. VII, c. 13.

Angelis, L II, c. 1-5; Mazzella, n. 291 sq.; Palmieri, th. 23-24.

[8] *HI Reg.,* XXII, 19; *Matt.,* XXVI, 53; *Lue.,* II, 13.

[9] *Dan.,* VII, IO. — [10] I, q. 50, a. 3.

nulli dubium est, cum ordo in omnibus rebus a Deo creatis inveniatur.

799. (B) *Quomodo autem Angeli ordinentur,* non tam clare constat, (a) Scriptura quidem in variis locis variis nominibus Angelos appellat, ex quibus inferunt Patres et theologi diversos ordines esse spirituum; sic commemorantur *Seraphim* \ *Cherubim* \ *Throni, Dominationes, Principatus,* et *Potestates*[3]; *Virtutes*[4], *Archangeli*[3]. *Angeli*^. /Porro hæc varia nomina diversam dignitatem diversaque munera designant. Patres pariter varia nomina variaque officia Angelis assignant, licet nonnulli fateantur se ignorare quomodo inter se distinguantur : sic S. *Augustinus* [1] scribit : "Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus[8] esse complexus, dicant qui possunt, si tamen probare possunt quod dicunt : *ego me ista ignorare confiteor*

(b) *Pseudo-Dionysius* vero (de Cælesti Hierarch.) docuit Angelos omnes in *tres hierarchias* distribui, quæ et ipsæ in *tres ordines* seu choros dividuntur, ita ut adsint *novem Angelorum chori;* quem secuti sunt Patres sequioris ævi, præsertim 5. *Gregorius M.* [9] et Scholastici fere omnes, ita ut doctrina hæc communis evaserit, licet fidei dogmatibus accenseri non possit, nec etiam ut certa haberi.

(c) Rem sic declarat 5. *Thomas* [10] : *prima* hierarchia inspicit rationes rerum seu ordinationes divinæ Providentiæ in ipso Deo, *secunda* vero in causis universalibus, *tertia* vero secundum determinationem ad speciales effectus.

Prima hierarchia quæ *Deum contemplatur,* complectitur *Seraphim, Cherubim* et *Thronos* : *Seraphim* (a radice *incendentes,* vel ab arabica voce *sharupha* nobiles) in hoc excellunt quod est omnium supremum, sc. Deo uniri per caritatem; *Cherubim* (etymologice *sapientia pleni,* vel, juxta modernos, *strenui)* supereminenter divina secreta cognoscunt; *Throni* autem elevantur ad hoc quod Deum familiariter in seipsis recipiant.

Secunda hierarchia quæ in *gubernatione mundi* occupatur, tribus pariter ordinibus consistit : *Dominationes* ea determinant quæ agenda sunt; *Virtutes* præbent facultatem ad implendum; *Potestates* ordinant media quibus ea quæ præcepta sunt impleri possint.

Tertia hierarchia in *exsecutione divinorum consiliorum* versatur.

* *Isa.*, VI, 2. — ' *Gen.*, III, 24; *Ezech.*, X, 3. — 3 *Col.*, I, 16.
4 *Ephes.*, I, 20-21. — 5 *I Thess.*, IV, 15. — 6 *Rom.*, VIII, 38, etc.
7 *Enchir.*, 58, *P. L.*, XL, 259. — 8 *Col.*, I, 16. — 9 *Hom. 34 In Evang.*
10 S. Thom., I, q. 108, a. 9.

In exsecutione autem cujuslibet actus, sunt quidam quasi incipientes actionem et alios ducentes, et hoc pertinet ad *Principatus',* alii vero sunt qui simpliciter exsequuntur, et hoc pertinet ad *Angelos;* alii vero medio modo se habent, quod ad *Archangelos* pertinet. Hæc ingeniosa quidem, sed non certa.

Art. II. De Angelis custodibus[1].

Angeli boni Deo assistunt in gubernatione mundi et hominum custodia; dicemus igitur : (a) de Angelorum custodum *existentia,* (b) de eorum erga nos *obsequiis,* (C) necnon de *officiis* quæ erga eos adimplere tenemur.

§ I. Existentia Angelorum custodum.

1. Quoad singulos homines.

800. i° *Thesis :* **Sancti Angeli deputantur in custodiam hominum viatorum** (id est in terra viventium). *Certum est,* immo juxta multos, *de fide,* propter *institutionem festi* Angelorum custodum et *consensum Ecclesiæ universalem.* Hic tamen non asseritur cuique homini suum esse angelum custodem (de quo infra), sed Deum aliquot saltem hominibus præponere angelos custodes.

(A) *Scriptura* docet Angelos bonos esse ministros Dei quoad custodiam et salutem hominum, quin tamen asserat cuique homini suum esse angelum custodem, (a) In *Psalmis* 2 enim dicitur : '· Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis”; atqui hæc verba referuntur ad omnes justos qui confidunt in Deum, ut patet ex initio Psalmi et communi Patrum interpretatione.

(b) *Christus* ipse in Evangelio3 monet pueros minime scandalizandos esse, quia “ Angeli eorum (id est qui vigilant super eos) semper vident faciem Patris ”. Quæ verba S. *Hieronymus* exponens (in h. loc.) ait : “ Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum ” 4.

1 **Cf. S. Thom., I, q. 113; Suarez, ὠ** *Angelis,* 1. **VI,** c. 17-19; **Petavius,** *de Angelis,* 1. **II,** c. 7-10; **Mazzella,** n. 444 sq.; **Palmieri,** th. 61-62; **Pesch,** η. 403 sq.; **Tepe,** η. 938 sq.

’ *Ps.* **XC,** 11-12. — 3 *Matt.,* **XVIII,** 20. — 4 *P. L.,* **XXVI,** 170.

(c) *Apostolus* [1] aperte declarat Angelos esse administratores spiritus a Deo missos, ad vigilandum super homines qui destinantur ad cælum : "Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis "? Quæ verba communiter intelliguntur non solum de electis, sed de iis omnibus qui sunt destinati ad salutem.

801.(B) Omnia testimonia *Traditionis*[2] quasi contrahuntur et confirmantur facto institutionis *Festi SS. Angelorum Custodum,* et imprimis collecta missæ : " Deus qui ineffabili providentia Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris ".

Hoc autem festum, concessum a Paulo V (1608), toti demum Ecclesiæ a Clemente X præceptum (1670), jam præcesserat Solemnitas S. Michaelis et omnium Angelorum VI° sæculo instituta simul cum dedicatione ecclesiarum Montis Gargani et Circi Romani; antiquior autem erat festivitas S. Michaelis diei 29 Septembris adscripta qua colebantur Virtutes cælorum [3]. In his autem festivitatibus non solum colebantur, sed et invocabantur Angeli ut nostri custodes et auxiliatores. Ita in oratione festi S" Michaelis dicimus : ""Deus,., concede... ut a quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur ". Unde in Ecclesia semper persuasum fuit nos a Sanctis Angelis custodiri ac defendi.

802. (C) *Ratione thesis suadettir.* (a) Deus inferiora per superiora gubernare solet; atqui Angeli sunt hominibus superiores; ergo Deus gubernat et protegit homines per Angelos, (b) Quando homines iter faciunt per viam non tutam, custodes ad eorum protectionem deputantur ; atqui, in hac vita, quasi viatores sumus ad cælum tendentes, per viam arduam, et latronibus seu dæmonibus infestatam ; ergo indigemus custodibus.

Nec dicatur cum *Calvino,* posito hoc dogmate, Dei tutelam insufficientem apparere; nam Deus utitur causis secundis, non quasi eis indigeat, sed quia id ejus bonitati et sapientiæ convenit «.

* *Hebr.y* I, 14. — ' Patrum testimonia refert Petavius, 1. II, c. 7.

3 In Oriente, 6« die Septemb., memoratur apparitio S. Michaelis Chronii in Phrygia, et, die Nov.,celebratur *Synaxis* Michaelis, militiæ cælestis principis, et ceterarum potestatum incorporearum.

4 Cf. S. Thom., I, q. 113, a. 1-2; *C. Gent.,* 1. III, c. 78-79; *Catech. Rom.,* p. IV, c. 9, n. 4 sq.

•r;

SO3. 2° Corollaria. (A) Quoad *numerum* .Angelorum custodum, hæc statuenda sunt : (a) Certum est *singulos fideles justos* habere suum proprium Angelum custodem. Illud innuitur in textibus Scripturæ allatis et constat præsertim ex unanimi Patrum consensu, et communi fidelium sensu. Unus audiatur S. *Basilius* [1] : " quod singulis fidelium adsit Angelus nemo contradicet ac proinde illud negari nequit absque temeritate.

,b) Communiter idem asseritur pro *fieccatoribus* et pro *infidelibus;* nam Christus mortuus est pro omnibus, etiam infidelibus, et omnibus meruit media ad salutem ; atqui unum ex his mediis, in præsenti dispensatione, est angelica custodia ; ergo.

(c) Communiter asseritur *Christum* non habuisse Angelum custodem, quia ejus humanitas directe regulabatur et protegebatur a Verbo Dei. Sed B. Virgo habuit Angelum custodem, quem S. Bernardus putat fuisse Gabrielem.

804. (B) Quoad *tempus* angelicæ custodiæ : —

(a) Incipit a momento nativitatis, juxta S. *Thomam* et plerosque theologos ; ante nativitatem, infans protegitur in sinu materno ab Angelo matris, quia est adhuc veluti pars matris [2].

(b) Continuatur per totam vitam, eo saltem sensu quod Angelus custos nunquam clientem suum totaliter deserit, quamvis possit illum ad tempus dimittere, eum scilicet minus juvando, punitionis causa [3]. B

(c) Proprie loquendo cessat in morte, cum eo instanti desinat probationis tempus.

II. Quoad communitates.

805. (A) Valde probabiliter tenent Doctores adesse specialem Angelum custodem pro *Ecclesia,* scilicet S. Michaelem. (a) Revera ex Scriptura videtur S. Michaelem fuisse olim præpositum Synagogae*, quia vocatur princeps populi Judaici, et dicitur habere specialem ejus curam; atqui Ecclesia Synagogæ successit; ergo, (b) Verba, quæ adhibentur ab Ecclesia in officio S. Michaelis, saltem insinuant illum Archangelum specialem esse protectorem Ecclesiæ.

[1] *Euncm.,* Ill, I. — [2] Cf S. Thom., I, q. 113, a. 5.
[3] S. Thom., l. c., x 6. — * *Dan.,* X, 21 ; XII, 1.

(B) Satis probabiliter etiam docetur singulis *regnis* et nationibus, innno et *communitatibus* alicujus momenti, v. g., ecclesiis particularibus, religiosis communitatibus, præpositos esse speciales Angelos custodes. Ratio est quia illæ societates sunt veluti corpora moralia, quæ speciali assistentia indigent. Hinc populo Israelitico per desertum itinerant! Deus Angelum tanquam protectorem dedit : " Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi " *. Alias nationes habere etiam Angelos custodes, colligitur ex his et similibus locis : " Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus : et ecce Michael unus de principibus primis, venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum "2. Quod sic declarat *Theodoretus (jc* h. loc.): " Archangelis vero illud munus est impositum, ut gentium sint præfecti, sicut B. Moyses docuit 3, cujus dictis item B. Daniel consentit, cum dicit ipse regni Persarum principem et rursus paulo post principem Græcorum, Michaelem quoque principem Israelis vocat ".

§ II. Angelorum custodum erga homines OBSEQUIA.

806. i° *Quoad corpus,* (a) Angelus custos a nobis *avertit damna* exteriora, aut, si jam inciderimus in illa, ab illis nos eripit : " Angelus qui eripuit me de cunctis malis " ... 'TrAngelis suis mandavit de te, ut custodiant te " ..(£) Ilfud autem facit, vel avertendo objecta nociva, vel immittendo cogitationem per quam malum imminens vitari possit

(by^Aliquando nos etiam *juvat in negotiis sæcularibus,*

' *Exod.,* XXIII, 20.

2 *Dan.,* X, 13. — " Secundum *Gregorium {Moral.,* 1. XVII, c. 8), princeps regni Persarum bonus Angelus fuit custodiæ regni illius deputatus. Ad videndum igitur qualiter unus Angelus alteri resistere dicitur, considerandum est quod divina judicia circa diversa regna et diversos homines per Angelos exercentur. In suis autem actionibus Angeli per divinam sententiam regulantur. Contingit autem quandoque quod in diversis regnis, vel in diversis hominibus contraria merita vel demerita inveniuntur, ut unus alteri subdatur aut præsit. Quid autem super hoc ordo divinæ sapientiæ habeat, cognoscere non possunt, nisi Deo revelante; unde necesse habent super his sapientiam Dei consulere. Sic igitur, in quantum de contrariis meritis et sibi repugnantibus divinam consulunt voluntatem, resistere sibi invicem dicuntur; non quia sint eorum contrariæ voluntates (cum in hoc omnes concordent quod Dei sententia impleatur); sed quia ea, de quibus consulunt, sunt repugnantia ". (!

3 *Deut.,* XXXII, 8. Cf. *Zach.,* I, 12 ; *Act.,* XVI, 9.

* *Gen.,* XLVU1. 16; *Ps.* XC, 11 ; cf. *Tob.,* VI, 8 etc.

præsertim quando *ad salutem* inserviunt, ut apparet exemplo Tobia^'

807. 2° *Quoad animam.* (a) Angeli custodes *arcent dæmones,* ne nobis noceant aut saltem ne tam graviter ten-".ent^ (b) *Sanctas cogitationes suggerunt,* nos excitando ad bonum 3, nos etiam avertendo a malo, per consilia et correptiones : quod quidem facere possunt immediate agendo in organon phantasiæ, ut excitentur phantasmata idonea ad tales vel tales cogitationes immittendas, (c) *Offerunt Deo nostras orationes,* aut nostra bona opera, non quidem ut Deus ea cognoscat, nam per seipsum cognoscit omnia, sed ut ipsi suas preces nostris addant, et sic majorem vim precibus nostris conferant : " Ego obtuli orationem tuam Domino " 4. (d) *Medicinales poenas* quandoque *infligunt :* hoc enim est opus misericordiæ, et saluti nostræ inservit 5Λ Pœnæ autem vindicativæ generatim per malos angelos infliguntur. (e) Tandem in ipso *articulo mortis* specialiter *nos adjuvant* contra ultimas tentationes, et ultimas diaboli impugnationes, et animam nostram ad cælum vel ad purgatorium

§ III. Officia nostra erga Angelum custodem.

808. AS. *Bernardo* his verbis exponuntur : " Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam ! Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia " 7.

i° *Reverentiam pro prcesentia :* siquidem Angelus custos est semper nobiscum, et quia est spiritus purus et sanctus, vitare debemus quidquid illum contristare posset : " In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe... Tune audeas illo præsente quod vidente me non auderes? An præsentem esse dubitas quem

1 *Tob.,* XII, 3 etc— Integer *Tobia* liber legendus est ut in eo graphica inveniatur cT^tdpho eorum quæ nobis divina Providentia præstat mediante Angelorum ministerio.

' *Tob.,* VIII, 3. — 3^, VI, 16. — 4 *Tcb.,* xn, 12.

§ *II Reg.,* XXIV, i6^------'-------- ----------

Z?· Cf. J. H. Newman, *Dream of Gerontius,* ubi non minus theologice quam poetice describitur luctamen animæ christianæ cum diabolo ante mortem. Cf. Leclercq, in *Dût. d'arch, chrit.,* Les anges psychagogues, I, 2121 sq. — 7 *Sermo ia* in Ps. 90, n. 6.

non vides? Quid si audires?... Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat præsentiam non deesse”1.

Fiduciam pro custodia : nam potens est ad nos succurrendos et simul nobis devotissimus; igitur illum deprecari, et ad illum confugere in rebus dubiis et angustiis debemus : “ Adsunt igitur et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant, adsunt ut prosint... Ceterum etsi tam parvuli sumus, et tam magna nobis, nec modo tam magna, sed et tam periculosa via restat : quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus ?” 2

30 *Devotionem seu amorem pro benevolentia :* nam angelus custos est pro nobis veluti benefactor, amicus et frater, et erit postea particeps ejusdem hæreditatis in cælo; ergo illum diligere debemus, de illo cogitare, et ejus inspirationibus obedite : “Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus : redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus... In ipso (Deo) itaque, fratres, affectuose diligamus Angelos ejus, tanquam futuros aliquando cohæredes nostros, interim vero actores et tutores a Patre positos et præpositos nobis ” 3.

Corollaria Apologetica.

80ç. (A) *Doctrina de Angelis custodibus a platonicis philosophis non fuit mutuata.* Licet enim nonnulli Platonici egregia de Angelo custode per transennam scripserint ♦, Patres non ex eorum commentis catholicam doctrinam hac de re probant, sed ex Scriptura, ut jam notavimus, fusiusque ostendit *Petavius* proindeque Gentilium traditiones, quæ aliunde satis confusæ sunt, nihil aliud sunt nisi reliquiæ revelationis primitus hominibus factæ.

810. (B) *Angelorum cultus minime superstitiosus est, sed rationabilis valdeque utilis.* Quod contra Novatores dirigitur, qui, duce *Calvino,* contendunt per Angelorum cultum a Dei cultu nos averti : “ Quam igitur præposterum est ab Angelis nos abduci a Deo, qui in hoc sunt constituti, ut præsentiorem ejus opem nobis testentur?” Hoc enim falsum est, cum Angelos ut Dei nuntios et

* S. Bernard., *ibid.* — 2 S. Bernard., *ibid.*

3 De Angelis custodibus pium opusculum scripsit Chardon, *Mémoires d'un Ange Gardien, anglice* redditum “ Memoirs of a Guardian Angel ”. Baltimore, 1871. Legatur etiam *Meditatio de sanctis Angelis atque de iis imprimis, qui hominum custodia prasunt,* in opusculo cui titulus : S. Aloysii Gonzagæ *Opera omnia,* Coloniae, apud Heberle, 1801.

4 Cf. Petav., *de Angelis,* l. II, c. 7; Hurter, n. 448. — s ≥ . *cit.,* c. 7.

ministros veneremur, ita ut gloria eis reddita in ipsum Deum redundet, ut jam animadvertit 5. *Bernardus* [1]: "Totus tamen ei (Deo) reddatur et amor et honor noster, *a quo tam ipsis* quam *nobis est totum,* unde honorare possumus vel amare, unde amari honorarive meremur".

Art. III. De Angelis malis

Sicut boni Angeli nos variis modis juvant, ita *Angeli mali* [3] seu *Dæmones* hominem impugnant : modo ordinario per *tentationem,* in ordine morali ; extraordinario per *possessionem* et *magiam,* in ordine physico ; de quibus seorsim dicemus, pauca addentes de *factis ad magiam accedentibus.*

I. De tentatione diabolica.

811. i° *Thesis :* Sæpe sæpius dæmones hominem ad peccatum incitant, seu tentant. *De fide* ex universali Ecclesiæ magisterio. "***

(A) *Script.* Existentia tentationis diabolicae luculenter Scriptura demonstratur. In *Vet. Test,* videmus *protoparentes* ad peccandum a diabolo induc^j^et pium *Job* variis modis pariter ab eo tentari. In *Nov. Test,* diabolus impugnat ipsum Chris^jn/sy Judam proditorem ad magistrum tradendum incitat^ et Ananiam ut mentiatur Spiritui S(^)

Insuper modo generali S. *Petrus* et S. *Paulus* nos admo-

[1] *Loc. cit.* — De *cultu* angelorum agimus ad calcem *Tr. de Verbo Incarnato.*

[2] S. Thom., I, q. 63-64, q. 114; Suarez, *De Angelis,* L VII-VIII; E. Mangenot, T. Ortolan, in *D. T. C.,* t. IV, 322-414; F. Nâu, *Dimons,* in *D. A.,* L I, 917-928; G. J. Waffelaert, *Possession diabolique,* in *D. A.,* t. IV, 53-81 ; L. Janssens, *De Deo Creatore,* p. 1010-1019; W. H. Kent, *Demon, Demoniacs, Devil,* in *The Cathol. Encycl.,* t. IV, 710 sq.; E. Hugon, 191-196.

[3] Angeli mali varia sortiti sunt nomina ; vocantur *deemonia* vel *demanes {Deui.,* XXXII, 17; *Luc.,* VIII, 33 ; *Matth.,* VIII, 31); *spiritus nequam (Luc.,* XI, 26; *Act.,* XIX, 12); *spiritus immundi (Luc.,* VIII, 29); *mundi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitia (Ephes.,* VI, 12). Unus ex illis tanquam eorum dux habetur, vocaturque *princeps hujus mundi (Joan.,* XΠ, 31 ; XIV, *τρ}·, princeps damaniorum (Matth.,* IX, 34); *Satanas (Luc.,* XI, 18); *diabolus (Matth.,* XIII, 39) ; *deus hujus sceculi (Il Cor.,* IV, 4) ; *draco magnus, serpens antiquus (Apoc.,* XII, 9). Cf. Mazzella, n. 426, η. I.

[4] *Gen.,* III, 1-6.— De aliis dæmonum manifestationibus sive in Scriptura live in Apocryphis,' cf. F. Nau, *D. A.,* t. I, p. 917 sq.

[5] *Matth.,* IV, 3-10. — [6] *Joan.,* XIII, 2, 27.— [1] *Act., N,* 3.

nent ut a diabolica tentatione caveamus : " Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret... Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ... fp Ex quibus clare colligitur nos non solum concupiscentia tentari, sed etiam diabolo, qui concupiscentia rebusque externis utitur, ut nos ad malum alliciat.

812. (B) *Ratione* suadetur, (a) *Ex parte Dei :* Illud convenit ex parte Dei, quod manifestat excellentiam et necessitatem gratiæ, necnon divinam sapientiam ; atqui hoc

melius intelligunt gratiæ necessitatem ad dæmoni resistendum, et aliunde Deus, succurrendo homini tentato, nobis ostendit quomodo sciat ex malo majus bonum elicere.

(b) *Ex parte hominis :* nam per hujusmodi tentationes, ejus *virtus* exercetur, perficitur et roboratur; melius sentit propriam infirmitatem et ita ad veram *humilitatem* excitatur; tandem, resistendo tentationi, *pœnitentiam* agit pro peccatis præteritis.

(c) *Ex parte ipsius dœmonis :* nam, quamvis diabolus aliquando vincat homines, tamen sæpe sæpius vincitur, et ultimo per merita Christi vincetur, et ita majorem confusionem experietu£x

813. 20 Modus quo fit tentatio diabolicas. (A) Diabolus *non* potest agere *directe in intellectum et voluntatem ;* nam intellectus et voluntas sunt facultates mere spirituales, immediate a Deo creatæ, et sui juris, ita ut a Deo solo dependeant qui solus potest in eas ager£T)

(B) Diabolus autem potest agere : (a) in *sensus externos,* nempe apparitionibus quibus nos vel a bono avertere vel ad malum allicere conatur; (b) in *sensus internos,* scilicet

i: VIII

' Quæ argumenfa"fexponit Suarez, *de Angelis,* 1. II, c. 18, n. 18-26.

3 Cf. *Catech. Trident.,* p. IV, sexta petit., n. 5; Schram, *Instit. theol. myst.,* § CXIV sq. ; S. Bonavent dist. c. ao-n ; Ad. .Tanquerev. 0-22'

4 S. Thom., I, q. 106, a. 2; *C.* c. 88.

memoriam et imaginationem ; nam illæ facultates sunt facultates *organica et corporea ;* atqui natura sensibilis et corporea obedit Angelis. Diabolus potest igitur malas imaginationes proponere nobis etiam invitis, (c) In *appetitum sensibilem,* qui et ipse est corporeus, passiones commovendo, et humores corporis humani disponendo ita ut ad peccandum inclinemur, (d) *Indirecte* diabolus influit vel in *intellectum* quem ad errorem ducit, mediantibus imaginatione et aliis sensibus; vel in *voluntatem,* ad malum eam inclinando, ope passionum.— Attamen homo semper remanet liber, et, cum gratia Dei, tentationem vincere potest

(C) Diabolus est *causa indirecta* omnium tentationum et peccatorum, quatenus primus hominem instigavit ad peccatum ex quo aliæ tentationes aliaque peccata secuta sunt Attamen *non* est *causa directa* omnium tentationum et peccatorum, cum triplex concupiscentia tentationes plurimas et peccata inducat unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ". Quando tentationes sunt *simul frequentes, vehementes* et *diuturna,* verisimile est eas partim saltem a diabolo oriri.

II. De obsessione et possessione diabolica[2].

Etsi in *Rituali* discrimen non instituatur inter obsessionem et possessionem, communiter theologi utramque discriminant.

814. i° Status quæstionis. (A) *Notio* exponitur : (a) *Obsessio* est actio daemonis, qui *ab extra* veluti obsidet et impugnat hominis corpus, diversis molestiis illud afficiendo, simulque animam gravibus tentationibus vexando, ut refertur, v. g., in historia S. Antonii.

Possessio est actio daemonis, qui corpus hominis *intrat,* in illo veluti habitat, ibique operatur, sensibus et membris

[1] *I Cor.,* X, 13.

[2] Cf. Th^ræus, *de Dctmoniacis;* D. Calmet, *Nouvelles dissert.,* Diss. sur les possess., a. 2; Schram, *Instit. theol. myst.,* § CCV sq.; Ribet, *La Mystique divine,* L III, c. 9-II; Waffelaert, 1. c.; Trench*, *Miraeles of 0. Lord,* Appleton, 1890, pp. 161, 246, 389 etc.; H. Laehr, *Die Dàmonischen des N. T.,* Leipzig, 1894; Poulain, *Grâces<Toraison,* ch. XXIV, § 6-8; Ad. Tanquerey, *Précis,* n. 1531-1548.

utendo, insolitosque actus producendo. Signa diabolicæ possessionis, juxta *Rituale* Romanum, sunt " ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere et alia id genus quæ cum plurima occurrunt, majora sunt indicia ". Sed simul *Rituale* exorcistam monet " ne facile credat aliquem a daemonio obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant " *(De exorcis. obsj* Quod quidem hodie eo magis necessarium est quod in somno hypnotico phaenomena producantur, quæ possessionem daemoniacam imitari videntur1.

(B) *Errores.* Veritatem diabolicæ possessionis impugnant non solum *Raiionalistæ,* sed etiam *Protestantes* præsertim *liberales,* immo *aliquot Catholici* qui contendunt dæmoniacos, de quibus Evangelium loquitur, fuisse simpliciter ægrotos et Christum et Apostolos Judæorum opinioni se accommodasse. Contra quos sit :

815. 20 *Thesis :* Possessiones dæmoniacæ admittendae sunt, etiam post Christum. *Certum est.*

(A) *Scriptura,* (a) Sæpe enim in Evangeliis fit mentio *obsessorum* a dæmone, prouti *ab ægrotis distinguuntur :* " Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant "O

(b) Insuper Christus exhibetur ut *dæmones alloquens,* eos increpans, vetansque ne loquantur, aut eis præcipiens ut exeant : " Dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum... Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum (jTy

(c) Tandem Christus Apostolis tradit *potestatem dæmones ejiciendi,* ut distinctam a potestate morbos curandi, simulque media præscribit quibus ejici possir^jp Atqui si dæmoniacæ possessiones nihil aliud sint nisi morbi naturales, Christus certe Judæos et Apostolos sua agendi ratione suisque verbis decepisset ; quod quidem repugnat ; ergo.

1 Cf. Véronnet, *La possession diabolique,* in *Rev. du Cl.français,* t. XXX\;II, 1904, p. 570 et L XXXIX, p. 423.

* *Maith.,* IV, 24; VIII, 16. — 3 *Marc.,* I, 34; IX, 24; *Luc.,* VIII, 30.

4 *Matth.,* X, i ; *Marc.,* XVI, 17.

Nec dici potest Dominum errori Judaeorum se accommodasse : nam Deus potest quidem se accommodare hominibus quoad modum loquendi, ut melius ab eis intelligatur : sed non ita ut eos decipiat, i) Jamvero Christus manifeste *populum et discipulos decepisset,* si, dum nosset diabolicas possessiones esse imaginationis figmentum, ita locutus esset ut eorum errorem confirmasset. Quod aliquot exemplis illustratur : v. g., postquam ejecerat dæmoniun(^ calumniantibus Pharisæis eum in Beelzebub hoc miraculum patrasse, non negat se ejicere dæmones, sed solum negat se id facere potestate Satanae : deinde regnum suum opponit regno Satanae, suamque divinam missionem ex eo probat quod in digito Dei ejiciat dæmonia. Atqui tota illa argumentatio deceptoria et illusoria esset, si nullæ essent diabolicæ possessiones. 2) Accedit quod Christus non solum coram populo sed etiam *privatim* cum solis discipulis eodem modo locutus fuerit, sic quando discipuli, peracta praedicatione, reversi sunt ad illum cum gaudio, dicentes : "Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo", nedum eorum opinionem corrigeret, eam potius confirmavit dicens : "Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem

(d) Tandem res confirmatur *exemplo Apostolorum* qui spiritus immundos multoties ejecerunl^pet ne ullum dubium maneret de daemonis præsentia, narratur quid Judaeis quibusdam exorcistis contigerit, qui Paulum imitari volebant · " Respondens spiritus nequam dixit eis : Jesum novi et Paulum scio : vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, *in quo erat deemonium pessimum,* invaluit contra eos...f?) Ergo certum est tempore Christi et Apostolorum nonnullos fuisse homines a daemonibus infestatos.

816. B) *Traditione* constat veras fuisse dæmonum possessiones in primis saeculis, Christianosque potestatem habuisse spiritus immundos expellendi.

1) Ait enim *Tertullianus* : 5 " Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem a dæmone agi constet : jussus a quolibet Christiano loqui, spiritus ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso... Nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius ? Quid hac probatione fidelius " ? Multa alia testimonia hujusmodi exhiberi possent, ex quibus demonstrari valeret hanc fuisse Patrum communem persuasionem.

' *Luc.,* XI, 14-26. — *'Lue.,* X, 17, 18. — * *Act.,N,* 16; XIX, 12.
« ~*Zct.,* XIX, 15-16. -=^~*Apologet.,* c. 23, *P.* Z.Γ/1Γ413.

2) Idem constat ex *praxi Ecclesiæ,* quæ specialem ordinem *Exorcistarum* instituit ad dæmones abigendos, et in *Rituali* preces speciales habet ad liberandos obsessos a diabolo; necnon ex *historia,* quæ plures possessionis casus refert, de quorum veritate dubitare difficile est [x].

817.(C) *Ratione,* (a) Ratio non potest quidem existentiam diabolicæ possessionis demonstrare, sed ejus *possibilitatem,* posita dæmonum existentia. Cum enim diabolus magna sagacitate et potestate polleat, certe multo plura stupenda producere potest quam hypnotism! cultores ; atqui isti personam magnetizatam ita regere possunt, ut vires ejus physicas et psychicas fere pro libitu dirigant, aliquando etiam contra ipsius inclinationem ; ergo idem a fortiori valet diabolus.

(b) Si inquiritur autem *cur* Deus possessionem permittat, respondet S. *Bonaventura* [2] : " Permittit autem hoc Dominus sive ad *gloriæ suæ ostensionem {Joan.,* IX, 3), sive ad *peccati punitionem,* sive ad *peccantis correptionem {I Cor.,* V, 3), sive ad *nostram eruditionem* ".

818. 30 *Remedia* [3] quæ adhiberi solent ad dæmones arcendos sunt : (a) conscientiæ purgatio per confessionem sacramentalem ; (b) usus Eucharistiæ; (c) oratio cum jejunio; (d) Sacramentalium usus, præsertim aquæ benedictæ; (e) tandem exorcismi, qui tamen caute adhibendi sunt, nec sine licentia Episcopi, si publice et sollemniter fiant.

III. De magia [4].

819. Status quæstionis. *Magia* in genere est *potestas mira et insolita patrandi.* Duplex distinguitur : *naturalis,* qua mira efficiuntur per occultas naturæ vires [5], vel

[x] Cf. Ribet, *op. cit.,* p. 198 sq. ; Leriche, *Etude sur les Possessions en général et sur celle de Loudun en particulier,* Paris, 1859 ; J. Segaud, *Une manifestation diabolique* (thèse), Lyon, 1899; L. Champault, *Une possédée contemporaine,* Paris, 1924.

[3] *In 2 Sent.,* dist. 8, p. 2, a. I, q. I.

[3] Cf. Ribet, *op. cit.,* c. n, p. 233 sq.; Schram, § CCIX sq.

[4] Cf. S. Thom., 2. 2, q. 95-96; Suarez, *De Religione,* 1. II; Del Rio, *Disquisit. magicce;* Ribet, *Mystique div.,* c. 12-23 î Jungmann» *De Deo Creat.,* n. 151 sq.; F. Bouvier, *Magie* et *Magisme, D. A.,* t. III, 61-74; et *K· S. R.,* t III, 1912, p. 393-427; t. IV, 1913, p. 109.147.

[5] Nonnulli scientiarum cultores in suspicionem commercii cum diabolo vene-

dexteritatis ope ; *diabolica* seu *nigra, qua prodigia producuntur cum (temonis auxilio.* Nos autem de magia naturali non agimus, sed de *diabolica.*

Theologi communiter distinguunt inter *crimen, artem* et *factum* magiæ. (A) *Crimen magia* est impius conatus mira patrandi ope dæmonis, sive effectus sequatur sive non. Dupliciter committi potest : pacto *explicita,* quando quis cum daemone loquitur vel reipsa, vel per imaginationem ; pacto *implicito,* quando quis media adhibet, quæ neque per se neque ex Dei vel Ecclesiæ institutione, virtutem habent producendi effectum qui exspectatur : talis enim effectus nonnisi a malignis spiritibus produci potest. Tale crimen committi posse, colligitur ex legibus quibus Deus illud prohibuit : "Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini... Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur" [2]. Revera homines pravi, curiositate, famæ, honorum vel pecuniæ amore, aliave passione allecti, eo usque impietatis venire possunt, ut sibi persuadeant a dæmone consequi posse auxilia, quibus prava sua desideria explere valeant.

(B) *Ars* autem *magica* definitur facultas, *positis quibusdam signis,* miros effectus, *damonis ope, certo* et *constanter* producendi. Hoc sensu intellecta, non debet facile admitti. Nam virtus dæmonum est limitata, nec aliquid præter naturam agere valent, nisi Deo permittente, ut diserte docet S. *Augustinus* [3] : "Firmissime tamen credendum est omnipotentem Deum omnia posse facere quæ voluerit sive vindicando, sive præstando, nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam..., nisi quod ille permiserit cujus judicia occulta multa sunt, injusta nulla", Quod approbat N. *Thomas* [4]. Jamvero quis dicere præsumet, Deum certa lege et semper permissurum esse dæmonibus ut suam malitiam et potestatem exerceant, quotiescumque determinatis signis magi usi fuerint? Aliunde spiritus mali neque omniscii nec ubique præsentes sunt, immo mendaces sunt et infideles; unde sæpe sæpius contingere potest ut signa ab improbis hominibus posita, aut non advertant, aut non attendant. Quam stulti igitur sunt qui diabolo confidunt!

(C) Nonnulla vero esse *facta magica,* ope dæmonis patrata, vix negari potest, quidquid pauci theologi dixerunt post *Eng. Kliippel**.

runt, quia ex diligenti virium naturalium investigatione quædam facere potuerunt, quæ a communi plebe tanquam prodigia existimabantur.

[2] *De Civit. Dei,* lib. XVIII, c. **iQ.** Z., XLI, 574.

[4] *Instit. th. dogm.,* 1. I, § 77, not, 4, ubi dicit : "Arbitramur quaecum-

Etenim Scriptura nonnulla hujusmodi facta commemorat : " Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas et arcana quædam similiter" '; item in N. T. agitur de operibus magicis a Simone, Elyma et puella pythonissa patratis'; et a Christo Pauloque praenuntiatur signa magna et prodigia futura esse tempore Antichristi, "ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi "[3]. Hinc S. *Augustinus* de hisce prodigiis loquens ait[4] : " Addimus enim ad istam lucernam inextinguibilem et humanarum et magicarum, id est per homines daemoniacarum artium, et ipsorum perse ipsos daemonum multa miracula : quæ.si negare voluerimus, eidem ipsi, cui credimus, sacrarum litterarum adversabimur veritati". Multa hujusmodi facta a scriptoribus ecclesiasticis narrantur, et licet quædam fabulosa sint, non pauca a viris doctrina et pietate conspicuis referuntur, quæ fidem sibi commendant.

Magiam esse crimen horrendum et periculosum demonstrant *Moralistæ.*

IV. De factis ad magiam accedentibus præsertim magnetismo, spiritismo et hypnotisme.

820. i° **Status quæstionis.** Nostra ætate, sub nomine *magnetismi, spiritismi,* et *hypnotismi,* multa publici juris facta sunt phaenomena, de quibus inquiri potest utrum sint diabolica an non.

(A) **Magnetismi animalis**[5] inventor agnoscitur *Antonius Mesmer,* Vindobonensis medicus, qui circa finem sæc. XVIII, novos quærens curandi modos, putavit se mirum invenisse medium in fluido quodam subtilissimo, quod fluido magnetic© simile est, et supponitur ex animalium corporibus manare, immo omnia prorsus corpora pervadere.

Tria sunt præsertim phaenomena magnetismo adseripta : 1) *convulsiones,* 2) status *paralysis et catalepsis,* in quo membra rigida fiunt, et sensibilitas evanescit; 3) *somnus magneticus,* in quo magnetizatus, licet sensuum usu destitutus, videt tamen, autem et loquitur, immo mira cognoscit quæ antea ipsi ignota erant, actionesque perspicit quæ occulte vel procul peraguntur.

que de eo rerum genere venditantur, esse commentitia aut somnia delirantis phantasiæ ".— 1 *Exod.,* VII, n.

'Ad., VIII, 9, n; XIII, 8; XVI, 16.

s ΛÆ½ς^., XXIV, 24; *H Thess.,* II, 9.

4 ZV*Civit. l)ei,* 1. XXI, c. 6, *P. L.,* XLI, 717.

5 Cf. Puységur, *Mémoire pour servir à Phistoire... du magnétisme,* Paris, 1830; J. Braid, *Neurypnology, or the Rationale of nervous sleep...,* London, 1843; Heidenhain, *Animal magnetism,* London, 1880; Gasc-Desfossés, *Magnétisme vital,* Paris, 1897 ; Surbled, *Morale,* t. IV, ch. 6.

821. (B1 Spiritismus modernus 1 ortum habuit in Statibus Fœderatis Americæ, sed mox in tota Europa percrebuit, et annis 1852-1854 communis factus est. Diversæ autem fuerunt spiritismi formæ : aliquando enim spiritus responsa edebant mediantibus mensis rotantibus, aut per *medium* seu personam intermediam; nonnunquam autem directa fiebat spirituum evocatio et apparitio.

Ab anno 1875 varia experimenta de spiritismo a doctissimis tentata sunt (in Anglia a W. Crookes; in Gallia a Flammarion, Richet).

Attamen minime dubitandum est plurimas fraudes in his omnibus intervenisse, ita ut difficile sit sæpe verum a falso secernere.

Inter phaenomena quæ *scientifice* perpensa fuerunt, et a fraudibus immunia esse existimantur, hæc præsertim recenseri possunt :

(a) *Phenomena physica :* 1) *strepitus* tabulae, cujus pes se erigens et postea declinans, terram percutit et ita responsa profert; 2) objecta parietibus affixa decidunt et confuse moventur; 3) scamnum in quo *medium* sedet, in aera levatur : quod *levitatio* vocatur; 4) flammæ apparent; 5) apparent manus humanae, pedes, caput, integrum corpus humanum quod ambulat et loquitur.

(b) *Phaenomena intellectualia :* 1) manifestantur facta distantia, deteguntur objecta amissa aut in occulto loco posita; 2) dantur responsa pia, hæretica, obscæna pro mente, ingenio et dispositionibus adstantium ; 3) revelatur praesentia spiritus nequam et res sacras horrentis, ut constat ex *convulsionibus* tabulae quando ei imponuntur rosaria benedicta '.

(c) *Doctrina* e responsis tabularum collecta hæc est : Deus existit quidem, sed cum longe sit a nobis, parum de eo curatur. — Homo constat corpore, anima et tertio elemento quod *perispiritum* vel *corpus astrale* vocant. Morte superveniente, anima relinquens corpus animale, secum ducit corpus astrale, et in regionem invisibilem secedit. Ad purificationem suam operandam,

1 Cf. E. W. Capron, *Modern Spiritualism,* Boston, 1855; Allan Kardec, *Le livre des esprits, Le livre des médiums,* Paris 1804-1865; O. Brownson, *The Spirit Rapper;* Crookes, *Researches on the Phenomena of Spiritualism ;* E. Dupouy, *Sciences occultes et physiologie psychique,* Paris, 1898; Gibier, *Le Spiritisme,* 1904; Maxwell, *Les phénomènes psychiques,* 1906; L. Denis, *Christianisme et spiritisme,* Paris, 1903; Grasset, *Le spiritisme devant ta science,* Paris, 1904; E. A. Pace, *Spiritism* in *Cath. Encycl.,* t. XIV, 221-224 ; L. Roure, *Le merveilleux spirite*, 1922 ; Le Spiritisme d'aujourd'hui et d hier,* 1923; Mainage, *La religion spirite,* 1921; R. Guenon, *L 'erreur spirite,* 1923. — Doctrinam spiritismi exposuimus et confutavimus, *Syn. Theol. Fundam.,* n. 1043.

2 Quæ ab *oculatis* testibus fide dignis relata sunt, ut a D. D. G. Brossais Saint-Marc, *Rapport épiscopal sur les tables tournantes et parlantes,* 6 jul. 1853, ex archiviis *Cancellaria Rhedonensis.*

anima rursus incarnatur : *transmigratio igitur animarum* admittitur, donec ad integram purificationem et ad beatitudinem inamissibilem perveniant. Æternitas poenarum inferni absolute negatur (diabolus enim timet ne hujus dogmatis consideratione multi convertantur); mortui, camali corpore orbati, cum viventibus communicant, non quidem directe, sed mediante corpore astrali quarumdam personarum (quas "*Medium*" vocant), quæ nempe majore sensibilitate præditæ sunt. Sic ab eis, hodiernis temporibus, *Revelatio definitiva* allata est, revelationes olim propositas a Moyse vel a Christo (in quibus Spiritus purior reincamatus erat) transgrediens, perficiens et renovans. *Ethica* spiritismi præsertim caritatem prædicaL

822. (C) **Hypnotismi**[1] phænomena triplicis distinguuntur generis : (a) *somatica* seu *corporalia,* quæ sunt catalepsis, lethargia et somnambulismus; (b) *intellectualia* quorum præcipuum est *mentalis suggestio* quæ fit præsertim in statu somnambulismi : videlicet hypnotizatus ea omnia audit et exsequitur quæ ab hypnotizante suggeruntur et imperantur; v. g., objectum vere in cubiculo præsens videt vel non, *ad nutum* hypnotizantis; si hic jusserit ut furtum committatur, primum quidem resistit hypnotizatus; sed plerumque victus a potentiori voluntate, furtum patratur; imo suggestiones post hebdomadem vel mensem exsequendas, fideliter adimplet præfixo tempore; (c) *mixta,* quæ in corpore, mediante imaginatione, producuntur, ut sudor sanguineus.

Quid de his phaenomenis sentiendum sit declarabit sequens *thesis.*

823. 2° *Thesis :* **Phænomena magnetismi, spiritismi vel hypnotismi quibus occulta, remota ac futura detegunturr, diabolica sunt; cetera vero vel fraude vel legibus naturalibus probabiliter explicari possunt.**

Probatur : (A) *Auctoritate.* Thesis enim nostra clare deduci videtur ex variis S. *Officii* responsis ex quibus duo constant : i) *in se* multa ex his phaenomenis non esse praeternaturalia, nec illicita, secluso malo fine; 2) alia vero vera

[1] Charcot, *Les leçons sur les maladies du système nerveux,* etc. ; Touroude, *Z'hypnotisme;* Moutin, *Le nouvel hypnotisme;* Bjornstrom, *Hypnotism;* Bernheim, *De la suggestion et de ses applications à la thérapeutique;* A. Moll, *Der Hypnotismus,* anglice redditum *Hypnotism,* 1893; Enrico Morselli, *Il magnetismo animale, lafascinazione e gli stati ipnotici :* Lelong, *La vérité sur Γhypnotisme ;* P. Coconnier, *Lhypnotisme franc,* Paris, 1898, ubi multa alia opera citata invenies; Grasset, *Dhypnotisme et la suggestion,* Paris, 1903; *D Occultisme,* p. 84-9S. Commissio de hypnotismo in parisiens! medicinæ Academia, 16 dec. 1930, declaravit publicam hypnotismi praxim nervosis favere morbis.

aut prætensa nullam proportionem habere cum causis seu mediis adhibitis, ideoque tanquam illicita esse reprobanda.

Siquidem die 23 jun. 1840, 5. *C. Officii* ad quæstionem : Utrum magnetismus, generatim acceptus et in se censeri debeat licitus aut illicitus, respondit : " Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, *usus magnetismi,* nempe, *merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus,* dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum *pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales,* ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis". Quæ decisio 28 jul. 1847 renovata fuit. Ex quo patet non omnem magnetismi (idem dic de hypnotismo) speciem condemnari, sed solum eam ex qua effectus *vere supernaturales* exspectantur.

Quinam vero sint illi effectus supernaturales, declaratur in Encyclica S. *Officii,* feria 4a, die 30 jul. 1856 edita, et ad omnes Episcopos missa : " Quanquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi; tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *clarce visionis,* uti vocant, *prcestigiis* mulierculae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se *invisibilia* quaeque *conspicere* effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, *animas mortuorum evocare,* responsa accipere, *ignota* ac *longinqua detegere,* aliaque id genus *superstitiosa* exercere ausu *temerario* praesumunt. In hisce omnibus, quacunque demum utantur arte vel illusione, *cum ordinentur media physica* ad effectus *non naturales,* reperitur *deceptio* omnino *illicita* et *hcereticalis,* et *scandalum* contra honestatem morum " [x]. Ex quibus sequitur praestigia *evocationis mortuorum* aut *clarce visionis,* quibus *invisibilia,* seu *occulta, ignota, longinqua* aut alia hujusmodi deteguntur, esse vere superstitiosa seu diabolica, proindeque omnino illicita : de *aliis* vero phaenomenis *prudenter tacuit S. Congregatio,* quia videlicet, licet nonnulla mira esse videantur, non evidenter tamen constat ea leges naturales, adhuc parum notas, praetergredi.

Merito itaque dicit C. *Baltimorense* ***II*** (n. 36) : " Bene vero videtur esse exploratum plura, quæ in circulis spiritismi exhiberi phænomena miranda dicuntur, esse vel omnino *ementita* et operatorum inter se *collusione fraudulenta* producta, vel personarum quæ dicuntur *media* imaginationi et spectatorum credulitati esse

[x] *Acta S. Scdis,* vol. I, p- 177-

præsertim ascribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud præstigiatores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videtur *quadam* saltem ex eis a *Satanico interventu* esse repetenda, cum vix alio modo explicari possint".

Sed præsertim de manifestationibus *spiritisticis* decrevit S. *Offic.*, 24 apr. 1917 *(A. A. S.,* IX, 268) : "An liceat per *Medium,* ut vocant, vel sine *Medio,* adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque assistere, etiam speciem honestatis vel pietatis præ se ferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum adspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa, nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle? — *Negative* in omnibus". Et merito quidem; nam : 1) talibus conventibus assistere periculosæ curiositati favet viamque aperit superstitioni; 2) insuper doctrina ex responsis spiritistarum collecta est non solum falsa, sed hæretica, ut in *Syn. Theol. Fund.,* n. 1044, probavimus.

824. (B) *Ratione,* (a) Manifestatio *occultorum,* præsertim *futurorum, viribus naturalibus tribui nequit.* Quando inter effectum cognitum et causam naturalem nulla est proportio, profecto recurrendum est ad agens superius; atqui cognitio *certa occultorum* [1] *ac futurorum* vires naturales excedit tum magnetizantis, tum magnetizati, vel cujuscumque fluidi. Licet enim non omnes leges naturæ nobis sint notæ, perfecte tamen novimus, in hoc præsenti statu, facultates nostras ita limitatas esse ut præfata cognoscere non valeamus. Cognitiones enim non acquirimus nisi vel sensuum ope, vel ideis jam acquisitis utendo ad novas adipiscendas quæ jam virtualiter in illis continentur; atqui ex hypothesi neque hypnotizans neque hypnotizatus res de quibus agitur cognoscunt; aliunde res manifeste occultæ sensus nostros afficere nequeunt; secreta vero cordium aut futura nullo modo sub apprehensione nostra cadunt, nisi forsan conjecturando; ergo horum cognitio certa, si detur, causæ intelligenti superiori adscribenda est[2].

[1] Nomine *occultorum* designamus ea quæ vere sunt occulta, nec ab homine cognoscibilia, prout sunt secreta cordium et alia hujusmodi; non autem ea quæ opacis corporibus celantur : fieri enim potest ut hæc naturaliter videantur, ope videlicet radiorum *X* vel alio modo.

[2] Quod sic illustrat D. Thomas : <cEx quibuscumque formis imaginatis non potest alicui provenire intellectualis cognitio ultra facultatem naturalem vel acquisitam sui intellectus; quod et in somniis patet, in quibus, etsi sit aliqua prafiguratio futurorum, non tamen quicumque videns somnia eorum significata

Nec dicere juvat in *somno hypnotico* facultates ita *superexcitari* ut mira peragere valeant; nam etiam superexcitatæ facultates non possunt, *contra leges* naturæ, videre secreta cordium, aut res longinquas vel futuras. Aliunde hæc produci nequeunt a fluido magnetico, si existât; nam tale fluidum, quamtumcumque subtile fingitur, est materiale, et impar intellectualibus phaenomenis producendis, quæ, ut in Philosophia probatur, nonnisi spirituali substantiae tribui possunt. Ad *superiorem* igitur *causam* recurrere necesse est. Illa neque Deus neque bonus Angelus esse potest, nam in usu magnetismi vel illius hypnotismi qui ad *occultorum* detectionem adhibetur, tot sunt nugatoria, indecora, inhonesta ut Deum ejusque Angelos prorsus dedeceant. Remanet igitur ut causa illa sit ipse diabolus.

Quod præsertim dici debet de*pratensa evocatione spirituum* : hæc sane vires superat hominis, cum *solus* Deus possit spiritibus imperare x. Si igitur quidam spiritus apparent, in circumstantiis relatis, nempe ad nutum *mediorum,* hi sane non sunt boni spiritus, qui talibus jocis non se accommodant, sed mali censentur.

825. b Permulta phænomena, *physica* et *intellectualia,* causis *naturalibus* vel *fraudi* tribui possunt : " Nam, ut recte ait *Lehmkuhl* -, plane insolita accidere posse in homine, nervorum et cerebri alteratione atque omnino naturali modo, certissimum est; immo hallucinationes stupenda?; aliquando naturali omnino modo fieri constat. Sive autem putas quemlibet hominem facili

intelligit. Per hujusmodi autem visa vel audita quæ apparent in operibus magorum, plerumque advenit alicui intellectualis cognitio aliquorum quæ sui intellectus facultatem excedunt, sicut revelatio occultorum thesaurorum, manifestatio luturorum ; et quandoque etiam de aliquibus documentis scientiæ alicujus vera respondentur. Oportet ergo quod vel illi apparentes et colloquentes non videantur secundum imaginationem tantum, vel saltem quod hoc fiat virtute alicujus intellectus superioris quod homo per hujusmodi imaginationes in cognitionem talium adducatur..." (C. *Gentes.* L III, c. 104.)

l Multas esse *fraudes* in spirituum pratensis apparitionibus omnes periti norunt. Vix enim ullum invenitur inter multa *media* cujus fraudes semel aut iterum detectæ non fuerint, ut videre est apud : Davis, *Lafin du monde des esprits.* Paris, 1SS7 (ibi exponitur, inter alia, quomodo Neo-Eboraci instituantur qui pratensis spirituum apparitionibus vulgus decipere velint) ; Grasset, *LOccultisme hier et aujourd'hui.* 1908; *Le Spiritisme devant la Science;* L. Roure, *Le merveilleux spirite.* 1917; *Spiritisme d'aujourd'hui et cChier.* 1923* — Attamen quædam remanent facta quæ vera esse videntur, sed naturaliter plerumque explicari possunt. — 3 *Theolog. moralis,* n. 501 (994, not i).

ratione in ejusmodi statum se inducere posse, sive potius morbidam quamdam nervorum affectionem requiri : semper habes naturalem agendi modum

1) Sane principium generale est nihil ut supematurale habendum esse nisi quod aliter explicari nequeat. Atqui phænomena præsertim *hypnotica,* sive mechanica, sive physiologica, sive etiam intellectualia, dummodo vires adstantium non superent, quæ supra descripta sunt, ut convulsiones, lethargia, catalepsis, immo sudor sanguineus, plerumque explicari possunt per nervorum excitationem et imaginationis influxum in sensus et ipsum corpus; hic enim influxus, etiam tempore vigiliæ, adeo vehemens est ut ad morbum causandum haud raro plane sufficiat x.

2) Immo *suggestio* ipsa nihil miraculosi præ se fert, cum sit aliquo modo similis iis quæ in statu naturalis somnii occurrant ; siquidem dormientibus contingit ut imaginarias rerum similitudines, quæ in eorum phantasia repræsentantur, tanquam *reales* habeant, variosque actus sub influxu horum phantasmatum perficiant; quod quidem ex hoc contingit quod ratio, quæ sola judicare et discernere potest, ligatis sensibus, a suo actu impeditur 1 2 3 Atqui hypnotizatus, suggerente hypnotizante, cujus vocem audit, in phantasia sua vivide percipit similitudines rerum quæ describuntur, easque tanquam reales existimans, eodem modo agit ac si res ipsas vere perciperet. — Auctoritas autem quam hypnotizans in hypnotizatum exercet, explicatur tum per consensum initio ab hypnotizato datum, quo propriam voluntatem veluti abdicat, tum per influxum quem hypnotizans directe in sensus ac nervos, *indirecte* in voluntatem subjecti obtinet 3. Nec absolute repugnat *suggestio in distans tempus,* dummodo in memoriam hypnotizati uno vel

1 Quod jam notaverat S. Thomas, *C. Gentil.*. lib. III, c. 99 : " Ex hoc quod anima imaginatur aliquid et vehementer afficitur ad illud, sequitur aliquando immutatio in corpore ad sanitatem vel aegritudinem, absque actione principiorum corporalium quæ sunt nata in corpore ægritudinem vel sanitatem causare". Cf. Coconnier, O. P., *Vhypnotismefranc.* ch. XII-XV.

3 Contingit etiam ut homo dormiens et somnians colloquium ineat cum altero vigile, dummodo hic filum somnii non abrumpat.

3 Cf. Méric, *op. rit.*. l. II, c. 2; *Revue des questions scientif.* Octob. 1881, 413*438: Coconnier, *L'Hypnotismefranc.* p. 347 sq.

altero medio revocetur ; ejus enim efficacia virtualiter perseverare potest.

3) Aliunde phaenomena, quæ *regulariter* et *modo* fere *constanti* scientificis experimentis producuntur, in quibus actores neque explicite neque implicite pactum cum diabolo pepigerunt, non facile dæmonibus tribuenda sunt; atqui pleraque hujusmodi phænomena ita obtineri asserunt testes fide digni, medici, catholici scriptores, immo sacerdotes qui rem penitus investigaruntx.

826. Nonnulli quidem, ex eo quod quædam magnetismi et hypnotismi facta sint diabolo tribuenda, arguunt omnia ab eo causari'. Quod tamen argumentum manifesto vitio laborat. Dæmones enim, qui saluti nostræ insidiantur, omnibus rebus, etiam bonis et sacris ad homines tentandos utuntur; haud raro, v. g., visionum vere divinarum occasionem arripiunt ad superbiae sensus excitandos, posteaque in Angelos lucis sese transformantes diabolicis fraudibus incautos decipiunt ; sed ex hoc nemo vere sapiens concludet omnes visiones diabolicas esse.— Idem dic de hypnotismo : licet enim diabolus eo uti possit ad incautos decipiendos, non exinde sequitur omnia hypnotismi phænomena diabolo tribuenda esse.

827. Conclusio. In praxi igitur primum inquirendum est num facta sint vere probata, — num certo leges naturales superent, — num aliquid indecori et inhonesti malorum spirituum præsentiam et influxum detegat : tunc æquum de his judicium ferri poterit. Ita constabit multa phænomena *fraudi* esse tribuenda; alia, præsertim ad hypnotismum spectantia, posse *naturaliter* explicari ; alia tandem esse quæ, omnibus perpensis, *diabolo* tribuenda sint, qui *occultis* utitur scientiis ad incautos decipiendos, superstitiones fovendas et mores corrumpendos. Quare, cur. *maxima prudentia,* de his factis hypnotismi vel spiritismi feratur judicium.

" Cf. P. Coconnier, in *Revue thomiste,* 1895, pp. 413 sq., 577 sq., 693 sq.: *LHypnotismefranc :* Méric. *op. cit.,* 1. I, c. 1-4.

2 Ita Franco, *op. cit.,* cujus tamen argumenta egregie confutantur a P. Coconnier, 1. c.

CAPUT HI.

DE HOMINE.

Post dicta de Angelis seu de creaturis *mere spiritualibus* de *homine* disputare licet, qui *spiritu simul* et *corpore* constituitur. Relictis autem quæstionibus quæ in Philosophia expenduntur, satis erit disserere de ejus *origine, elevatione* et *lapsu* secundum fidem.

Art. I. De Hominis origine.

Circa originem hominis, quatuor breviter exponemus 1° protoparentum *creationem;* 2° humani generis *unitatem* 3° *naturam* hominis; 40 *ortum* singulorum hominum.

I. De protoparentum creatione.

828. Errores. Prætermissis antiquis erroribus, pauca de *transformistarum* theoriis attingere debemus.

(A) Qui *materialists.* vel *positivistce* vocantur, contendunt tum *corpus* tum *animam* hominis, per naturales *evolutionis* leges, absque ullo Primae Causae interventu, originem ducere, sive a simio sive a communi utriusque parente; ita, v. g., *Darwin, Spencer, Haeckel, Vogt '.* Talis error evidenter mosaicæ narrationi opponitur, supra, η. 74 b et jam in Philosophia confutatus est.

(B) Alii, qui *spiritualists* seu *mitigati* transformistæ dicuntur, tenent *corpus hominis originem ducere a brutis, eo* sensu quod, sub actione legum a Deo conditarum, corpus alicujus bruti ita *gradation* fuerit *evolutum* donec aptum fuerit ad recipiendam animam rationalem directe a Deo creatam : ita *Mivart,* paucique alii[2].

829. *Thesis :* De fide est protoparentes a Deo conditos esse tum quoad corpus tum quoad animam : communis et vera sententia est etiam corpus hominis fuisse a Deo immediate creatum [3].

1 **Cf. Darwin,** *The descent of man...,* **1871 ; H. Spencer,** *The principles of Biology ;* **Haeckel,** *Ndtürliche Schôpfungsgeschichte;* **Vogt,** *Lectures on man ;* **Huxley,** *Man's place in nature.*

2 **Cf. Mivart,** *Lessons from nature; Genesis of species ;* **Leroy,** *Involution restreinte aux espèces organiques.*

3 *Cf.* **Palmieri, th. 25; Mazzella, n. 492 sq. ; Thein,** *Christian Anthropology, c.* **Schanz,** *A Christian Apology,* **vol. I, c. 9; de Nadaillac,** *Le*

P pars. — De fide est : i) Hominem a Deo immediate conditum fuisse, ex C. *Lateranen.* et ex *Vaticano.* (ZΛ *B.,* 428, 1783) 2) Animam immediate ex nihilo creatam fuisse, ex universali Ecclesiæ doctrina. — Hominem fuisse a Deo creatum, saltem mediate, jam probatum est ubi de creatione mundi, et insuper tam aperte declaratur in Scriptura ut a nullo christiano negari possit [1]

2l pars. *Communiter* et *merito* docetur Deum *immediate formavisse corpus Adami* ex limo terræ.

1° *Scriptura* enim ita describit formationem corporis protoparentum : " Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ"... " Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem " [2] Porro sensus *obvius* est corpus Adami immediate ex limo terræ, id est, ex materia inorganica, non autem ex corpore alicujus bruti, formatum fuisse, et corpus Evæ ex Adami costa.

Nam (a) textus hebraicus idem sonat ac : Deus formavit hominem pulverem de terra, seu Deus dedit pulveri formam hominis; porro hoc ægre intelligi potest de formatione mediata, vi cujus Deus, successu temporum, pulverem in varia corpora, postea in corpus animale, et tandem in corpus hominis transmutasset. (b) Præterea quando ibidem legitur " inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ ", hæc verba de actione Dei immediata intelliguntur; ergo a pari, vi parallelism!, prior versiculi pars eodem modo intelligi debet, (c) Iterum constat Evam fuisse immediate a Deo formatam quoad corpus, non autem ex bruto; atqui sicut ipsa dicitur *de viro sumpta,* ita Adamus dicitur *de limo terree* formatus; ergo et ipse fuit immediate a Deo formatus.

830. 2° Accedit *Patrum* et *theologorum* interpretatio fere unanimis, exceptis *Origene Cajetano* paucisque aliis.

problème cU la vie; de Quatrefages, *L'espèce humaine,* 1878; H. Joly, *Z'homme et Canimal;* A. d'Alès, *D. A.,* art. *Homme,* t. II, 457-514; P. Caterini, S. J., *Detf origine delC uomo seconda il trasfarmismo ;* P. Lemonnyer, *La Révélation primitive ;* Guibert et Chinchole, *op. cil.,* p. 357-407.

1 *Gen.*, I, 27.

2 *Gen.,* II, 7, 21-22. — Hic notandum est, ex decreto *Commis. bibl.,* 30 jun. 1909» sensum litteralem historicum trium priorum capitum Geneseos non posse in dubium vocari, speciatim ubi agitur de *peculiari creatione hominis et de formatione prima mulieris* ex primo homine ; D. B., 2123.

Sic S. *lYenœus* elicitl : " Sumpsit Deus *limum de terra,* et formavit hominem

831. 3° *Ratio* id confirmat. Ubi enim sunt *essentiales* differentiæ inter duo entia, ibi admitti nequit origo a communi parente. Atqui inter hominem et simium, qui homini vicinior esse videtur, essentiales sunt differentiæ sive quoad *corpus* sive quoad *animam.*

(A) Siquidem quoad *corpus,* (a) simii sunt *scandentes {grimpeurs, climbers')* et quatuor manibus præditi *(quadrumanes)* dum homines sunt *incedentes* seu *ambulantes (marcheurs, walkers)* et duabus tantum manibus præditi *(bimanes);* (b) homo et simius maxime differunt *cranii capacitate :* dum enim simiorum perfectissimi præditi sunt capacitate 500 centimetrorum cubicorum, capacitas minima craniorum humanorum est 1300 centimetrorum cubicorum; (c) adsunt pariter differentiæ inter anatomicam structuram simii et hominis, ita ut plerique transformistæ hodie agnoscant hominem non a simio, sed a remoto communi parente descendere; quisnam autem sit communis parens, dicere nequeunt, cum hic parens in stratis geologicis minime inventus fuerit; (d) tandem homo *facultate loquendi,* seu exterius clare et distincte ideas et sensationes exprimendi gaudet, dum simius ea caret.

(B) *Præcipua* tamen differentia inter brutum et hominem in eo sita est quod hic *ratione* gaudet, illud autem ea caret. Siquidem, teste intimo sensu, cognoscimus *inextensa* et *universalia,* notiones substantiæ et accidentis, causae et effectus, boni et honesti aliasque hujusmodi, quae sensum sine dubio transcendunt, et facultatem inextensam et spiritualem supponunt; proindeque homo est animal *rationale, morale,progressivum* et *religiosum ;*— dum e contra bruta, etiam simii, cognoscunt tantummodo *particularia,* et quidem concreto modo prout sensus afficiunt, *extensa* et quidem extenso modo; hinc veri progressus, moralitatis et religiositatis sunt incapacia : opera sua *eodem prorsus modo* perficiunt ac bruta ejusdem speciei mille ante annos conficiebant; nec ullum *remorsus* sensum unquam experiri videntur, aut *religionis* actum perficere.

l *Adv. Hares.,* lib. V, c. 3, n. 2, *P. G.,* VII, 1129. Alia testimonia lege apud JOURNEE n. 225 *Indicis theol.*

S32. Corollarium. Exinde intelligere licet quid de opinione *Mivart* censere oporteat : (a) *Theologice* non est haeretica, quia hucusque Ecclesia a re definienda abstinuit, sed ex dictis videtur prima facie *mosaicæ narrationi contraria,* ideoque *temeraria.* Praeterea Rom. Congregationes *practice* hanc opinionem reprobarunt, prohibendo ne catholici scriptores eam propugnarent[x]. (b) *Philosophice* non est omnino impossibilis : non enim absolute repugnat Deum organismo animali infudisse vim qua, sub influxu divino, paulatim in corpus humanum immutaretur. Quod tamen *improbabile* videtur ; corpus enim non est humanum nisi anima humana informetur; anima igitur belluina, quæ prius informabat corpus, debuisset prius expelli, eique substitui anima spiritualis, quod sane magis repugnare videtur quam traditionalis modus rem exponendi. (C) Sed *scientifice* est mera et gratuita hypothesis, cum conjecturis potiusquam factis innitatur.

II. De unitate generis humani[3].

833. Unitas generis humani negata fuit : (a) a *Praadamitis,* qui, duce *Isaaco de la Peyrère* (1655) calviniano (postea ad fidem catholicam converso), contenderunt jam ante Adamum aliquos exstitisse homines, et Adamum esse quidem patrem Judaeorum, non autem Gentilium; (b)a *Coadamitis* seu *Polygenistis,* secundum quos plures simul humanæ familiæ exstiterunt Adamo coævæ.

834. *Thesis :* Universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum habuit. *Certum est et fidei firoximum.*

i° *Script,* (a) *Directe* asseritur nullum exstitisse hominem quando Adam creatus fuit. " Et homo non erat qui operaretur terram"... "Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus " [3]. Hinc Adam vocatur " pater orbis

[1] Ita *Leroy* et *Zahm,* qui hanc opinionem ut probabilem defendebant, mandatum acceperunt ut suos libros a mercatura removerent Cf. Pesch., n. 108.

[3] de Quatrefages, *Uniti de Tespèce humaine,* 1864; *L'espèce humaine, i&jy,* Topinard, *L'homme dans la nature,* 1891 ; Vigouroux, *Les livres saints et la critique rationaliste,* t. IV, 1891 ; Thomas, *Les temps primitifs et les origines religieuses·,* Deniker, *Races et peuples de la terre,* 1900 ; Guibert et Chinchoie, ch. VI, p. 408-448.

[3] *Genes.,* II, 5, 20.

terrarum " et Eva " mater cunctorum viventium " [1]. Iterum S. Paulus directe asserit omnes homines *ex uno* descendere : " Fecit ex uno omne genus hominum habitare super terram "[2]. (b) *Indirecte* idem constat ex doctrina S. Pauli, quam confirmat catholica Traditio de peccato originali, secundum quam omnes nascuntur originali labe infecti, eo quod omnes ex eodem capite naturam peccato infectam trahunt [3].

2° *Ratione confirmatur.* Hodie siquidem fere omnes docti alicujus nominis fatentur *omnibus hominibus,* cujuscumque coloris aut linguæ, plura inesse quæ arguunt *identitatem specificam,* nempe : anatomicam corporis structuram, physiologicas operationes, leges generationis et partus, loquendi facultatem, indefinitam fecunditatem matrimoniorum quæ inter homines diversarum varietatum contrahuntur, vim ratiocinandi, sensum moralem et religiosum, etc. Ergo ex parte structuræ hominis nihil objici potest contra unitatem originis.

835- Diversitates autem ex colore, cerebri volumine et pondere, faciali angulo, lingua et idiomate, non sunt substantiales, sed *accidentales,* ex confesso peritorum in scientiis ethnographicis [4].

III. De natura hominis.

Scriptura, praeter ea quæ tradit de origine hominis, ejus *naturam* delineat exponendo quomodo ex corpore et anima constet; quas notiones expoliens, Traditio declarat quo sensu anima corpori uniatur, ita scilicet ut sit ejus forma substantialis. Hæc duo breviter explicare juvat

836. *Thesis Ia :* Homo constat ex corpore organico et anima rationali, spirituali et immortali, in unam naturam coalescentibus. *Certum est.*

i° *Scriptura :* (a) Deus dicitur formasse *corpus* Adami ex limo terræ, eique inspirasse *spiraculum vitæ* seu *animam,* et quidem *spiritualem,* cum ratione sit homo *imago Dei* qui est spiritus; præterea sic hominem factum esse " in animam viventem "[5], seu unius naturæ anima specificatæ; (b) quæ de *Sheol* prædicantur supponunt animæ immortalitatem[6];

1 *Sap.,* X, 1; *Gents.,* III, 20. — 2 *Act.,* XVII, 26. — 3 *Rom., N,* 12; *C. Trident.,* sess. 5, can. 2, 3; 4; D. B., 789, 79c, 791.

4 Cf. Guibert et Chinchole, *op. cit.,* p. 420-433. — 5 *Genes.,* II, 7.

6 *Genes.,* XV, 15; XXV, 8; XXXV, 28; XLIX, 32; *Num.,* XX, 26·*Jud,c.,* II, 10, etc.

idem constat ex resurrectione quorumdam mortuorum 1*et ex praxi mortuos evocandi3;*(c) apud *Prophetas* 3, in libris *Sapientialibus* in libris *Machabceorum* s diserte asseritur spiritualitas et immortalitas animae; (d) in *Novo Testamento,* anima humana nobis repraesentatur ut omnino distincta a corpore cui supervivit 6;* ut spiritus sciens quæ sunt hominis 7, ut immortalis et capax vitae aeternae.

2° *Traditione.* Patres haud raro affirmant spiritualitatem et immortalitatem animae humanae. Ita legitur in *Const. Apostolorum* * : "Confitemur animam in nobis incorpoream et immortalem

837. *Thesis 11*" : Anima intellectiva est per se et essentialiter humani corporis for II a

De fide est ex C. *Viennensi* (1311-12) : " Definientes... quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus "9.

In hac definitione tria directe includuntur : (a) animam humanam esse*formam corporis humani* seu substantialiter corpori uniri, sicut forma materiæ unitur, non tantummodo sicut motor mobili; ideoque corpori communicare suum esse, unam cum eo naturam constituens ; (b) et quidem *per se,* id est, non per accidens, sed *ex natura,* non per aliud, non mediante aliquo alio principio sensitivo, aut vegetativo, aut mediatore plastico, sed directe, immediate per se ipsam; (c) *essentialiter,* nempe per suam essentiam (non vero per aliquam facultatem lo, aut operationum conscientiam ",

1 Ita Elias suscitat filium viduæ in Sarepta *{III Reg.,* XVII, 17-24); Eliseus suscitat filium Sunamitidis *{IVReg.,* IV, 17-37); tactu ossium Elisei revixit cadaver *{IVReg.,* XIII, 20-21).

' *Douter.,* XVIII, 11; *I Reg.,* XXVIII, 8; *ha.,* XIV, 9.

3 *Eiech.,* XXXVII, 10.

« *Sap.,* IX, 15; III, 1-4; V, 16; *Prav.,* XII, 28; XIV, 32 ; *Ecd.,* XII, 7; *Ecdi.,* III, 19-21.

s *II Machab.,* VII, 23; VI, 26; XII, 43-46.

6 *Matth.,* X, 28. — *1 I Cor.,* II, n.

8 Lib. VI, c. n, *P. G.,* I, 938; cfr. Journel, 147.

' D. B., 481; cf. 738; 1655.

10 Quod docebat *P. J. Ohm,* a C. Viennensi damnatus, asserens nempe animam rationalem informare corpus non per se, sed per facultates sensitivas et vegetativas.

" IU Rosmini, qui hanc propositionem enuntiavit a Leone XIII damnatam ;

vel accidentalem influxum), ita ut essentia animæ vere eliciat actiones non solum intellectuales, sed etiam sensitivas et vegetativas simul cum corpore cui unitur.

838. *Corollarium.* Ex quo sequitur *unicam esse animam in homine,* nec admitti *trichotomiam,* vi cujus homo tribus substantiis componitur, *spiritu, anima* et *corpore,* prout docuerunt, diversimode tamen, post Græcos philosophos, *Philo, Apollinaris, Protestantes* nonnulli, et *Güntherus* [1]. Qui error definitione *Viennensi* attingitur : nam si anima *intellectualis* sit forma corporis, eo ipso est principium omnis vitæ, sensus et motus corporis, nec proinde datur anima sensitiva vel vegetativa ab intellectuali distincta.

839. Quomodo autem anima sit corporis forma?[3] Juxta *Card. Zigliara,* Concil. Viennense definivit animam esse formam corporis sensu stricte scholastico, ita ut anima sit ex se substantia incompleta in ratione speciei, actuans corpus ceu substantiam incompletam et determinabilem. Juxta *Palmieri,* qui modernorum atomistarum theorias defendit, Concilium tantum definivit unicam esse animam in homine, quæ dat corpori humano vitam, sed non *quomodo* anima sit corporis forma[3].

Aliunde certum est a Concil. Vienn. non fuisse damnatam Scotistarum theoriam, juxta quam existit in homine, præter animam, forma quæ dat esse corporeum. Sed solidior est doctrina S. Thomæ statuentis nullam aliam formam substantialem esse in homine præter animam intellectivam. Etenim, si præexisteret quæcumque alia forma substantialis, sequeretur logice quod anima uniretur corpori *accidentaliter.* — Unde, juxta 5. *Thomam,* per animam spiritualem « homo non solum est homo, sed animal et vivum et corpus et substantia et ens. » [4]

IV. De propagatione generis humani, seu de ortu singulorum hominum.

840. Status quæstionis. *Corpus* singulorum hominum per *generationem* propagari nemini dubium est; sed quæstio est *quomodo anima oriatur.* Praetermittimus veterum Philosophorum errores, qui putabant animam vel esse emanationem a Deo, vel substantiam a caelo delapsam.

" Unio animæ et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subjectum intuens ideam, affirmat sensibile, postquam in hac ejus essentiam intuitum fuerit". D. B., 1914.

[1] Vigouroux, *Diet, de la Bible,* I, p. 454, 448.

[a] Garrigou-Lagraùge, *Le sens commun...,* p. 128-131.

[3] Postea tamen Palmieri suam sententiam reformavit, *De creatione,* t XXIX,

[4] S. Thom., *De spir. creat.,* a. 3; I, q. 76, a. 6, ad I.

(A) *Origenista* et *Priscillianista* docuerunt *praexistentiam animarum,* videlicet : animas per se spiritus incorporeos esse et ab initio omnes a Deo creatas : in poenam autem suæ defectionis, in corporibus inclusas fuisse.

(B) Juxta *Traducianismum,* anima humana de substantia parentum producitur : juxta quosdam, ex ipso semine corporali, juxta alios directe ab anima parentum : quod ultimum systema vocatur etiam *generatianismus* *. Cui theoriæ affines sunt opiniones : (a) *Froschammer* dicentis animam a parentibus creari per vim peculiarem sibi a Deo inditam; (b) *Rosmini* dicentis a parentibus generari animam sensitivam quæ postea illuminatione entis fit ^intellectiva.

841. *Thesis.* Animæ humanæ a Deo creantur quando corporibus infunduntur. *Certum est.* Etenim :

(A) Origenismus fuit damnatus a *Condi. Constantin.,* œcum. V, an. 553 : " Si quis fabulosam animarum præexistentiam... asseruerit, A. S."2 *Anastasius II* reprobavit ut *hareticam* sententiam dicentium a parentibus animas tradi ex semine 3; Froschammer a *Pio IX* profligatus est 4, Rosmini a *Leone XIII*^

(B) Thesis innuitur saltem his verbis *Scriptura* .-"Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum ".

(C) *Patres* creatianismum communiter tenent : ita, inter alios, *Lactantius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Gregorius Pas., S. Cyrillus Alex.* 7 Quorum doctrinam breviter et accurate *Petrus Lombardus* contrahit : " Catholica Ecclesia animas docet in corporibus infundi et infundendo creari " 8. S. *Thomas),* post relatas tres sententias, *generatianismum, praexistentianismum* et *creatianismum,* dicit : " Primæ duæ postmodum judicio Ecclesiæ sunt damnatæ et tertia approbata ". Quod ceteri scholastici communiter dicunt

' Iu Tertullianus, S. Fulgentius, S. Augustinus dubiutive tamen; et nostris temporibus Klee et Hermes. — 2 D. B., 203. —3 D. B., 170.

4 In Brevi *Gravissbnas* ad Archiep. Monae., II dec. 1862.

s D. B., 1910. Cf. 533. — « *EccU.,* XII, 7.

7 *P. L.,* VII, 73; X, 358; XIV, 366; *P. G.,* XXVII, 552;LXXVH, 22, etc.

8 *Sent.,* lib. II, d. 18, n. S.

9 *De Pût.,* q. 3, a. 9; cf. *Sum. th.,* p p., n. 118, a. 2.

(D) *Ratione* thesis confirmatur ». Si enim animæ hominum a parentibus trahuntur, sane vel a corpore, vel ab anima; atqui neutrum dici potest : non *prius,* quia principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam, ideoque non potest ex semine materiali generari; *nec posterius,* nam anima infantis non potest creari ab anima parentum, cum virtus creativa soli Deo competat, nec est emanatio ex anima parentum, cum anima sit substantia simplex, partium expers, ex qua proinde nil detrahi potest; ergo animae non a parentibus trahuntur, sed a Deo creantur.

842. Attamen parentes recte dicuntur generare hominem, quia e sua substantia producunt corpus ita dispositum ut ei, vi legis naturalis a Deo positae, infusio animæ necessario sequatur. Et sane eodem jure parentes hominem generare dicuntur quo homicida, corpori vulnus letale infligens, occidere dicitur hominem.

843. **Corollarium.** Ex his omnibus sequitur quanta sit *hominis dignitas :* (A) ex *modo quo fuit conditus;* siquidem (a) *ultimo loco* creatus fuit, ita ut ceterae creaturæ ad ipsum tanquam ad finem (intermedium) referantur : " Ut ingressuro in civitatem aliquam rege, operae pretium est praemitti satellites aliosque omnes, ut bene adornata regia rex in eam adveniat : simili modo Deus nunc quasi regem et principem aliquem rebus terrenis praefecturus prius omnem hunc ornatum fabricavit, et tandem iis praeficiendum hominem produxit, declarans factis istis quanto honore animal hoc prosequatur"[2]. (b) Unde non solo nutu, sed *Dei speciali interventu* creatus fuit, ut esset *typus futuri Christi :* " Quodcumque enim limus exprimebatur, *Christus* cogitabatur homo futurus "[3].

(B) Ex ejus *ad mundum relatione* .-homo enim videtur esse centrum mundi visibilis, μακρόκοσμο , seu *mundus abbreviates,* quippe qui habeat commune esse cum mineralibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, et sit veluti vinculum quo mundus materialis cum spirituali conjungitur. Hinc a Patribus consideratur ut *vicarius universa natura visibilis* relate ad Deum, et *sacerdos* per quem sine fine creaturæ Deum laudant.

(C) Ex ejus *tiatura,* quæ corpore simul et anima constituitur. Jamvero elegantiam et admirabilem corporis humani structuram certatim Patres, Philosophi et Poetse praedicaverunt. Anima autem tum simplicitate sua, tum intellectu et voluntate libera, quibus

1 Cf. S. Th., IIa p., q. 118, a. 2.

2 S. Chrysostomus, *In Gen.,* hom. 8, n. 2, *P. G.,* LUI, 71. Alia testimonia lege apud Petavium, *de Opif. sex dter.,* 1. II, c. 1 ; Hurter, n. 324.

3 TertuL, *De Resur. carnis, c. 6, P. L.,* II, 802; Journel, 361.

gaudet, est *imago Dei.* Hinc eleganter scribit *Ambrosius'* : "Fugiamus ergo hæc mala, et exaltemus animam nostram ad illam imaginem Dei et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur ". I

Art. II. De Hominis elevatione ad statum supernaturalem

844. Cum Deo placuerit hominem non solum dotibus naturalibus ornare, sed etiam *supernaturalibus,* remanet ut ejus *elevationem ad ordinem supernaturalem* exponamus. Quia vero protoparentibus concessa sunt dona tum *proprie supernaturalia,* tum *prceternaturalia,* de utrisque successive agemus, præhabitis tamen quibusdam *notionibus de ordine naturali* et *supernaturali;* tandem corollaria et inde fluentia declarabimus. Exponemus proinde :

I. *Prcevias notiones de supernaturali;*

II. *Existentiam gratiæ sanctificantis in Adamo;*

III. *Existentiam donorum præternaturalium;*

IV. *Conclusiones exindefluentes.*

§ I. Prævie notiones de ORDINE SUPERNATURALI 3.

Tria sunt declaranda : i° *notio ordinis naturalis et supernaturalis;* 2° *varii status in quibus homo constitui potuit relate ad suum finem;* 30 *errores circa ordinem supernaturalem.*

I. De notione ordinis naturalis et supernaturalis.

Duo exponemus : i° quid sit *naturale* et *supernatural* 2° quid *ordo naturalis* et *supernaturalis.*

' *De bono mortis,* cap. 5, *P. L.,* XIV, 548.

' Doctrina hujus articuli intime connectitur cum doctrina de gratia et gloria in altero volumine exponenda. Hinc quidam auctores hæc tria simul complectuntur sub nomine *Anthropologue supernaturalis.*

3 Cl. Ripalda, *de Ente supernaturali,* L I, disp. I ; Schrader, *de Triplici ordine;* Scheeben, *Dogmatik,* § 158; Wilhelm-Scannell, *Manual of Cath. theology,* § 136; Mazzella. n. 662 sq.; Abbé de Broglie, *Conférences sur la vie surnaturelle,* Paris, 1889; J. V. Bainvel, *Nature et surnaturel*,* Paris, l9°5> P· t-77; L. Labauche, *L'homme*,* Paris, 1911, p. 7-18; Garrigou-Lagrange, *De Revelatione,* p. 191-217 ; L. Janssens, *De hominis elevatione,*

i° De naturali et supernaturali.

Declarabimus quid sit *natura, naturale, supernatural.*

845. (A) Notio naturæ. Natura (a voce *nascor) etymologice* significat ea quæ habentur ex origine seu naturam abstractam ab omnibus accidentibus et notis individuantibus quæ ante nativitatem ignorantur.

Quoad rem, tria designat : naturam *individuam,* naturam *collective* sumptam, *auctorem* naturæ : (a) naturam *individuam,* et quidem sub triplici respectu : i) creaturam in sua *essentia* consideratam, seu quatenus est *principium essendi; 2)* creaturam quatenus est *principium operandi* (nam agere sequitur esse, immo esse est quodammodo actus), principium autem *internum* et *permanens quo* quis utitur ad agendum (n. 574) : et *hæc* est significatio *propria,* quatenus natura distinguitur a persona; 3) *complexum facultatum* et *operationum* quibus extrinsecus manifestatur alicujus entis activitas.

(b) Significat etiam, sed *mirius proprie, collectionem omnium substantiarum creatarum (la nature),* quatenus efformant *veluti universale operationis principium;* (c) tandem, nomine naturæ designatur Deus ipse quatenus est *auctor natura.*

846.(B) Notio naturalis. Praenotamus *naturale* et *supernaturale* hic definiri sub *respectu morali,* inquirendo nempe quid, attentis Dei sapientia et justitia, vel ejus bonitate et misericordia, *debeatur* alicui creaturæ, vel sit *gratuitum.*

Acatholici, præsertim rationalist®, rem aliter considerantes, sæpe naturale vocant, sub respectu *cognitionis,* quod est sensibile, supernaturale autem quidquid experientiam prætergreditur; sub respectu autem *metaphysico,* naturale dicunt quidquid finitum est, supernaturale autem quod est infinitum. Ad has confusiones vitandas, præ mente habeatur hic naturale et supernaturale definiri quoad ea quæ alicui creaturæ debentur vel non.

Naturale *proprie dictum,* quod latius patet quam natura, est id quod, posita creatione, *debetur alicia naturæ aut*

p, 12-46; A. Mercier, Zz *surnaturel* in *Revue Thomiste^* 1902, p. 125 sq. — Maxime etiam profuerunt notæ quas libenter nobis tradidit A. Verriele, theologiæ professor in Seminario Parisiensi.

person# constitutive, consecutive, exigitive vel *meritorie.* Dicitur :

(a) *Constitutive* seu secundum *essentiam,* id est quidquid requiritur ad *constituendum* aliquod ens in sua specie; v. g., in homine corpus et anima rationalis sunt quid naturale, quia constituunt ipsam essentiam hominis.

(b) *Consecutive,* id est, secundum vires seu *facultates,* quidquid nempe ab ipsa essentia dimanat, aut requiritur ut ens aliquod possit suam activitatem exercere, v. g., in homine facultates, intellectus, voluntas, etc., et operationes ad quas ordinantur.

(C) *Exigitive,* seu secundum *exigentias,* videlicet omnia auxilia necessaria ad naturale facultatum exercitium, v. g. concursus divinus, sine quo facultates exerceri non possent — Hæc tria vocantur *debitum natur#,* quia Deus, posito quod velit aliquod ens creare, sibimetipsi debet ei dare quidquid eidem essentiale est ejusque naturam constituit aut requiritur ad operandum.

(d) *Meritorie,* secundum *meritum,* id est, quidquid aliquod ens, per modum sanctionis,moralis, adipisci potest; v. g.,virtutum moralium acquisitio et finis assecutio. Quod ita obtinetur vocatur generatim *debitum* seu *meritum person#* quia videlicet debetur personæ legitime suas facultates exercenti.

847. *Notandum.* Cum vox *naturale* idem sonet ac *originale,* seu id quod cum origine connectitur, aliquando sensu lato et improprio adhibita fuit ad designandum : 1) donum *vere supernaturale,* quod *cum origine connectitur;* v. g., sanctitas originalis Adamo collata in ejus creatione a quibusdam Patribus boc sensu vocata est naturalis1; 2) donum *gratuitum* quod perficit naturam intra limites suæ nativae conditionis, v. g., immunitas a concupiscentia. Hodie vero, ad tollendas æquivocationes, talis dicendi modus sedulo vitari debet.

848. (C) Notio supernaturalis2. *Sufernaturalc Noc^.*-tur, quidquid est *supra naturam* seu *indebitum.*

' Quo sensu S. Thomas scribit 3, q. 3, a. 12 : " Dicitur *naturalis* gratia in Christo, in quantum eam *a nativitate* habuit

3 Hic agimus de *supernaturali per participationem** quale in angelis et homine invenitur. *Supernatural^ per essentiam* dicitur Deus ut *in se esty* in sua vita intima, quatenus est unus et trinus.

roprie definitur id quod, etiam supposita ejus creatione, *esi prorsus indebitum sive naturæ sive personæ,* ideoque non debetur nec *constitutive,* nec *consecutive,* nec *exigitive,* nec *meritorie;* sed *superat essentiam, vires, exigentias et meritum* alicujus naturae. Dicitur : (a) quod *superat,* non autem quod opponitur, quia supernaturale *non est contra* naturam, sed solum *supra,* eamque perficit; (b) *essentiam, vires, exigentias et meritum,* ut supra explicatum est; proinde supernaturale in genere est illud quod alicui enti conceditur *præter* et *supra debitum naturæ et meritum personæ.*

849. Supernaturale dividitur in duas species, prout superat exigentias *unius* vel *cujuslibet* naturae, nempe in supernatural *relativum* seu *secundum quid,* et supernaturale *simpliciter* seu *absolutum.*

uoernaturale *relativum'd.llud est quod alic..*_____, *taxat, non totius naturæ vires et exigentias superat;* sic cognitio infusa est homini supernaturalis secundum quid, cum sit supra conditionem hominis viatoris, non autem Angeli : quo sensu aliquid potest esse homini supernaturale et Angelo naturale. — Ad supernaturale *relativum* refertur

ternaturalgjtà. nempe quod, etsi indebitum, non excedit tamen limites perfectibilitatis naturalis, sed aliquod ens perficit *in sua speciel :* donum immortalitatis corporeae, Adamo collatum, erat *in se* quid *naturale,* utpote continuatio vitæ naturalis, ideoque eum perficiens in suo ordine, sed ratione *subjecti* cui conferebatur, erat *supernaturale,* quia immortalitas enti de se corruptibili minime debetur.

upernaturale simpliciter seu *absolutum^st.* illud *quod superat exigentias et vires totius naturæ creatæ et creabilis.*

"Supernaturale *absolutum* dividitur in supernaturale *quoad substantiam* et supernaturale, *quoad modum.* i) Prius est id quod est *intrinsece* seu *entitative* supernaturale, non solum quoad causam efficientem 2, sed *in se,* in *sua entitate ;*

' Dantur et *gradus* in supernatural! relativo ; si homini concederetur scientia infusa ceu modus cognoscendi habitualis, haberetur gradus *superior* supernaturalis relativi, quo homo gratuito elevaretur ad perfectionem *altioris speciei;* si vero homo immunis fit a concupiscentia, habetur gradus inferior supernaturalis relativi, quo quis perficitur in *sua specie* tantum.

• Concipi enim potest aliquid supernaturale absolutum, ex parte *causa effi.*

non potest igitur esse nisi *aliquid divinum,* seu *partici patio quædam divinitatis,* quia omne quod non est dividum, potest naturaliter convenire alicui creaturæ perfectissimae. De facto, non dantur nisi tres casus supernaturalis absoluti *in se,* scilicet *unio hypostatica* humanæ naturæ cum Verbo divino (de qua dicemus in *Tractatu de Verbo Incami), gratia* et *visio beatifica,* de quibus fuse suo loco disseremus.

Pro præsenti hæc notare sufficiat : *visio beatifica* est *clara et intuitiva Dei cognitio prout in se est;* hæc est donum *absolute* et *in se* supematurale, quia nulli creaturæ debetur. *Gratia habitualis,* seu status gratiæ, est qualitas supernaturalis, permanenter et intrinsece animæ inhærens, per quam efficimur *divinæ participes naturæ,* et exinde mediate *apti ad actum divinum visionis beatificæ. Gratia actualis,* est auxilium quoddam supematurale et transiens, quo Deus illuminat intellectum et voluntatem adjuvat ad eliciendos *actus supematurales.* Gratia habitualis, utpote participatio divinæ naturæ, est *absolute* et *in se* supernaturalis; idem dic de gratia actuali quæ ordinatur ad gratiam habitualem servandam et augendam.

2) Supematurale *absolutum quoad modum* est aliquid *entitative naturale* sed *modo supernaturali productum,* v. g., resurrectio mortui vel aliud miraculum; aut *modo supernaturali ordinatum* ad finem supernaturalem, prout est actus virtutis naturalis acquisitæ, v. g., temperantiæ, per caritatem ordinatus ad vitam æternam.

20 De statu seu ordine naturali et supernaturali.

850. *£tatus* hic sumitur pro complexu omnium conditionum q"uæ nominem ordinant ad suum finem. *Ordo* autem est *apta dispositio mediorum adfinem,* et hic quidem ad finem *ultimum.* Ad talem ordinem quatuor requirun-
tur : *ageps,* scilicet homo, ***finii,*** ad quem agens tendit, *medium* per quod agens tendit" in finem, *Jex_* per quam média"recte ordinantur ad finem. '

dentis, v. g., aliquod miraculum, quod superet vires totius naturæ, etsi *effectus* miraculosus sit *in st* quid naturale.

(A) Itaque-frrafo *naturali^* est apta dispositio mediorum

tur ï(a) *finis* est possessio Dei, non per visionem intuitivam, sed per solam rationem modo discursivo cogniti; (b) *agens primum* est Deus auctor naturæ nos movens ad actus naturales ; *agens secundum* est natura humana, cum facultatibus et viribus propriis; (c) *media objectiva* sunt res creatæ quatenus ratione cognoscuntur; *media* autem *subjectiva* sunt facultates earumque exercitium, præsertim vero intellectus et voluntatis, sub influxu concursus Dei naturalis ; (d) *lex* est *lex naturalis,* omnium cordibus insita, cum consectariis quæ ex ea deduci possunt; legis autem adimpletio jus dat ad praemium naturale.

rum essentialiter supernaturalium ad finem essentialiter supernaturalem, sic constituitur pro homine : (a) *finis* est cognitio Dei, non imperfecta et discursiva sed *perfecta* et *intuitiva visio,* facie ad faciem, et amor Dei ejusdem generis, quia amor sequitur cognitionem; (b) *agens primum* est Deus *auctor gratiæ* et *gloriæ; agens secundum* est natura humana ad altiorem operandi modum elevata per *gratiam sanctificantem,* virtutes infusas et dona Spiritus Sancti ; (c) *media* objectiva sunt *divina revelatio* ab Ecclesia proposita, sacramenta aliaque media externa ad salutem ; *media subjectiva* sunt lumen internum fidei et exercitium virtutum supematuralium sub influxu supernaturalis Dei concursus, seu gratiæ actualis ; (d) lex est non solum complexus legum naturalium, sed etiam complexus*præceptorumpositivorum,* quæ Deus legi naturali addidit ad finem supernaturalem consequendum.

II. De variis statibus humanae naturæ relate ad gratiam et dona præternaturalia [1].

851. Sex sunt status in quibus humana natura concipi potest relate ad gratiam et dona præternaturalia :

i° *Status natura pura,* in quo neque gratia neque dona præternaturalia conféruntur; qui proinde consistit in *possessione cujuslibet*

1 **Cf. Suarez,** *de Gratia,* **prolegom. 4, de statibus nat. bumanæ; Mazzella, n. 652 sq. ; Goudin,** *De Gratia Dei,* **q. II; E. Hugon, t. II, p. 213-226.**

boni humana natura debiti, et in *absentia omnis boni indebiti.* Hinc in illo statu homo habuisset finem naturalem, media naturalia ad hunc finem attingendum, et legem naturalem ; sed fuisset subditus ignorantiae, concupiscentiae, infirmitatibus et morti, nec ullum habuisset jus strictum ad auxilium efficax et perseverantiam finalem. De facto ille status, etsi *possibilis,* n. 876, nunquam exstitit, ut dicemus infra.

20 *Status natura integra* includit, præter perfectiones naturæ purae, *amplificationem* earum *in sua specif,* ultra exigentias naturæ, nempe : *immunitatem aQoncupiscentia, ab ignorantia f infirmitatibus efcmorte,* sine gratia sanctificante. Potuisset tamen esse *partialis,* complectens integritatem proprie dictam seu immunitatem a concupiscentia, non autem ab ignorantia aut morte.

30 *Status simpliciter supernqturalis.* in quo homo ad finem supernaturalem destinaretur, mediisque instrueretur ad hunc finem attingendum, absque privilegiis naturæ integræ : conderetur itaque absque peccato originali, gratia sanctificante ornatus, sed concupiscentia obnoxius.

naturalia simul conferuntur ; supponit igitur *destinationem ad finem supernaturalem,* et media supematuralia, scilicet, gratiam sanctificantem, virtutes infusas, etc.; et insuper *immunitatem a concupiscentia, ab ignorantia, infirmitatibus et morte.* Hic status de *facto* exstitit in Adamo : vocatur status *naturæ innocentis* quia non poterat subsistere simul cum peccato; status *justitiæ originaliS-* quia *ab origine* homo justus seu sanctus constitutus est'.

5° Status Tâ/jy? *et reparatæf)* Ille status, in quo *nunc versamur,* consistit in eo quod homo remanet destinatus ad finem supernaturalem, sed simul incapax *per se* hunc finem attingendi, cum nascatur originali peccato infectus ; capax tamen, *per Christum,* recuperandi gratiam, non autem dona præternaturalia in præsenti vita.

6° Status *natura lapsa non reparata* fuisset idem ac quintus,, sed absque ulla redemptione a. Revera ille status non duravit, cum paulo post lapsum Deus promiserit Redemptorem.

tem tum donum *integritatis* seu immunitatem a concupiscentia, etc. ; juxta alios, directe designat tantum donum *integritatis,* non autem gratiam, sed cum ea tamen connectitur : de quo infra dicemus.

' Differt proinde a statu *naturꝛpura* in eo quod homo destinatus manet ad

III. Errores circa ordinem supernaturalem.

Quo facilius catholica doctrina intelligatur, errores huic contrarios breviter recensere oportet.

Duo sunt praecipui sibi invicem oppositi, sed in idem tendentes, nempe negationem supernaturalis : *naturalismus* et *pseudo-supernaturalismus;* quibus addi possunt quædam systemata plus minusve periculosa, nempe *augustinianismus* et *immanentismus.*

852. i° *Naturalismus* modo generali quidquid *supernatural* est *rejicit* aut valde *extenuat.* Diversimode advocatur a rationalistis et atheis seu positivistis.

(A) *Pelagiani* olim negarunt hominis elevationem ad statum supernaturalem et peccati originalis transmissionem x. Quos errores renovarunt *Unitarii* et *Liberales,* necnon *Modernistes,* qui docent supematurale nihil aliud esse nisi emanationem quamdam ex intimo quodam sensu erumpentem a. *Rationalistes,* qui omnem revelationem respuunt, contendunt hominem ad statum supernaturalem nunquam evectum fuisse, nec proinde ex hoc statu excidisse.

(B) *Athei* et *positivistes* ulterius progredientes, asserunt primos homines, e quodam bruto sponte evolutos, in statu barbariæ diu vixisse et nonnisi post longa saecula excultos fuisse, ideoque tanquam fabulam respuunt narrationem biblicam de statu protoparentum.

853. 20 *Pseudo-supernaturalismus* admittit quidem hominem fuisse conditum in *statu originalisjustitiæ* et *integritatis,* sed simul asserit hunc fuisse homini *naturalem* ideoque per ejus amissionem naturam humanam fuisse *totaliter corruptam.*

(a) Secundum *Lutherum,* gratia et dona per peccatum amissa ad *essentiam* humanæ naturæ pertinent : gratia enim consistit in cognitione et amore Dei; jamvero cognoscere et amare Deum tam naturale est homini quam naturale est oculis videre; (b) juxta *Calvinum,* gratia et dona ad naturam humanam *completam* spectant 3; (c) *Baius* contendit ea *ex justitia homini deberi,* etsi ejus naturam non constituant 4; *(pS) Jansenius,* ejusque discipuli doce-

finem supernaturalem, ita ut carentia gratiæ sit in eo privatio et habeat rationem peccati.

1 Tixeront, II, p. 436 sq. — 3 Encycl. *Pascendi,* D. B., 2074 sq.
3 A. Baudrillart, *Calvinisme,* in *Dici, de Thiol., [Mangenot],* t. II, 1400 sq.
4 Le Bachelet. *Bains,* in *Diet, de Thiol. {Mangenol},* t. II» 67 sq.

bant ea deberi non cuique- individuo sed *natura integra* et *sana,* ideoque esse debita naturæ, non personæ 1.

In his variis systematibus, gratia habetur ut quid necessarium, aut saltem *debitum,* proindeque non est quid supernatural : et ita *logice negatur supematurale.*

854· 3° *Systemata plus minusve periculosa,* (a) Quidam theologi, præsertim ex ordine S. Augustini, proptereaque *dugustiniani* dicti, inter quos *Card. Noris* et *Berti,* docuerunt gratiam et dona protoparentibus concessa, et per peccatum amissa, *ex decentia* Creatoris deberi; Deus *ex potentia absoluta* potuisset quidem ea homini denegare, sed ex potentia *ordinata,* attentis scilicet ejus sapientia et bonitate, nequibat. Hoc systema, Romanis Pontificibus delatum et ab eis sedulo perpensum, nunquam damnatum fuit. Attamen periculis non vacat ; quod enim ex quadam decentia debetur, omnino gratuitum non est, et ita extenuatur gratiae supematuralitas 2.

(b) Recenter quidam catholici, *methodum immanentia* propugnantes (cfr. *Theol. Fundament.,* n. 85-90), dixerunt gratiam, quamvis supematuralem, et supra vires et exigentias nostras, *postulari* tamen a natura humana, non quidem in abstracto sumpta, sed in suo statu praesenti, in quo videlicet ad finem supematuralem destinata manet. Quomodo id corrigi debeat juxta Encycl. *Pascendi,* jam ibidem declaravimus.

§ II. Existentia gratiæ in Adamo.

Ad probandum, contra præfatos errores, gratiam fuisse Adamo collatam, duo ostendemus : i° protoparentes in statu *sanctitatis* et *justitia* fuisse constitutos, 2° illum statum esse *gratuitum* seu *supematuralem.*

855. *Thesis Ia :* Protoparentes in statu sanctitatis et justitiae constituti fuerunt 3.

Defide ex Tridentino 4 : " Si quis non confitetur primum

' **J. Paquier,** *Le Janslnisme,* **Paris, Bloud, 1909, p. 121 sq.**

■ **E. Portalié,** *Augustinianisme,* **in** *Diet, de Thiol. {Afangenof}.* **L I, 2487; H. Ligeard,** *La Théologie scholastique et la transcendance du surnaturel,* **Paris, 1908, p. 60-65.**

3 **Cf. S. Thom.^I, q. 95, a.** 1 ; *Qjmdl.,* **.1, a.** 1 ; **Suarez,** *de opere sex dierum,* **1. 11176. 17; Petavius,** *De Opificio sex dier.,* **1. II, c. 1-4; Mazzella, n. 694 sq.; Ullathome,** *The Endowments of man,* **I, II-ΠI ; Scheeben, § 183; Pesch., n. 169 sq. ; Bainvel,** *op. cit.,* **p. 78 sq.; L. Janssens,** *De hominis elevatione,* **p. 96126. — < Sess. V, can. I, 2, D. B., 788, 789.**

hominem Adam... sanctitatem et justitiam, in qua *constitutus* fuerat, amisisse... A. S."

Dicitur *constituti,* ut significetur protoparentes *aliquo saltem tempore* gratia habituali fuisse ornatos:non autem *creati,* quia Concilium definire noluit eos a primo instanti creationis gratiam accepisse.

Script. (A) In *Vet. Test,* argumenta valde *probabilia* invenimus, quæ, accedente analogia fidei et Patrum interpretatione, certa fiunt, (a) Ex *Genesi* constat inter Deum et hominem quamdam fuisse *familiaritatem* J, cui successit status miseriæ et reprobationis 1*; ex quo infertur primævum statum moralem hominis multo excellentiorem esse statu in quo postea homines versati sunt

(b) Insuper homo creatus dicitur ad *imaginem* et *similitudinem* Dei 3 : "Faciamus hominem ad *imaginem* et *similitudinem nostram* seu, juxta vim hebraici textus, ad imaginem simillimam nostram. Atqui, ex modo loquendi Scripturæ, illa similitudo de gratia probabiliter intelligi debet; nam : i) etsi per naturam aliquo modo Dei imaginem in anima nostra gerimus, non efficimur tamen ipsi perfecte similes nisi, juxta generalem sensum Scripturæ, per gratiam et gloriam, ut constat ex his et similibus textibus : "Ut per hæc (dona gratiæ) efficiamini divinæ consortes naturæ4... similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est"5; ex quo patet nos fieri similes Deo per visionem beatificam ad quam jus et coaptationem confert gratia habitualis 6.

1 *Gen.,* II, 18-24; III, 8. — a *Gen.,* III, 21-24.

3 67^., I, 26· *Cii, Ecdi.,* XVII, I-12.

« ZZ *Petr.,* I, 4. — 5 z ~ η. —

6 Argumentum ex *Genesi* per se non est certum, quia, cum auctor sacer ibi describat originem mundi *visibilis,* forsan nihil aliud significare voluit, per illam imaginem, nisi dominium super creaturas inferiores, de quo agitur in sequenti versu : "Et præsit piscibus maris" etc. Cf. Hummelauer, *in Genes.,* ibi, p. 110. Attamen, si alii textus inspiciuntur, hoc argumentum, quod *ex analogia fidei* sumitur, legitimum est : cum enim idem Spiritus totam Scripturam inspiraverit, vagos et obscuros textus recte intelligimus secundum eos qui, etsi multo posterius, lucidius et explicitius rem exponunt; Deo siquidem placuit multas veritates nonnisi pedetentim manifestare. Res probabilior forsan evadit si ratio habetur *ligni vita* in paradiso {*Gen.,* III, 22), a quo, ob peccatum, homo arcetur, quodque in *Apocalypsi* (II, 7) vitam ætemam significat.

2) Quod confirmatur *communi Patrum interpretatione;* alii enim inter imaginem et similitudinem distinguentes, priorem de natura, posteriorem de gratia intelligunt ; alii imaginem simul et similitudinem ad modum unius accipientes, utramque de gratia interpretantur. Inter priores citare sufficiat *Anastasium Sinait.* [1] : " Id quidem quod est ad imaginem Trinitatis in essentia animæ nostræ omnes homines habemus similiter; id autem quod est ad similitudinem ii soli habent qui *Deum habent in se inhabitantem,* et *gratia* quodammodo sunt veluti Christi, in divinitate simul et humanitate ". Ex posterioribus audiatur S. *Ambrosius* [2] : " Illa anima a Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ, et patemæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum "... Huic præiverat 5. *Irenaus,* qui de Filio Dei incarnato scribit : " Longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus " [λ]

(C) In libro *Ecclesiastes* legitur [4] Hoc inveni quod fecerit Deus hominem *rectum";* atqui, licet vox *rectum* intelligi possit de rectitudine morali ordinis naturalis, *probabiliter* tamen, ex usu loquendi biblico satis constante, rectus dicitur qui *gratia sanctificante* ornatur et ad aeternam beatitudinem vocatur [5].

856. (B) *Probatur* ex *N. Test. :* (a) tota oeconomia Christiana eo tendit ut genus humanum, mediante Christo, in statum justitiae et sanctitatis restituatur quem, Adamo peccante, amiseramus ; dicitur enim per Adamum omnes peccavisse, et per Christum redemptos fuisse[6]; finem vero Redemptionis fuisse genus humanum *renovare, regenerare, restituere* in statum in quo *primus homo* fuerat [7]. Atqui

[1] *In Hexaem.,* l. VI, *P. G.,* LXXXIX, 931.

[2] *Hexaem.,* l. VI, c. 7, *P. L.,* XIV, 258, Journel, 1318.

[3] *Adv. Hares.,* l. III, c. 18, η. I, *P. G.,* VII, 922. Quod infra, L V, c. 6, η. I, *P. G.,* 1137, declarat, dicens hominem non esse secundum imaginem et similitudinem Dei nisi per effusionem Spiritus S. seu gratiae. — [4] *Eccle.,* VII, 30.

[5] Ita recti aequiparantur *justis,* qui nempe justitiam supernaturalem colunt *(Ps.* XXXII, i) ; generatio *rectorum* benedicetur non solum in tempore, sed in saeculum saeculi *(Ps.* CXI, 2, 3, 7) ; cfr. *Prov.,* XIV, 2 ; XXI, 18; *Sap.,* X, 10, etc. — Ita etiam Patres, v. g., S. Augustinus, *De corrept. et gratia,* c. XI, n. 32, *P. L.* XLIV, 935, Journel, 1955.

[6] *Rom.,* V, 12 sq. : quem textum infra exponemus, ubi de peccato originali.

[7] *Ephes.,* IV, 23; ***II*** *Cor., N,* 18-19; *Coloss.,* I, 13-14.

renovatio illa consistit in infusione *gratiæ sanctificantis,* qua peccata remittuntur 1 Justificati gratis per *gratiam* ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu"; in *regeneratione* qua filii Dei efficimur et divinæ consortes naturæ, ideoque gratiæ sanctificantis participes2 Ergo genus humanum in eadem gratia constitutum erat.

(b) S. Paulus, neo-conversos alloquens, hæc habet : "*Renovamini* autem spiritu mentis vestræ, et induite *novum hominem* qui secundum Deum *creatus est injustitia et sanctitate veritatis*" 3. Jamvero quidam interpretes pernovum hominem intelligunt *Adamum,* et tunc evidens est ex textu, illum constitutum fuisse in statu gratiæ. Alii tamen hunc novum hominem *Christum* esse dicunt; ex hoc vis argumenti non destruitur; nam semper remanet verum neo-conversos *renovari* (ἀνανεουσθαι) per gratiam, in pristino quodam statu in quo humanum genus ab initio fuerat constitutum, et illum statum esse *statum justitiæ,* seu *gratiæ* et *sanctitatis.* Ergo Adam in statu gratiæ constitutus fuerat. — Ad rem S. *Augustinus* 4 : "Hanc imaginem in spiritu mentis impressam *perdidit Adam* per peccatum, quam recipimus per *gratiam justitiæ*".

857. Tradit. (A) In *Ecclesia græca.* Contra *Gnosticos,* qui originem mali *eonum* theoria explicabant, 5". *Irenæus* ostendit causam malorum esse amissionem divinæ similitudinis ex culpa Adami ortam, et declarat *primum hominem A Deo similem fuisse per participationem Spiritus Sancti seu gratiæ*5. Ita etiam S. *Athanasius* declarat hominem ab initio in *divinam similitudinem fuisse creatum,* hanc autem per peccatum amissam esse, nobisque restitui per Christum 6; ex quo merito infertur hanc similitudinem nihil aliud esse nisi gratiam, quæ per Incarnationem nobis datur.

(B) Inter *Latinos, Tertullianus* et S. *Cyprianus* asserunt malum in mundum introivisse per inobedientiam Adami,

1 *Pont.,* III, 24-25.
2 *Joan.,* III, 5; *I Joan.,* III, 1; *II Petr.,* I, 4.
3 *Ephes.,* IV, 23-24.
4 *De Gen. ad lit.,* l. VI, c. 27, n. 38, *P. L.,* XXXIV, 355.
5 *Adv. hares.,* l. III, c. 18, 1-2; l. V, c. 6, i; *P. G.,* VII, 932, 1137.
6 *Orat. de Incarnat.,* 3, 4, 8, 44, *P. G.,* XXV, 101 sq.

et homines ante peccatum, *constitutos* esse in *statu nobiliori* qui per gratiam baptismi restituitur[1]. — S. *Hieronymus* diserte affirmat nos Spiritus Sancti *gratia* recipere " imaginem et similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus"[2]. Quod et ait S. *Augustinus*[3] : " Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis ".

(C) Post Augustinum vero, hæc doctrina communis evadit inter Patres; eamque contra Pelagianos definit *Cone. Arausicanum II,* can. 19 : " Natura humana, etiamsi in illa *integritate, in qua est condita,* permaneret, nullo modo seipsam, Creatore non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei *salutent non posset custodire, quam accepit,* quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? "[4] Vis hujus canonis melius percipitur quando confertur cum can. 2, ubi *mors animez* seu privatio gratiæ sanctificantis tribuitur peccato Adæs.

858. Corollaria. (A) *De tempore* quo protoparentes in gratia constituti sunt dissentiunt theologi, (a) Quidam, cum S. *Bonaventura*[6], docuerunt gratiam non fuisse Adamo collatam in primo instanti creationis suæ, sed solum *post aliquod* tempus, ut sic ad gratiam suscipiendam *sesepreeparare* posset : ab initio tamen donum integritatis seu immunitatis a concupiscentia ei collatum fuisse.

(b) S. *Thomas* vero[7], et cum illo *communiter* theologi, tenent Adamum in statu gratiæ fuisse a Deo creatum; præcipui enim textus supra allati hoc declarare videntur : " *Faciamus* hominem ad imaginem et similitudinem nostram... qui *creatus* est in justitia et sanctitate". Aliunde consonat cum iis quæ de Angelis *Augustinus* scribit[8] :

[1] Tertul., *Ado. Mardon.,* I, 22; *De anima,* 40; *P. L.,* II, 270, 719. S. Cyprianus, Ep. LXIV, 5 ; *Ad Donatum,* 3; *De opere et eleemos.,* 1, Journel, 586, 563.

[2] *In Ephes.,* IV, 30, *P. L.,* XXVI, 514.

[3] *De spiritu et lit.,* c. 27. *P. L.,* XLIV, 229, Journel, 1732.

[4] D. B., 192. — [5] D. B., 175.

[6] S. Bonavent, *In 2 l. Seni.,* dist. 29, a. 2, q. I. Ita et Scotus, *In 2 l. Sent.,* dist. 29.

[7] *Sum. theol.,* I, q. 95, a. I.

[8] *De Civit. Dei,* XII, c. 9, *P. L.,* XLI, 357, Journel, 1755.

" Deus simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam ". Nec tamen homo sine proprio consensu sanctificatus est, quia, primo instanti quo conscius fuit, gratiæ sibi inditæ consensit.

859. (B) Praeter gratiam sanctificantem, protoparentes habuerunt *virtutes infusas* et *dona Spiritus Sancti,* quibus eorum facultates disponebantur ad eliciendos, sub influxu *gratiæ actualis,* actus supernaturales fini supernatural! consequendo proportionates. Nam, ut dicemus in *Tr. de Gratia,* gratia habitualis est habitus entitativus, non immediate operativus, proindeque nativae facultates virtutibus supernaturalibus ad actus ejusdem generis disponi debent

Virtutes, quæ *ex se nullam imperfectionem* important, ut caritas et justitia, erant in Adamo simpliciter, quantum ad habitum et quantum ad actum. Virtutes, quæ *aliquam imperfectionem* involvunt, sed statui innocentiæ minime contrariam, ut fides et spes, erant pariter in eo quoad actum et habitum ; nam perfectio primi status non se extendebat ad hoc ut videret Deum per essentiam. Tandem virtutes, quæ *perfectioni primi status repugnabant,* ut pænitentia, quæ peccatum supponit, erant in Adamo innocente quoad habitum tantum, quatenus, v. g., erat sic dispositus ut, si peccaret, eum pæniteret de peccato.

Accipiebant protoparentes tempore opportuno *gratias actuales,* quibus supernaturales virtutes exercere valerent.

Pariter hi, utpote in statu probationis, *mereri* poterant et in *ξταϊϊα crescere* *§

860. *Thesis 2a :* Status justitiæ originalis protoparentibus collatus, erat gratuitus et vere supernaturalis2. ijjggJ^estpræsentem gratiæ ordinem esse supra exigentias naturæ lapsæ, contra *Pelagianos.* 2) *Certum* est contra *Protestantes, Baium* et *Jansenistas* ordinem gratiæ esse supra vires et exigentias naturæ humanæ etiam innocentis; damnata est enim a 5. *Pio V* sequens Baii propositio 21 : " Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in

* S. Thom., I, q, 95, a. 3-4.

2 Plerique theologi hac de re disputant ubi de visione Dei, seu de visione beatifica. Cf. S. Thom., I, q. 12, a. 4; *C. Gent..,* 1. Ill, c. 52; Suarez, *de Divina Substantia,* 1. II. c. 9; Salmantic., *de Visione Dei,* disp. Ill; Palmieri, th. 37-39; Mazzella, n. 704 sq., 847 sq. ; Scheeben, *Dogtnatik,* § 162 sq.; Wilhelm and Scannell, *Manual of Calh. theology,* § 139; Casini, *de Statu pura natura,* inter opera *Petmii,* edit. Vives, vol. IV, art. 6-7.

consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis”[1]; vera est igitur contradictoria, scilicet : talis elevatio est supernaturalis. Pariter reprobata est propos. 35 Quesnelli : “ Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ ” a. 3) *Communiter* tenetur contra *Ripalda* paucosque alios [3], eumdem esse supra vires et exigentias cujuslibet creaturæ etiam possibilis.

861. (A) Script. Supponimus gratiam Adamo collatam ejusdem esse generis *substantialiter* ac eam quæ nobis per Christum datur : nullibi enim Scriptura inter utramque distinguit, sed, inspectis textibus supra allatis (n. 856), docet nos per gratiam renovari et instaurari in *statu sanctitatis antea protoparentibus* coilato.

Jamvero gratia nobis collata *vere est supernaturalis.* (a) De ea enim dicitur : “ Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut *filii Dei* nominemur et simus ” [4]. Unde sic : per gratiam vere efficimur *filii Dei adoptivi;* atqui nulla creatura jus habet ad talem adoptionem; nam naturaliter homo est Dei *servus,* non filius; aliunde adoptio alicujus extranei est essentialiter libera et indebita; unde S. *Jacobus*[5] dicit : “ *voluntarie* genuit nos verbo veritatis ” ; ergo nulla creatura jus habet ad gratiam. Quo argumento ipsi Patres utuntur; nam recte animadvertunt creaturas intellectuales naturaliter esse *servos* Dei, non filios; ita, v. g., S. *Athanasius* “ Verbi enim *serva* est res omnis creata”.

(b) Insuper per gratiam transformamur, et *evehimur ad statum superiorem,* nempe ad *consortium divines naturæ,* juxta illud : “ ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ ”[7]; id est, apti efficimur ad videndum et diligendum Deum sicut tres divinæ personæ se cognoscunt et amant :

[1] D. B., 1021. Quæ Baii propositiones damnatæ sunt *proprio verborum sensu ab assertoribus intento,* tanquam respective hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, in pias aures offensionem immittentes ; nulla igitur tuto sustineri potest — Constat etiam ex damnatione propos. 16 *Syn. Pistoriensis,* D. B., 1516. — [3] D. B., n. 1385.

[3] Cf. Ripalda, *De Ente Supernaturali,* disp. XXIII, ubi invenientur praeipuæ auctoritates *pro* et *contra.*

[6] *Orat. II cant. Arian.,* io, *P. G.,* XXVI, 167. — [1] *II Petr.,* I, 4.

"Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est"[1]. Atqui *hoc naturale est soli Deo :* " Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare " [2]. Nulla igitur creatura jus habet ut elevetur ad ordinem divinum : "Sic enim necesse est, ait S. *Thomas,* quod solus Deus deificet, communicando consortium divinæ naturæ per quamdam similitudinis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis " [3].

(c) Ordinem gratiæ describit Apostolus tanquam sapientiam absconditam, quæ hominis aspirationes omnino superat [4] ; " Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non hujus sæculi... sed sicut scriptum est [5], quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei ", Unde sic : *sapientia,* de qua hic agitur, est oeconomia fidei, evangelii et *gratiæ sanctificantis,* quæ consummatur et perficitur in *visione intuitiva Trinitatis;* atqui illa sapientia ita excedit hominis vires ut, teste Apostolo, nec oculus viderit, nec auris audierit, nec *cor ejus cogitarit,* quæ Deus iis qui gratia et gloria fruuntur, præparavit; immo hujusmodi sapientia cujuslibet creaturæ vires ita transcendit, ut *solus Spiritus* eam *manifestare potuerit;* ergo est absolute supernaturalis.

862. (B) Tradit, (a) *Patres* eamdem doctrinam variis modis docent, præsertim vero aperte declarando neque homines, neque Angelos sua natura sanctos esse posse, sed potestatem sanctificandi, seu gratiam conferendi soli Deo esse propriam, proindeque gratiam esse super exigentias cujuslibet creaturæ. Sic S. *Basilius* affirmat *sanctificationem* non esse absque *Spiritu :* " Neque enim Virtutes cælorum *suapte natura sanctæ* sunt; alioquin *nulla ratione differrent a Spiritu Sancto...* Sanctificatio quæ est *extra sub·*

1 *IJoa.,* III, 2. — 2 *Matt.,* XI, 27; cf./oα., I, 18.
3 S. Thomas, ia 2æ, q. 112, a. 1. — 4 Z *Cor.,* II, 6-12.

stantiam illbrum, perfectionem illis affert per *communicationem Spintus" l.*

(b) Quoad opinionem *Ripalda,* nunquam damnata fuit, sed ut ipse fatetur2, "magna sunt testimonia quæ favent sententiæ neganti (aliquam creaturam possibilem esse cui gratia deberetur), ideoque merito stando auctoritati affirmans sententia absolute posthabenda Cui addi potest, a tempore Ripaldæ, nullum fere theologum alicujus nominis ejus opinionem amplexum fuisse; unde sententia nostra vere communis evasit.

863. (C) Ratione theologica confirmatur. Gratia Adamo collata, fuit ab ipso amissa non solum sibi, sed etiam ejus posteris ; atqui non potest sine injustitia totum genus humanum, ob culpam non personalem, privari perfectione necessaria ad finem suum naturalem attingendum ; ergo ad naturam humanam non pertinebat, seu non erat ipsi gratia debita.

§ III. De dono integritatis protoparentibus CONCESSO.

864. Quo facilius protoparentes in statu gratiæ perseverarent, in eoque feliciores essent, Deus eis concessit dona quædam gratuita quæ *statum integritatis* constituunt (supra, n. 851, 2°). Quæ dona quatuor erant : quoad animam, *immunitas ab inordinata concupiscentia* et ab *ignorantia ;* quoad corpus, *immunitas a morte* et *miseriis* hujus vitæ; quibus addebatur quoddam *dominium* in animalia viresque naturæ. Duo igitur exponemus : i° horum donorum *existentiam ;* 2° eorum *gratuitatem.*

865. *Thesis ia :* Protoparentes constituti sunt in statu naturæ integræ, id est, immunes a concupiscentia, ignorantia, dolore et morte©

866. i° Immunes fuerunt ab inordinata concupiscentia, cui in statu naturæ lapsæ subjicimur. Concupiscentia

' *De Spirit. S.,* c. 16, *P. G.,* XXXII, 136; Journel, 950.

* *De ente supernaltirali,* disput. XXIII, n. 58.

3 S.__Thom.,_I, q. 94; Suarez, *op. cit.,* c. 9-16; Petavius, c. 5-8; Palmieri, Λ. 49-53; Mazzella, η. 72*1* sq.; Pesch., n. 187 sq. ; L. Labauche, p. 39-51; Abbé de Broglie, *op. at.,* t. II, conf. 2%· J. V. Bajnvd, p'.'^ggT"'---------

ist^ggt vehemens propensio ad bona sensibilia sive *illicita,* sive licita, sed *modo immoderato, præter* et contra rationis ordinem. Fruebantur itaque illa *rectitudine* vi cujus appetitus sensibilis, rationi perfecte subditus, ejus imperium non praeveniebat nec ei resistebat. Cærtum est.

Probatur : (A) Ex *Script.* in qua tria declarantur : (a) *ante lapsum* prôtoparentes de sua nuditate *non erubuisse :* " Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant"; (b) eosdem *post lapsum* de sua nuditate *erubuisse :* " Et aperti sunt oculi amborum ; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus "; (e) causam hujus erubescentiæ ipsorum inobedientiam fuisse : " Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti"? Porro hæc omnia nihil aliud significare possunt nisi protoparentes *ante peccatum stimulos concupiscentia non expertos fuisse;* nam evidenter minime cæci 2 erant, antequam peccarent, neque pudore carentes ; sed libidinis stimulos non fuerant experti, nec ideo de sua nuditate erubescebant.

Quod confirmatur iis locis in quibus dicitur Adamum conditum esse in statu *rectitudinis,* cum immoderata concupiscentia huic rectitudini sit opposita; necnon ex doctrina S. Pauli infra exponendas, ex qua mors et concupiscentia per peccatum Adami in mundum introierunt.

(B) *Ex Tradit,* (a) Patres generatim concupiscentiæ originem ex peccato desumunt. Ita *Tertullianus,* postquam concupiscentiam descripsit, ait : " Malum igitur animæ.... *ex originis vitio* antecedit, naturale quodammodo"*. S. *Augustinus* declarat quomodo concupiscentia carnis malam voluntatem seu peccatum secuta fuerit : " Præcessit mala voluntas, qua serpenti subdolo credere-

x *Gen.,* II, 25; III, 7, U.

* " Non est credendum, ait 5. *Thomas* post *Augustinum,* quod primi parentes essent producti clausis oculis ; præcipue cum de muliere dicatur quod vidit lignum quod esset pulchrum, et bonum ad vescendum. Aperti ergo sunt oculi amborum ad aliquid intuendum et cogitandum, quod antea nunquam adverterant, scilicet ad invicem concupiscendum, quod antea non fuerat (S. August, *de Gen. ad Ut.,* l. XI, c. 31, *P. L.,* XXXIV, 446; S. Th., 2a 2æ, q. 164, a. 2, ad 9). — 3 *Rom.,N,* 15.

4 *De anima,* c. *ΔΛ,* II, 720.

tur ; et secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur illicito ”

(b) *Cbnc. Arausicanum* ***II*** definivit (can. i) per praevaricationem Adæ *totum hominem in deterius* commutatum esse, et (can. 13) arbitrium voluntatis in primo homine *infirmatum*[2], Quod confirmatum est a *Tridentino* declarante liberum arbitrium, per peccatum Adami, non esse quidem amissum et extinctum, sed *viribus attenuatum et inclinatum* 3 ; et *concupiscentiam* ab Apostolo *peccatum* vocari, “ quia *ex peccato* est et ad peccatum inclinat ”4; jamvero si *ex peccato* est, ante peccatum non existebat.

(C) *Ratio* convenientiam hujus immunitatis ostendit : in statu innocentiæ voluntas hominis perfecte Deo subdebatur; atqui decebat ut, quamdiu homo manebat Deo subjectus, rationi vires inferiores obedirent, et animæ corpus, ut sic ordo esset perfectus ; porro immunitas a concupiscentia in hac subjectione inferiorum virium sita est(p

867. [20] Immunes fuerunt ab ignorantia, eo sensu quod ab initio acceperint a Deo *infusam scientiam* tum *naturalem,* tum *supernaturalem, suo statui proportionatam,* id est notitiam rerum religiosarum moralium et physicarum ad sui filiorumque instructionem necessariam. Hæc autem scientia *infusa* dicitur, non quidem *per se,* qualis competit angelis, sed *per accidens,* quatenus non per studium acquisita fuerat, sed a Deo præternaturaliter accepta. Insuper magna facilitate gaudebant ad acquirendam scientiam.

(A) Ex *Scriptura* colligitur : (a) Ex illis textibus in quibus significatur Adamum constitutum fuisse caput non solum physicum, sed etiam *morale* humani generis, sicut Christus caput omnium hominum institutus est 6; tantum

* *Op. imperfectum,* l. I, c. 71, *P. L.,* XLV, 1095. — 2 D. B., 174, 186.

3Sess. VI, can. 5, D. B., 815. — * Sess. V, can. 5, supra, p. 451.

ÇS. Thom., I, q. 95, a. I. — Quomodo Adam appetitum sensitivum rationi perfecte subditum hahuent declarat Suarez (l. cit., c. 12, n. 17 sq.) : (a) Deus providebat ne objecta animi pacem et tranquillitatem perturbantia occurrerent; (b) facultates hominis per intrinsecos habitus perficiebat, ita ut ratio ad recte judicandum inclinaretur, voluntas ad sequendam rationem, et appetitus ad utrique prompte obediendum.

6 *Rom., N,* 12-19; ***I*** *Cor.,* XV, 21-22.

enim officium intelligere et implere non potuit, nisi scientia huic muneri proportionata præditus fuerit præsertim in rebus morum et fidei. Aliunde hanc scientiam *statim* acquirere non poterat propriis viribus ; ergo scientiam infusam habuit[1]. — Nihil tamen probat eum cognovisse omnes naturales scientias, quæ nunc a peritis coluntur; talis enim cognitio ipsi necessaria non fuit ad rectam vitæ institutionem.

(b) Confirmatur ex eo quod " appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cæli, et omnes bestias terræ " 2; quod quidem, juxta Patres, scientiam haud modicam supponit ; et ex verbis *Ecclesiastici* qualia in *Vulgata* referuntur : " Disciplina intellectus replevit illos; *creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum,* et mala et bona ostendit illis "[3] .

(B) *Patres* multi scientiam protoparentis extollunt. Ita, inter Latinos, 5. *Augustinus* scribit[4] : "Neque secundum christianam cogitatis fidem qualis sit factus Adam, qui universis generibus animarum vivarum nomina imposuit : quod excellentissimae fuisse indicium sapientiae, in saecularibus etiam litteris legimus... Et quis dubitet Christianus, eos qui in hoc saeculo erroribus aerumnisque plenissimo ingeniosissimi apparent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si illius ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testitudines distant? " — Inter Graecos, S. *Cyrillus Alex.* ,-5 " Primus Pater Adam, non in tempore sicut nos, sapientiam consecutus esse videtur, sed statim a primis ortus sui temporibus perfectus in intelligentia ostenditur, illuminationem a Deo naturaliter datam illibatam et puram in se ipso servans, et integram habens naturae dignitatem ",

868. 3° **Immunes fuerunt a necessitate moriendi, ita ut, expleto probationis tempore, vivi ad vitam immortalem translati fuissent.**

De fide est, præsertim ex C. Carthaginensi (418) et *Triden-*
//wc/6, definiente primum hominem per peccatum incurrisse

[1] S. Thom., i, q. 94, a. 3. — [3] *Gen.,* II, 20.

[2] *Eali.,* XVII, 6. Verba italice scripta apud *Septuaginta* non inveniuntur; textus vero hebraicus deficit.

[4] *Op. imperfect.*. 1. V, c. i, /*. Z., XLV, 1432 ; JourneI, 2011.

[5] *In Joan., comment.*. T, 9, Λ (Z, LXXIIT, T2S; JourneI, 2104.

[5] Scss. V, can. τ, D. B., 7^8.

iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus

Probatur: {K) Script., sive *directe,* ubi dicitur : " Deus creavit hominem *inexterminabilem...* Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum " 1 ; sive *indirecte,* ex locis in quibus declaratur *mortem* esse *poenam peccati :* " In quocumque enim die comederis ex eo, *morte morieris" 2;* mortem vero de qua agitur, esse mortem corporis colligitur ex contextu : " In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris'^; et ex S. *Paulo* dicente : " Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et *per peccatum mors." *.*

(B) *Tradit,* (a) Patres sæpe et diserte asserunt hominem, ex natura sua mortalem, *privilegio immortalitatis* ornatum fuisse, quod tamen per peccatum amisit, rem ita exponentes ut hæc immortalitas, etsi de facto nunquam fuerit *in actu,* tamen *in potentia* exstiterit, quatenus protoparentes ad immortalitatem destinati sunt.

Deus, inquit S. *Theophilus Antioch.* \ hominem fecit capacem mortalitatis et immortalitatis, " ut, si ad ea ferretur quæ ducunt ad immortalitatem, observando Dei mandata, mercedem ab eo acciperet immortalitatem et deus fieret; si vero deflecteret ad ea quæ ducunt in mortem, non obediens Deo, ipse sibi mortis auctor esset". Ita etiam 5. *IrenœusdiïP* : "'Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ et immortalitati ". — Patrum autem latinorum doctrinam recapitulans *S. Augustinus* explicat qualis immortalitas protoparenti concessa fuerit *i :* " Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris ",

(b) Pelagianis affirmantibus Adamum mortalem futurum fuisse, etiamsi non peccasset, Synodus generalis africana habita Carthagine, a. 418, decrevit : "'Placuit... ut quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, A. S. " 8.

' 5α/., Π, 23-24. — ' *Gen.* II, 16, — 3 *Gen.,* Ill, 19. — 4 *Rom., N,* 12.
s *Ad Autolye.,* 1. II. c. 27, *P. G.,* VI, 1093; Journel, n. 184.
6 *Adv. lucres.,* 1. Ill, c. 19, *P. G.,* VII, 939.
7 *De Gen. ad lit..* 1. VI, c. 25. n.36: *P. L..* XXXIV. 354; Journel, 1699.
D B.,η.τοΓ. Hic canon passimascribitnrConc.MilevitanoII (4i6).Cf n.902.

(C) Ratione convenientiæ. Etsi corpus *ex se* corruptioni et morti obnoxium est, decebat ut, quamdiu anima remanebat perfecte Deo subdita, corpus pariter animæ perfecte subderetur, et ab ea incorruptibile præservaretur.

869. Inquirunt vero theologi quibus mediis corpus protoparentum immortale servari potuisset. 1) Jamvero homo a morte *violenta* præservabatur partim quidem per propriam rationem et prudentiam, qua nociva vitabat, partim per divinam providentiam, quæ sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso, a quo laederetur. 2) Præservabatur a morte *naturali,* i. e. a morbis et senectute, secundum communem theologorum opinionem, per cibum ordinarium et etiam per *lignum vitæ* de quo dicitur : " Ne forte mittat manum suam et sumat etiam de *ligno vitee,* et comedat et *vivat in eeternum" l.* Lignum hujusmodi non solum alebat corpus per modum cibi, sed vires ejus reparabat et confortabat per modum *medieinee.* Quia vero ejus virtus finita erat, non præservabat a corruptione nisi ad determinatum tempus : quo finito vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum de ligno vitæ sumere a. Supponi autem potest transitum ad vitam spiritualem non sine aliqua immutatione corporis futurum fuisse 3.

870. 4° Immunes fuerunt a dolore, singularique felicitate gaudebant. *Certum.* Probatur :

(A) *Script,* (a) Ex descriptione paradisi, in quo tria præsertim loci amoenitatem exprimunt : arbores fructiferæ, fluvius in quatuor capita divisus, aurum et lapides pretiosi·*; hæc enim omnia, juxta communem loquendi modum, locum maxime amoenum reddunt : hinc locus ille vocabatur paradisus *voluptatis,* (b) Idem colligitur ex eo quod dolores improbique labores exhibentur ut *peccati pœnæ* 5; ante pec-

1 *Gen.,* III, 22.

2 Cf. S. Thom., I. c., a. 4; Suarez, 1. cit., c, 15; Petavius, 1. c., c 5; Mazzella, n. 762; Lüken, *Traditions de Γhumanité,* t. I, p. 101 ; Vigouroux, *La Bible et les Découvertes,* 5* ed., t. I, p. 224 sq. Putat tamen *Bellarminus* lignum vitæ semel gustatum causaturum fuisse immortalitatem.

3 S. Thom., I, q. 97, a. 4.

4 *Gen.,* II, 8-16. — De *situ Paradisi* inter eruditos disputatur, et probabiliter asseritur eum in montibus Armeniæ situm esse, prope quos originem habent Euphrates et Tigris. Cfr. Petavius, *op. cit.,* c. 5, n. 7; Obry, *Du berceau de Γespèce humaine...* Paris, 1858 ; Vigouroux, *La Bible et les découvertes...* 5·1 ed., t. I, p. 212-223; *Les Livres Saints et la Critique,* vol. III, c. 6, a. 4. P. Lagrange, diversis expositis sententiis, concludit hanc intricatam quæs· tionem nullatenus solvi posse. *{Rev. biblique,* Juil. 1897).

5 *Gen.,* III, 16-19.

catum igitur non existebant ut existunt post lapsum. (C) Aliunde quædam impassibilitas ex immortalitate corporea sequi videtur.

(B) Confirmatur ex variis populorum traditionibus circa *auream atatem,* quas legere est apud profanos auctores :

" Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat " '.

Protoparentum felicitatem in paradiso sic poetice describit S. *Augustinus :* "Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat : vivebat fruens Deo, ex quo homo erat bonus : vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus, summa in came sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum; gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat *caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta;* atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum " '.

871. 5° Quibus privilegiis quintum addi potest, videlicet **dominium in animalia,** vi cujus homini non invite subjiciebantur; Deus siquidem, postquam hominem creavit, dixit : " Præsit piscibus maris et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra... "[3]. Cujus rationem sic reddit 5. *Thomas*[4] *:* decebat siquidem ut, quamdiu homo Deo subdebatur, ea quæ naturaliter homini sunt inferiora, ipsi facilius etiam obedirent. Atqui animalia naturaliter sunt homini subjecta : (a) nam imperfectiora cedunt in usum perfectorum : v. g., plantæ utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia vero plantis, et homines plantis et animalibus; (b) insuper ordo Providentiæ est ut inferiora per superiora gubernet; unde, cum homo sit supra cetera animalia, convenienter ejus gubernationi subduntur; (c) tandem in homine universalis invenitur prudentia, dum in aliis animalibus reperire

1 Ovid., *Metam.* 1. I, 89.
2 *De Civit. Deit* lib. XIV, c. 26, *P.* XLI, 434, Journel, 1762.
3 *Gen.'* I, 26-2S; ci. *Eccli.*^ XVII, 4.
4 S. Thom., I, q. 96, a. I.

est solummodo æstimationem naturalem circa actus particulares; jamvero particularia naturaliter universalibus subduntur.

872. *Thesis 2a :* Dona integritatis, protoparentibus collata, erant gratuita et præternaturalia ». Certum est.

(A) *Argumentum generale,* (a) Damnatæ fuerunt sequentes *Baii* propositiones (26,55)2 : " Integritas primae creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio"; "Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur". Hic notandum est propositiones Baii reprobatas esse *sensu ab assertoribus intento.* Jamvero verba *qualis nunc nascitur* in sensu Baii nihil aliud significant quam *sine gratia et dono integritatis.* Tuta igitur est *contradictoria,* nempe *integritas non fuit humanæ naturæ debita ;* sed Deus potuisset hominem creare qualis nunc nascitur, id est, sine gratia et dono integritatis, proinde, cum *quadam* ignorantia et concupiscentia, infirmitatibus et morte, sed *sine peccato.*

Dicitur cum *quadam* ignorantia, non autem necessario cum illo ignorantiæ et concupiscentiæ gradu in quo hodie nascimur; *sine peccato,* cum carentia gratiæ, quæ in nobis habet rationem privationis et peccati propter destinationem ad finem supernaturalem, non fuisset peccatum in iis qui ad finem mere naturalem ordinati essent.

Damnata est pariter ut falsa et erronea doctrina synodi *Pistoriensis* " de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectentem non modo *integritatem,* sed et justitiam interiorem...; quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium " 3.

(b) Experientia constat totum genus humanum dona integritatis per peccatum Adami amisisse; atqui æquum non videtur ut, sine propria culpa, homines amittant dona ipsi humanæ naturæ debita.

873. (B) *Speciatim de immunitate ab ignorantia.* Immunitas ab ignorantia est specialis acies et rectitudo intel-

1 Casini, *De Statu pura natura* (inter opera *Petavii,* ed. Vives, vol. IV, p. 5°9 $9·)» ubi egregie fuseque hac de re disputat.

* D. B., nn. 1026. ττ55· — 3 D. B.f 1516.

lectus, qua fit ut homo facillime scientiam acquirat; et in Adamo scientiam *infusam* includebat. Unde sic : (a) Illud solum est stricte homini debitum quod necessarium est ut possit physice et moraliter finem suum cognoscere, necnon media ad illum attingendum ; atqui, etiam sine infusa scientia et cum difficultate verum adipiscendi, homo potest finem suum, scilicet Deum, et media ad finem consequendum cognoscere, videlicet praecipua officia; dummodo enim operetur secundum ea quæ novit, nec aliunde negligat nosse quæ debet, bonum formaliter operabitur suumque finem attinget. Ergo immunitas ab ignorantia ipsi non debebatur.

(b) Insuper homo ita natura comparatus est ut pedetentim a rebus sensibilibus ad spiritualia ascendat *ratiocinando, inducendo, syllogizando;* quod quidem excludit exigentiam cujuslibet scientiæ infusae.

Hinc recte S. *Augustinus*[1] contra Pelagianos scribit : "Ad quam miseriam justæ damnationis pertinet *ignotantia* et *difficultas* (id est concupiscentia) quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, nec ab isto malo nisi Dei gratia quisquam liberatur... Quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis *primordia naturalia,* nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset Ex quo duo eruuntur, videlicet ignorantiam et concupiscentiam ex originali peccato quidem oriri, sed potuisse tamen, aliquo saltem gradu, existere absque peccato, quia, ut alibi exponit, non sunt malum morale, sed *defectus naturales,* ex quibus exsurgere possit *proficiendi admonitio,* et *perfectionis exordium.*

874. (C) De *immunitate a concupiscentia.* Concupiscentia, de qua hic agitur, est inclinatio appetitus sensitivi ~ad bonum sensibile, *prester* et *contra* ordinis rationem. His positis, sic argumentari datur : Immunitas a concupiscentia in tantum esset homini debita, in quantum concupiscentia repugnaret vel *in se,* vel *libertati,* vel *nativee hominis conditioni;* atqui nullum ex his dici potest :

(a) Non repugnat *in se;* nam, quidquid dicunt Protestantes, concupiscentia *in se* non est peccatum, sed solum tendentia, qua ad peccatum inclinamur; ad peccatum enim requiritur cognitio intellectus et liber voluntatis consensus;

[1] *Retract.* lib. If c. 9, ^ XXXII, 598, Journel, 1967.

jamvero, concupiscentia existere potest in nobis quin ei consentiamus; ergo ex se non est peccatum [1].

(b) Nec *libertati;* nam, non obstante concupiscentia, homo potest adhuc recte judicare, et rationis judicium sequi, accedente saltem auxilio divino quod non denegabitur.

(C) Nec *native? conditioni hominis;* nam concupiscentia *defluit ex hominis constitutione.* Cum enim cognitio intellectualis incipiat a sensu, connaturale est homini ut appetitus inferior praeveniat voluntatem ; et sic habetur concupiscentia. Praeterea, facultates sensibiles hominis naturaliter tendunt ad bonum sensibile, dum facultates intellectuales tendunt ad bonum spirituale; immo in his ipsis ad diversa objecta oriuntur oppositae tendentiae. Atqui ex illis contrariis propensionibus pugna naturaliter oritur, quæ concupiscentiam constituit ; ergo concupiscentia ex se homini naturalis est

875. (D) De *immortalitate.* Item immortalitas non est debita homini; nam duobus modis mors naturaliter evenire potest, vel ab *extrinseca* causa, v. g., per ignem, aquam, ensem, etc., vel ab *intrinseca* causa, scilicet naturali corruptione corporis; atqui Deus non tenetur hujus duplicis causæ impedire effectum, cum mors satis convenienter appareat ut transitus a statu viæ ad terminum; ergo homo est naturaliter mortalis (i, q. 76, a. 5 ; 2a 2®, q. 164, a. I, ad I.)

(E) De *impossibilitate.* Tandem, impassibilitas non erat homini debita. Nam natura humana^ utpote sensitiva, naturaliter est obnoxia jucundis aut injucundis sensationibus quæ per agentia naturalia causantur; atqui Deus minime tenetur impedire naturalem cursum agentium naturalium; ergo non tenetur hominem reddere impassibilem.

§ IV. Conclusiones exinde fluentes.

876. *Status naturæpuræ est possibilis* [2]. Certum est contra *Baianos* [3] quf absolute tenuerunt non potuisse horni-

[1] "Sed hæc (concupiscentia) etiamsi vocetur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur... Et ideo jam non sit peccatum, sed sic vocetur, sive quod peccato facta sit, sive quod peccandi delectatione moveatur, etsi ei vincente delectatione justitiæ non consentiatur". (S. August., *Contra duas Ep. Pelag. ad Bonify* l. I, c. 13, *P. L.y* XLIV, 563; Journel, 1887).

[2] Cf. Casini, *op. cit.*\ de Rubeis, *de Peccato origin.,* c. 38; Palmieri, th. 47; Mazzella, n. 680 sq.; Pesch., n. 224 sq. — [3] D. B., 1055, 1385.

nem creari in statu naturæ puræ, et quosdam *Augustinienses* ', qui contendebant id fieri posse quidem absolute, non autem attentis Dei attributis, ejus præsertim sapientia et bonitate.

Constat non solum ex *damnatione* propositionis *Bail supra* allatæ, sed etiam *ratione theologica.* Etenim status naturæ puræ consistit in eo quod homo ad finem naturalem destinetur, mediaque sufficientia ad hunc finem attingendum accipiat, absque gratia et dono integritatis; atqui, Deus non tenetur aliquid amplius dare homini, cum ex dictis, tum gratia, tum bona præternaturalia sint homini prorsus indebita.

Nec in hoc læditur *bonitas* divina, quæ satis manifestatur per largitionem donorum naturalium; aut *sapientia,* quæ requirit solum ut Deus homini præbeat media ad finem suum attingentium necessaria. Neque dici potest in hoc statu concupiscentiam insuperabilem fuisse, cum hodie nonnisi gratia vincatur; nam Deus gratuita auxilia ordinis *naturalis* præbuisset ad tentationes vincendas, oratione, v. g., obtinenda.

877. 2° *Triplicis generis bona protoparentibus collata sunt.*

(a) Bona *naturalia,* corpus scilicet et anima rationalis, intellectu et voluntate prædita, cum concursu naturali, ut explicatum est in Philosophia.

(b) Bona*præternaturalia,* scilicet immunitas ab ignorantia, concupiscentia, dolore et morte, quibus natura in *suo ordine* perficiebatur.

(C) Bona *supernaturalia,* scilicet gratia sanctificans dans jus ad visionem beatificam, cum virtutibus infusis aliisque privilegiis quibus ad ordinem *vere supernaturalem* elevabatur.

878. 3° *De mente S. Thomæ circa* gratiam sanctificantem et justitiam originalem.

Certum est, juxta S. Doctorem, gratiam habitualem *distingui* a justitia originali 2 Quomodo autem distinguatur, inter ejus discipulos *controveriitur.* i) Secundum *Salman-*

' **Berti,** *Augustianum systema vindicatum,* **dis. II., c. I, §6, n. 8; Norisius,** *Vindic. August.,* **c. III, § II. — » S. Thom., I, q. roo, a. r.**

licenses, Billuart, Card. Billot [1], justitia originalis in Adamo complectebatur tum gratiam sanctificantem tum donum integritatis, ita tamen ut gratia esset veluti elementum *formale* et donum integritatis elementum *materiale;* distinctio igitur inter utrumque est tantum inadæquata,

2) Secundum *Cajetanum, Bittremieux, Kors*[2], gratia sanctificans *adæquate* distinguitur a dono integritatis : prior enim est *omnino supernaturalis,* dum posterius est quid *in se* naturale, etsi modo gratuito et præternaturali protoparentibus concessum. Utrumque tamen ita connectebatur ut *gratia sanctificans* esset *causa efficiens* integritatis, integritas autem esset dispositio necessaria ad gratiam accipiendam. Ita intelligitur quomodo utrumque transmitteretur : Adamus per generationem directe *donum integritatis* transmittere debebat; quo posito, Deus ipse directe gratiam proli conceptæ conferebat, (cf. n. 936.)

879. 4° *Corollarium apologeticum.* Acatholici non pauci contendunt, e monumentis præhistoricis recenter inventis, constare primigenios homines in statu infimae barbariae vixisse, et nonnisi post multa saecula quamdam civilitatem attigisse; exinde inferunt falsa esse quæ in *Genesi* de felici protoparentum statu narrantur.

(A) Ad solvendam hanc difficultatem, animadvertimus ea quæ in *Genesi* narrantur *priora* esse iis monumentis quæ ab adversariis allegantur. Inventa sunt quidem *crania* hominum qui certe parum exculti erant; sed exinde logice inferri nequit primos homines fuisse barbariæ addictos.

Historia enim constat nonnullas tribus aut gentes *a superiori statu ad inferiorem lapsos esse* : ita Ægyptii, Assyrii, Mexicani, Peruvian!, etc., monumenta reliquerunt ex quibus constat apud eos quondam floruisse majorem civilitatem quam recentioribus temporibus. Igitur status ille infimus optime explicari potest per quamdam morum corruptionem, eo magis quia facilius est in deteriorem statum labi quam ab illo in altiorem erigi. Revera historia compertum est illas nationes rudes fuisse aut hodiedum etiam esse, quæ a *civilizationis centro depulsa,* illas remotas terræ partes incolere debuerunt, quæ propter aeris inclementiam vel fundi sterilitatem, aliasque hujusmodi causas, bonarum artium culturæ maxime obstant. Jamvero, si populi, qui duobus vel tribus annorum millibus ante ætatem nostram maxime exculti erant, ul

1 **Card. Billot,** *De peccato originali,* **th. II.**

2 **Kors.** *La justice primitive,* **p. 134 sq.;** *Ami du Clergé,* **1924» p. 69-72.**

Ægyptîi et Assyrii, in infimum statum lapsi sunt, quid prohibet quominus protoparentes intellectualibus donis egregie ornati fuerint, etsi nonnulli ex eorum posteris, e centro civilizationis discedentes, post aliquod tempus in barbariæ statum deciderint?

880. (B) Insuper quædam invenitur concordia inter fidem et scientiam *quoadfacta quadam maximi momenti.* Scriptura videlicet in eo insistit quod primi homines *ratione* et *religiositate* præditi fuerint. Quod quidem confirmatur non solum antiquis traditionibus de *atate aurea,* sed etiam *recentioribus inventis prahistoricis.*

1) Ad *rationem* quod spectat, inspectis *craniis* quæ pro antiquissimis habentur, horum capacitas multo major apparet quam perfectissimorum brutorum; multa ex eis ostendunt homines illius temporis haud mediocri ingenio praeditos fuisse 1; si ex quibusdam aliis infertur aliquot homines fuisse infimæ omnino conditionis, id mirum non est, cum hodie etiam *nigrita* inveniantur qui ceteris hominibus multo inferiores sint.

Quod confirmant antiquissima vestigia humanæ artis, quæ recenter inventa sunt, praesertim si attendimus plus ingenii ad nova inventa, v. g., ad *primam securim* faciendam, requiri quam ad res jam inventas expoliendas.

2) Si de *religione* agitur, receutissimi auctores qui hac de re disserunt, etiam acatholici, candide fatentur ex antiquissimis monumentis quæ primigenii homines reliquerunt, picturis, statuis, sepulchris, evidenter constare *religiositatem* esse unum ex primis et essentialibus attributis humanæ naturæ 2.

Nil igitur timendum habet fides nostra a vera scientia 3.

‘ Quod candide fatetur Virchow * *{Discours au Congris des Anthropol. de Munich,* Sept. 1877) : “ Quoties hominis quaternarii vestigia investigamus, qui certe primævo homini proximior erat quam nos, semper hominem nostri similem invenimus. Decem fere abhinc annis nonnulla crania in torbicinis *{tourbières),* in depositis lacustribus, vel in antiquissimis cavernis inventa sunt. Docti viri primum de homine silvestri, imperfecte evoluto, hic agi autumarunt; sed hæc opinio cito evanuit Antiqui troglodyte, antrorum habitatores, torbicinarum incolæ tamquam viros magna æstimatione dignos sese offerunt. Ipsis talis dimensionis erat cranium, ut plures nostri temporis simile habere gauderent. Quod si humana fossilia, quæ huc usque reperta sunt, cum præsentibus exemplaribus comparentur, haud temere affirmari potest nostris temporibus quamplures esse qui minoris capacitatis cranium habent ”.

3 Ita, inter alios, *Roskoff, Rivilte, Sal. Reinach, A. Lang,* quorum opera allegavimus in *Tr. de Vera Religione,* n. 112.

3 Ad fusiorem hujus difficultatis solutionem, cfr. De Quatrefages, *Introduction à l'itude des races sauvages,* Paris, 1889 ; *Hominesfossiles et hommes sauvages,* Paris, 1884; de Nadaillac, *Leproblème delà vie,* Paris, Masson, 1893; Hamard. *L'&ge de lapierre et Vhomme primitif,* Paris, Haton, 1883; J. Déchelctte, *Manuel d?Archéologie préhistorique,* Paris, Picard, 1908; H. BreuiL

Art. III. De Hominis lapsu.

881. Post dicta de elevatione hominis ad statum supernaturalem, de ejusdem *lapsu* disserere oportet : primum quidem de lapsu *protoparentum,* qui peccatum *originale originans* dicitur, quia videlicet peccatum *personale* Adae *origo* seu causa fuit illius peccati quod in ejus posteroS transiit; postea vero de lapsu *totius generis humani,* qui vocatur peccatum *originale originatum,* eo quod Adae posteri illud in sua conceptione seu in sua origine contrahunt.

§ I. De protoparentum peccato SEU DE PECCATO ORIGINANTE τ.

Dicemus : i° de *existentia;* 2° de *effectibus ;* 30 de *natura* hujus peccati.

882. i° *Thesis :* Protoparentes mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt ac proinde graviter peccaverunt.

mum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseque, per offensam praevaricationis hujusmodi, iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, A. S." Quibus verbis *peccatum* Adae ejusque *effectus* praecipui clare definiuntur.

Les plus anciennes races humaines connues, in *Rev. des Sc. philos, et thiol.,* t. III, 19

nyer, *La révélation primitive,* 1914; Guibertet Chinchole, *op. cit.,* 501-634.

' Cf. S. Thom., 2a 2æ, q. 163-165; Suarez, *de Opere sex dier.,* 1. IV ; Bellarminus, *Controv.,* de Amissione Gratiæ, lib. III; Petavius, *de Sex dierum opif.,* 1. II, c. 9-10; de Rubeis, *de Peccato originali;* Mazzella, n. 901 sq. ; Pesch, n. 228 sq. ; Bainvel, p. 172-193; L. Labauche, p. 54-63; Abbé de Broglie, t. II, Conf. 3e et 4e; L. Janssens, *op. cit.,* p. 388-494.

3 *Trid.,* sess. V, can. I, D. B., 788.

Probatur prius i° *Script.* (A) *Ex Genesi.* Ad thesim demonstrandam, duo sunt probanda : protoparentes verum præceptum accepisse, illudque transgressos fuisse. Atqui utrumque constat : (a) Nam Deus prohibuerat ne, sub poena mortis, protoparentes comederent de ligno scientiæ boni et mali : " In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris^' [x].

(b) Aliunde protoparentes præceptum violarunt libere comedendo de illo fructu, instigante diabolo sub forma serpentis : qui primum seduxit Evam, et mediante Eva, ejus virum [2] : " Et tulit de fructu illius, et comedit deditque viro suo qui comedit " [3].

(B) *Ex aliis libris.* Lapsus protoparentum commemoratur : (a) in *Sapientia* [4], ubi adseribitur non serpenti, sed diabolo : " Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum (b) apud *Ecclesiasticum* [5], ubi mulieri initium peccati tribuitur : " A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur " ; (c) apud *Tobiam,* ubi declaratur initium perditionis nostræ fuisse superbiam : " In ipsa (superbia) enim initium sumpsit omnis perditio[6]; (d) apud S. *Paulum,* qui docet per unum hominem peccatum ingressum esse in mundum et nos omnes in Adamo mori [7]; Adamum quidem non esse seductum, sed mulierem seductam esse [8], ut infra exponetur. Certum est igitur protoparentes peccasse.

[*] *Gen.,* II, 17. Multi de morte tum corporis tum animæ præfata verba intelligunt, alii de sola morte corporis, ita tamen ut sensus sit : morti obnoxius eris. Cf. Petav., *op. cil.,* l. II, c. 10. Vel dici potest Deum comminatum esse mortem pro tempore quo Adam peccaret, sed postea sententiæ exsecutionem ex misericordia distulisse.

[3] *Gen.,* III, 6. — [3] *Gen.,* III, 1-6.

[*] *Sap.,* II, 24. — Pariter, *Apoc.,* XX, 2, dicitur serpentem antiquum esse diabolum; cfr. XII, 3-9.

[5] *Ecdi.,* XXV, 33.

[6] *Tob.,* IV, 14. Quod confirmatur *Ecdi.,* X, 15 (see. Vulgatam) : ""Quoniam initium omnis peccati est superbia-". — Adami lapsus in libris apocryphis describitur, præsertim *Henoch* (IX, 6-8; X, 8; LXIX, 11), ubi asseritur primos homines, immortales a Deo creatos, nonnisi per peccatum mortales factos esse, eos vero ad peccandum per angelos inductos esse. (F. Martin, *Le Livre cPHénoch,* 1906, p. XXXI). Cfr. *IVEsd.,* VII, 46-48.

[7] *Rom.,* V, 12-19; *I Cor.,* XV, 21-23.

[8] *1 Tim.,* II, 13-14·

Patrum doctrina de hac re est unanimis ». *Commissio* vero *biblica* declarat sensum litteralem historicum tum *præcepti divini* tum ejusdem ab Adamo *transgressionis* 2.

2° *Ratione* non potest quidem demonstrari existentia peccati Adæ, sed solum investigari *quomodo homo peccare potuerit,* cum esset immunis ab immoderata concupiscentia. Jamvero hæc immunitas tollebat quidem unam e causis peccati, non autem omnes. Siquidem peccare nihil aliud est nisi declinare a regula morum, ideoque *ille solus est natura impeccabilis, cujus regula est propria voluntas ;* atqui hoc est proprium Dei ; ergo homo, etiam a concupiscentia immunis, peccabilis erat 3. Atqui non est mirum quod voluntas defectibilis aliquando deficiat et peccet.

Confirmatur exemplo angelorum, qui, etsi nullam concupiscentiam habebant, peccare potuerunt, et de facto peccarunt. — Ratio autem cur Deus creaverit homines et angelos liberos et peccabiles, erat ut sic mereri et demereri possent : melius est enim finem suum attingere libere quam veluti coacte.

883. *Probatur posterius* /transgressio Adami fuit *grave peccatum.* Constat ex *gravitate præcepti :* præceptum enim protoparentibus impositum omnino grave erat ut patet : (a) ex *fine præcepti :* Deus enim volebat, per illam prohibitionem, exigere tributum subjectionis et obedientiæ ; atqui homo tenetur sub gravi hoc tributum Deo solvere; (b) *ex comminatione gravis pœnæ :* eo enim gravius apparet præceptum quo majori poena sancitur; atqui poena comminata erat gravissima, scilicet poena mortis pro corpore et anima; (c) ex *dispositionibus subjecti :* Adamus enim cum plena cognitione et deliberatione peccavit; (d) ex *effectibus* peccati tum quoad *protoparentes* ipsos, tum quoad *posteros,* ut infra declarabimus.

884. 20 De effectibus hujus peccati. *Per peccatum, protoparentes amiserunt dona supernaturalia seu gratiam, et donapræternaturalia, .Dgfide* est quoad gratiam et immor-~ talitatem e *Trident,* supra allegato, n. 882 ; *certum est* quoad alia dona præternaturalia.

' Cf. Journel, n. 229-234 Indicis theolog.
1 D. B., 2123. — 3 S. Thom., I, q. 63, a. 1.

(A) *Quoad gratiam.* Ex dictis[5] protoparentes graviter peccaverunt; atqui status justitiæ seu gratiæ est incompossibilis cum statu peccati, juxta illud. " Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras"? — Revera intimæ familiaritati, quæ ante peccatum inter Deum et hominem erat, succedit status inimicitiae quem manifestant pœnæ juste protoparentibus inflictae.

(B) Quoad *dona pratematuralia,* protoparentes amiserunt : (a) *immunitatem a concupiscentia;* nam dicitur : " Aperti sunt oculi eorum,cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus *'(3]* atqui talis agendi ratio protoparentum ostendit illos sensisse primos concupiscentiae motus; (b) *immartalitatem,* juxta illud : " Pulvis es et in pulverem reverteris *{p)felicitatem* terrenam ; nam ejecti sunt e paradiso voluptatis, et laboribus infirmitatibusque obnoxii facti sunt : " In sudore vultus tui vesceris pane... in dolore paries filios '(jjetc.

Quod quidem rationi consentaneum est : nam dona praeternaturalia annexa erant gratiæ sanctificanti, et perseverare debebant quamdiu voluntas hominis perfecte Deo subdebatur; atqui, per peccatum voluntas hominis a divina subjectione recessit; ergo merito illa dona amissa sunt [5].

885. [30] De **natura hujus peccati.** (A) Praenotamus narrationem mosaicam de peccato protoparentum non fuisse ab omnibus eodem modo intellectam.

(a) Quidam, cum *Philone, allegorice* eam interpretati sunt : serpens nihil aliud significat nisi sensibilem delectationem, mulier concupiscentiam camis, homo superbiam, ita ut sensus narrationis sit hominem, variis passionibus irretitum et tentalum, peccasse et praesentes miserias incurrisse. Similes allegoricas explicationes proposuerunt *Clemens Alex,* et *Origenes.* Quas ampliaverunt Protestantes *liberales***. — Cui systemati affinis est expositio eorum

[1] *II* Cor., VI, 14.— [3] * HI* 7' — [3] *Gen.,* **III,** 19. — [4] **Gen.,* **III,** 16-20.

[5] S. Tfiom , i* 2X, q. 85, a. 5. — Nec tamen putandum est omnem cognitionem, in Adami intellectu intusam, fuisse omnino amissam; non potuisset enim officio suo fungi» nisi scientiam statui suo proportionatam servasset ; sed, post peccatum, jam nonnisi cum difficultate scientiam novam comparare potuit, sicut homo hodie.

[6] Ita, v. g., *Schleiermothery* cujus theoriam refert J. Bovon *, *Dogmatique chriis* **t** I, 350-361 ; A. Sabatier *, *Esquisse d'une Philos, de la Religa* p. 142.

qui, cum *F Lenormant* et *A. Loisy* ', putant hanc narrationem quasi *ex integro* depromptam esse ex Chaldæorum mythologiis, expurgato tamen quovis polytheismi errore.

(b) Alii vero omnia litteraliter intelligunt, non solum præceptum comedendi ex fructu arboris scientiæ boni et mali, sed etiam locutionem serpentis et pœnam ipsi inflictam super pectus gradiendi1, etc.

886. (c) Inter hæc duo extrema incedit *Commissio biblica* (supra, n. 740) quæ declarat, ex una parte, sensum *litteralem historicum* admittendum esse speciatim ubi agitur de originali protoparentum felicitate in statu justitiæ, integritatis et immortalitatis, — de praecepto a Deo homini dato ad ejus obedientiam probandam, — de divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressione, — de protoparentum dejectione ab illo primaevo innocentiae statu; et, ex altera, in interpretandis hujusmodi factis, permitti, ubi Patres et Doctores *diverso modo* ea intellexerunt, eam sequi sententiam quam quisque prudenter probaverit; immo declarat non omnia et singula,·verba videlicet et phrases, semper et necessario accipienda esse sensu proprio, sed ab eo discedere licere cum locutiones ipsae manifesto apparent improprie seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae.

Rejiciendae sunt igitur expositiones *mere allegories,* aut *mythologies,* quatenus affirmant praecipuam partem mosaicae narrationis ex mythis depromptam esse 3 ; necnon *mere litterales,* quæ narrationem incredulorum irrisioni exponerent 4.

Quænam autem verba aut phrases metaphorice intelligi possint, libere inter scriptores catholicos expenditur, dummodo sensus historicus et litteralis retineatur quoad facta superius recensita, nempe præceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam, ejusdem transgressionem, diabolo sub specie ser-

1 *Les Mythes Babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse,* Paris, 1901.

3 Cf. Maas, *Christ in type,* t I, p. 186 sq.; et quidam Commentatores Genesis.

3 Admitti autem potest auctorem sacrum documentis vel oralibus traditionibus etiam profanis *moderate* usum esse, ea sapienter expurgando, ut constat ex alio dec. *Commissionis bibi.,* 2.7 jun. 1906.

4 V. g., litteraliter interpretando quæ referuntur de Deo ambulante in paradiso ad auram post meridiem, de serpente ipso loquente (dum *Commis, bibi.* merito loquitur de diabolo *sub serpentis specie* suasore), aut pedibus gradients ante lapsum posteaque terram comedente, etc.

pentis suasore, et protoparentum dejectionem a primævo innocentiae statu.

8S7. (B) Quibus praenotatis, nobis probabilior videtur sententia S. natura peccati Adæ, secundum quam primus homo peccavit per *superbiant,* inordinate appetendo divinam similitudinem, *principaliter* quantum ad scientiam boni et mali, volens nempe sibi determinare, per virtutem propriae naturæ, quid esset bonum et quid malum ad agendum \ *secundario* autem quantum ad propriam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriæ naturæ operaretur ac beatitudinem consequendam. Inobgdientia igitur non fuit primum Adæ peccatum, cum non sit propter se appetibilis, sed ex superbia ipsa causata fuita.

Insuper, secundum multos theologos, Adamus commisit peccatum *inordinati amoris* erga uxorem, dum, illa suggerente, fructum comedit; Eva autem peccatum *gula :* "Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum 'QJ-. et peccatum *scandali,* dum fructum pnebuit viro; immo, juxta probabilem sententiam, peccatum *infidelitatis,* credendo verbis diaboli contra Deum loquentis; dicitur enim a S. *Pauld&:* " Vir non est seductus; *mulier autem seducta* in praevaricatione fuit

888. De conversione protoparentum. Protoparentes sui peccati veniam obtinuisse Scriptura constat : " Hæc (Sapientia) illum qui primum formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et *eduxit illum a delicto suo^fifi)* Communis sententia est eos salutem consecutos esse; ait enim 5. *Augustinus* 6 Ecclesiam fere totam consentire Christum, cum ad inferos descendit, inde Adamum liberasse, etiamsi, inquit, canonicarum Scripturarum expressa non proferatur auctoritas. Revera, quando Tatianus, circa finem sæculi IΓ, docuit Adamum inter reprobos adnumerandum esse, a Patribus severe reprehensus est.

l *Sum. theol.,* 2* 2*, q. 163, a. 1-2.

' Juxta S. *Thomam* igitur, comestio fructus prohibiti fuit quid omnino secundarium, et ita evanescit difficultas quam desumunt *Rationalists* e defectu proportionis inter præceptum et poenam. Immo, juxta eumdem, ia 2æ, q. Si, a. 2, et *de Malo,* q. 4, a. 8, peccatum Adæ infecit totum genus suum in quantum fuit *primum grave* peccatum ; ita ut, si ipse non peccasset, peccasset vero quilibet e posteris ejus, iste induxisset in posteros suos originale peccatum. Quod et docet Card. Billot, *De peccato originali,* 1910, 13-14.

3 *Gen.,* Ill, 6. — 4 *I Tim..* II, 14.

5 5α/., X, I. — Quod jam innuitur *Gen^* Ill, 15.

iJJad Evod. (al. 99), P. XXXIII, 711,

In Ecclesia græca, festum Adami et Evæ celebratur die dominica quæ præcedit Nativitatem Domini *.

§ II. De peccato originali in Adæ posteris.

Dicemus : i° de *existentia;* 2° de *effectibus;* 3° de *natura;* 4° de *concordia* catholicæ doctrinæ *cum ratione.*

I. De existentia originalis peccati in Adæ posteris.

9

889. *Status quæstionis.* Dogma catholicum est Adamum peccando non solum sibi, sed etiam nobis, amisisse sanctitatem, in qua constitutus fuerat, nobisque transmittere *reatum culpæ,* quo peccatores ab initio constituimur. Illud peccatum, quod posteri Adæ contrahunt in sua origine, vocatur proprie *peccatum originale,* cujus naturam postea explicabimus.

Ejus *existentia* demonstranda est contra *Pelagianos, Unitarios* et *Liberales,* qui contendunt Adami peccatum ipsi soli, *non autem* ejus *posteris nocuisse,* nisi forte *malum exemplum* præbendo 2. *Rationalistes* pariter peccatum originale rejiciunt, utpote *rationi contrarium,'* quorum difficultates infra exponentur et solventur.

890. *Thesis :* Omnes et singuli homines, ex Adamo naturaliter geniti, excepta B. Virgine, in conceptione sua, peccatum aliquod contrahunt, quod merito vocatur originale peccatum 3.

Defide est ex Tridentino * :* " Si quis Adæ prævaricatio-

1 Cf. X. Le Bachelet, *ddam,* in Z). *T. C.,* t. I, 379.

3 Unitariorum doctrinam exponit J. F. Clarke, *Manual of Unitarian belief,* Boston, 1S88, p. 37. Idem fere tenent plerique Protestantes in Gallia, ut videre est ap. F. Lichtenberger, *Encycl. des Sc. Religieuses,* voce *Péché,* vol. X, p. 358 sq. — Hodie Liberales *symbolice* interpretantur mosaicam narrationem lapsus, et dicunt ea nihil aliud significari nisi interiorem pugnam quæ in quolibet homine existit. Ita, v. g., A. Sabatier*, *Esquisse d'une philos, de la Religion.*

3 Cf. S. Thom. Ia 2æ, q. 81 ; *C. Gent.,* 1. IV, c. 50-52; S. Bellarminus, *op. cit.,* 1. IV; de Rubeis, *op. cit.·,* Palmieri, th. 66-70; Mazzella, n. 917 sq.; Hodge*, *Systematic theol.,* vol. II, § 8-13; Bainvel, p. 194-239; Le Bachelet, *Le péché originel,* 1900, p. 69 sq. et *D. A.,* t. III, 1735-1755; de Broglie, 5e Confer. ; L. Labauche, p. 64 sq. ; S. Harent, *Cath. Encyclopedia,* t. XI, p. 312 sq. — 4 Sess. V, can. 2, D. B., 789.

nem sibi soli, et non *ejus propagini,* asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non *nobis etiam eum perdidisse :* aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum *transfudisse,* non autem et *peccatum,* quod mors est animæ, A. S., cum contradicat Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum,* etc.

(a) Dicitur "*naturaliter geniti",* nam, peccatum originale in eos tantum propagatur qui cum semine ex Adamo generantur, ut ait *Trident.*[1] Homines, nisi ex semine Adæ nascerentur, non nascerentur injusti ", Proinde si quis homo a Deo directe crearetur, aut extra leges naturales conciperetur, non esset obnoxius originali culpæ. Exceptio autem adest pro B. \7irgine, ut probatur in *Tr. de Verbo Incarnato.*

(b) Animadverte in canone *Tridentino* duo definiri : i) *peccatum* (et non solum poenas peccati) in posteros Adæ transfusum esse; 2) hoc peccatum præcipue in amissione sanctitatis seu gratiæ sanctificantis consistere.

891. Scriptura. i° In *Vet. Testamento,* transmissio peccati Adæ in ejus posteros ex quibusdam textibus et præsertim ex tota oeconomia V. Test, merito infertur, accedente præsertim N. Testamenti et Patrum auctoritate.

(a) Ex *Genesi*[2]3constat non solum Adamum, sed etiam ejus *posteros* privatos esse *intima familiaritate cum Deo* ideoque *gratia* sanctificante qua protoparentes fruebantur, necnon donis immortalitatis et immunitatis a concupiscentia; ideoque cum Adamo a paradiso expulsos fuisse.

(b) In libro *fob* textum habemus quo Patres usi sunt adversus Pelagianos. Sic legitur in *Vulgata* 3 : " Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?"; in *hebraico* textu : "Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem"; *Septuaginta* habent : "Quis enim mundus a sorde? Nullus, etsi una dies sit vita ejus super terram ". Jamvero *Vulgata* et versio *Septuag.* merito intelliguntur de peccato originali a traditione judaica et Christiana [4]; sed textus hebraicus

[1] *Gen.,* Ill, 17-20. — [2] Sess. VI, cap. 3, D. B., 795.
[3] *Job,* XIV, 4. —[4] Pesch, n. 239.

potest etiam significare nôs omnes peccatores esse, quia ex parentibus peccatoribus concepti sumus, ac proinde nonnisi *probabile* argumentum præbet.

(c) Patres pariter arguunt ex *Ps. Miserere* l : "Ecce enim in iniquitatibus (hebr. *pravitate}* conceptus sum, et in peccatis *{hebr. peccato}* concepit me mater mea". Hic enim David non loquitur de peccato parentum, cum ex legitimo matrimonio conceptus fuerit; nec de peccato proprio actuali, quod instanti conceptionis committere nequibat; ergo de peccato originali. Attamen præfata verba possunt intelligi de *concupiscentia,* quæ aliquando peccatum appellatur, eo magis quia hic David veniam suam implorat dicendo se conceptum fuisse in infirmitate, in pravitate, seu cum inclinatione ad malum. Sed illa concupiscentia vocatur *peccatum,* quia procedit a peccato protoparentum et ad peccatum inclinat; et sic *indirecte* et *probabiliter* saltem argumentum ex hoc textu desumitur.

(d) In libris *sapientialibus,* lex *solidaritatis* aliqualis quæ modo generali antea enuntiata fuerat his verbis : "Ego sum Dominus... *visitans* iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me "a, speciatim applicatur protoparentum culpæ quatenus in omnes homines transmittitur : "A muliere initium factum est peccati et *per illam* omnes morimur "3.

(e) Hi autem textus vim novam accipiunt ex *tota oeconomia Vet. Testamenti,* quæ nihil aliud erat nisi manifestatio status lapsi et miserabilis, a quo genus humanum liberari non poterat nisi adventu et opere Salvatoris, ut ex prophetiis constat, v. g., his *Isaiæ* verbis : "Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis "4.

Quam doctrinam clarius asserunt libri *apocryphi,* qui, etsi non inspirati, rabbinorum tempore adventus Christi mentem exponunt. Ita in quarto libro *Esdræ* legitur5 : "O tu quid fecisti, Adam? Si enim tu peccasti, non est factus solius tuus casus, sed et noster qui ex te advenimus". — Tempore igitur quo Christus apparuit in terris, rabbini satis communiter admittebant homines laborare quadam spirituali infirmitate et propensione in malum (quandoque *peccatum* dicta), quam tanquam hereditatem ab Adamo trahebant.

Ita mentes parabantur pleniori hujus dogmatis revelationi.

A. L, 7. — ' *Exod.,* XX, 5.

3 *Eccli.,* XXV, 33; cfr. *Sap.,* II, 23-24. — 4 *Isa.,* IX, 2.

s *IV Esdr.,* VII, 48; cfr. Tixeront, t I, p. 39-4°; J. B. Frey, *L'itat original et la chute de [homme, d'après les conceptionsjuives au temps de J. C.,* in *Rev. des sc. ph. et thiol.,* içil, p. 507-545.

892. 2° In *Novo Testamento,* originalis peccati transmissio *implicite* traditur - in *Evangeliis, diserte* autem a S. *Paulo.*

(A) In *Evangeliis,* Christus, regnum Dei annuntians, supponit omnes homines in quodam *statu peccati* versari, omnesque ad paenitentiam vocat; postea necessitatem baptismi seu *spiritualis ablutionis* et *regenerationis,* prædicat, et quidem pro parvulis et adultis, absque ullo discrimine, sive ad regnum ingrediendum sive ad salutem : " Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" x; "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit"2 Atqui ex universali necessitate hujus baptismi merito postea inferetur quemdam esse in omnibus *statum peccaminosum* quem exuere necesse sit.

(B) S. *Paulus* vero rem lucidius exponit, (a) Hanc veritatem innuit, cum Ephesios alloquens qui conversi fuerant, scribit : " Et eramus *natura* filii iræ, sicut et ceteri " 3; hac enim voce *natura* significare videtur nos omnes jam *a nativitate* esse Deo odibiles, ideoque in statu quodam peccaminoso, licet in contextu potius agatur de peccatorum actualium frequentia. — Clarius mentem aperit, dum de resurrectione Christi loquens, ait : " Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur " 4.

893. (b) *Diserte* autem originalis peccati transmissionem asserit et probat in *ep. ad Rom.* 5 Ibi explicite agens de justificatione (seu gratiæ infusione), parallelismum instituit inter *duo humani generis capita,* nempe inter *Christum* et *Adamum,* ostenditque *omnes homines mori* quia *omnes peccaverunt,* et quidem *per Adamum,* — sicut *omnès vivificanturper Christum :* " Sicut per unum hominem *peccatum* in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in *omnes homines* mors pertransiit, in quo6 *omnes peccaverunt...*

Joan., III, 5. — ' Jfarr.,XVI, 16. — ' *Ephes.,* II, 3. — ‹ *I Cor.,* XV, 21-22.

5 Cfr. Patrizi, *De peccati origin, propagatione a Paulo descripta,* inter *Commentationes tres,* Romæ, 1851 ; Corluy. *Spicilegium,* t. I, p. 228 sq. ; F. Prat, S- J.» *La Théologie de S. Paul,* Paris, 1923, I, p. 250-263; Tobac, *Le problimc de lajustification dans S. Paul,* Louvain, 1909, p. 80 sq.

4 Utrum *in quo* (græce ἐο'ὠ) significet *in Adamo,* an *eo quod, quia,* disputa-

regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est *forma futuri*... Et non sicut per unum peccatum, ita et donum : nam judicium quidem *ex uno in condemnationem,* gratia autem ex multis delictis in justificationem... Sicut enim *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti* sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi " ».

Unde sic : ex his verbis constat *per Adamum peccatum aliquod intravisse in hunc mundum,* id est in *omnes homines,* ut ex contextu apparet, et per Adamum *omnes* homines *peccatores constitutos* fuisse.

Atqui peccatum de quo agitur est peccatum originale; nam : 1) est *verum peccatum,* et non solum pœna peccati, seu mors, ut volunt Pelagiani et Liberales; Apostolus enim sedulo distinguit inter *peccatum* ipsum quod vocat " ἁμαρτία "[2] et *mortem* quæ est pœna peccati, et asserit *utrumque* incurri : " per unum hominem *peccatum* in hunc mundum intravit, et *per peccatum mors*" (12); — insuper addit per Adamum homines *peccatores constitutos* fuisse (19) : quod non potest intelligi nisi de peccato vere animæ inhærente. — Nec est *sola concupiscentia :* etsi enim Apostolus sæpe loquitur de concupiscentia, quam aliquando peccatum vocat quatenus nos ad peccatum inclinat, hic non agit de sola concupiscentia; nam peccatum illud opponitur *justitiæ* seu gratiæ (18-19), ideoque in justis remanere

tur inter Commentatores. Prior sententia, asserens *in quo* significare *in Adamo,* pro se habet Patres latinos, quorum tamen auctoritas in quæstione philologiae græcæ non est tanti valons ac Graecorum, plerosque doctores catholicos antiquos et nonnullos recentes· Posterior habet pro se syntaxim et usum loquendi Graecorum, Patres graecos quinque linguæ suæ peritissimos, plerasque versiones, doctores catholicos recentes non paucos eruditione praestantes. — Quaecumque autem interpretatio admittitur, nil refert ad probationem thesis nostrae; nam etiamsi *in quo* idem sonet ac *quia, quatenus,* totus postulat contextus ut mors et peccatum *per Adamum* in nos transierint, tum quia dicitur : " per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit ", tum quia infra additur : " unius delicto multi mortui sunt,... sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ".

[1] *Rom.,* V, 12-19. — *Totus contextus legendus est,* ut argumentum intelligatur.

[2] Quæ vox, hebraice *hatlah,* designat *perversam voluntatem, actualem* aut *habitualem,* qua a Deo avertimur ejusque inimici efficimur. Cfr. Prat, p. 253.

nequit, *{Rom.,* VIII, i) dum in eis concupiscentia manet; præterea peccatum illud est " *in omnes homines in condemnationem"* (iS) : quod certe de sola concupiscentia dici nequit, sed solum de ea quæ *reatum culpæ* includit. Ergo peccatum, de quo agitur, est *vere peccatum.*

2) Illud peccatum *non est peccatum actuale,* in imitationem peccati Adæ commissum, sed *peccatum speciale,* quod per Adam in hunc mundum intravit, mortem secum trahens (12), etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adæ [1][3](14), quod fuit *unius hominis* et per quod tamen *peccatores* constituti sunt *multi*[3] (19), et omnibus fuit causa condemnationis (18); atqui hæc omnia *soli peccato originali* competunt, quod, a solo Adamo commissum, in omnes ejus posteros tanquam *hereditarium* transit, vi nempe *solidaritatis,* qua omnes homines cum Adamo connectuntur, humani generis capite (qui est *forma futuri}* sicut omnes connectuntur cum Christo.

Ergo peccatum de quo agit S. Paulus non est peccatum actuale; nec aliunde mera pcenalitas aut sola concupiscentia, sed peccatum *sui generis,* peccatum *habituale* quod in suo ambitu complectitur *reatum culpæ, concupiscentiam* seu inclinationem ad peccandum, et utriusque *transmissionem* in omnes homines ob solius Adæ culpam.

Hic notandum est vim hujus argumenti eo majorem esse quod Paulus non directe de originali peccato agit, sed de Redemptione; supponit itaque doctrinam quam exponit jam esse notam et ab omnibus admissam.

894. Traditione. Duo stadia in hujus dogmatis praedicatione distinguenda sunt : *ante* et *post* haeresim pelagianam. (a) *Ante hæresim pelagianam,* per quatuor priora

[1] De sensu vers. 13 et 14 disputatur inter commentatores; probabilior videtur hæc interpretatio : peccatum non imputatur in poenam temporalem, ideoque in mortem quando non existit *lex positiva* eam indicens; atqui ab Adamo ad Moysen omnes, etiam qui legem poenalem positivam transgressi non erant, in imitationem Adæ moriebantur ; ergo mortem subierunt in poenam peccati ab Adamo commissi» quod in eos hereditate transiit. Immo, licet *infantes* directe forsan ibi non significentur, implicite tamen in generali illa lege comprehenduntur. Cf. Corluy, 1. cit» p. 243-244.

[3] Græca vox οι πολλοι (cum articulo) quæ hic redditur *multi,* significat *omnes* (n. 537).

sæcula, fides in peccati originalis transmissionem vigebat *explicite* quidem, sed nec frequenter nec diserte proponebatur, quia pastorum et fidelium mens in aliis quaestionibus, præsertim christologicis, tota fere occupabatur, (b) *Orta vero pelagiana hæresi,* dogma catholicum *frequentius et explicitius* propositum et propugnatum fuit, præsertim a S. *Augustino,* moxque ab Ecclesia definitum.

895. i° Per quatuor priora sæcula, originalis peccati existentia dupliciter asserta fuit : —

(A) *Ecclesiæpraxi,* quæ baptismi sacramentum non solum adultis sed etiam *infantibus* ministrare non desiit, et quidem in *remissionem peccatorum;* quod supponit fidem in peccatum originale, cum infantes actualis peccati incapaces sint. Baptismum vero fuisse collatum *in remissionem peccatorum,* constat : (a) ex ipso *ritu immersionis,* quo Christianus veluti sepeliebatur in aqua ut, peccato mortuus, in novitate vitæ ambulare posset, secundum doctrinam S. Pauli 1; quod jam commemorat *Hermas*2, cum de baptizatis scribit : " mortui descenderunt, vivi autem ascenderunt necnon ex variis *exorcismis* qui olim in recipiendis catechumenis (nunc in ipso baptismo) adhibebantur ad fugandum diabolum; (b) ex *Symbolis* in quibus legitur: "Confiteor unum *baptisma in remissionem peccatorum"*3; (c) ex testimonio *Patrum,* qui communiter jam a tertio sæculo affirmant baptismum parvulis conferri in remissionem *peccati originalis;* ita, apud Latinos, S. *Cyprianus* 4, cum 66 Africanis episcopis, scribit : " Infans recens natus nihil peccavit nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi *remittuntur non propria, sed aliena peccata*

Pariter explicat *Origenes parvulos* ideo *baptizari* quia et ipsi *peccati sorde* maculantur 5 ; " Quid causæ sit, cum *baptisma Ecclesiæ*

1 *Rom.,* VI, 4-

2 *Simil.y* IX» i6, p. 6n ed. *Ftink** Journel, 92.

3D. B., 86.

* *Epistl.,* LIX, 5, *P. L.,* III, 1019.

5 *In Levit.,* homil. VIII, 3, *P. G.,* XII, 496, Journel, 496; cfr. *In Ep. ad Rom.t* V, 9, *P. G.,* XIV, 1043; *In Luc.,* hom. 14, *P. G.,* XIII, 1834 sq.

pro remissione peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam etiam parvulis baptismum dari ; cum utique, si nihil esset in parvulis quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua vaderetur ". Merito itaque 5. *Augustinus* hoc argumentum urgebat contra Pelagianos 1 : " Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt.concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris, ut abluti per sacramentum... ut salvi, ut liberati, ut redempti, ut illuminati fiant. Unde? nisi a morte, vitiis, reatu, subjectione, tenebris peccatorum? Quæ quoniam nulla in ea ætate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum... Quid de ipsa forma sacramenti loquar?... Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?... Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset? Quomodo converti ad Dominum, a quo non esset aversus ? "

896. (B) *Patrum* testimonio, *obiter* quidem dogma catholicum exponentium, quia res nondum controvertebatur, sed *indubitanter* tamen, ita ut mens Ecclesiæ clare constet.

(a) *Secundo sec., S. Justinus* scribit Christum baptizatum fuisse, non quia baptismo indigebat, sed *gesteris humani causa, " quodper Adam in mortem et fraudem seductionemque serpentis inciderat,* unoquoque sua culpa improbe agente "2. Quæ quidem verba reatum culpæ, nedum excludant, potius supponunt, cum baptismus de quo agitur non tollat pænalitates, sed peccatum. Lucidius autem S. *Ireneus,* parallelismum S. Pauli exponens, declarat nos in Adamo peccasse 3 : " Deum quidem in primo Adam *offendimus* non facientes ejus praeceptum ; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cujus præceptum transgressi fueramus a principio". Verba *offendimus* et *preceptum transgressi fueramus* reatum culpæ certo significant.

897. (b) *Tertio see.,* apud Græcos, *Origenes,* præter verba superius relata, n. 895, pluries alibi affirmat transmissionem originalis peccati : " Corruit unusquisque in orbe per peccatum... ?

* *De peccat, merit, et remis.,* l. I, c. 26, 34, *P. L.,* XLIV, 131, 146.

* *Dial, cum Tryphone,* n. 8S, *P. G.,* VI, 6S6; cf. Journel, 140. — Pariter transmissio originalis peccati infertur ex his verbis Theophili Antioch. *(Ad Aulol.,* II, 25) : " Sic primo homini mandati prætergressio id attulit ut e paradiso ejiceretur; non quod mali quidquam inesset lignoscienliæ, sed ex peccato tanquam cx fonte in hominem fluxerunt labores, molestLe ac denique mors ipsa". *(P. G.,* VI, 1092, Journel, 183.)

3 *Adv. heres.,* 1. V, c. 13, n. 3, *P. G.,* VII, 1168, Journel, 255.

In Adam omnes moriuntur, et ita corruit orbis et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificentur"[1]. Et alibi[3] : "Quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur — Qui sane, ut *philosophus,* erravit præexistentiam animarum docendo et in quibusdam locis ita explicando originale peccatum; sed, quando ut *testis fidei* Scripturæ textus interpretatur, orthodoxe loquitur.

Apud Latinos, *Tertullianus* clare asserit *totum genus humanum per peccatum primi hominis infectum fuisse*[3] : " Satanam... dicimus malitiæ angelum, totius erroris artificem..., per quem homo a primordio circumventus... *exinde totum genus de semine suo infectum, sua etiam damnationis traducem fecit* Putat quidem pueros non esse generatim baptizandos, quia innocentes sunt *, id est a peccato *actuali immunes :* id vero quia existimabat baptismo remitti praecipue peccata personalia. Sed hic error ab ejus discipulo, 5. *Cypriano,* correctus est : hic enim, cum 66 episcopis, diserte asserit *parvulos esse baptizandos* non propter propria, sed propter *aliena peccata,* supra, n. 895. In Ecclesia igitur africana communiter admittebatur transmissio culpæ originalis.

898. (c) *Quarto sæc.,* inter Syros, 5. *Aphraates* clare docet nos ante baptismum *gratia privari* et quidem per Adami transgressionem[5] : "Ab omnibus enim de corpore natis Spiritus abest, donec ad aquæ regenerationem accedant ; tunc accipiunt Spiritum Sanctum... Ex omnibus qui progeniti sunt corpusque induerunt, unus duntaxat innocens est, nempe Dominus noster Jesus Christus... Neque ex hominibus ullus alius est qui in stadium descendat quin vulneretur aut feriatur; peccatum enim a tempore quo Adam præceptum transgressus est regnavit

Inter Græcos, S. *Athanasius* eamdem doctrinam deducit tum ex *Ps. Miserere* tum ex S. *Paulo : ll* Omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi[6]... Nam, quemadmodum *peccante Adamo peccatum in omnes homines pertransiit,* ita, postquam Dominus factus homo serpentem devicit, vis illa permanabit in omnes homines "[7] *Didymus* asserit omnes ex Adamo *per hæreditatem* contrahere peccatum[8] : " Rur-

[1] *In Jerem.* hornil. 8, i, *P. G.,* XIII, 337 ; Journel, 486.

[2] *In Levit.* VIII, 3, *P. G.,* XIII, 1334, Journel, 496.

[3] *De testim. anima* c. 3, *P. L.,* I, 613, Journel, 286. Cfr. *De anima,* 40-41, *P. L.,* t. II, 719, Journel, 350.

[4] *De Baptismo,* 18, *P. L.,* I, 1220; cf. Kirch, *Enchiridion,* 173.

[5] *Pat. Syr.* (Graffin), I, 291, 314; Journel, 683-684.

[6] *In Ps.* L, n. 7, *T G.,* XXVII, 239; Journel, 804.

[7] *Orai. adv. Arian,* I, 51, *P. G.,* XXVI, 117; Journel, 763.

[8] *Contra Manich.,* 8, *P. G.,* XXXIX, 1096 ; Journel, 1077.

sus si (Christus) ex copula accepisset corpus, non habens discrimen, existimaretur et ipse obnoxius esse huic peccato, quod et omnes ex Adamo *per successionem* contrahunt Falso igitur asseritur Patres Graecos peccatum originale ignorasse.

Inter Latinos, S. *Ambrosius* explicite asserit peccati Adæ in omnes transmissionem [1] : " Omnes in primo homine peccavimus, et *per naturæ successionem culpa quoque ab uno in omnes transfusa successio est...* Adam ergo in singulis nobis est. In illo enim conditio humana deliquit, quia per unum in omnes pertransivit peccatum ", Et alibi [3] : " Lapsus sum in Adam, de paradiso ejectus in Adam, mortuus in Adam; quomodo revocet, nisi me in Adam invenerit, ut in illo *culpa obnoxium,* morti debitum, ita in Christo justificatum ".

Merito itaque S. Augustinus Pelagianis opponebat Patrum auctoritatem : "Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio novus es haereticus... [3] Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, *Irenaus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes {Chrysosti), Basilius,* quibus addo presbyterum, nolis velis, *Hieronymum,* ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt *de omnium hominum peccato originali* obnoxia successione sententiam " ♦.

899. Fatemur tamen quosdam Patres, praesertim *Gracos,* aliquando usurpare dicta quæ in malam partem verti possunt, v. g., quando asserunt cum S. *Chrysostomo* homines, *ante adeptum rationis usum, nulla peccata commisisse.* Hæc autem verba intelligi possunt, prout ea intelligebat 5. *Augustinus,* de peccatis *propriis* et *actualibus :* " Intellige *propria,* et nulla contentio est. At, inquies, cur non ipse addidit propria? Cur, putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? tali quæstione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur " [5]. Dici igitur potest eos *aquivocis* verbis usos esse, quia

[1] *Apol. propheta David, P. L.,* XIV, 915; Jourüel, 1291. — Quod et docet Ambrosiaster, *In Rom.,* V, 12, *P. L.,* XVII, 92; Journel, 1341.

[2] *De excessufratris sui Satyri,* II, 6, *P. L.,* XVI, 1317.

[3] *De nupt. et concup.,* l. II, c. 12, n. 25, *P. L.,* XLIV, 450.

[4] *Contra Julian.,* l. II, c. 10, n. 33. *P. L.,* XLIV, 697, Journel, 1899.

[5] *Cont.Jul.,* l. I, c. 6, n. 22, *P. L.,* XLIV, 656, Journel, 1228, 1229. — Postea S. Doctor allegat hæc S. *Chrysostomi* verba, quæ supponunt nos contrahere peccatum originale : " Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam ; ille initium induxit *debiti,* nos fœnus auximus *posterioribus peccatis*[1]'. Alibi scribit : " Mortem et *condemnationem* unum quidem peccatum afferre potuit ; gratia autem non illud modo *peccatum* sustulit, sed et quæ post illud supervenere " *(Homil. icP in ep. ad Rom., P. G.,* LX, 475).

hujus peccati natura nondum penitus investigata fuerat; eorumque mentem fuisse errores vitare Origenistarum qui asserebant animas in prævia vita peccavisse et ostendere istud hæreditarium peccatum non esse peccatum ejusdem generis ac cetera peccata.

Sed catholica traditio, ab aliis Patribus sive Latinis sive Græcis, per quatuor priora sæcula, fideliter custodita, explicitius et lucidius in controversia pelagiana proponenda et definienda erat.

900. 20 De pelagiana controversia tria exponemus : *errores Pelagii; doctrinam* 5. *Augustini; Pelagianismi authenticam damnationem.*

(A) *Pelagii errores* *. Pelagius, monachus Britannus, viribus naturæ nimis confidens, ineunte sæculo quinto Romam venit, ibique opera legit Theodori Mopsuesteni, qui et ipse in naturalismum propendebat, et a sacerdote syro, nempe Rufino, didicit a quibusdam in Oriente negari originalis peccati existentiam. Cum *Ccelestio,* jurisperito incredibili loquacitate prædito, et *Juliano,* Eclanensi episcopo, ingenio acutissimo atque ad litigandum acri, systema elaboravit quod *pelagianismus* dictum est. Relate ad originale peccatum, *docebat Adamum, mortalem creatum, gratia ornatum non fuisse, peccatum ejus ipsi soli non autem humano generi nocuisse, infantes omnes nasci in eodem statu quo fuit Adam ante peccatum, ideoque posse, non suscepto baptismate, vitam æternam* ingredi, etsi *a regno calorum* exsules manerent λ Quod systema cito et late propagatum est, juvantibus præsertim monachis non paucis qui in eo inveniebant quamdam vitæ monasticæ exaltationem, et Nestorianis propter hujus affinitatem cum doctrinis Theodori Mopsuesteni.

901. (B) S. *Augustini doctrina.* Contra Pelagianos, S. Augustinus originalis peccati existentiam probat : (a) *Script.,* ex *Ps. Miserere,* ubi ait 4 : " Quid est quod se

' Tixeront, t. II, p. 143-144.

* Pelagius, *Comment, in ep. S. Pauli,* aliaque opuscula in *P. L.*, t. XXX ; Fastidius, pelagianus, *Devita Christiana, De divitiis, P. L.,* t. XL; quinque epist. a *Caspari* editæ, *Bricfe* Christiania, 1890, p. 1-167; S. Augustinus, cujus opera contra Pelagianos invenire est *P. L.* XLIV-XLV; Marius Mercator, *Commonitoria, P. L.,* XLVIII ; Petavius, *Depelagianorum dogmatum historia ;* Wôrter, *Der Pelagianismus nach seinem Ursprung und seiner Lehre,* Freiburg-im-Br., 1882; Portalié, 5. *Augustin,* in *Diet, de Thiol., (Vacant),* t. I, 2392 sq.; Tixeront, II, 436-511.

3 Distinguebat itaque inter *vitam aternam* seu beatitudinem, et *regnum calorum* ad quod ingrediendum *baptismus* necessarius erat secundum *Joan.,* III, 5. Juxta eum enim, *natura* sumus *boni,* sed *baptismo* et *gratia meliores :* in baptismate conferuntur illuminatio spiritualis, adoptio filiorum Dei, municipatus Jerusalem caelestis, sanctificatio atque in Christi membra translatio, et possessi J regni caelorum. — 4 *Enarr. tn Ps. L,* IO, *P. L.,* XXXVI, 591.

dicit (David) in iniquitate conceptum, nisi quia *trahitur iniquitas ex Adam?";* ex libro *Job,* XIV, 4 : " Inde est quod nec unius diei infantem mundum dicit a peccato, non ex eo quod commisit, sed eo quod contraxit " 1 ; ex ep. ad *Ephesios,* sed præcipue ex *Rom.,* V, 12 et *Joan.,* III, 5 : ita siquidem interpretabatur verba ***In quo omnes peccaverunt*** 2 ; " In Adam omnes tunc peccaverunt quando in ejus natura, illa insita vi qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt"; pariter, ex *Joan.,* III, 5, Pelagianos confutabat, ostendendo non esse discrimen inter vitam æternam et regnum caelorum : " Hoc novum in Ecclesia prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cælorum"3; etenim non habetur vita ætema sine communione, nec communio, sine baptismo; ergo et baptismus necessarius est ad vitam æternam 4.

(b) *Patrum auctoritate* (supra, n. 898) ; post citata eorum testimonia addebat s : " Convinceris undique : luce clariora sunt testimonia tanta sanctorum".

(c) *Baptismi administratione :* ablutio enim, abrenuntiati© Satanae variisque exorcismi clare ostendunt infantes infectos esse originali peccato, quo sub potestate Satanae rediguntur 6.

(d) *Rat. theol.,* ex miseriis hujus vitæ quæ ipsos infantes afficiunt, morbis, doloribus, vitiis, concupiscentia, etc., quæ *tanto gradu* in nobis sæviunt, ut, nisi admittatur quædam originalis culpa, Dei sanctitati et justitiæ contraria videantur 7.

902. (C) *Conciliorum definitiones.* Augustinus non solum scriptis impugnavit Pelagianismum, sed concilia provincialia coadunavit ad eum condemnandum. An. 416, *C. Milevitanum* statuit, can. 1-2 : " Ut quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de

1 *Sermo* CLXX, 2, *P. L.,* XXXVIII, 928.

2 *De pecc. inerit, et remiss.,* 1. III, 14, *P. L.,* XLIV, 194, JourneI, 1728.

3 *Sermo* CCXCIV, 3, *p. L.,* XXXVIII, 1337, JourneI, 1525.

4 *De peccat, ment, et remiss.,* I, 26, *P. L.,* JourneI, 1717.

s *ContraJul.,* I, 30, *P. L.,* XLIV, 661, JourneI, 1898.

6 *De nupt. et cone.,* I, 22, *P. L.,* XLIV, 427 ; cf. supra n. 907.

7 *Contra Jul.,* VI, 67 sq., *P. L.,* XLIV, 863 sq.; *Coni. Jul. op. imperf,* I, 27, 29, 49; II, 87, 119; v. 48, 64; VI, 36; *P. L.,* XLV, 1061 sq.; *De Civit. Dei,* 1. XXII, c. 22, 1-3, *p. L.,* XLI, 784-785.

corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturae, A. S. Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur... A. S. " x. Quod decretum specialiter approbavit *Innocentius I.* Ejus successor, Zosimus, a Cælestio deceptus, primum episcopos Africanos vituperare visus est ; hi autem, duce Augustino, in *C. Carthaginiensi* (418) praefatos canones renovarunt et a Pontifice petierunt ne absolveret Pelagianos, sed praedecessoris judicium confirmaret. Tunc Zosimus, re maturius perpensa, non solum praelaudatos canones approbavit, sed *epistolam tractoriam* scripsit, in qua fidem Ecclesiae recte exposuit2. Postea, an. 431, *C. Ephesinum?»* Pelagianismum iterum damnavit. S. *Cælestinus,* pariter Innocentii et Zosimi decreta confirmans, Semi-pelagianorum errores reprobavit 4.

903. Catholica igitur doctrina de existentia originalis peccati in tuto posita est ; expolienda tamen manebat quaestio de ejus natura et effectibus s : quod praestiterunt S. *Anselmus, S. Thomas* aliique theologi ; ita via parata est definitionibus *C. Tridentini*contra Protestantes et SS. Pontificum contra Baium et Jansenistas : de quibus infra, ubi de *natura* originalis peccati.

904. Conclusio. Aliquis igitur *profectus* in explicatione hujus dogmatis admitti debet. *Clare,* hoc dogma in *praxi infantes baptizandi* contentum, primum obiter a *Patribus* recensetur, quando comparatio instituitur Adamum inter et Christum, vel ad explicandam originem mali contra Gnosticos, aut ad exponendam necessitatem baptismi ; et, non obstantibus æquivocis paucorum verbis, *plerique* aperte docent *peccatum et reatum culpæ ex Adamo in omnes homines transire.* Quare, statim ac quæstio explicite agitatur occasione Pelagianismi, episcopi et fideles ore fere unanimi pro-

1 D. B.» η. IOI-IO2.
' *P. L.,* t. XLV, in appendice, p. 173°· — 3 Θ· B·, 126.
4 Ep. 21 ad Ep. Galliarum, 431, ap. D. B., 129-142.
5 Ad complendum arg. Tradit, cf. JourneI, nn. 302-307 Indicis ibeoL

fitentur existentiam originalis peccati, quam tuetur S. Augustinus vere esse dogma catholicum.

II. De effectibus originalis peccati.

905. Cum *effectus* originalis peccati notiores et certiores sint quam ejus natura, de eis prius agemus, in *præsenti* vel *futura* vita.

i° In praesenti vita.

Dicemus : 1° quid sit *certum;* 2° quid libere *disputetur.*

906. i° Quæ certa sunt. *Primus* effectus est *amissio gratiæ sanctificantis. De fide est* ex *C. Tridentino* quod declarat Adamtm non solum sibi, sed *nobis amisisse sanctitatem* et *justitiam* [1] Unde illa gratiæ amissio est simul peccatum et pcena peccati ; quatenus habitualis *aversio a Deo,* est peccatum seu status peccaminosus (infra, n. 928) ; quatenus *privatio* doni antea concessi, est vera *poena.*

907. *Secundus* effectus est *amissio donorum præternaturalium,* quibus protoparentes ornati fuerant. (A) Illud pariter constat ex *Tridentino* declarante " totum Adam secundum corpus et animam *in deterius* commutatum fuisse"[2]; et hanc conditionem ad posteros transiisse : " Usque adeo *servi* erant *peccati* et sub *potestate diaboli ac mortis,* ut non modo Gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, *viribus* licet *attenuatum et inclinatum* " [3].

(B) Per amissionem donorum prætematuralium homo dicitur *vulneratus ;* vulnus enim est ruptio vel divisio partium unitarum; jamvero per peccatum originale potentiæ animæ, quæ antea erant perfecte unitæ et ad invicem subordinate, fuerunt veluti divisæ et separate ; ergo homo merito dicitur vulneratus, quamvis integras conservet suas naturales proprietates et vires [4].

1 Sess. V, can. 2, D. B.. 789. — ' D. B., 788.
3 Sess. VI, cap. I, D. B., 793·
4 S. Thom., i» 2æ a. 3; S. Bellarminus, *(op. cit.,* c. 9-13).

(a) Pro *corpore,* vulnera hominis lapsi consistunt in infirmitatibus, doloribus, laboribus, et tandem in morte.

(b) Quatuor autem sunt *anima vulnera :* i) vulnus *ignorantia,* per quod *intellectus* ita debilitatur per comparationem ad statum justitiae originalis, ut difficile verum, imprimis practicum et morale, cognoscat, facile in errorem labatur, et ad res curiosas et temporales magis inclinetur quam ad res aeternas; 2) vulnus *malitia,* quo *voluntas* prona est ad mala, et ita debilitatur ut nonnisi cum difficultate vitia superet virtutesque excolat, et e contra ad temporalia immoderate tendat; 3) vulnus *infirmitatis,* quo *appetitus irascibilis* torpore laborat quando difficultates occurrunt, et e contra est pronus ad irascendum ; 4) vulnus *concupiscentia,* quo *appetitus concupiscibilis* immoderate fertur ad bonum sensibile, etiam contra ordinis rationem.

Notandum est tamen *vim concupiscentia non esse in omnibus aqualem,* ut apprime norunt spirituales directores animarum. Quod sic declarari potest, juxta S. *Thomam* [1] : ante peccatum originale, vires animæ continebantur vinculo originalis justitiae; soluto hujusmodi vinculo, unaquaeque vis in suum objectum tendit, et tanto vehementius* quanto fuerit fortior. Atqui vires et passiones hominis vehementiores sunt in uno quam in altero, propter diversas corporis complexiones. Etsi igitur peccatum originale idem sit in omnibus quoad *amissionem justitiæ originalis,* certe *diversus* est in singulis *concupiscentia ardor.*

908. *Tertius* effectus est *dominatio damonis* super genus humanum. Nam, ut ait S. Petru^^“a quo quis superatus est, hujus et servus est ” ; jamvero genus humanum superatum est a diabolo per peccatum originale; ergo genus humanum est aliquo modo sub potestate diaboli. Illa dominatio in eo consistit quod daemones possunt multiplici modo nos tentare, immo corpora nostra obsidere, ut dictum est ubi *de Angelis* (n. 814 sq.).

909. 2° Controvertitur inter theologos num homo sit *debilior in statu natura lapsa quam fuisset in statu natura pura.*

(A) Quidam theologi, post 5. *Augustinum,* nempe *Augustinenses* aliique ex variis scholis, docuerunt *naturales vires* hominis per

[1] *Sum. theol.,* i’ 2“, q. 82, a. 4, ad I. — * ***II*** *Petr.,* II, 19.

peccatum originale, *intrinsece minutas* fuisse, quatenus facultates nostræ *debiliores facite sunt ad bonum '*. Sed talis sententia rejicienda videtur; nam intrinseca imminutio fieri non potest nisi per detractionem alicujus perfectionis, vel per infusionem alicujus habitus inclinantis ad malum. Atqui utrumque repugnat, (a)*prius,* quia si quis, sine propria culpa, bonis indebitis privari potest, æquum non est ut, propter culpam protoparentum, naturalibus dotibus sibi debitis spolietur; nam, ut ait S. *Thomas*'2, "quod detrimentum aliquod patiatur aliqua persona in his, quæ sunt supra naturam, potest contingere vel ex vitio naturæ vel ex vitio personæ; quod autem patiatur in his, quæ sunt naturæ, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personæ ". (b) Repugnat *posterius,* quia Deum non decet infundere in animam nostram aliquem habitum positivum ad malum inclinantem : secus enim auctor mah censeretur.

910. (B) Ex adverso, *Suarez, S. Bellarminus* 3, plerique theologi Societatis Jesu et alii multi, docent vires hominis naturales *neque intrinsece neque extrinsece diminutas esse,* et hominem *esse nunc in eodem statu acfuisset in statu naturæ puræ,* cum illa exceptione quod nunc destinatus remaneat ad finem supernaturalem.

Nec objici potest in contrarium axioma in Schola communiter receptum, scilicet hominem per peccatum originale fuisse *gratuitis spoliatum et vulneratum in naturalibus *;* nam sensus hujus axiomatis est hominem spoliatum fuisse gratuitis, id est gratia aliisque donis indebitis, et consequenter per amissionem *praternaturalium,* vulneratum fuisse in natura, *non philosophice,* sed *historice* spectata; de facto enim natura hominis privilegiis indebitis, integritate, immortalitate etc., aucta fuerat, et amissio horum privilegiorum fuit vulnus, ut jam supra exposuimus; ideoque quando Patres et Con-

1 Thomas de Lemos, Contenson, Sylvius, *In Sum. theol.,* ia 2æ, q. 85, a. 3; Gazzàniga, *Prelect, theol.,* t. IV, diss. III, s. 3, c. 6; Fr. Schmid, *Quest, selecta,* Paderbomæ, 1891, pp. 255, 297, 321 ; M. Motais, *Le picht originel,* in *Rev. du Cl.fr.,* t. XXXVII, 1903, p. 30-46. Quoad S. Augustinum, cfr. Tixeront, t. II, p. 478.

3 S. Thom., *De Malo,* q. 5, a. 5.

3 Cf. Suarez, *de Gratia,* Prolegom., IV, c. 9; S. Bellarminus, *de Grat. primi hominis, c.* 5; Mazzella, n. 1069 sq.; Palmieri, th. 78; Pesch, ŋ. 282; Le Bachelet, *op. cit.,* p. 84 sq.

4 Hoc axioma desumitur ex Ven. Bedæ *Expositione in Luca Evangelium,* l. III, *P. L.,* XCII, 468-469, ubi parabolam boni Samaritani de homine lapso intelligit, docens eum gloria immortalitatis et innocentiæ veste privatum ew, necnon integritate naturæ, letiferoque vulnere foedatum, etsi Deum sapere et cognoscere valet.

cilia dicunt nos esse in deteriori conditione quam antea, comparatio fit inter præsentem statum et statum justitiae originalis, non autem statum naturæ puræ. " Quare, ait *Bellarminus* ', non magis differt status hominis post lapsum Adæ a statu ejus in puris naturalibus quam differat *spoliatus* a *nudo... "*

Quæ quidem opinio *probabilis* est, sed non videtur tamen sufficienter explicare verba Patrum et Conciliorum quibus asseritur hominem lapsum, etsi liberum, *viribus* esse *attenuatum ;* nec istam moralem impotentiam ad cognoscendam summam veritatum ad finem nostrum necessariam, bonum arduum operandum gravesque tentationes superandas, quam admittunt theologi et quotidiana confirmat experientia. Unde debilior videtur præsens status quam fuisset status naturæ puræ, ob imminutionem naturalium auxiliorum quæ Deus in statu naturæ puræ concessisset.

Addi tamen debet quod, data Redemptione, hæc impotentia supernaturalibus auxiliis longe superius compensatur; et *forsan,* ex Dei misericordia, naturalibus auxiliis compensata fuisset, si Deo non placuisset nos redimere.

911. (C)^ulti *Thomistes,* inter quos *oudin* et *Billuart*2, contendunt es *quidem intnnse**

c U1S

m

tyrannidem diaboli et *substractionem auxiliorum.* In statu enim naturæ puræ, in quo nullus supernaturalis interventus habetur, homo sub servitute diaboli non fuisset. Aliunde Deus sibi debuisset homini concedere auxilia naturalia quibus hic non solum physice, sed etiam moraliter potuisset tentationes etiam graves superare suumque finem attingere, dum in statu præsenti, supernaturalibus sepositis auxiliis, versamur in quadam impotentia morali omnes graves tentationes collective sumptas vincendi, veritates morales apte cognoscendi, et bonum valde arduum operandi, ut fert communis opinio quam exponemus in *Tr. de Gratia.*

1 *De gratia primi hominis,* c. 5.

' Cf. Goudin, *de Gratia,* q. II, a. 4, conci. 3; Billuart, *de Gratia,* diss. II, a. 3.

Non autem *constat Χάχ* posteros, per peccatum originale, *aversos esse a Deo utfine naturali;* nam homo naturaliter tendit ad Deum, et nil probat illam naturalem tendendam per peccatum originale mutatam fuisse; immo id repugnare videtur ob rationem æquitatis n. 909 expositam. Fatemur equidem *protoparentes* ipsos, peccando, a Deo aversos fuisse etiam ut fine naturali, quia scienter et volenter præceptum naturalis legis transgressi sunt, quo Deo mandatum supematurale imponenti obedire jubemur. Sed posteri nullam legem transgressi sunt, et quod eis transmittitur non est ipsa peccaminosa z\dæ dispositio, sed solum privatio gratiæ, qua avertuntur a Deo ut fine *supernatural!*simulque concupiscentia quæ non impedit quin ad Deum tendamus.

912. Conclusio. Omnibus igitur perpensis, res ita contrahi potest : etsi vires naturæ *in se* non minuantur per peccatum originale, *minuitur tamen ipsa naturalis inclinatio ad virtutem.* Nam, ut ait S. Thomas, " per actus humanos fit quædam inclinatio ad similes actus... oportet autem quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrariorum, diminuatur inclinatio ejus ad aliud. Unde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonum naturæ quod est inclinatio ad virtutem "£) Aliis verbis, quolibet actu peccaminoso, sed præsertim peccato originali, minuitur inclinatio ad virtutem. Addi etiam potest ex amissione doni integritatis amissam fuisse *harmoniam* quæ antea existebat inter hominis facultates (n. 907).

n

2° In altera vita λ

913. Effectus originalis peccati pro vita futura respiciunt solummodo *pueros,* vel *amentes,* qui sine baptismo, antequa.m ad usum rationis pervenerint, moriuntur, vel *setni-amentes* qui, propter nativam ingenii imbecillitatem, in *statu*

1 Hinc quando dicimur *naturafilii ira, inimici Dei,* id de ordine *supernatural.* intelligendum est, non de ordine naturali. Vix enim concipi potest quomodo Deus creare possit animam naturaliter a seipso aversam.

2 *SwnrtlwSfff*q. 85, a. 1 et 3 ; E. Masure, *Le péché originel en face de rhumanismCy \hJLApol~* jlUVlüF 1924, p. 385-414.

3 Cf. S. Thomas, *de Malo,* q. 5; Suarez, *de Vitiis et Peccatis,* disp. IX; de Rubeis, *op. cit.,* c. 72-76; S. Bellarminus, *op. cit.,* 1. VI, c. 1-7 ; Sfondrati. *Noduspradestinationis,* p. I, XXIII; Mazzella, n. 1040 sq.; Palmieri, th. 81; Hurter, η. 814 sq. ; Bolgeni, *Stato dei Bambini morti sensa Battesimo;* J. Didiot, *Λforts sans baptême,* Lille et Paris, 1896.

infantia moraliter remanent, *neque* in rebus *moralibus plenum rationis usum attingunt* quo peccatum mortale plene deliberatum committere valeant : hi enim infantibus æquiparari possunt, juxta nonnullos theologos τ. Ceteri autem *adulti, qui plenum rationis usum attingunt,* vel ad Deum sese convertunt, vel non : si prius, mundantur ab originali peccato ut in *Tr. de Gratia* exponitur; si posterius, damnantur propter peccata actualia quæ commiserunt. Dicemus igitur quid sit status puerorum sine baptismo morientium quoad *pœnam damni,* quoad *pœnam sensus,* quoad *naturalem beatitudinem.*

914. (A) *Thesis :* Parvuli vel amentes, decedentes cum solo peccato originali, visione Dei intuitiva non fruentur. *De fide* est ex *Florent,* infra citando.

Probatur : (a) *Script.,* ex necessitate baptismi ; dicit enim *Christus :* "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei " 1; " Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit "3. Ex his textibus baptismus necessarius est ad regnum Dei seu ad salutem ; atqui parvuli vel amentes de quibus agitur, non sunt regenerati per baptismum ; ergo non possunt introire in regnum Dei, seu frui visione beatifica.

(b) *Traditione,* i) Jam, contra Pelagianos, *Milevitanum II* definierat parvulos *baptizandos esse in remissionem peccatorum,* et *regeneratione* indigere ut mundarentur; et *Arausicanum II* declaraverat peccatum, quod homines ex Adamo incurrunt, esse *mortem animæ**;* ex quo sequebatur eos non posse vitam æternam habere nec cælum ingredi, in quo nil est coinquinatum. 2) *Innocentius III,* accurate distinguens inter peccatum *originale* et *actuale,* ait : " Pcena *originalis* peccati est *carentia visionis Dei ; actualis* vero pcena peccati est gehennæ perpetuæ *cruciatus* " 5. 3) Sæculo XV°, *Florentinum* definivit, " illorum animas qui in

1 Cf. *Dublin Review,* 1881, p. 123; Oxenham, *Calh. Eschatology,* p. 20; Pesch, n. 287; cf. Card. Billot, *La Providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale du salut,* in *Etudes,* 1919-1923 ; *Ami du Clergi,* 1924, p. 73-78.

'Joan., III, 5. — 3 *Marc.,* XVI, 16. — * D. B., 102, 175.

s Lib. III *Decret.,* tit 42, c. 3, D. B., 410.

actuali mortali peccato, vel *solo originali* decedunt, mox in *infernum* descendere,pœnis tamen disparibus puniendas" i. Jamvero in inferno non datur visio beatifica : ergo. Notandum est autem vocem *infernum (sheot}* non designare necessario locum in quo sunt damnati adulti, sed designare omnia receptacula cælo inferiora, et complecti tum Limbum, tum Purgatorium, tum infernum proprie dictum 1,2 et insuper sensum decreti optime determinari prævio Innocentii decreto. 4) *Tridentinum,* decretum Milevitanum confirmans, addit baptismum parvulis necessarium esse ad *vitam æternam* consequendam 3.

915. *Controvertitur* autem inter theologos num decedentes cum peccato originali *tristitiam* habeant ex privatione visionis beatificæ.

(a) Alii, cum S. *Bellarmino,* affirmant, quia parvuli aut amentes cognoscent, saltem in judicio, se privatos esse maximo bono, et non poterunt non dolere talem amissionem : fatentur tamen ipsorum dolorem fore *mitissimum* *.

(b) Alii vero multo probabilius negant cum S. *Thoma* 5 : i) nam nemo tristatur de amissione alicujus boni quod non cognoscit : atqui illi parvuli non cognoscunt supernaturalem beatitudinem, quæ non nisi per fidem innotescere potest; ergo de hac amissione tristitiam non concipient. 2) Aliunde, juxta quosdam, admitti potest ipsos non praesentes fore judicio generali, nec proinde cognitionem adepturos de visione beatifica aliis hominibus collata : verba enim a Supremo Judice prolata6 videntur ad *solos adultos* dirigi,

1 D. B., 693.

a Quod aperte tradit *Catech. Cone. Trident,* (p. I, a. V, n. 4) : "Verum *inferorum* nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animae detinentur, quæ cælestem beatitudinem non sunt consecute. Ita sacræ litteræ hanc vocem multis in locis usurparunt". — Animadverti debet etiam gallica voce *damnation* plus dici quam latino damnationis vocabulo.

3 Sess. V, can. 4. D. B., 791. — « S. Bellarm., *op. cit.* l. VI, c. 6-7.

5 S. Thomas, *op. cit.,* a. 3; *in 2 Sent.,* dist. 33, q. 2, a. 2, ubi ait : " Hoc est superexcedentis gratiæ ut aliquis sine actu proprio præmietur ; unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causai in pueris decedentibus non baptizatis quam in sapientibus hoc quod in eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis similibus factæsunt". Unde etiamsi cognoscerent se gloria privatos esse, de hoc non dolerent, quia scient se nunquam fuisse proxime proportionates ad gloriam æternam consequendam. Cfr. Suarez, *de Peccatis,* disp. IX, sect 6.

6 *Matt.,* XXV, 42-46..,.,..

cum ibi mentio fiat tantum *actuum personalium;* vel si adsint, intelligent tantum Deum bonis praemia, malis autem supplicia reddere; et aliunde bonis naturalibus fruentes, sua sorte erunt contenti.

916. (B) Controvertitur num decedentes *cum solo originali* peccato,*pcenam sensus* seu *ignis* patiantur, (a) Quidam inter *Latinos,* præsertim S. *Augustinus*[1], docuerunt illos parvulos poenam sensus, mitissimam tamen, experiri. Ratio est quia illi descendunt in infernum; jamvero in inferno est poena ignis.

(b) *Communissima* tamen sententia, a Patribus Græcis et omnibus fere Scholasticis tradita, tenet illos parvulos nullomodo poenam sensus experiri. Hæc autem sententia tuto teneri potest, ut constat : 1) ex damnatione propositionis 26 Synodi *Pistoriensis,* quæ hanc sententiam ut fabulam pelagianam reprobabat2; 2) ex decreto *Innoc.* ***III*** superius allato, n. 914, ex quo sequitur parvulos nullum cruciatum experiri, cum non peccaverint actualiter; 3) *ratione theologica : S. Thomas* enim merito scribit : In inferno duplex est poena, scilicet privatio visionis beatificae, [1] quæ respondet aversioni a Deo, et pœna sensus quæ respondet conversioni ad creaturas; atqui ii de quibus agitur, sunt quidem in statu aversionis a Deo per peccatum originale, non autem ad creaturas sese libere converterunt; ergo tormentum ignis experiri non debent [3].

917.(C) Controvertitur pariter num decedentes cum solo originali peccato *naturali beatitudine gaudeant.*

(a) Multi theologi, etiam inter Thomistas, negant; nam 1) ex *Florentino* illi in infernum descendunt, *poenis* disparibus puniendi : jamvero difficile est concipere quomodo possint puniri et pœnam pati, simulque frui tamen beatitudine naturali. Dici tamen potest illos vere puniri, quatenus privantur visione beatifica, ad quam remote destinati fuerant. 2) Insuper, juxta multos theologos, illi parvuli sunt aversi a Deo, non solum tanquam fine supernatural!, sed etiam tanquam *fine naturali;* porro qui avertitur a Deo in

[1] *Serm.,* 294. Ita etiam S. Fulgentius, *de Fide ad Patrum,* n. 34, 68; S. Gregorius M., *Mor.* IX, 82; S. Isidores Hispal., *Sent.,* I, 22. Cf. Petavius, *de Deo,* 1. IX, c. 10; de Rubeis, *op. cit.,* c. 75.

[3] D. B., 1526. — [3] S. Thom., 1. c., a. 2.

ordine naturali, non potest beatitudineni naturalem assequi. Hoc autem argumentum supra (η. 911) confutavimus.

(b) Alii communius cum *Sfondrati, Suarez* et *Lessio* affirmant[1]; nam per peccatum originale homo *destituitur* quidem bonis *supernaturalibus* et *prceternaturalibus,* non autem bonis naturalibus; nil igitur impedit quin naturalem beatitudinem consequantur qui cum solo originali decedunt; immo crudele esset eos privare bonis naturalibus propter culpam, quæ non est voluntaria voluntate personali. Huic sententiæ favet S. *Thomas*[2]: "Quamvis, inquit, pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, *non tamen ab eo penitus separati sunt.* Immo ipsi conjunguntur per *participationem naturalium bonorum :* et ita etiam de *ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione* ". Unde hæc opinio, quæ olim *Bossuet* et quibusdam episcopis Galliæ periculosa videbatur, hodie communior evasit[3].

Nec tamen dici debet illos parvulos *suum finem* assequi; nam *destinati* fuerant ad *finem supematuralem,* quo privantur, et, sub hoc respectu, in statu *damnationis* sunt.

In praxi, quæcumque opinio speculative eligatur, *urgendi* sunt *parentes* ut infantes baptizatos quam citissime habeant, ne hi æterna beatitudine supernatural! careant, quin tamen asseratur eos secus igne cruciandos fore.

918. Conclusio. Quoad effectus peccati originalis aliquis profectus igitur admitti debet in expositione doctrinae. Vehementer Pelagianos impugnando, S. *Augustinus,* jura Dei vindicare volens et humanae pravitatis profunditatem ostendere, malos effectus originalis *vividius* forsan descripsit Aliunde tanta auctoritate gaudebat apud Doctores sequioris aevi, ut hi vix ab ejus sententia recedere auderent. Quoad statum puerorum præsertim. cum aegre perciperetur, post

[1] Cf. Suarez, *de Vitiis et peccatis,* disp. IX, s. 2, n. 18; Lessius, *de div perfect.,* XIII, 22 sq. ; Mazzella, n. 1050 sq. ; Palmieri, th. 81.

[2] *In II Sent.,* dist. 33, q. 2, a. 2, ad 5.

[3] Bossuet, *Lettre à Innoc. XII,* Œuvres, L XXVI, p. 523 éd. Vives, 1864. Hac de reef. Ph. Dunand, *UEvolution doctrinale,* in *Revue du Clergéfrançais,* L III, 15 juil. et 15 août 1895, p. 316-326, 516-528. Fatendum est tamen *Sfondrati,* quem confutabat Bossuet, ansam praebuisse difficultatibus, quia dicebat parvulos non damnari.

judicium, status medius inter *ignem ceternum* et *vitam æternani,* quidam Patres ac Theologi non videbant quomodo infantes ignem inferni vitare possent. Ecclesia tamen, decretis quæ retulimus, ostendit se benignius de divina misericordia cogitare.

III. De natura originalis peccati*.

919. Peccatum originale secum trahit *privationem justitiæ originalis,* id est, tum gratiæ tum donorum gratuitorum. Sed quæstio est in quo reponenda sit *natura* seu *essentia* aut *ratio formalis* originalis peccati, utrum nempe in *privatione solius gratiæ,* an in *concupiscentia,* an in *utroque simul;* et quomodo hujusmodi peccatum *transmittatur.* Ad logice procedendum, exponemus : i° *historicum conspectum* diversarum *opinionum ;* 2° præcipuos *errores ;* 30 *communem* sententiam. — Quod ut melius intelligatur, sciendum est peccatum grave esse aversionem a Deo ultimo fine, et privationem gratiæ habitualis importare; nomine autem peccati intelligi sive *actum* peccaminosum, sive *statum peccati* qui, transacto actu, in anima manet.

i° Historicus conspectus opinionum de natura peccati originalis.

920. Tria præsertim stadia distinguere licet : cum enim duplex sit elementum in peccato originali, *privatio gratiæ,* et *concupiscentia,* prioribus sæculis Patres præcipue in concupiscentia insistunt, quin aliud negent; sed postea privatio justitiæ tanquam primarium elementum habetur.

i° *A primis sæculis ad S. Anselmum* ', primarium elementum originalis peccati reponi videtur i*ajoncupiscentia* quatenus aliquem *reatum culpæ* importat ex *nostra connexione aim Adamo;* sed *supponitur* simul hominem nasci gratia orbatum. Hæc autem concupiscentia est quædam vehemens propensio in malum (præcipue

1 **S. Thom., ia** *2X,* **q. 82; q.** *Q. disput.,* **De Malo, q. 4; de Rubeis,** *op. cit.; S.* **Bellarminus,** 1. **V; Bainvel, p. 208 sq.; L. Billot, Z><*** *peccato originali,* Romæ, 1910.

3 **J. Espenberger,** *Die Eleniente der Erbsünde nach Augustin und der Frühscholastik,* **Mayence, 1905; Gaillard,** *Etudes sur l'histoire de la doctrine de la grâce depuis S. Augustin,* **Paris, 1897; L. Labauche, p. 119-130.**

in peccata carnis), quæ voluntaria est quatenus nostræ voluntates erant veluti inclusæ in Adami voluntate.

Quam theoriam, jam sæc. 11° et III0 expositam, fusius expolivit 5. *Augustinus*[1]. Fatetur hujus quæstionis solutionem esse arduam : "Nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius"[2]. Asserit autem originale peccatum consistere præsertim in *concupiscentia*[3], qua quisque avertitur a divinis et ad mutabilia atque incerta convertitur, præcipue vero in concupiscentia *carnali,* quæ est *peccatum* utpote *inordinatio ex culpa* proveniens, et simul poena pçccati Adæ. Hæc autem concupiscentia supponit *animam infundi gratia destitutam* propter peccatum Adæ. Baptismus, gratiam infundendo, tollit quidem reatum culpæ, ideoque in renatis concupiscentia non est amplius peccatum ; sed non tollit concupiscentiam quatenus est pœna. — Hoc autem peccatum etiam in parvulis est *voluntarium,* quia " a prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo *hareditarium* "[4], quatenus *jure seminationis atque germinationis* nostrum fit[5]. Transmittitur ergo *per generationem ;* hæc enim *non fit sine concupiscentia,* et in parvulis parit concupiscentiam, quæ eis utpote nondum regeneratis imputatur in peccatum[6]. — Ad explicandum vero quomodo anima inquinetur, in *traducianismum* propendebat (n. 840) : si enim anima filiorum ab anima parentum traducitur, facilius intelligitur quomodo et ipsa maculetur.

921. 20 *A S. Anselmo ad sac. XVI.* (a) *S. Anselmus* theoriam S. Augustini aliquo modo correxit in *libro de conceptu virginali et originali peccato*[7]. Ibi ostendit originale peccatum non consistere in concupiscentia, quæ in baptizatis manet, sed in *privatione justitia originalis* seu *rectitudinis voluntatis.* Quid vero nomine origi-

[1] De cujus doctrina dr. Tixeront, II, 436-482; Kors, *op. cit.,* p. 15-22.

[2] *De moribus Eccles.*, I, 40, *P. L.,* XXXII, 1328.

[3] Describendo concupiscentiam ejusque vim, S. Augustinus quibusdam visus est negare liberum arbitrium. Ad quam difficultatem solvendam, sciendum est S. Doctorem distinguere inter *liberum arbitrium,* quod in nobis manet, et *plenam libertatem,* quæ in statu innocentiæ existebat : " Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? *Libertas* quidem *periit* per peccatum, sed illa *qua in paradiso fuit,* habendi plenam cum immortalitate justitiam... Nam *liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit,* ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant et amore peccati... Liberi ergo a justitia non sunt nisi arbitrio voluntatis, liberi autem a peccato non fiunt nisi gratia Salvatoris ", *Contra duas ep. Pelag.,* I, 5, *P. L.,* XLIV, 551, Journel, 1883.

[4] *Retract.,* I, 13, 5, *P. L.,* XXXII, 604, Journel, 1969.

[5] *De nupt. et concup.,* I, 20, 21, 27, *P. L.,* XLIV, 426 sq., Journel, 1870sq.

[6] *P. L.,* t. CLVIII, 432-464.

nalis justitiæ intellexerit, inter eruditos controvertitur; putamus autem hic agi non de naturali, sed de *supernaturali rectitudine,* nempe de *dono integritatis,* et forsan de gratia ipsa *. Quidquid est, peccatum originale est *peccatum naturæ,* quod ii omnes incurrunt qui naturaliter ex Adamo generantur : negari enim nequit infantes in Adamo fuisse velut in semine; peccatum vero *e natura transit in personam.*

(b) 5. *Thomas,* Augustini et Anselmi theorias consocians et expoliens, docet imprimis peccatum originale esse *peccatum naturæ,* nec ad personam pertinere nisi in quantum natura inficit personam a. Consistit quidem essentialiter in *destitutione justitiæ originalis;* et quia hæc complectebatur duo, *gratiam* scilicet et donum *integritatis,* aut saltem quia hæc duo essentialiter connectebantur, peccatum duplici constat elemento, *formali* nempe *privatione gratiæ,* et *materiali,* nempe *concupiscentia.* Hæc autem privatio voluntaria est in nobis, quia Adamus erat caput totius generis humani, ideoque omnes qui seminaliter ex eo generantur in eo peccant, non quasi aliquem actum exercentes, sed in quantum participant naturam ipsius quæ per peccatum corrupta est.

922. 30 Saeculo XVI°, *Dominicus Soto* theoriam Anselmi et Aquinatis perpolire conatus est, ostendendo essentiam originalis peccati in *privatione gratiæ sanctificantis* consistere, non autem in concupiscentia. Sic enim arguit : peccatum originale consistere debet in privatione illius rei quæ per baptismum nobis redditur; atqui id quod in baptismo confertur est gratia sanctificans, non autem donum integritatis; ergo peccatum originale essentialiter consistit in privatione gratiæ, non autem in concupiscentias. Quæ opinio multis modernis placuit; præcipui tamen *thomistæ* doctrinam Angelici Doctoris propugnaverunt.

Recenter vero non pauci theologi omnium Scholarum, *Card. Billot, Bittremieux, Kors,* aliique S. Thomæ doctrinam iterum proposuerunt, ita ut hæc tanquam *communior* habeatur; quam mox declarabimus.

1 J. Toner, *St Anselm's definition of original sin,* in *The Irisch Theology Quarterly,* 1908, p. 428, putat S. Anselmum loqui de privatione rectitudinis moralis; R. M. Martin, *La question du péché originel dans St Anselme,* in *Rev. des Sc. Théol. et Philos.,* t. V, 1911, p. 735'749» censet eum loqui de privatione gratiæ et donorum præternaturalium ; cf. Kors, p. 23-35.

3 *Sum. theol.,* ia 2æ, q. 8l> a. I ; *De Malo,* q. 4, a. I.

. 4 *De natura et gratia,* I, 5.

2° Errores præcipui circa naturam originalis peccati.

923. i° Exponuntur. Protestantes (exceptis Socinianis, Unitariis et Liberalibus) admittunt quidem existentiam originalis peccati, sed ejus naturam adulterant ejusque effectus *exaggerant,* (a) *Lutherus* et *Calvinus,* sub prætextu S. Augustini doctrinam tuendi, contenderunt originale peccatum essentialiter consistere in *hcereditaria corruptione* quam trahimus ab Adamo, præsertim in *vehementi concupiscentia,* quæ tanta est ut *liberum arbitrium exstinguat,* nobisque *imputatur in peccatum* quamdiu per baptismum non sumus renati; post baptismum *concupiscentiam remanere peccatum,* sed non amplius nobis imputari, propter merita Christi 1.

(b) Quem errorem ampliavit *Flaccius Illyricus,* dicens originale peccatum esse *ipsam substantiam hominis essentialiter corruptam.*

(c) Lutheri hæresim, tantisper temperatam, renovarunt *Jansénistes,* qui et ipsi docuerunt concupiscentiæ inesse reatum culpæ, et per eam liberum arbitrium ita minui ut delectatione terrena *necessario* trahatur, nisi gratia efficaci juvetur.

924. 2° Confutantur. (A) Protestantium errorem damnavit *Tridentinum'2,* declarando per baptismum tolli totum id quod rationem peccati habet, nec tamen tolli concupiscentiam, sed hanc in renatis non esse peccatum.

"Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, *reatum originalis peccati remitti negat;* aut etiam asserit non tolli totum id quod *veram et propriam peccati rationem* habet : sed illud dicit tantum *radi,* aut *non imputari,* A. S...

1 " Item docent quod post lapsum Adæ omnes homines... nascantur cum peccato. hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, et cum concupiscentia; quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans et afferens nunc quoque æternam mortem his qui non renascuntur per Baptismum et Spiritum S. " *(Confessio Augustana.* an. II, apud Schaff, * *Creeds of Christendom.* vol. II, p.8; cf. pp. 97, 213, 400, 440, 492, 530, 767, 808, 816). Cf. Moehler, *Symbolik.* p. 1. c. 2. Ab hac <enientia non satis recessit Hermes, qui tenuit originale peccatum esse concupiscentiam, quæ non est peccatum, aiebat, sed *peccantinosa qualitas.* — ' Sess. V, can. 5, D. B., 787.

Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, et sentit : quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinhno qui legitime certaverit, coronabitur.

" Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod *vere et proprie in renatis peccatum sit;* sed quia *ex peccato est,* et *ad peccatum inclinat.* Si quis autem contrarium senserit, A. S. " (D. B., 792).

925. (B) Quæ doctrina Concilii cum *Scriptura* consonat, quæ, ex jam dictis n. 893, non in concupiscentia essentiam peccati originalis reponit, sed in *privatione supernaturalis justitiæ,* ideoque gratiæ sanctificantis, quæ vel est elementum ejus præcipuum, vel cum ea necessario connectitur. Confirmatur ex eo quod, secundum *Jacobzim,* concupiscentia *ex se* non est peccatum, sed solum accedente libero consensu voluntatis : " Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde'concupiscentia, cum conceperit (i. e., quando accedit consensus voluntatis) parit peccatum " *. Jamvero si concupiscentia non est peccatum, essentia peccati originalis in ea reponi nequit.

Respondent quidem Protestantes concupiscentiam esse peccatum, quia ita vocatur ab Apostolo, et quia omnis motus concupiscentiæ a Deo prohibetur, juxta illud : " *non concupisces" 2.* Hoc autem admitti nequit; nam concupiscentia non vocatur peccatum stricto sensu, sed quia *ex peccato est* vel *ad peccatzim inclinat.* Aliunde per verba, "*non concupisces",* prohibentur motus *deliberati* concupiscentiæ, non autem ipsa habitualis concupiscentia, quæ in nobis naturalis est (supra, n. 874). Hinc S. Paulus addit · "Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu "3; ex quo sequitur nullum peccatum remanere in eis qui, per baptismum, Christo incorporati sunt ; atqui remanet tamen in eis concupiscentia; ergo concupiscentia non est peccatum.

(C) Merito itaque damnatæ sunt sequentes propositiones (50, 51) Baii, qui eosdem fere errores tuebatur : "Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto : *Non concupisces.* — Con-

1 *Jat.,* 14-15. — 2 *Rom.,* VII, 7. — 3 *Rom.,* VIII, 1.

cupiscentia sive lex membrorum et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia" ».

926. Conclusio. Protestantium errores reprobando, Tridentinum *non explicite* declaravit in quo consistat natura originalis peccati, sed quatuor definivit ex quibus hæc natura inferri possit : (a) peccatum originale esse *mortem animæ;* (b) inesse *unicuique proprium;* (c) esse *origine untim* et non imitatione sed *propagatione transfusum;* (d) *totum* id quod *rationem habet peccati per baptismum tolli.*

3° Theologorum variæ sententiae.

927. Tridentina doctrina de peccato originali diversimode a diversis theologis declarata fuit : 1° Alii putaverunt originale peccatum in nobis nihil aliud esse nisi *peccatum Adæ* ejus posteris imputatum, vel in eis moraliter perseverans; 2° alii docent illud esse *privationem solius gratiæ sanctificantis;* 30 alii tandem esse *privationem justitiæ originalis,* nempe non solum gratiæ sanctificantis sed etiam doni integritatis.

i° Alii putaverunt peccatum originale nihil aliud esse nisi *ipsum peccatum Adæ* ejus posteris imputatum vel in eis perseverans.

(A) Paulo ante Tridentinum, *A. Catharinus* et *A. Pighius,* strenui defensores fidei catholicæ contra Protestantes, docuerant peccatum originale *formaliter esse peccatum actuale Adami ejus posteris extrinsece imputatum,* privationem vero gratiæ esse tantum *pœnam* non autem essentiale elementum originalis peccati.

Quod quidem vix conciliari potest cum *Tridentino.* Nam, juxta Concilium : 1) originale peccatum inest *unicuique proprium,* et per illud homines propriam injustitiam contrahunt; atqui quod extrinsece tantum imputatur, non apte dicitur unicuique proprium; 2) insuper peccatum originale vere deletur per baptismum; atqui, supposita sententia Catharini, per baptismum peccatum originale non proprie deletur, sed solummodo cessat nobis imputari.

(B) Postea quidam theologi, *Salmeron, Toletus, Card, de Lugo, Wirceburgenses* declaraverunt peccatum originale esse *ipsum actuale peccatum Adami, quatenus a posteris ejus moraliter commissum, et in eis moraliter perseverans, eos Deo odibiles reddit,* ita *ut privatio gratice sit tantum effectus originalis peccati.*

' D. B., 1050-1051.

Hæc sententia a præcedente differt, quia concedit Adæ peccatum fieri ejus posteris *vere proprium,* et est fidei magis consentanea, cum admittat privationem gratiæ pertinere ad peccatum originale ut effectum primarium. Attamen, si peccatum originale non consistit primario in privatione gratiæ, sed in ipso peccato Adami, non apparet *quomodo* fiat unicuique *proprium,* nisi admittatur voluntates nostras inclusas fuisse in voluntate protoparentis : quæ hypothesis communiter rejicitur.

928. Conclusio. Hodie igitur omnes theologi docent peccatum originale non esse ipsum Adæ peccatum ejus posteris extrinsece imputatum vel in eis moraliter perseverans, sed : 1) *peccatum habituale* seu *statum peccaminosum,* quo manemus *a Deo aversi fine supernaturali;* nam existit in parvulis qui nullius actus sunt capaces; 2) *nec* esse *habitum positivum,* quo in malum inclinemur, sed quid *negativum,* nempe *privationem débitez ordinationis ad Dettm :* non enim contrahitur actu *propriæ* voluntatis, sed actu peccaminoso protoparentis; 3) hanc vero privationem esse *peccatum cuique proprium,* non esse igitur imputationem *mere extrinsecam* peccati Adæ, sed *voluntariam ex voluntate capitis nostri,* prout mox exponetur juxta varias theologorum opiniones.

929. 2° Juxta multos *modernos* peccatum originale *consistit* in *sola privatione gratiæ sanctificantis,* et definiri potest : *privatio gratiæ sanctificantis, qua avertimur a Deo utfine supernaturali, quatenus nobis est aliquo modo voluntaria ex nostra cum Adamo connexione.* Dicitur :

(a) *privatio gratiæ sanctificantis :* siquidem de facto homo destinatur ad *finem supernaturalem ;* ac proinde ad *gratiam sanctificantem ;* jamvero in statu præsenti sine gratia nascitur, et illa gratiæ carentia est vera privatio, id est, carentia qualitatis quæ, secundum positivam Dei ordinationem, nobis inesse deberet.

(b) qua *avertimur... :* illa privatio nos constituit in statu *aversionis a Deo, ut pine supernaturali;* siquidem gratia sanctificante, eaque sola, ad Deum convertimur, ut finem

1 **Ita Suarez,** *Dc Vitiis et Peccatis,* **disp. IX, sect. II, n. iS; S. Bellarminus,** *De amis, gratiæ,* **1. V, c. 9 ; Pesch, n. 248.**

supematuralem ; ac proinde qui sine gratia nascitur, non positive in Eum ordinatur, sed habitualiter ab eo avertitur in ordine supernatural!.

(c) *quatenus* est nobis *voluntaria*. ...· hæc enim privatio gratiæ non potest esse peccatum nisi sit voluntaria; non est autem voluntaria *in se* ex actu propriæ voluntatis, cum incurratur antequam libere agere possimus, sed *in causa* ex actu peccaminoso Adæ.

Quod diverso modo explicatur, i) Alii dicunt Adamum *jure naturally* sine ulla lege positiva, fuisse *caput nostrum morale*. Quod repugnat, quia si Adamus jure naturali fuisset caput nostrum in ordine morali, omnia ejus peccata actualia ad posteros transiissent : quod a nemine admittitur.

2) Alii asserunt Deum *positive inclusisse omnes voluntates nostras in Adamo*. Hoc rejiciendum est quia voluntas nostra, quæ adhuc non existebat, non poterat actualiter includi in voluntate Adami, eo magis quia voluntas nostra venit immediate a Deo, nec continebatur etiam virtualiter in Adamo.

3) *Nec videtur admittendum pactum explicitum quod Deus cum Adamo pepigisset :* nam nullibi tale pactum commemoratur, et aliunde consensus Adami, qui ad pactum proprie dictum desideratur, minime necessarius erat, cum de transmissione donorum indebitorum ageretur.

4) Plures hodie affirmant Deum *lege positiva* constituisse Adamum *caput morale* nostrum, seu procuratorem omnium posterorum, eo sensu quod transmittere debebat omnibus a se naturaliter genitis gratiam et alia dona supematuralia : ea tamen lege ut, si /Xdamus amitteret gratiam per peccatum, eam non solum sibi, sed etiam nobis amitteret. — Sed illius legis existentia gratis asseritur, aiunt multi Thomistæ, cum nullibi asseratur.

930.30 *Thomistæ,* cum aliis non paucis, docent peccatum originale *essentialiter consistere in privatione justitiæ originalis,* quatenus hæc *privatio dependet a voluntario actu protoparentis quifonsfuit etprincipium naturæ.*

Hæc autem doctrina, quæ hodie *communis* est, duplici modo explicatur.

931. (A) *Plerique* eam ita declarantl. (a) Justitia originalis duo complectebatur, nempe *gratiam sanctifican-*

‘ **Capreolus,** *In IVSent.*, 1. **II, dist. XXI, a. 3; Gonet,** *Cfy/eus,* **tr. VIII**

tern, qua pars superior animæ Deo subdebatur per caritatem, et *donum integritatis* quo pars inferior animæ superiori subdebatur. Prius elementum erat veluti elementum *formale*[1], proindeque *causa formalis* hujus justitiæ; donum integritatis autem elementum *materiale :* siquidem subordinate inferiorum virium voluntati seu integritas nonnisi per caritatem et gratiam sanctificantem causabatur. Atqui peccatum originale essentialiter est privatio justitiæ originalis. Ergo *privatio gratiæ* se habet in eo ut*formale,* privatio autem doni integritatis seu concupiscentia se habet ut *materiale.*

932. (b) Hæc autem privatio *dependet a voluntario actu protoparentis.* Nam : i) hæc privatio est *verum peccatum, voluntarium ex relatione nostra cum Adamo ;* constat ex damnatione propositionum Baii 46, 47 : " Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium... Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit " [2]

2) Relatio autem nostra cum Adamo ita concipi potest. Deus dedit *toti naturæ humanæ* in Adamo justitiam originalem ut *dotem qttasi specificam naturæ humanæ* seu *accidens speciei humanæ :* "Justitia originalis, ait S. *Thomas* [3],

disp. I, a. 5; Salmant, Zte *peccatis.,* disp. XVI, n. 104; Billuart, *De gratia,* diss. Il præambula, § 3 ; Card. Billot, *de Peccato originali,* th. II ; Pègues, *Commentaire littéral*^ t. V, p. I2I sq.

1 Recte ait Card. Billot, *of. cit.,* p. 41-42 : " Semper enim *formale* est, a quo species sumitur; justitia autem de qua in præsenti, speciem suam tota quanta est sortitur, secundum quod justitiæ nomine venit recta ad Deum finem ultimum habitudo. Porro ordinatio inferiorum virium, per immunitatem a concupiscentia, ut substans quidem ordinationi mentis per caritatem, hanc ipsam rectam ad Deum habitudinem omnino ingredi concipitur; ut sejuncta vero a caritate, jam non importat quo ad Deum homo recte se habere dicatur... Quemadmodum igitur in humano composito anima est ut forma, corpus ut materia, ita quoque in justitia originali aliquid erat ut*formale,* a quo tota hujus justitiis perfectio dependebat, scilicet *gratia cum virtutibus,* et aliquid ut *materiale,* quod a formali perfectionem justitiæ accipiebat, scilicet *immunitas a concupiscentia*

2 D. B., 1046-1047.

3 *Sum. theol.,* I, q. 100, a. I ; cfr. ia 2®, q. 81, a. 2. Alibi, *De Malo,* q. 4, a. I, rem fusius declarat : "Aliquis homo singularis dupliciter potest considerari : uno modo secundum quod est quædam persona singularis, alio modo secundum quod est pars alicujus collegii... in quantum est pars collegii, potest ad eum pertinere actus alienus, quem per se ipsum non facit, nec proprio arbi-

fuit accidens naturæ speciei, non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut *donum divinitus datum toti natura*".

933. Hæc positiva ordinatio *non supponit pactum* inter Deum et hominem, cujus existentia nullibi probatur; *nec inclusionem* nostrarum *voluntatum in voluntate Ada;* sed hujus conditionis appositionem : si Adam caput omnium hominum perseveraret, generatione filiis transmitteret, simul cum natura, justitiam originalem, nempe gratiam et donum integritatis; si vero peccaret, hanc justitiam non solum pro se amitteret, sed etiam *pro filiis* sibi nascituris ; nam gratia semel amissa, semel pro semper amittebatur *ut dos quasi specifica natura humana,* ideoque tota natura humana semel et pro semper privabatur donis quæ ipsi collata fuerant *ut dos speciei.* Natura humana *ut natura* non poterat renovari in pristinum statum nisi *nova Dei ordinatione,* quæ de facto *locum non habuitx.*

Adamus autem peccavit ; et, quia erat principium physicum et morale totius naturæ humanæ, natura tota in ipso

trio, sed qui fit a toto collegio, vel a pluribus de collegio, vel a principe collegii, sicut illud quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere... Sic ergo tota multitudo hominum a primo parente humanam naturam accipientium, quasi unum collegium, vel potiussicut *unum corpus unius hominis* consideranda est... Est autem considerandum quod primo homini in sua institutione *datumfuerit divinitus quoddam supernaturale donum,* scilicet *originalis justitia,* per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi, et corpus animae. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini ut singulari personæ tantum, sed ut *cuidam principio totius humana natura,* ut *scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros.* Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amisit eo tenore quo sibi datum fuerat, scilicet *pro se et pro tota sua posteritate.* Defectus ergo hujus doni totam ejus posteritatem consequitur : et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros quo modo traducitur humana natura

l Quod lucide declarat Card. Billot, *op. cit.,* p. 15 : u Certe per primum peccatum amissa est gratia cum omnibus donis quæ ex gratia dependebant. Et semel amissa, semel pro semper amittebatur ut *dos specifica natura humana.* Neque enim ut talis recuperari poterat per pænitentiam vel meritum Adæ aut alicujus posterorum ejus, quia gratia ut *accidens speciei,* id est, ut bonum totius naturæ, evidenter excedit proportionem personalis meriti cujuscumque puri hominis seu condigni seu etiam mere congrui. Sed nec erat de facto restituenda ex pura Dei liberalitate. Cujus signum est quod gratia initio data ut accidens speciei, inseparabilis erat a dono integritatis ceterisque donis præternaturalibus, quæ nullomodo erant in nobis unquam instauranda. Sic igitur amissio erat definitiva". Cf. Ami du Clergé, 1925, p. 614-619.

privata est donis gratuitis-; ideoque Adamus generatione posteris *naturam* transmisit *justitia originali destitutam.* Nascimur ergo justitia originali privati, et hæc privatio merito dicitur *peccatum voluntarium,* quia volita fuit *ab illo a quo tota natura procedit.*

Quod ita declarat S. *Thomas* [1] ; " Omnes homines qui nascuntur ex Adam possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura quam a primo parente accipiunt... Multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa *membra unius corporis.* Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ quæ movet membrum... Sic igitur inordinatio quæ est in isto homine ex Adamo generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum ".

934.(c) Peccatum originale est igitur *primario peccatum totius naturæ humanæ* seu brevius *peccatum naturæ,* nec ad personam pertinet nisi in quantum natura inficit personam.

Est proinde *peccatum habituale,* habitus *entitativus,* non quidem positiva inclinatio in malum, sed privatio justitiae originalis, id est, tum gratiae tum doni integritatis. — Exinde apparet quomodo *concupiscentia* sit *materiale* elementum peccati originalis : amissa enim gratia habituali, eo ipso amittitur specialis vigor quo sub voluntate frenabantur inferiores partes animæ. Hæc autem concupiscentia non est actualis aut habitualis dispositio positiva ad malum concupiscendum, sicut ea quæ e frequentibus actibus oritur, sed quædam pronitas ad labendum ex eo orta quod vis concupiscibilis non perfecte subditur rationi[2]; et hæc est certe *deordinatio* relate ad statum primitivum.

935. Exinde solvitur difficultas superius allata, n. 922, ex eo quod baptismus non tollat fomitem, quamvis tollat originale peccatum. Nam, ut recte ait *Card. Billot* "Ad hoc ut res tolli dicatur, satis est tollatur *formale* ipsius, quo sublato solvitur species, et non remanet materiale sub eadem ratione ac prius... Et sic etiam, sublata per baptismum privatione gratiae, restitutoque ordine

[1] *Sunt, theol.,* **Ia 2®, q. 81, a. I.**

[2] **Cfr. S. Thom.,** *De malo,* **q. 4, a. 4, ad 4.**

[3] *De peccato originali,* **p. 43.**

in superiori parte animæ, tollitur peccatum, tollitur ex consequenti a fomite omnis ratio constitutiva peccati, ut jam non perseveret fomes nisi sub ratione cujusdam reliquiæ de destructo peccato remanentis ".

936. (B) Quidam tamen *recentiores Thomistæ,* vestigiis *Cajetani* et *Ferrariensis* incedentes [1] rem aliter exponunt. S. *Thomas,* juxta eos, *adæquatam* instituit *distinctionem* inter*justitiam originalem* et gratiam : prior enim est donum tantum *prætematurale,* quod vocatur *donum naturæ,* quia naturam perficit in suo genere; posterior autem est donum *absolute zX.* in *se supernaturale ;* sunt igitur duae res adaequate distinctae. Haec autem duo sunt, ex ordinatione divina, *indivulse connexa,* quatenus nempe *gratia sanctificans est causa efficiens* justitiae originalis, dum hæc est in Adæ posteris *prævia dispositio* ad gratiam accipiendam *necessaria.* Si Adamus perseverasset, directe posteris suis transmisisset *justitiam originalem,* quæ erat veluti *dos specifica naturæ gratuito collata ;* quia vero hæc justitia originalis erat dispositio ex divina ordinatione connexa cum gratia sanctificante, Deus Adæ posteris hanc gratiam contulisset. Adamo, autem peccante, directe ab eo amissa est gratia sanctificans, indirecte autem justitia originalis cujus erat radix et causa. Hæc autem privatio ab eo reparari nequibat. Quando igitur genuit filios, eis transmittere non potuit justitiam originalem, qua privabatur; directe igitur hi nascuntur justitia originali privati, et quia hæc justitia est *dispositio necessaria* ad gratiam habitualem, nascuntur hac gratia privati, proindeque in statu peccati (n. 878).

937. Conclusio. Hæc ultima opinio *probabilitate non caret,*cum verbis S.Thomæ in ultimis operibus ab eo scriptis innitatur; aliunde *apologetice* clare explicat quomodo Deus privare potuerit Adæ posteros dono gratuito *ex se* ad finem supernaturalem non necessario, posito quod Adam violaverit conditionem legitime institutam ad ejus transmissionem; et quomodo *privatio gratiæ* exinde sequatur absque novo Dei interventu, sed tantummodo ex privatio-

[1] Cajetanus, in *Sum. theol.,* I, q. 95, a. i ; Ferrariensis, in *Sum. cont. Gentes,* 1. IV, c. 52 ; Bittremieux, *La distinction entre la Justice originelle et la Grâce sanctifiante^* in *Rcu, thomiste,* avril-juin 1921 ; P. Kors, *off. cit*

ne *dispositionis* ad hanc gratiam consequendam necessariae.

Utraque proinde opinio admitti potest, cum utraque doctrinae catholicae sit conformis et aliunde cum ratione conciliari possit ex infra dicendis.

Corollaria.

938. i° *Peccatum originale per generationem transmittitur in eos omnes qui de semine Adee nascuntur.*

(A) Ex dictis enim ii omnes et soli peccatum originale incurrunt qui ex Adamo naturam humanam accipiunt Atqui natura humana per generationem transmittitur in eos qui de ejus semine nascuntur. Ergo originale peccatum per generationem transmittitur.

(B) Confirmatur ex *Tridentino* dicente[1] : " Hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et *propagatione,* non imitatione transfusum ". Quæ quidem verba dupliciter intelligi possunt : (a) eo sensu quod generatio est veluti *causa instrumentalis* peccati originalis, sicut fuisset *vehiculum* gratiæ in statu innocentiae ; (b) vel quatenus est tantummodo *conditio sine qua non.* Hoc ultimum sufficit ad salvandam fidem, prout constat ex his *Tridentini* verbis[2] : " Homines, *nisi ex semine Adæ* propagati nascerentur, non nascerentur injusti

Hinc anima contrahit peccatum *eo instanti quo corpori infunditur* : tunc enim homo incipit esse *filius Adami.* Neque Deus est auctor maculæ quæ tunc invenitur in anima; sed potius anima *privationem gratia* contrahit quatenus fit pars compositi quod gratia ornari deberet.

939. 20 *Peccatum originale in nobis est minimum in ratione voluntarii.* Nam, ex dictis non est voluntarium in nobis voluntate propria, sed *voluntate capitis nostri.* Hinc ait S. *Thomas*[3] : " Inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario. Non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum enim actuale, *etiam veniale,* est voluntarium voluntate ejus in quo est, et ideo *minor pœna* (positiva) *debetur originali quam veniali*

[1] Sess. V, 3, D. B., 790. — [3] Sess. VI, cap. 3, D. B., 795.

[3] *In II Sent.y* dist. 33, q. 2, a. 1, ad 2.

940. 30 Si Eva sola peccasset, posteri non contraxissent originale peccatum. Nam, ut ait S. *Thomas*[1], peccatum originale a primo parente traducitur, in quantum ipse movet ad generationem natorum. Atqui principium activum generationis est pater; ergo peccatum originale derivatur a patre, non autem a matre. — Unde S. Paulus ait : " Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit "[2].

4° Si Adamus, ante peccatum, genuisset filios, hi non contraxissent originale peccatum; cum enim peccatum hoc sola generatione traducatur, filii, antea geniti in sanctitate, non potuissent amittere gratiam nisi propria voluntate.

50 Alia peccata Adami, si quæ commiserit, non fuerunt transmissa ejus posteris, quia solum *primum* peccatum corrupit naturam humanam corruptione ad *naturam spectante,* cetera nonnisi personaliter λ

IV. De concordia originalis peccati cum ratione.

Duo ostendemus : i° originale peccatum *non repugnare;* 2° originali peccato semel admisso *melius explicari* præsentem generis humani conditionem.

i° Non repugnat originale peccatum.

941. *Rationaliste* et Protestantes *Liberales* asserunt doctrinam catholicam esse omnino *rationi oppositam*[4], et peccatum originale repugnare tum *in se,* tum in *modo quo transmittitur,* (a) Repugnat *in se,* quia *justitia* Dei non potest permittere ut innocentes ob peccatum alienum *puniantur* et *peccatores* constituantur; nec *sapientia* ejus ut, ob levissimam causam, genus humanum in deteriori conditione ponatur; nec ejus *bonitas,* ut per *unum peccatum, tota natura humana* corrumpatur, (b) Repugnat *quoad modum transmissionis,* quia fieri nequit *spiritualem maculam per generationem transmitti.* Ad solvendas illas difficultates, ostendemus pro-

[1] *Sum. theol.,* 1· 2æ, q. 81, a. 5.

[2] *Rom.,* V. 12. — 3 J. *theol.,* p 2æ q Sl> a ad 3

[4] " Nec *benignitas Dei* concedere potest, ut per unius hominis peccatum universa hominum natura corrumpatur et depravetur; nec *sapientia* pati ut opus ab initio præstantissimis instructum dotibus paulo post, ob causam levissimam, in plane aliam deterioremque conditionem transformetur; nec *justitia Dei* admittit ut innocentes ob peccatum alienum puniantur" (Wegscheider, *Inst. theol.,* § 117)· Similes difficultates proponunt : J. J. Rousseau, *Lettre à M. de Beaumont,* Michelet, *Bible de VHumanité,* Paris, 1864, p. 479; Strauss, *Glaubenslehre,* II, p. 52, etc.; quas collegit Le Bachelet, p. 72-80.

bari non posse originale peccatum repugnare in se, vel quoad modum transmissionis.

942. i° Originale peccatum non repugnat in se. (A) Non repugnat *divinæjustitiæ.* Ex dictis enim peccatum originale *non est quid positivum,* sed solum *privatio gratiæ* et *donorum supernaturalium* seu *rei indebitæ;* quæ quidem privatio *peccatum* dicitur tantum per quamdam similitudinem cum peccato personali habituali seu statu peccaminoso, et *relative* ad statum supernaturalem ad quem evecti sumus; non igitur nos reddit Deo *odibiles positive* et in ordine *naturali,* sed solum *negative* et in ordine *supernaturali* , quatenus privamur gratia quæ nobis inesse deberet, et quidem ex aliqua culpa a capite nostro commissa. Jamvero talis privatio *non est injusta;* si enim esset injusta, id ex eo procederet quod Deus jus non haberet conferendi præfata dona modo *conditionato,* vel ex eo quod conditio posita de facto *irrationabilis* fuit;atqui neutrum dici potest; nam :

(a) Deus poterat quidem gratiam et dona præternaturalia homini tribuere *sttb conditione :* cum enim sint gratuita, Deus poterat, salva justitia, ea conferre vel denegare humanæ naturæ ; ergo a fortiori Deus poterat ea concedere sub conditione quod Adamus, caput morale nostrum, non peccaret.

(b) Aliunde conditio a Deo apposita fuit omnino *rationi consentanea,* attentis legibus *hereditatis* et *solidaritatis,* quæ in ordine naturæ vigent[1]. Hæ enim eo tendunt ut ex variis

[1] Hanc hereditatis legem jam Scholastici agnoverant non solum quoad morbos, sed etiam quoad dispositiones cognoscitivas et morales : "Corporis defectus traducuntur a parente in prolem, sicut leprosus generat leprosum et podagricus podagricum". (S. Thom., I. 2., q. 81, a. 1). "Secundum vero naturam individui, est aliquis habitus cognoscitivus secundum *inchoationem naturalem,* in quantum unus homo, *ex dispositione organorum,* est magis aptus ad bene intelligendum quam alius, in quantum ad operationem intellectus indigemus virtutibus sensitivis. In appetitivis autem potentiis, ex parte corporis, secundum naturam individui, sunt aliqui habitus appetitivi, secundum *inchoatidnes naturales;* sunt enim quidam dispositi, ex propria corporis complexione, ad castitatem vel mansuetudinem, vel aliquid hujusmodi (1. 2., q. 51, a. 1). Hodierni autem philosophi ac biologistæ eamdem legem variis modis illustrarunt, ac quandoque exaggeraverunt, libertatis detrimento; sed lex ipsa hereditatis certo constat, licet libertatem minime destruat. (Cf. Ribot, *L'hérédité psychologique,*

hominibus *unam efficiantfamiliam,* i) Unde, sicut parentes, vi *hereditatis,* posteris vitam ac dispositiones corporis et animæ, sive cognoscitivas sive morales, transmittunt, ita pariter, in ordine supernaturali, Deus ordinatione positiva decernere poterat ut Adamus posteris gratiam transmitteret sub conditione quod ipse eam servaret. Idque eo magis aequitati consentaneum est quod, supernaturalis solidaritas in casu ad *gratuita* seu *indebita* tantum sese protendit 2) Pariter, vi *solidaritatis,* membra ejusdem familiae vel' civitatis aut regni ita connectuntur, ut, si unum patiatur, alia etiam pati necesse sit[1], præsertim quando caput illius societatis, non solum proprio nomine, sed nomine totius corporis moralis agit

Res illustrari potest exemplo regis, qui patrifamilias et posteris ejus dona quædam gratuita necnon et familiarem amicitiam contulerit, volueritque hæc omnia a patre in filios derivari, dummodo tamen positivam conditionem donationi appositam fideliter servaverit. Jamvero si pater, qui est caput totius familiæ, libere hanc conditionem violaverit, regis amicitiam donaque gratuita non solum sibi, sed etiam familiæ suæ amittit, et ipse cum suis non amplius speciali regis amicitia fruitur, quin justitia lædatur. Porro res ita se habuit relate ad gratiam ceteraque dona gratuita generi humano collata : Deus Adamo ejusque posteris contulerat dona indebita suamque amicitiam, ea tamen lege ut fideliter divinum mandatum servaretur; hoc igitur violato, Adamus sibi et posteris juste præfata dona amisit.

94-3. (B) Neque *sapientia.* Peccatum originale Dei sapientiæ repugnaret, si Deus, sive ante sive post lapsum, homini medium sufficiens ad finem suum supernaturalem attingendum non præbuisset; aut, si ob *levissimum* delic-

cujus exaggerationes contuuntur a Vallet, *Effeti et conséquences de l'hérédité,* in *Cong. scienti/ internat.,* 1891, Sc. Philosoph., p. 256 sq. ; Lefebvre, *Ehérédité,* in *Cong. scient, internat.,* 1891, Sc. math, et naturelles, p. 170-196).

[1] Ipsi Rationalises hanc *solidantatis legem* agnoscunt : " Nostri temporis gallicis philosophis valde urgere placuit eam quam *humani generis solidarilatem* appellant ; quibus verbis significare volunt duos homines minime ad invicem esse independentes, sicut duas arbores juxta positas, sed gemmarum *(bourgeons, buds)* instar ejusdem arboris aut rami. Omnes gemmas succus communis circumit. Cum arboris vita in radicibus damnum patitur, in ramis vel trunco, ipsa* gemmæ jactura afficiuntur. Idem fit de hominibus magnæ humani generis arboris insitis. Nemo sibi soli vivit aut moritur, ast cum patitur alter, patiuntur omnes; si humani generis vita veneno in sua origine inficitur, in omnia ejus membra ipsum guttatim effunditur". (J. F. Clarke*, *Orthod.,* p. 136).

tum, Adamum et posteros gravissima pœna punivisset. Atqui neutrum dici nequit : (a) Deus enim, conferendo protoparenti potestatem nobis transmittendi gratiam, sufficienter et sapienter nobis providit medium ad finem nostrum supernaturalem attingendum ; insuper, postquam Adamus, per suam culpam, inhabilis factus est ad transmittendam gratiam, aliud medium a Deo institutum fuit mirabilius et efficacius, nempe Redemptio per Christum,

(b) Nec dicatur, ob *levissimam* causam, Adamum ejusque posteros fuisse graviter punitos ; nam, etsi comestio fructus prohibiti videtur quid levissimum, erat tamen, non quidem *ex se,* sed *ex circumstantiis,* gravissimum peccatum, ut supra probavimus, n. 883.

944. (C) Neque *bonitati.* Peccatum originale Dei bonitati repugnaret, si per illud *totaliter corrupta esset natura* humana, ut docent *Protestantes ;* sed res non ita se habet; nam, etiam post originale peccatum, homo *integra servat sua naturalia,* imo auxiliis supernaturalis gratiæ ad finem supernaturalem consequendum denuo instruitur per Christum, ita ut merito cum Ecclesia exclamare possimus : " O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem ! "

945. 2° Non repugnat ex parte modi transmissionis. Etenim : (a) quando Deus creat animam, nullam maculam, nullum vitiosum habitum in eam ipse infundit, sed eam producit talem qualis fuisset in statu naturæ puræ ; si autem ei non infundit gratiam sanctificantem, hoc Adæ soli tribuendum est, qui non servavit conditionem, sub qua talis gratia communicanda erat; (b) parentes, dum generant pueros, opus *ex se* bonum faciunt, et si parvuli ab ipsis geniti nascuntur gratia privati, id nec intenditur nec efficitur a parentibus ipsis, sed per accidens evenit, non ex ipsorum, sed ex Adami culpa.

2° Existentia originalis peccati semel admissa, melius explicatur præsens humani generis conditio.

946. i° Homo enim, in præsenti vita, tot tantisque miseriis involvitur ac veluti obruitur, tam facile a Deo aver-

titur, tam vehementer ad illicita trahitur, tarn mollis ad labores, tam pronus ad libidines esse videtur ut, licet hujusmodi defectus stricte loquendo fluere possint ex ipsa hominis constitutione, tamen, divina providentia supposita, melius certo explicentur si reputantur pœnales et sic infertur " humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum "x. Aut saltem ea nunc videtur impotentia et indigentia hominis sine gratia, ut *œconomia præsens,* juxta quam nempe homo per peccatum Adae *spoliatus gratuitis* et *vulneratus in naturalibus,* sensu supra exposito, sola gratia Redemptoris salutem et beatitudinem assequi potest, multo melius consistat quam quælibet alia hypothesis.

947. 2° Confirmatur variis populorum traditionibus apud paganos, poetas et philosophos consignatis, in quibus plus minusve explicite existentia lapsus agnoscitur. Sic, inter *Grcecos, Hesiodus*3 describit *Promethei* fatum, qui, postquam ignem e cælo eripuit, non solum in se crudeles pcenas luit, sed etiam causa fuit cur cujuscumque generis mala totum terrarum orbem pervaserint. Inter *Latinos, Cicero* 3 rem sic declarat : " Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus in vitam, corpore nudo, et fragili, et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen inesset tanquam *obrutus* quidam *divinus ignis,* ingenii et mentis... Ex quibus humanæ vitæ erroribus etærumnis fit ut interdum veteres illi vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos *ob aliqua scelera suscepta in vita superiore,* poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, simili nos affectos esse supplicio". Eædem traditiones apud *Orientales* vigent ♦: qui communis consensus satis evidenter ostendit miseriarum hujus vitæ acerbitatem, sine primæva culpa, non tam facile explicari posse, quam admisso originali peccato.

*j'j'
git

' Quod sic agnoscit 5. *Thomas (C. Gent.,* 1. IV, c. 52) : " Sic igitur hujusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute, considerando humanam naturam ex parte ejus quod in ea est inferius, tamen considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanæ naturae, satis probabiliter probari potest hujusmodi defectus esse *penales;* et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum — Ex quibus inferre licet aliquatenus corrigendam esse methodum apologeticam qua *Pascal* usus est inultique post eum. Cfr. H. Petitot, *Pascal, sa vie religieuse et son apologie du Christianisme,* Paris, 1911.

3 *Theolog.,* V, 510 sq. — ' *Hortensius,* sive de Philosophia fragmenta.

4 Cf. Nicolas. *Eludes philosophiques,* t. II, c. 4, § 1 ; Lenormant, *Les Origines de THistoire,* c. II; *Histoire de TOrient,* 1. I, c. 2, § 2.

948. Conclusio. Hæc satis sint de miserando protoparentum lapsu, quem pro nostra eruditione Deus permisit. Felix enim quem faciunt aliena pericula cautum! Nos scilicet, sicut protoparentes, supernaturalibus donis per baptismum aucti sumus, et in Ecclesia sicut in paradiso positi, ubi arbor vitæ, Eucharistia videlicet, crescit, fluitque uberrimus gratiarum fluvius quo, per septem sacramentorum canales, animæ nostræ hortus irrigatur. Nec desunt tentationum stimuli : serpens antiquus blanditiis et fallaciis concupiscentiam nostram movet et excitat ; mundus scandalis ad peccandum nos allicit. Si cum seductore colloqui velimus, vel suaves mundi susurros audiamus, brevi peccatum animam intrabit, et per peccatum mors. *Unum* ergo *timeamus, peccatum,* quo primus colonus e paradiso ejectus fuit. " Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris"[1]. De quo jam dicere debemus in sequenti Tractatu.

[1] *I Joan.*, II, i, 2.

DE VERBO INCARNATO ET REDEMPTORE

Tractatus historia breviter delineatur.

Cum Christus sit totius theologiæ centrum, de duplici mysterio Incarnationis et Redemptionis in plerisque scriptoribus ecclesiasticis plus minusve explicite agitur. Præcipua tantum inter opera *Patrum* et *Theologorum* recensere possumus.

94Q. i° *Patres quatuor priorum sceculorum* frequentius de persona Christi quam de ejus redemptione disserunζ et præcipue ejus divinitatem humanitatemque propugnant, de ipsa unione tamen, occasione data, agentes.

Duobus *prioribus* sæculis, S. Clemens, *in ep. ad Corinthios,* doctrinam ep. ad Hebræos evolvens, asserit Christum, secundum carnem, esse Dei servum, sed secundum divinam naturam esse splendorem divinæ majestatis et vere Filium Dei ; S. Ignatius, in suis *Epistolis,* doctrinæ S. Joannis innixus, docet, contra Docetas, Christum esse vere hominem, natum ex virgine, vere passum et e mortuis suscitatum; sed etiam vere Deum, divinisque attributis præditum; Pseudo-Barnabas, in *Epistola,* jam de Christi redemptione pauca attingit; S. Justinus, in *Apologiis* et *Dial, cum Tryphone,* non solum de Christo Deo simul et homine disserit, sed etiam de redemptione hominum quam passione et sanguine suo peregit; quod fusius etiam exponit S. Irenæus, *Adversus hcereses,* ubi declarat Verbum ideo incarnatum esse ut, in se recapitulans longam hominum seriem, eos sanguine suo redimeret super lignum.

Tertio sæculo, jam paulo fusius et magis philosophice de *Incarnatione* et *Redemptione* agitur. Inter *Gracos,* Clemens Alex., in *Cohort. Padagog.* et *Stromatibus,* duas naturas in Christo distinguens, Christum non tantum ut pædagogum sed etiam, etsi minus diserte, ut redemptorem exhibet; Origenes, *Contra Celsum* et *De principiis,* declarat Verbum unitum esse animæ humanæ et corpori perfecto, quin tamen aliquid suarum perfectionum amitteret ; duas proinde in Christo naturas esse, quæ unum ens constituunt; Christum vero nos redemisse fundendo sanguinem in cruce. — Inter *Latinos* Tertullianus, *Adversus Praxeam, Adversus Marcionem, De carne Christi,* etc., contra Docetas et Gnosticos, probat corpus

Christi esse reale, materiale, vere conceptum, natum et mortuum, ejus animam spiritualem et rationalem simul ac sensibilem;aliunde Christum esse Deum ; duas proinde substantias in eo distingui, sed *in una persona conjunctas;* ita eum pro nobis satisfecisse et passione ac morte nos salvasse; quam doctrinam repetit Novatianus, *De Trinitate.*

Quarto sæculo, orta hæresi Apollinaris, Patres disertius affirmant *integritatem humana naturæ,* ut ita redemptionem tueantur, hoc innixi principio : *Quod non est assumptum, non est sanatum;* exinde occasionem sumunt agendi de ipsa unione inter Verbum et naturam humanam. Inter *Græcos,* S. Athanasius, qui jam divinitatem Verbi vindicaverat contra Arianos, veritatem Incarnationis non minus invicte asseruit, *Lib. de Incarnatione Verbi, Libri duo de Incarnat., Sermo major de Fide;* idem vero in *Epist. ad Epictetum,* et cum eo Didymus, *De Trinitate,* necnon auctor, quicumque est, duorum librorum *contra Apollinarium,* probant Verbum assumpsisse *mentem humanam* tum ex Scriptura tum ex eo quod secus mentem nostram redimere non potuisset; S. Gregorius Naz., *Orationes quinque de theologia* (n. 27-31), idem docet; S. Gregorius Nyss., *Antirrheticus adv. Apollinarium,* istius errorem directe confutat, et in *Orat, catechetica magna* dogma catholicum lucide exponit; quod et præstat S. Cyrillus Hierosol., *Catecheses 12* et 13; S. Ephrem, *Sermones polemici* 12, 14, 17-19, 24, 29, 30, 31, 34, 51, 54, et *Hymni et sermones,* clare asserit Christo inesse verum corpus veramque humanam animam, ejus matrem virginem fuisse ante partum, in partu et post partum, meritoque dici Dei matrem. — E *Latinis,* S. Hilarius, *De Trinitate,* docet Christum esse vere hominem, passibilem, etsi impeccabilem propter unionem cum Verbo; S. Ambrosius, *De Incarnationis dominica sacramento,* mentem rationalem et quemdam progressum in scientia Christi admittit ; uterque praeclare de *redemptione* disserit, quam solus Christus perficere poterat pro nobis patiendo et moriendo.

950. 20 *A quinto sæculo ad nonum,* directe et fuse agitatur quæstio de *unione hypostatica* ejusque *consectariis.*

Quinto sæc., S. Augustinus, etsi speciales tractatus de Incarnatione et Redemptione non scripsit, utrumque dogma in variis operibus præclare exponit, unionem utriusque naturæ in *unitate personæ,* posteaque redemptionem quam morte sua perfecit, uno vero sacrificio pro nobis oblato culpas nostras exstinguens. Ortis autem *Nestorianismo* et *Eutychianismo,* posteaque *Monothelismo* et *Adoptianismo,* necesse fuit istas hæreses confutare, accuratius exponendo quomodo *duæ naturæ in Christo uniantur* et *integræ* maneant post unionem. *Nestorium* impugnavit præsertim S. Cyrillus Alex., *Scholia de Incarnatione; Liber quod unus sit Christus; Lib. de*

Incarnat. Verbi Dei Filii Patris; Adversus Nestorii blasphemias; Explanatio 12 capitum seu anathematismorum; Apologeticum pro 12 capitibus; Liber de recta fide in D. cV. Jesum Christum; de Incarnat. Dominica; ibi ostendit, admissis duabus hypostasibus in Christo, redemptionem impossibilem evadere, cum actiones et passiones humanae soli humanae personæ tribui debeant ideoque sint finiti valoris; itaque unam esse hypostasim Verbi, ideoque Mariam esse matrem Dei. Contra *Eutychetem* catholicam fidem profunde simul et lucide proponit S. Leo Magnus, *Sermones 96 de Mysteriis Domini; Epistola dogmatica,* præsertim 28 ad Flavianum; eloquenter sed minus theologice idem exponit S. Petrus Chrysologus, *Sermones dogmatici,* 80, 99, 141, 147, 148; *Epistola ad Eutychen.*

Saeculis *sexto* et *septimo,* in *Oriente,* Leontius Byzantinus scripsit *Adversus Nestorianos et Eutychianos libros tres,* ubi discrimen inter naturam et personam accurate explicat; S. Sophronius, Hierosolymitanus, *Epistola synodica* et *Orationibus* contra *Monothelitas* decertavit; eosdem S. Maximus confessor strenue impugnavit in variis opusculis *theologicis* et *polemicis,* inter quæ recensetur *Spiritualis tomus ac dogmaticus;* Anastasius Sinaita, *Via dux adversus Acephalos,* ostendit qua via impugnandi sint hæretici, præsertim variæ Monophysitarum sectae. — In *Occidente,* S. Fulgentius Rusp., non solum de Trinitate contra Arianos, sed etiam de Verbo incarnato lucide disseruit, praesertim in *libro de Incarnatione Filii Dei.*

Sæc. *octavo* et *nono,* contra *Adoptianismum* in *Occidente* vigentem, scripserunt : Alcuinus, *Adversus Felias haresim, Adv. Elipandum,* variaque opuscula ; S. Paulinus Aquilejensis, *Sacrosyllabus,* ubi doctrinam catholicam probat Scriptura; S. Agobardus, *Adv. dogma Felias* ubi singula ejus asserta refellit. — Paulo ante, in *Oriente,* S. Joannes Damascenus, Patrum græcorum doctrinam de Verbo Incarnato et Redemptore collegerat in l. 111° *Defide orthodoxa.*

951. 3° Inter *theologos Medii Aevi,* sæc. XII0 : S. Anselmus, in libro *defide Trinitatis et de Incarn. Verbi,* contra Roscellinum exponit quomodo Verbum solum (non duæ aliæ personæ SS. Trinitatis) incarnatum fuerit, et in libro *Cur Deus homo,* de Redemptionis necessitate et natura præclare disserit ; Hugo a S. Victore, in libro 11° *De Sacramentis Christianafidei,* de Incarnatione scribit ; Abælardus, *Introductio ad Theologiam, Theologia Christiana II. y,* methodo dialectica de Verbo incarnato disserit, ita tamen ut sapiat Nestorianismum, teste S. Bemardo, qui eum hac de re carpit; P. Lombardus, *Libri Sententiarum,* lib. III, ubi *methodice* et *scholastice* Patrum doctrinam de Verbo Incarnato et Redemptore digerit; Rich, a S. Victore, *Liber de Incarnatione; de Emmanuele; De comparatione Christi adflorem, Maria ad virgam.*

Sæc. ***XIII*** *:* Alex. Halensis, in *Summa theologica,* amplissime de Christo disserit; S. Thomas, O. P., doctrinam exponit de unione hypostatica et mysteriis Christi, quæ non minus profunditate quam perspicuitate omnium fere admirationem commovit : *Sum. theol.,* 3, q. 1-51, cum commentariis *Cajetani; Cont.* 6>w/.,lib. IV., c. 27 sq., cum comment. *Ferrariensis; Quæst. disp.,* de Unione Verbi, de scientia Christi, de Gratia Christi ; S. Bonaventura, O. M., eodem tempore, eximie de hac materia disseruit : *Commentar, in lib.* ***III*** *Sentent., Breviloquium.*

Sæc. ***XIV*** *:* J. Duns Scotus, O. M., *In lib.* ***III*** *Sententiarum;* P. Paludanus, O. P. *In lib.* ***III*** *Sentent.* — *Sæc.* ***XV*** *:* Joannes Capreolus, princeps Thomistarum, *Comment, in lib.* ***III*** *Sentent.*

952. 40 Inter theologos *ætatis modernæ, sæc.* ***XVI*** *:* Bartholomæus a Medina, O. P., *Comment, in p. S. Thomæ;* Franciscus a Christo, Ord. S. A., *Prælectiones sive Enarrationes admirabilis Verbi Incarnati.*

Sæc. ***XVII*** *:* Greg, de Valentia, S. J., *de Incarnatione divini Verbi;* G. Vasquez, S. J., *In ja,n p. S. Thomæ;* F. Suarez, S. J., *de Incarnatione;* De Lugo, S.J., *De Mysterio Incarnationis;* Bellarminus, S. J., *De Christo, capite Ecclesiæ;* Didacus Alvarez, O. P., *Disp. theol. de Incarnatione;* Joannes a S. Thoma, O. P., *In Jam p. S. Thomæ;* Gonet, O. P., *Clypeus,* De Deo Incarnato; Smiglecki, *De Christo vero et naturali Dei Filio, ejusque pro peccatis nostris satisfactione;* Petavius, S. J., *De Incarnatione ;* Thomassinus, Orat., *De Incarnatione ;* Salmanticenses, *De Incarnatione;* Bérulle, Orat., *Discours de l'état et des Grandeurs de Jésus.*

Sæc. ***XVIII*** *:* D. Perez, O. P. *De Ineffabili Incarnationis mysterio;* Billuart, O. P., *De Incarnatione, De Mysteriis Christi;* Claudius Frassqn, O. M., *Scotus Academicus ;* Legrand, S. S., *De Incarnat. Verbi* (ap. *Migne, Theol. Cursus,* vol. IX); J· Gauthier, S. J., *De augustissimo Verbi Incarnati mysterio;* Holtzclau, S. J., *de Verbo Incarnato* (in Theol. Wirceburgensi).

Sæc. ***XIX*** *;* Liebermann, *Instit. theol.,* de Generis Humani Redemptione; J . A. Jacquemin, *De Incarnat. Verbi divini;* T. L. Brittain, O. P., *The Divinity of Jesus-Christ;* Perrone, S. J., *Prælect. theol.,* De Incarnat.; *De D. IV. Jesu Christi divinitate;* Franzelin, *De Verbo Incarnato;* Stentrup, S. J., *De Verbo Incarnato;* Kleutgen, S. J., *Théologie der Vorzeit,* vol. **III;** Schazler, *Das Dogma von der Menschwerdung,* Freiburg, 1870; Scheeben, *Dogmatik,* lib. V, § 206 sq.; J. Morris, *Jesus, the Son of Mary;* Landriot, *Le Christ de la Tradition;* Bougaud, *Le Christianisme et les Temps présents,* t. **II,** Jésus-Christ; Faber, *Bethlehem; The precious Blood;* L. Billot, S. J., *De Verbo Incarnato,* ed. 6a, 1922; Pesch, S. T·, *Prælect. dogmat.,*

vol. IV; L. Janssens. *Summa theol.,* IV et V, Friburgî, 1901-1902; Muncunill, S. J., *De divmi Verbi Incarnatione,* Madrid, 1904; A. M. Lépicier, *De Incarnat, Terbi,* Paris, 1906; H. del Val, *De Verbo Incarnato,* Matriti, 1906; L. Grimai, *Jésus-Christ étudié et médité,* Paris, 1910; M. Lepin. *Jésus Messie et Fils de Dieu d'apris les Evangiles Synoptiques,* 3e édit., 1907; J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption,* Paris, 1931 ; Van Noort, *De Deo Redemptore,* Amstelodami, 1910; L. Labauche, Dieu, *Le Verbe Incarné, Le Christ Rédempteur,* 1911 ; A. Michel, in *D. T. C.,* vocabulis *Hypostatique* (union), *Incarnation, Jtsus-Christ;* Galtier, *De Incarnatione ac Redemptione,* 1926; de Grandmaison, *Jésus-Christ,* 1928; C. Héris, *Le Mystère du Christ,* 1928; P. Lagrange, *L Evangile de Jésus-Christ,* 1928; F. Prat, *Jésus-Christ, sa vie, sa doctrine, son œuvre,* 1933.

953. 5° Inter **Protestantes** : Dorner, *Entwickelungsgeschichte der Lehre von der Person Christi...,* Berlin, 1846-56, *anglice* versum, *History of the Development of the Doctrine of the Person of Christ,* 1868-1872 ;W. F. Gess, *Christi Person und IVerh,* Basle, 1870,1879; Archdeacon Wilberforce (postea ad fidem catholicam conversus), *The Doctrine of the Incarnation* ·, H. Liddon, *The Divinity of Our Lord and Saviour J. C.,* Bampton Lectures for 1866; W. B. Pope, *The Person of Christ, dogmatically, scripturally and historically considered,* 1878; A. B. Bruce, *The Humiliation of Christ in its physical, ethical and official aspects,* 1875; Lichtenberger, *Encyclopédie,* vol. III, 1878, voce *Christologie ;* J. Bovon, *Théologie du N. Testament,* Lausanne, 1893-94; C. Gore, *The Incarnation of the Son of God,* Bampton Leet, for 1891 ; C. Hodge, *Systematic Theology,* vol. II, part. III ; P. Schaff, *Christ and Christianity* ; H. C. Powel, *The Principle of the Incarnation,* London, i896;Ottley, *The Doctrine of the Incarnation,* London, 1897; W. Sanday, *Jesus Christ,* in *Hastings Diet, of the Bible,* t. II, 603-653; *The Life of Christ in recent research,* Oxford, 1907; *Christologies ancient and modern,* 1910; Hastings, *Diet, of Christ and the Gospels,* Edinburgh, 1906-1908.

Fontes præcipui.

954. i° Excerpta ex Symbolo Apostolorum *(Jorma romand)*

Credo in Deo Patre omnipotente, et in Christo Jesu, unico Filio ejus, Domino nostro, qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos, et in Spiritu Sancto...

1 D. B., 2. Quæ forma apud *Rufinum* invenitur. — Cfr. *Syn. Theol. Fundam.*. n. 963.

955· 2° Symbolum Nicæno Constantinopolitanum

Πιστεύομεν ει ἑ'να θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητήν οὐρανοϋ και γη , ορατών τε -πάντων και αοράτων. Και εί ένα κύριον Ἰησοῦν Χριστο'ν, τόν υΙόν τοϋ Θεοϋ τον μονογενή, τόν έκ τοϋ πατρό γεννηΘέντα προ πάντων των αιώνων, φω έκ φοτο' , Θεόν αληθινόν έκ θεοϋ άληΟινοῦ, γενηθέντα ού ποιηθέντα, όμοούσιον τψ πατρί, δι' ού τά πάντα έγένετο; τόν δι* ήμά τού ανθρώπου και διά την ήμετέραν σωτηρίαν κατελθο'ντα έκ των ουρανών και σαρκωθέντα έκ πνεύματο άγιου και Μαρία τή παρθένου,παι ένανθρωπησαντα,σταυρωθέντα τε υπέρ ήμών έπΐ Ποντίου Πιλάτου και παθο'ντα καί ταφέντα καί άναστάντα τη τρίτη ήμέρα κατά τά γραφά , και άνελθο'ντα ει τού ούρανούκ, παι καθεζόμενον έκ δεξιών τοϋ πατρο' , και πάλιν έρχόμενον μετά δό η κφίναι ζώντα και νεκρού ; ού τή βασιλεία ούκ εσται τέλο . Και ει τό πνεύμα τό άγιον, τό κύριον, τό ζωοποιο'ν, τό έκ τοϋ πατρό έκπορευομενόν, τό σύν πατρι και υΐϋ συμπροσκυνούμενον, και συνοο αζο'μενον, τό λαλήσαν διά τών προφητών. Ει μίαν αγίαν, καθολικήν και άποστολικήν έκκλησίαν. Όμολογοϋμεν εν βάπτισμα ει άφεσιν αμαρτιών. Προσδοκώμεν άνάστασιν

[Versio Dionysii Exig. .·] Credimus *[Credo]* in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre *[Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum]* ante omnia sæcula. *[Deicm de Deo} lumen de lumine]* Deum verum de Deo vero. Natum *[Genitum],* non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et salutem nostram *[et propter nostram salutem*\ descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et humanatus *[homofactus]* est. Et crucifixus est *[Crucifixus etiani]* pro nobis sub Pontio Pilato, *[passus] et* sepultus est. Et resurrexit tertia die, *[secundum Scripturas. El]* ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, [<?/] iterum venturus [«/] cum gloria iudicare vivos et mortuos : cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem *[qui ex Patre* Filioque[2] *procedit, qui]* cum Patre et Filio adorandum *[simul adoratur]* et conglorificandum *[-atur],* qui locutus est per sanctos Prophetas *[per Prophetas].* Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur *[Confiteor]* unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectamus *[Et*

» D. B., 86. — Quæ uncis inclusa sunt, textum liturgicum exhibent.
' Additamentum " *Filioque* " in Hispania primum factum est supra (n.

rxj/tato] resurrectionem mortuorum et vitam futuri [ivw/wn] sæculi. Arnen.

νεκρών, και ζωήν τοϋ μέλλοντο αϊώνο

956. 3° Decreta Synodi Ephesinæ œcumenicæ III (431)1.

De unione hypostatica Verbi atm humana natura contra Nestorium.

Can. i. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter *Emmanuel* et propterea *Dei Genitricem* sanctam Virginem : peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei A'erbum, secundum quod scriptum est : " Verbum caro factum est " : A. S.

Can. 2. Si quis non confitetur carni *secundum substantiam*2 unitum Dei Patris Verbum, unicum esse Christum cum propria came, *eumdem scilicet Deum simul et hominem :* A. S.

Can. 3. Si quis in uno Christo *dividit substantias post unitionem** sola eas connexione conjungens, quæ secundum dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem : A. S.

Can. 4. Si quis *in personis duabus vel subsistentiis* eas voces, quæ in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, *dividit** vel quæ de Christo dicuntur a Sanctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex his velut homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tanquam dignas Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit : A. S.

Can. 5. Si quis audeat dicere, hominem Christum *Theophorum,* id est, Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per naturam secundum quod Verbum factum est caro, et communicavit similiter ut nos cami et sanguini : A. S.

Can. 6. Si quis dicit Deum esse vel Dominum Christi, Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confiteatur *Deum simul et hominem,* propterea quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas : A. S.

Can. 7. Si quis velut *hominem Jesum* operante Deo *Verbo* dicit *adjutum,* et unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existent! tribuit : A. S.

1 Cf. D. B., n. 113-124 (73-84). Canones hic relati nihil aliud sunt nisi 5. *Cyrilli anathematismi,* quos Synodus Ephesina recepit, Chalcedonensis in acta retulit, Constantinop. defendit.

2 " Versio antiqua *Dionysii Exigui* hic, can. 2, 3, vocem ὑπόστασιν per *substantiam* reddidit. Idem habetur Syn. V, can. 13. Retinuimus quod et *Petamus, de Ineam.,* lib. VI, c. 17, tuetur. Unio hypostatica substantialis vel essentialis dicitur, inquantum istae voces Nestorianorum *aecidentali* seu *morali unioni* opponuntur. Est sane unio ista substantiarum, sed per subsistentiam ". (D. B., l. c.).

Cnn. 8. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum tanquam alterum cum altero (nam *con* syllaba superadjecta hæc cogit intelligi), ac non potius *una supplicatione* veneratur Emmanuel, *unamque ei glorificationem* dependit, juxta quod Verbum caro factum est : A. S.

Can. g. Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium Spiritum, per quem divina signa explevit : A. S.

Can. io. Pontificem et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est et homo juxta nos homines, sed velut alterum, præter ipsum, specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) : A. S.

Can. ii. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificare valentis : A. S.

Can. 12. Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum came, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est, et vivificator ut Deus : A. S.

957. 4° Epistola S. Leonis Papæ ad S. Flavianum Ann. 449 x.

De duplici natura in Christo, contra Eutychen.

Cap. 3. *Salva igiturproprietate utriusque natura et substantia et in unam coeunte personam,* suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab ætemitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili ; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. *In integra* ergo *veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris.*

1 D. B., n. 143-144. Hanc Epistolam Patres Cone. Chalcedonensis susceperant, clamantes : *Petrus per Leonem locutus est.*

Cap. 4. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cælesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine : quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse coepit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata majestatis suæ immensitate, suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus : quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit; carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa : nec in Domino Jesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est iu hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sic enim *Deus non mutatur miseratione,* ita *homo non consumitur dignitate. Agit utraque forma* cum alterius communione quod *proprium* est; *Verbo* scilicet *operante quod Verbi est,* et *carne exequente quod carnis est. Unum* horum *coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.* Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit.

958· 50 Conc. Chalcedonensis, Gener. IV, Decretum.

Contra Eutychen, an. 451[x].

Sequentes Sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eumdemque perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem, ex anima rationabili et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato : ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eumdem propter nos et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem : unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in *duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque natura, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas* partitum atque divisum, sed *unum et eumdem Filium* unigenitum Deum, Verbum Dominum, Jesum Christum : sicut ante prophète de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et Patrum nobis symbolum tradidit.

[x] CL D. B., n. 148.

95Q. 6° Ex symbolo Athanasiano (*VIsac.*)[2]

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est Deus est ex substantia Patris, ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris, in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana came subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam, sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra; descendit ad inferos ; tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam ; qui vero mala, in ignem ætemum.

Hæc est fides catholica ; quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

960. 70 Epist. Agathonis ET SYN. ROM. 125 EPISCOP. (679).

De duplici voluntate in Christo, contra Monothelitas '.

Unum eumdemque D. N. J. C., Filium Dei unigenitum, *ex duabus* et *in duabus substantiis iticonfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere* cognoscimus, *nusquam sublata differentia naturarum* propter *unitionem,* sed potius *salva proprietate utriusque natura,* et in *unampersonam unamque subsistentiam concurrente,* non in *dualitatem personarum* dispertitum vel diversum, neque in *unam compositam naturam confusum;* sed unum eumdemque Filium unigenitum, Deum Verbum, D. N. J. C., neque alium in alio, neque alium et alium, sed *eumdem* ipsum *in duabus naturis,* id est, in *deitate* et *humanitate,* et *post* subsistentialem adunationem cognoscimus : quia neque *Verbum in carnis naturam conversum* est, neque *caro in Verbi naturam transformata est :* permansit enim utrumque quod naturaliter erat : differentiam quippe adunatarum in eo natu-

1 D. B., n. 39-40 (137-138) Priorem partem de Trinitate supra invenies, n· 547·

2 " Hanc Epistolam Patres Synodi VI (Constantinopolitani III) susceperunt clamantes : *Petrum per Araihonem locutum esse".* D. B., n. 288.

rarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est compositus; *unus* enim *ex utrisque* et *per unum utraque,* quia simul sunt et altitudo deitatis et humilitas camis, *servante utraque natura,* etiam *post adunalionem, sine defectu proprietatem suam;* et *operante utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet : " Verbo operante quod Verbi est,* et *carne exequente quod carnis est :* quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis "

Unde consequenter, sicut duas naturas sive subsistentias, id est, deitatem et humanitatem inconfuse, indivise, incommutabiliter eum habere confitemur; ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, utpote *perfectum Deum* et *perfectum hominem,* unum eumdemque ipsum Dominum Jesum Christum pietatis nos regula instruit; quia hoc nos apostolica et evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quod sancta apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstratur.

961. 8° Definitio synodi VI, Constantinop. III, a. 680 *.

Contra Monothelitas.

Quæ præsens sancta et universalis Synodus fioeliter suscipiens, et expansis manibus amplectens tam suggestionem, quæ a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquae Romæ facta est ad Constantinum, piissimum atque fidelissimum nostrum imperatorem, quæ nominarim abjecit eos, qui docuerunt vel praedicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem et unam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri; adaeque amplexa est et alteram synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium Episcoporum, ad ejus a Deo instructam tranquillitatem, utpote consonantes Sancto Chalcedonensi Concilio, et tomo sacerrimi ac beatissimi Papae ejusdem antiquae Romæ, Leonis, qui directus est ad S. Flavianum, quem et titulum rectae fidei hujusmodi Synodus appellavit ; ad hæc et synodicis Epistolis, quæ scriptæ sunt a B. Cyrillo adversus impium Nestorium et ad orientales Episcopos ; assecuti quoque sancta quinque universalia Concilia et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum nostrum, unum de sancta, et consubstantiali et vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in deitate, et perfectum eumdem in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore; *consubstantialem Patri secundum deita-*

' *Leo Pafa,* supra n. 957.
' Cf. D. B., n. 289-292.

tern, et consubstantialem nobis secundum humanitatem; per omnia similem nobis absque peccato ; ante sæcula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eumdem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto et Maria Virgine *proprie et veraciter Deigenitrice secundum humanitatem; unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum* in *duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum nusquam exstincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturæ et in unam personam, et in unam subsistehtiam concurrente, non in duaspersonaspartitum* vel divisum, sed unum eumdemque unigenitum Filium, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum; juxta quod olim prophetæ de eo et ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, et Sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum.

Et *duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse;* secundum Sanctorum Patrum doctrinam, adæque prædicamus; et *duas naturales voluntates non contrarias,* absit, juxta quod impii asserunt haeretici, sed *sequentem ejus humanam voluntatem,* et non resistentem vel reluctantem, sed potius et *subjectam divince ejus atque omnipotenti voluntati.* Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinæ, juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro, caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis camis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait : " Quia descendi de cælo, non ut facia.m *voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris ",* suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam et caro propria ejus facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata ejus caro deificata, non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit; ita et humana ejus voluntas deificata, non est perempta, salvata est autem magis, secundum deiloquum Gregorium, dicentem : " Nam illius *velle* quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, *deificatum totum*

Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Jesu Christo, vero Deo nostro, glorificamus, hoc est *divinam operationem, et humanam operationem,* secundum divinum prædicatorem Leonem, apertissime asserentem : " Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, *Verbo,* scilicet, *operante* quod *Verbi* est, et *carne exsequente* quod *carnis* est ". Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei et creaturæ, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam : neque quod eximium est divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. " Unius enim ejusdemque tam miracula, quamque passiones cognoscimus, secundum aliud et aliud earum, ex quibus est, naturarum et in quibus habet esse ", sicut admirabilis inquit Cyrillus.

Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus; *unum* sanctæ Trinitatis, et, post Incarnationem, Dominum nostrum *Jesum Christum verum Deum* nostrum esse credentes, asserimus *duas ejus esse naturas in una ejus radiantes subsistentia,* in qua tam miracula, quamque passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum *cum alterius commu-nione utraque natura* indivise, et inconfuse *propria* vellet, atque *operaretur :* juxta quam rationem, et *duas naturales voluntates* et *operationes confitemur,* ad *salutem humani generis convenienter in eo concurrentes.*

962. 90 Propositiones modernistarum circa Christum, damnatæ ex dec. *Lamentabili,* 3 jul. 1907 X.

XXVII. Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia Christiana e notione Messiæ deduxit.

XXVIII. Jesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque ejus miracula eo spectabant ut id demonstraret.

XXIX. Concedere licet Christum quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo qui est objectum fidei.

XXX. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* æquivalet tantum nomini *Messias,* minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

XXXI. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Joannes et Concilia Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Jesus docuit, sed quam de Jesu concepit conscientia Christiana.

XXXII. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Jesu Christi.

XXXIII. Evidens est cuique qui præconceptis non ducitur opinionibus, Jesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut majorem partem ipsius doctrinæ in Evangeliis Synopticis contentæ authenticitate carere.

XXXIV. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quæ historice haud concipi potest quæque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

XXXV. Christus non semper habuit conscientiam suæ dignitatis messianicæ.

XXXVI. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia Christiana sensim ex aliis derivavit.

XXXVII. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

XXXVIII. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina [x].

Objectum, utilitas et divisio Tractatus,

963. i° Objectum. In hoc tractatu disserendum habemus de *Verbo Incarnato et Redemptore,* id est, de secunda persona SS. Trinitatis quatenus humanam naturam assumpsit, ad redimendum genus humanum per protoparentum culpam lapsum. Exinde apparet hujus Tractatus connexio cum praecedentibus : siquidem in *Tr. de Deo uno* et *trino* intimam ejus naturam investigavimus; in *Tr. de Deo Creante* de ejus operibus ad extra disputavimus, de Angelis et Homine, præsertim vero de elevatione protoparentum ad statum supernaturalem et eorum miserabili lapsu ; remanet igitur dicendum de hominis redintegratione per Christum Redemptorem.

Objectum hujusce Tractatus in parabola boni Samaritani optime declaratur[2] : siquidem homo descendens ab Jerusalem in Jericho, juxta non paucos interpretes, Adamum repræsentat, qui, dum iter faceret, incidit in latrones, id est, dæmones, et gratuitis spoliatus, fuit etiam aliquo sensu in naturalibus vulneratus. Lapsum genus humanum neque Lex *{sacerdos},* neque Prophetae *{levita}* curare potuerunt. Samaritanus autem, id est, Christus, misericordia motus, nobisque per Incarnationem appropinquans, vulnera sanavit, sacramentorum oleum et vinum infundens, nosque in stabulum Ecclesiæ duxit, ubi ejus ministri curam nostri gerunt.

964. 2° Praestantia et utilitas. (A) *Prcestantia* apparet *ex dignitate objecti :* i. Hic,enim agimus de *Christo,* qui

[1] Vide etiam Encycl. *Pascendi*^ D. B., 2071-2109.

omnes thesauros *divinitatis* simul et perfectissimas *humanæ naturæ* dotes in se complectitur ideoque est perfectissimus inter Deum et homines *mediator;* 2. Insuper de illo eximio *Redemptionis opere,* quod cetera Dei opera longe superat ; nihil igitur *dignius* investigationibus nostris offerri potest, et cum Apostolo exclamare licet[1] : " Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum et hunc crucifixum ".

(B) *Utilitas* triplex distingui potest : (a) *dogmatica :* cum enim Incarnatio sit *centrum* totius religionis christianæ, lucidiorem praebet intelligentiam ceterorum dogmatum, nempe SS. Trinitatis quae in Christo clarius manifestatur, gratiae et sacramentorum, quæ sunt Redemptionis fructus, elevationis humani generis ad statum supernaturalem et ejus lapsus, qui occasionem præbuit redemptionis, etc.

(b) *Ascetica,* cum Verbum Incarnatum sit *causa meritoria* et *exemplaris* vitæ nostræ spiritualis, immo caput mystici corporis cujus membra sumus, et a quo vitam accipimus; ita ut merito dixerit : " Ego sum via, veritas et vita "[2].

(C) *Apologetica,* confutans nempe innumeros errores qui circa illud dogma ubique grassantur ; cum enim divinitas Christi ejusque pro genere humano satisfactio sint centrum religionis christianæ, hæ veritates acriter impugnatæ fuerunt tum ab antiquis hæreticis, tum a modernis *Rationalistis* aut *Liberalibus,* quibus adjungi debent *Modernisiez.* Istorum sophismata detegere et confutare necesse est.

965. [30] Divisio. Duo sunt mysteria exponenda : *Incarnatio Verbi,* seu mysterium unionis hypostaticæ duplicis naturæ, divinæ et humanæ, in unica persona quæ *Christus* dicitur ; et *Redemptio* seu opus a Christo Salvatore peractum, propter nostram salutem. Inde duæ præcipuæ partes : *Christologia,* quæ de Incarnatione, *Soteriologia,* quæ de Redemptione disserit; quibus addemus, per modum consectarii, ea quæ respiciunt *cultum Christi et Sanctorum.*

[1] *I Cor.,* II, 2. — [2] *Ioan.,* XIV, 6.

I

Prænotanda.

- Existentia
  - Christus est Deus.
  - Christus est homo.
  - Christus Deus-homo.
  - Scholastica expolitio.
- De unione hypostatica
  - Consectaria
    - Duplex voluntas et operatio.
    - Unica filiatio.
    - Adoratio Christi.
    - Communicatio idiomatum.
- Christologia
  - De persona assumente
    - Convenientia.
    - Sola persona Verbi.
    - Verbum nil amisit.
    - Unionis dotes.
  - De natura assumpta
    - De Intellectu.
    - De Voluntate.
    - De Sensibili appetitu.

- Prænotanda : de Christo mediatore et redemptore.
- Soteriologia
  - Redemptionis existentia.
  - De modo et dotibus redemptionis.
  - De opere præcipuo redemptionis seu sacrificio.
  - De necessitate redemptionis.
  - Controversia de motivo finali Incarnationis.
- Consectaria utriusque mysterii.
  - De devotione erga Cor SS. Jesu.
  - De B. Maria Virgine.
  - De Cultu Sanctorum.
  - De Cultu Reliquiarum et Imaginum.

PARS PRIOR :

MYSTERIUM INCARNATIONIS seu CHRISTOLOGIA

966. Cum mysterium Incarnationis nihil aliud sit nisi mysterium unionis hypostaticæ inter naturam divinam et naturam humanam in persona Verbi, una erit *quæstio fundamentalis,* nempe de *unione hypostatica,* ex qua *consectaria* ad complendam notionem mysterii eruentur. Quia vero in hac unione duo sunt termini, *Verbum assumens* et *natura humana assumpta,* de iis seorsim dicendum. Unde tria capita :

I de *unione hypostatica ;*
II de *persona assumente;*
III de *natura assumpta.*

CAPUT I.

DE UNIONE HYPOSTATICA.

Pauca praenotanda sunt *de genuino conceptu* unionis hypostaticæ et *præcipuis erroribus* quibus adulteratus est.

PRÆNOTANDA DE NOTIONE UNIONIS HYPOSTATICÆ ET ERRORIBUS CIRCA EAMDEM.

I. De genuino conceptu unionis hypostaticae.

Ad hunc conceptum expoliendum, declarabimus : 1° *præcipua nomina* quibus designata fuit Incarnatio seu unio hypostatica; 2° *philosophicas notiones* quas unio hypostatica supponit ; 30 *ipsam unionem* hypostaticam. -.-Iw

967. 1° Praecipua nomina quibus Incarnatio seu unio hypostatica designata fuit hæc sunt :

(a) Ratione *originis, missio Filii, exitus* a Patre, *descensus* e cælo; (b) ratione *termini, adventus* in mundum, *assumptio* humanitatis,

exinanitio Verbi, *Epiphania, oeconomia* seu attemperatio qua Deus in hoc mysterio infirmitati nostræ sese accommodavit; (c) ratione *effectus, unio, adunatio, unio hypostatica, incorporatio, inhumanatio;* sed praecipue *Incarnatio* seu unio cum carne, non quidem eo sensu quod Verbum solam carnem assumpserit, sed ad plenius significandum Ipsum non solum superiorem, sed etiam inferiorem humanæ naturae partem assumpsisse : vox enim *caro* sæpe sæpius in Scriptura totum hominem designat : " Videbit omnis *caro* salutare Dei " *.

968. 20 Notiones philosophicæ breviter delineantur2. Cum unio hypostatica supponat notiones *naturæ, personae* et *unionis,* has declarare expedit.

(A) *Natura specifica* seu in abstracto considerata, realiter non differt ab essentia et est *id quo res in sua specie constituitur* (v. g.] natura humana prout communis est omnibus hominibus); *'naturay singularis, individua* seu in concreto spectata, Jest idrquo res tanquam *individuum* constituitur, et ita complectitur non solum essentiales proprietates speciei, sed etiam ipsa principia individualia quibus fit *hæc natura determinata et concreta.* Hæc autem natura, spectata *relate manens,* seu *principium quo* quis operatur.

969. (B) *Persona* seu *hypostasis* aliquid addit naturæ individuæ, nempe *incommunicabilitatem* seu proprietatem qua est *sui juris;* unde definitur *substantia singularis, completa, intellectu prædita et suijuris.*

Et ita *distinguitur a natura.* Nam natura, etiam individua et completa, *ex se* non est necessario sui juris seu incommunicabilis ; est utique *principium quo* quis utitur ad' agendum, non autem principium *quod agit* et *cui* actio tribuitur (cfr. n. 573-574^ De quo omnes consentiunt.

970. *Controvertitur* autem in quo *essentialiterpersona distinguatur a natura.*

(a) Juxta *Scotistas,* persona et natura in creatis *sola ratione* differunt : quævis enim natura integra et singularis est persona eo

l *Luc.,* III, 6.

* S. Thom., 3, q. 3, a. 1-3; Card. Billot, p. 54-98, ed. 6; A. Michel, in *D. T. C.,* art. *Essence, Hypostase* ; E. Hugon, p. 62-71.

ipso quod non assumitur ab alio supposito. Personalitas igitur in *aliquo negativo* consistit, nempe in *non assumptione*.

(b) Juxta alios scholasticos, persona et natura *realiter* differunt : quod diversimode explicatur.

i) *Suarez* docet personam formaliter constitui per *modum substantialem,* quo natura *singularis* et *completa jam existens* fit *incommunicabilis.*

2) *Cajetanus,* cum *multis Thomistis,* putat personam formaliter constitui *modum substantialem,* qui est veluti *terminus natura individua,* et quo natura individua fit incommunicabilis. Hic autem modus non accedit naturæ individuæ jam existent! (ut vult Suarez), sed est *medius* inter naturam individuam et actum existentiæ et ab utroque realiter distinguitur.

3) *Quidam* autem *Thomistæ,* cum *Card. Billot,* docent hunc modum substantialem prorsus inutilem esse, et dicunt ad constituendam personam duo requiri et sufficere, nempe *naturam completam et individuam* et *propriam* hujus naturæ *existentiam.*

Quomodo hæc varia systemata cum unione hypostatica concilientur, infra exponemus.

971. (C) *]Unio| in genere* est conjunctio plurium ad aliquid unum efificiendtfin^

Duplex distinguitur : *accidentalis* et *substantialis.* (a) Prior ea est ex qua non resultat una natura vel una persona, sed compositum quod est *unum tantummodo per accidens :* talis est unio inter duas substantias completas quæ integræ manent (v. g., unio inter duos amicos), vel inter duo accidentia (v. g., inter voluntatem et amorem), aut inter substantiam et accidens (v. g., inter animam et ejus facultates). (b) Unio *substantialis* ea est qua duæ vel plures *substantia totum aliquod substantiale* efformant. Duo igitur ad hanc unionem requiruntur : 1) ut partes quæ uniuntur sint substantiales, 2) ut ex earum conjunctione resultet unum aliquod substantiale. — Ita fere *E. Hugon,* p. 45.

Iterum unio substantialis potest esse *essentialis* vel *personalis :* (a) *essentialis,* quando duæ substantiæ ita copulantur ut unam essentiam aut unam naturam specificam constituant : ita unio animæ et corporis in homine constituit naturam humanam, ita etiam oxygenium et hydrogenium uniuntur ad aquam effbrmandam. (b) *Personalis* est quando duæ substantiæ ita uniuntur ut terminus unionis sit *unum*

principium quod operandi prorsus incommunicabile. Hæc iterum duplex est : i)*personalis simplex,* in qua duæ substantiæ *incompleta* ita uniuntur in unam personam, ût hæc ex ipsa unione resultet, ideoque non praeexistat unioni : talis est unio corporis et animæ, in qua duæ substantiæ, incomplete in ratione speciei, unam personam humanam constituunt.

2) *Personalis hypostatica* dicitur ea unio in qua duæ naturæ, jam *completa, et integra manentes,* in *unica tantum persona* uniuntur, quæ non constituitur ipsa unione in qua remanet sine mutatione. Unicum hujus unionis exemplum invenitur in mysterio Incarnationis.

972. 30 Unio hypostatica definiri potest : *singularis et mirabilis unio natura divinæ et natura humana in unica Verbipersona, ex qua resultat Christus Jesus.*

Dicitur : (a) *Singularis,* cum nulla alia unio ejusdem generis existât.

(b) *Mirabilis* sane, cum unio hujusmodi sit opus amoris stupendum, in quo habetur supernaturale non solum absolutum sed et substantiale.

(C) Unio *natura divina et humana :* his verbis indicantur duo *extrema* quæ uniuntur, scilicet *natura divina Verbi,* et *humana natura* ex corpore et anima composita, *utraque completa,* utraque *distincta* et *inconfusa* remanens, etiam post unionem.

(d) *In unica Verbi persona :* quibus verbis ostenditur *terminus* et *modus* unionis. 1) Hæc unio fit non in natura, sed *in persona,* et quidem in persona *praexistente Verbi,* quæ jam *ab aterno* divinam naturam possidens, *in tempore* sibi assumit naturam humanam individuam et suam personalitatem ipsi communicat. Duæ igitur naturæ, divina et humana, non directe, sed in una Verbi persona uniuntur.

2) Hæc autem unio est *substantialis :* nam duæ naturæ quæ copulantur sunt vere *substantia* et *substantialiter* uniuntur in una persona ; est *personalis-hypostatica :* nam utraque natura est *completa* in suo genere et *integra* in ipsa unione manet; insuper non nova constituitur persona, sed unio fit in *persona praexistente Verbi.*

(e) *Ex qua unione resultat Christus Jesus :* persona itaque Jesu Christi est simul *Deus* et *homo,* cum naturam divinam et humanam integre possideat ; et vocatur *Christus* (i. e., unctus); *Jesus* (salvator), quia, divinitate unctus, populum suum salvum fecit; *Verbum Incarnatum,* secundum prologum S. Joannis, ubi asseritur Verbum incarnatum esse; *Emmanuel,* seu *nobiscum Deus,* nam Verbum caro factum *habitavit in nobis.*

II. Errores circa mysterium Incarnationis.

Mysterium Incarnationis, propter suam profunditatem et obscuritatem, varie in variis sæculis impugnatum est; quandoque *divinum* in Christo elementum, quandoque *humanum,* aut etiam *unionem* inter utrumque existentem hæretici perverse exposuerunt.

973. i° Errores antiqui. Alii *humanitatem,* Christi impugnant, alii ejus *divinitatem,* alii tandem *unionem* inter utramque :

(A) Quidam asserunt quidem Christum esse vere Deum, sed negant eum esse verum aut integrum hominem : (a) *Docete* seu Phantasiastæ (1° sæculo), generatim a *paganismo* conversi, putantes materiam esse malam, humanum in Christo elementum negarunt, docendo corpus Christi fuisse apparens et phantasticum ; (b) *Apollinariste,* sic dicti ab eorum duce, Apollinari, episcopo Laodicensi (IV° sæc.), ad explicandam unionem inter Verbum et naturam humanam, humanam Christi naturam minuebant, asserendo hanc *intellectu* carere : tria principia, post Platonem, in homine admittentes, *corpus* scilicet, animam *sensibilem* (ψυχήν) et animam *intellectualem* (πνεύαα), docebant Verbum assumpsisse quidem corpus et animam sensibilem, non autem animam intellectualem; nam Verbum ipsum, ut aiebant, vices tenet mentis in Christo, et ita explicare conabantur unionem Verbi cum humana natura (cf. n. 1009); *(\$)Monothelitæ* duce *Sergio,* patriarcha Constantinop. (VI1° sæc.), ad facilius explicandam unitatem in Christo contendebant Christum caruisse *humana voluntate* et ita *unam* in eo esse *voluntatem,* nempe voluntatem divinam (cf. n. 1024).

974. (B) Alii autem asserunt Christum esse quidem verum et integrum hominem, non autem vere Deum : (a) *Ebionitæ,* a Judaismo conversi (1° sæc.), unitatem Dei salvare volentes, putabant Christum esse hominem specialiter Deo unitum ; (b) *Cerinthiani,* qui *gnosim* cum Judaismo miscebant (1° et 11° sæc.), dicebant eum esse unum ex *eonibus;* (c) *Paulus Samosatenus,* semirationalista (111° saeculo), tenebat Christum esse primum inter filios Dei *adoptivos;* (d) *Ariani,* duce Ario (IV° sæc.), docebant Christum esse primam inter creaturas.

975. (C) Alii tandem ipsam *unionem* adulterant : (a) *Nestoriani* unionem *tantum moralem* inter divinam et humanam naturam admittebant, proindeque duas in Christo esse personas ; (b) *Eutychiani* in oppositum inciderunt errorem, docentes non solum unam personam, sed etiam *unicam* in Christo esse *naturam :* " Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum *ante unitionem; post unitionem vero, unam naturam* confiteor". Eutyches ipse non explicavit quomodo, ex duabus naturis ante unionem existentibus, unica tantum in Christo maneat; ejus discipuli variis modis illud explicarunt : alii dicebant humanitatem fuisse *absorptam* a divinitate, sicut guttula aquæ ab oceano absorbetur; alii docebant duas naturas fuisse *commixtas* et in tertiam transmutatas ; alii hanc unionem omnino assimilabant *unioni* corporis et animæ.

976. 2° Errores moderni antiquos errores renovant et aggravant :

(A) *Rationalistes,* qui sæc. XVI11° et postea floruerunt, contendunt Christum esse *merum hominem* aut *prophetam ceteris similem.*

(B) *Protestantes liberales* [1], qui a Socinianis et Unitariis, originem ducunt, asserunt Christum esse *prophetam ceteris superiorem.*

Quidam vero, ad mythicas theorias redeuntes, eo usque procedunt ut ipsam Christi existentiam negent [2].

[x] Ita, inter alios, *A. Harnack, H. Wendt, A. Réville, A. Sabatier, Minigoz, E. Doumergue.*

[*] Quomodo *Liberales* progressive ceciderint in rationalismum, pantheismum.

(C) *Moderniste* distinguentes inter Christum *historicum* et Christum*fide* perceptum, contendunt, attenta historia, Jesum dixisse se Filium Dei esse sensu tantum *messianico;* sed Christianos, hellenicis theoriis circa *Logon* imbutos, *fide* eum tanquam Verbum divinum habuisse et sicut *ens divinum* adorasse x.

Itaque, aiunt, " divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur, sed est dogma quod conscientia Christiana e notione Messiae deduxit "a, elaborando scilicet judaicos conceptus circa Messiam græcarum ope doctrinarum.

977. Divisio primi capitis. Ad exponendum dogma catholicum contra præfatos errores, tria expendemus :

1° *existentiam unionis hypostatica;*
2° *ejus consectaria;*
3° *ejus convenientiam.*

Art. I. Existentia unionis hypostaticae.

978. Unio hypostatica, jam in *C. Chalcedonensi* definita, lucidius etiam proponitur in *Symbolo Athanasiano* (n. 959) : " Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia *Dominus noster Jesus Christus Dei Filius* Deus et homo est*". Hæc est formula *concreta* hujus mysterii, ea scilicet quæ in N. Testamento et prioribus Patribus invenitur. Formula *abstracta* et magis *scientifica* postea enuntiatur : " Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed *unus est Christus.* Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed *assumptione humanitatis in Deum.* Unus omnino *non confusione substantia,* sed *imitate persona* 3 Hæc enim æquivalet, sicut et formula concreta, huic propositioni hodie ab omnibus acceptæ : *In Christo natura divina et natura humana uniuntur (hypostatice'} in unica Verbi persona.*

Ad hanc unionem demonstrandam, tria probabimus : i° Christum esse vere *Deum ;* 20 eumdem esse vere *hominem* et quidem *integrum'** 30 in eo *naturam divinam* et *naturam*

mythismum et evolutionismum, erudite declarat L.-Cl. Fillion, *Les étapes du Rationalisme** Paris, 19II.

1 Decret. *Lamentabili** sq., D. B., 2027 sq.

3 Propositio 27 damnata in Dec. *Lamentabili :* cf. Encycl. *Paseendi** D. B., 2076. — Modemismum fusius exposuimus in *Synopsi theologiæ fundam.f* n. 102S-1041. —3 D. B., 40.

humanam uniri in persona Verbi; 40 exinde melius intelligetur *scholastica expolitio* mysterii.

979. *Thesis Ia :* Jesus Christus vere est Deus seu Filius Dei unigenitus, Verbum æternum ». De fide est ex C. *Chalcedonensi* definiente " unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum... esse Filium unigenitum, Deum Verbum"; et ex Symbolo Athanasiano jam allegato, n. 959.

Theologice hæc thesis jam sufficienter probata est in *Tr. de Deo trino*, 609-612, cum testimonia ibi allata non tantum de Verbo, sed de *Jesu Christo* agant.

Apologetice autem expedit divinitatem Christi demonstrare, contra Liberales et Modernistas 2, *historice* ostendendo Christum ejusque discipulos hanc veritatem clare et multoties affirmavisse : ita enim non solum confutantur adversarii sed fidelium fides firmari potest.

Animadvertimus tamen hanc historicam demonstrationem, valde utilem, sed necessariam non esse; probata enim infallibili Ecclesiae

De divinitate Christi legi possunt : Maranus, *De Divinitate Christi;* Per *deJ.-C.,* anglice redditum *Discourses on the divinity ojJ. X.;* Liddon*, *Divinity oj Christ;* P. Schaff*, *The person of Christ :* the perfection of his humanity viewed as a proof of his divinity; Bougaud, *op. cit.,* 3e p., Conclusions logiques de la Vie de J.-C., anglice redditum *An Argument for the Divinity ofJ.-C.;* M. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu,* 1906 ; P. Batiffol. *Renseignement de Jésus,* Paris, 1905 ; Couget, *La di*
1906; M. J. Mailhet, *Jésus Fils de Dieu,* Paris,

onsines
maison, *Jésus-Christ,* in *D. A.,* t. II, 1337-1400; J. Pressoir, *La divinité de J.-C. d'après les Synoptiques,* in *R. P. A.,* t. XI, p. 434 sq.; A. Michel, *Jésus-Christ,* in *D. T. C.,* t. VIII, 1186 sq. — Multum etiam profuerunt notæ quas benigne ad nos misit A. Vieban, in Seminario Baltimorensi professor.

3 Quo melius intelligatur argumentum, sciendum est adversarios ita explicare evolutionem hujus dogmatis. I° Juxta quosdam, præsertim *Liberales,* hujus evolutionis præcipua stadia hæc sunt : *a)* In actibus Apostolorum et Synopticis Christus est Dei legatus, Messias, sed nihil amplius; *b)* Pwlus Christi*prceexistentidm,* non autem divinitatem docet; *c)* In quarto Evangelio Christus vocatur Deus, attamen inferior est Deo; *d)* In traditione Christus paulatim æternus et Deo æqualis agnoscitur. 2° Alii vero, præsertim recentiores, v. g., *Loisy, Harnack,* non negant doctrinam nostram inveniri apud *Paulum,* et in verbis quæ in Evangeliis Christo tribuuntur; sed contendunt Paulum errasse, et postea Evangelistas, sub influxu Paulinæ praedicationis, falso suam fidem Ipsi Christo adscripsisse.

auctoritate, ostendere sufficit divinitatem Christi clare ab Ecclesia tanquam fidei dogma proponi.

Quibus praenotatis, historice divinitatem Christi probabimus : i° ex testimonio ipsius *Christi* in *Synapticis* Evangeliis; 2° ex fide *apostolicæ Ecclesiæ;* 30 ex doctrina S. *Pauli;* 40 ex doctrina *S.Joannis.*— Primo testimonio insistimus, quia ejus vis ab adversariis negatur; brevius autem proponitur testimonium Pauli et Joannis, quia ejus vis a multis etiam Liberalibus agnoscitur.

i° Testimonium Christi in Synopticis[1].

»80. Ad manifestandam suam divinitatem, Jesus, Judaeorum menti se accommodare volens, non voluit ab initio aperte declarare se esse Deum : secus enim tanquam amens habitus fuisset,vel si recte intellectus, lapidatus fuisset antequam missionem sibi datam implevisset; sed pedetentim, verbis et operibus, sibi vindicavit nomina et munera quæ nonnisi Deo competunt, et tandem, data opportunitate, explicite rem affirmavit.

Pauca *pranotamus* de baptismo Christi, quo incipit ejus ministerium. Vox delapsa de cælo super Christum in Jordane : " Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui "[2], non eo sensu accipienda est quod Jesus sit merus homo, qui erga populum munere messianico fungatur, sed aliquid omnino *transcendens* significat. Comparata enim hacjyno^ *inaugurati* ministerii Jesu cum visionibus quibus Moyses et Prophetæ missionem suam a Deo acceperunt, patet multo altioris ordinis esse dignitatem Jesu quam fuerat dignitas Moysis et Prophetarum. Ex una parte, homines imbecilles et peccatores pavent ante faciem Dei, et Deus purificat quos legatos et ministros suos efficit[3]. Ex altera parte, Jesus, a

[1] Ut valeat argumentum ex testimonio Christi desumptum, tria probanda sunt : 1) verba quæ in Evangelio Christo tribuuntur esse revera verba Christi; 2) In his verbis Christum se esse Deum affirmare ; 3) Christi affirmationem veracem esse. Porro, ex genuinitate et historicitate Evangeliorum (7r. *de Vera Religa* n. 287-339), necnon ex eorum inspiratione (7r. *de Fontibus Rev.*. n. 1016-1027), primum jam sufficienter constat Tertium vero jam probatum est (7r. *de Vera Relig.,* n. 352-362) nec ab adversariis negatur. Secundum ergo tantum remanet probandum, scilicet Christum revera se Deum declaravisse.

[2] *Alatth.*. III, 17; cf. *Alarc.*. I, 11 ; *Luc.*. III, 22. Idem dicendum est de voce in transfiguratione audita *Maith.*. XVII, 5 ; *Marc.*. IX, 6; *Lue.*. IX, 35; *H Petr.*. I, 17.

quo ipse Baptista baptizari deberet, nulla indiget purificatione *, Spiritu Sancto repletur, *Filiusque Dei* declaratur, tanto melior prophetis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cum igitur tanta sit hujus vocis *Filius Dei* præstantia, remanet ut plenam ejus significationem quaeramus ex verbis et operibus Domini.

981. (A) Christus, qui, juxta omnes, maxima humilitate præfulget, nihilominus *omnibus hominibus Angelisque superiorem* se facit. *Præstat hominibus :* major est Salomone et Jona2; Davide, qui Eum vocat Dominum suum3; Moyse et Elia, ut patet exTransfigurationis narratione 4; ipso Joanne, quo inter natos mulierum non surrexit majors.

Major est Angelis, quos ipse vocat Angelos suos6, qui ei ministrant 7, quos in die judicii Ipse jubebit congregare electos suos a quatuor ventis 8 et malos separare de medio justorum 9.

Quis vero, præter Deum, hanc supra omnes creaturas præeminentiam sibi legitime vindicare possit, eo magis quia Judæiintermedias creaturas inter angelos et Deum non admittebant ?

982. (B) Christus *sibi* ut *propria* vindicat *munera·* et *auctoritatem,* quæ nullus legatus divinus sibi unquam arrogavit, et quæ in Veteri Testamento *soli Deo,* scilicet Yawheh, competebant.

(a) *Proprio nomine miraculafacit,* sanando ægros vel obsessos a dæmone, suscitando mortuos, elementis imperando I0. Virtus *de illo* exit et sanat omnes. Non indiget nisi uno verbo ad hæc patranda 11 : et ideo mirantur turbæ I2. Hæc autem potestas mira-

' J/tz/Z/z., III, 14. — 2 *Maith.,* XII, 41-42; *Luc.,* XI, 31-32.
3 *Marc.,* XII, 35-37; *Luc.,* XX, 41-44 ; *Maith.,* XXII, 41-46
4 *Maith.,* XVII, 1-9; *Marc.,* IX, [illegible]; *Luc.,* IX, 28-36.
5 *Matlh.,* XI, 1-11 ; *Marc.,* I, 7 ; *Luc.,* VII, 26, 2$. " De passages tirés exclusivement des synoptiques... il ressort nettement que Jésus a conscience d'être plus que simplement un homme P. Wernle *, *Die Aifange unserei Religion,* 1901, p. 23-25. — 6 *Maith.,* XIII, 41 ; XVI, 27 ; XXIV, 31.
? Cf. *Maith.,* IV, n ; XXVÎT^ Lt *j* 13;VIII, 38; XIII, *τ,Z', Luc.,* IX, 20.
^*TFattli,,* XXIV, 31 ; *Marc.,* XIII, 27 sq. — ? *Maith.,* XIII, 49.
'° *Marc.,* V, 30 ; *Luc.,* VI, IO.'
" *Marc.,* I, 25; V, 41; IV, 39; *Maith.,* VIII, 27; *Luc.,* IV, 35; VIII, 54, 55.
12 *Marc.,* I, 27; II, 12 ; IV, 40; *Luc.,* IV, 36; V, 25, 56; VIII, 25; *Mallh.,* IX, S; VIII, 27.

cula patrandi ei tam propria est ut eam aliis communicet \ et de facto in nomine Jesu Christi apostoli miracula operati sunt a.

(b) *Docet* ut *Deus,* id est, *proprio nomine* et *suprema auctoritate.* Philosophi suas opiniones argumentis probare conantur; prophetæ et Apostoli nomine Dei docent " Hæc dicit Dominus ". Christus autem proprio nomine loquitur "Ego autem dico vobis... Unus est Magister vester Christus... Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt " 3. Hæc autem auctoritas eo magis mira videtur quod aliunde *legem ut divinam* agnoscit, a qua iota unum aut unum apicem auferri non vult, et tamen eam interpretatur et complet quasi *ipse legislator* fuisset. Quod speciatim apparet quoad legem sabbati : nam *sabbati dominum* se dicit ♦, et probat miraculis s, ideoque sabbato spicas vellere discipulos sinit'6.

(c) *Peccata dimittit auctoritate propria,* tanquam *contra se* commissa, et *propter amorem sibi* præstitum. Scandalizatis pharisæis quod peccata remitteret, — nam " Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?" — probat potestatem hanc sibi competere, sanando paralyticum *i.* In parabola duorum debitorum 8, supponit peccatricem sibi per peccatum esse debitricem, et prosequitur ; " Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ". Porro ex contextu patet, hanc peccatricem amorem exhibuisse erga Jesum. Patet ergo peccatum quod alibi exhibetur ut debitum *erga Deum,* v. g., in oratione dominica, esse simul debitum *erga Jesum,* et propter amorem *erga Jesum* remitti. Insuper hanc potestatem dimittendi peccata Apostolis confert : " Quæcumque solveritis super terram, erit solutum et in cælis " 9.

(d) *Fidem et amorem erga seipsum requirit ut conditiones salutis,* quasi *Deus esset :* " Omnis qui *confitebitur me* coram hominibus, confitebor et Ego eum coram Patre meo... Qui autem *negaverit* me coram hominibus, negabo et Ego eum coram Patre meo... Qui amat patrem aut matrem *plus quam me,* non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super Me non est Me dignus " I0.

(e) Pro operibus *propter Ipsum* factis æternam promittit beatitudinem : " Quisquis enim potum dederit vobis, calicem aquæ in

* *Marc.,* XVI, 17; *Matth.,* X, 8; *Luc.,* IX, 1-2; X, 9.
' *Luc.,* X, 17 ; *Matth.,XI,* 7; *Marc.,* III, 15 ;VI, *T, Act.,* III, 6; IX, 32-40.
3 *Luc.,* VI, 40; *Matth., N,* 22 sq.; XXII, 33; XXIII, 8, 10.
* *Marc.,* II, 28 ; *Matth.,* XII, 8; *Luc.,* VI, 5.
s *Marc.,* III, 1-6; *Matth.,* XII, 9-14; *Luc.,* VI, 6-II.
6 *Marc.,* II, 23; *Matth.,* XII, 1 ; *Luc.,* VI, I.
'I *Marc.,* II, 3-13; *Matth.,* IX, r-8; *Luc., N, 17-26.*
* *Luc.,* VII, 36-50. — 9 *Matt.,* XVI, 18-19; XVIII, 18.
" *Matt.,* X, 32-38; XVI, 24-25; *Marc., X,* 29-30; VIII, 34.35; *Luc.,* IX, 23-24; XIV, 26-31; XVIII, 29-30. — Cf. Lebreton, *op. cil.,* I, 270.

nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam... Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem... *propter nomen meum,* centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit... Qui perdiderit animam suam *propter me,* inveniet eam " [x]...

(f) In prophetia de ultimo judicio, *seipsum ut judicent supremum* exhibet : ab Ipso homines æterna praemia obtinebunt vel aeternis suppliciis punientur, prout.erga Ipsum, in persona discipulorum, officia caritatis impleverint vel neglexerint.

"Venite benedicti Patris mei... esurivi enim et dedistis mihi manducare... Quamdiu hæc fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis... Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... esurivi enim et non dedistis mihi manducare... Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis" [1]

983. (C) Christus seipsum *vocat, vocariquepermittit sensu stricto Filium Dei.* Certum est Jesum se dixisse *Christum* seu *Messiam,* id est, legatum divinum quo regnum Dei institueretur [3] ; sed insuper seipsum saepe vocat *Filium Dei.*

Verum est in sacris litteris tum Veteris tum Novi Testamenti Filiationem divinam sensu analogico et participato sæpe creaturis tribui, v. g., angelis [*], propter eorum relationes (originis, dependent^ vel affectus) cum Deo; hominibus justis [5], magistratibus [6*] et speciatim populo Dei [7] ejusque regi [8]; — verum est etiam plerosque eorum qui in Evangelio dicuntur appellasse Jesum Filium Dei totam vim hujus appellationis non perspexisse, immo probabilius multi hoc nomine nihil significare volebant nisi eximiam ejus sanctitatem vel dignitatem messianicam [9].

Sed ex multis textibus Evangelii constat Jesum seipsum vocasse *Filium Dei* sensu *proprio,* ita ut ex hoc nomine certo inferri possit ejus divinitas.

(a) Discipulos omnes orare docet "*Pater noster",* ipse

[1] *Marc.,* IX, 40; *Matt.,* XIX, 29; X, 39; V, II.
[2] *Matt.,* XXV, 34-46.
[3] *Matt.,* XII, 28; XI, 3-5; XVI, 16; XXI, 9; XXVI, 63; *Luc.,* IV, 18-19; VII, 19-21; IX, 20; XI, 20; XIX, 38; XXII, 69; *Marc.,* VIII, 29; XI, 10; XIV, 61.
[*] *Job.,* I, 6; II, 1; XXXVIII, 7; *Dan.,* III, 92; *Ps.* XXIX (hebr.) 1.
[5] *Matt.,* V, <y,*Joa.,* I, 12; *Roni.,* V, 2; VIII, 14-29, etc.
[6] *Ps.* LXXXI, 6, — [7] *Deut.,* XIV, 1-2; *Ex.,* IV, 22; *Os.,* I, 10.
[8] *Sam.,* VII, 14; Λ. Π, 7-11.
[9] *Matt.,* VIII, 29; *Marc.,* III, II-I2; V, 7; *Luc.,* IV, 1-13.

autem nunquam his verbis orat, semper vero dicit " *Pater*". De Deo loquens, Ejusque relationibus ad ipsum et ad discipulos, nunquam dicit Pater noster, sed *Pater meus* et *Pater vester**. Ejus igitur filiatio ejusdem generis non est ac aliorum hominum. Homines *jiunt* filii Dei, ipse vero *est* Filius Dei 2. ""

(b) In confessione Petri 3 refertur Christum venisse in partes Cæsareæ Philippi, ibique interrogasse discipulos suos : "Quem dicunt homines esse Filium Hominis? At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam aut unum ex prophetis. Dixit illis Jesus : Quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi (Λ/α/Λ), Tu es Christus *(Afarc.),* Christum Dei (Zz/r.)". Hanc confessionem Christus approbavit et divinæ revelationi attribuit. Deinde præcepit discipulis : " Ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus" (J/α/A). Petrum hic confessum fuisse Christi messianitatem nemo negare potest; num vero ejus divinam naturam agnoverit, non adeo liquet; sed ex solemni approbatione Domini merito infertur hic non agi tantum de messianitate, quam satis facile discipuli admittebant, sed de *transcendentali* qualitate, ad quam agnoscendam specialis requirebatur revelatio.

(C) Coram *judicibus,* Christus se dicit *Filium Dei sensu proprio.* Quando coram Synedrio comparuit, cum ex falsis testibus nihil probari posset, princeps sacerdotum ait illi : " Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, *Filius Dei*". Dicit illi Jesus : " Tu dixisti" 4; et propter hanc confessionem, *reus blasphemies* et proinde *mortis* judicatus est. Atqui hæc verba intelligi debent de filiatione vera et proprie dicta; non licebat enim aliquem judicare reum mortis eo quod dixerat se esse filium Dei *adoptivum,* cum omnes sancti sint filii Dei in hoc sensu ; aut prophetam, aut Messiam, cum nulla lex hanc assertionem prohiberet sub pcena mortis; ergo Judæi intellexerunt

' *Matt.,* VI, 9, 32; X, 33; XI, 25-27; XII, 50; XV, 13; XVI, 17, 27; XVIII, 19, 35; XX, 23; XXV, 34; XXVI, 29, 39, 42, 53; XXVIII, 19; *Marc.,* VIII, 3S; XIV, 36; *Luc.,* II, 49; IX, 26; X, 21-22; XII, 32; XXII, 29, 42; XXIII, 46; XXIV, 49.

V, 44-45; III, 17; XVII, 5; *Marc.,* I, 11 ; IX, 6, *Luc.,* III, 22; IX, 35. Cf. *Matt.,* XI, 25; XVI, 15; XXVI, 63; *Luc., X,* 22; XXII, 70; *Marc.,* XVI, 61.

3 *Matt.,* XVI, 13-20; *Marc.,* VIII, 27-30; *Luc.,* IX, 18-21.

* *Matt.,* XXVI, 63-66; *Marc.,* XIV. 61.

Christum se ipsum declarare Filium Dei *sensu proprio;* quod ex contextu etiam patet, nam dicunt Jesum esse reum mortis, quia *blasphemabat.* Blasphemia autem quæ juxta legem morte punienda erat, ea erat qua homo *se dicebat Deum l.* Christus autem contra hanc interpretationem minime reclamavit, sed e contra libenter mortem accepit ut proprio sanguine testimonium suum firmaret; ergo Christus coram judicibus se esse Deum publice confessus est.

(d) Specialem vim habet *textus de mutua cognitione* inter Patrem et Filium 2 : " Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare... Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater, et quis sit Pater nisi Filius Hic declaratur relatio aequalitatis inter Patrem et Filium : Pater talis est ut a Filio solo cognosci possit; et pariter adeo magnus est Filius ut a solo Patre, id est, ab ente infinito cognosci possit.

(e) Ante ascensionem, Christus apostolis dedit missionem docendi omnes gentes easque baptizandi *"in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti";* et ita se Patri et Spiritui æqualem declarat, eamdem cum habeat potestatem animas per baptismum sanctificandi (n. 603).

Recte igitur damnata est propositio : " In omnibus textibus evangelicis nomen Filius Dei æquivalet tantum nomini *Messias,* minime significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium " 3.

984. Conclusio. Etiam in Synopticis Evangeliis Christus æquivalenter docet se esse Deum : (a) seipsum supra omnem creaturam extollendo, (b) sibi vindicando munera et potestates quæ solius Dei sunt, (c) assumendo titulum Filium Dei sensu proprio et stricto. Exinde apparet merito damnatas fuisse propositiones : "Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia Christiana e notione Messiæ deduxit 4. Doctrina de

* *Levit.,* XXIV, 16; *Deui.,* XIII, 5. *Cl.Joan.,* X, 33.
2 ^^ , XI, 27; *Luc.r* X, 22.
3 Decr. *lamentabili)* prop. 30; D. B., 2030.
4 *Lamentabili^* pr. 27; D. B., 2027.

Christo quam tradunt Paulus, Joannes, concilia Nic., Ephes., Chalced., non est ea quam Jesus docuit, sed quam de Jesu concepit conscientia Christiana " x.

2° Fides Apostolicæ Ecclesiæ de divinitate Christi[1]

985. In sermonibus *adjudæos et ad Gentiles,* Apostoli Christum prædicant non solum ut " virum sanctum et justum... approbatum a Deo ", ut prophetam a Moyse praenuntiatum, ut Messiam a Judaeis quidem occisum, sed a Deo resuscitatum et exaltatum 3, sed etiam ut Davide majorem4, mortuorum ac vivorum *judicem* 5, *auctorem vitæ6,**et *Do linum crmniumt. Spiritum Sanctum mittit*,* et tantum est nomen ejus ut ejusdem sola invocatio *miracula* operetur9, et in *nullo alio possit esse salusl0.*

Quando vero de Christo inter *christianos ipsos* agitur, non obscure ejus divinitas supponitur. Omnia corda noscit11; gratia dicitur nunc *gratia Dei,* nunc *gratia Christi™;* Christo "omnes prophetae testimonium perhibent, *remissionem peccatorum* accipere *per nomen ejus,* omnes qui credunt in eum " *3. S. Stephanus moriens videt " caelos apertos et Jesum stantem a dextris Dei";Jesum eisdem fere verbis orat quibus in cruce Jesus Patrem oraverat : "*Domine Jesu, suscipe spiritum meum...* Domine ne statuas illis hoc peccatum " *4.

l Ibid,, 31 ; D. B., 2031.

' J. Lebreton, *op. cit.,* p. 260-283 î E· Mangenot, *Jésus Messie et Fils de Dieu d'après les Actes des Apôtres,* in *Rev. de IInst. cath. de Paris,* 1907, P- 405 sq.

3 *Act.,* III, 14; II, 22; III, 22, II, 32, 36.

4 Act., II, 29, 34. — s *Act.,* X, 42; XVII, 31. — 6 *Act.,* III, 15.

9 Act., X, 36. — Cum hoc textu conferantur *Apoc.,* XIX, 16; *Philip.,* II, 11.

8 Act., II, 33.

9 Act. III, 1-16. Claudus ex utero matris eleemosynam a Petro expectans, hæc verba audit : " Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo hoc tibi do. In nomine J. C. Nazareni surge et ambula ... " Et exsiliens stetit et ambulavit ". — Paralyticus ab annis octo jacens in grabato eodem modo sanatur dic-nte Petro : " Sanat te Dominus Jesus Christus "... " Et continuo surrexit " (IX, 33'35)·

" *Act.,* IV, 12 : " Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri ",

" *Act.,* I, 24. — " *Act.,* XIII, 43; XV, n. — '3 ×? 43.

l4 Act., VU, 55-60; cf. *Luc.,* XXIII, 34, 46.

Hanc vero *invocationem Domini Jesu* frequentem fuisse apud primos Christianos, multi alii textus probant :1 in ejus honorem *hymni* liturgici passim inveniuntur 2; nomen ejus in *doxologiis* inseritur 3, sæpissime cum Deo Patre conjungitur 4, et nomine ὁ κύριο (Dominus), sensu omnino singulari, quo Deo æquiparatur, ordinarie appellatur 5, immo aliquando dicitur Deus 6.

Ex his omnibus patet primos evangelii praedicatores et auditores Christo tribuisse titulos et munera quæ non de creatura ulla sed de solo Deo dici possunt.

3° Testimonium S. Pauli de Divinitate Christi7.

986.Praenotandum. Etiam abstrahendo ab auctoritate qua gaudet S. Paulus ut scriptor inspiratus, ejus testimonium, quatenus testis fidei primævæ generationis, maximi momenti est, ut ex sequentibus intelligitur : (a) epistolas, ex quibus argumenta sumimus, et genuinas esse et intra triginta annos post passionem Domini scriptas esse, ipsi rationalistæ admittunt; (b) doctrina in eis contenta circa Christum non tam ex professo traditur quam assumitur ut *communis fides Christianorum;* (c) evangelium suum consentaneum esse ei quod alii apostoli prædicabant ipse gloriatur8; ex quo merito infertur Pauli fidem in Divinitatem Christi fuisse doctrinam ab omnibus Apostolis traditam, et ab omnibus fidelibus acceptam.

987.(A) *Generale argumentum.* Sunt loca fere innumerabilia ubi S. Paulus Christo assignat *dignitatem* et *munera,quæ.* sine blasphemia creaturis tribui non possunt.

Ita : (a) S. Paulus est Apostolus Jesu Christi pariter ac Dei, cum suam missionem æqualiter acceperit a Jesu Christo et Deo Patre, et hæc missio consistat in prædicando Christum crucifixum

1 *Act.*, IX, 14, 21; cf. *Apoc.*, XXII, 20; *I Cor.*, XVI, 22; *Didachè*, X, 6.

2 *I Tim.*, III, 16; *Eph.*, V, 14; cf. *Apoc.'*, V, 9-13.

25; *Rom.*, XVI, 27; *Eph.*, III, 21; ZZ *Tim.*, IV, 18; II *Petr.* III, 18; *Apoc.*, I, 6; V, 13; VII, 10; *Hebr.*, XII, 20-21.

4 Præter textus S. Pauli mox citandos, nn. 987, 988, cf./ar., I, 1; Z *Petr.*, I, 2; *II Pet.*, I, 2; *IJoan.*, I, 3; *IIJoan., y,Jud.*, i.

5 Cf. Lebreton, p. 323-346.

6 Præter textus S. Pauli *(Rom.*, IX, 5; *Tit.*, II, 13; *U Thess* cf. *II Pet.*, I, 1; *Act.*, XX, 28.

7 J. Lebreton, *op. cit.*, p. 352-454.

8 *Gal.*, II, 2, 9.

simul et magnalia Dei(b) ad salutem obtinendam christiani debent in Christum credere, ejus mandata (quæ sedulo ab humanis mandatis distinguuntur) servare, illum denique supremo amore diligere : " Vos estis filii Dei, per fidem quæ est in Christo Jesu... Sic adimplebitis legem Christi... Præcipio, non ego sed Dominus... Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema... Quis nos separabit a caritate Christi" a? (c) Christus æque ac Pater passim vocatur *Dominus, Dominus omnium, Dominus gloria·,* atqui hoc nomen non minoris est dignitatis ac nomen Dei, cum LXX Interpretes nomen Dei ineffabile nomine κύριο reddere soleant. — Quod patet etiam ex contextu : quæ in prophetis de die Domini seu Dei dicuntur, a S. Paulo de adventu Domini Jesu prædicantur; Christo Domino applicantur V. T. verba de Domino Deo v. g. : " omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit " λ

988. (B) Expressius S. Paulus : (a) in *Ep. ad Colos* exhibet Christum ut Creatorem et Conservatorem, ac personaliter Deo unitum : " In ipso condita sunt universa in cælis et in terra,... omnia per ipsum et in ipso creata sunt... in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter"; (b) in *Ep. ad Philip.* 5, ipsi attribuit essentiam et majestatem Dei : " Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; " (e) in *Ep. ad Rom.* 6, de Christo dicit quod " est super omnia Deus benedictus in sæcula ". (d) In

l ***I** Cor.'* I, i; IV, 2; *Galati* I, I; ***I** Cor.y* I, 22; ***II** Cor.'* IV, 5; *Rom.'* I, I; *Galat^* I, 10; *Act.'* II, 11.

3 *Galy* III, 6; VI, 2; ***I** Cor.'* VII, 10; XVI, 22; *Rom.'* VIII, 35 sq

3 ***II** Thess.'* I, 7; ***II** Cor.,* II, 8; *Rom.'* IV, 13; X, 9-13; *Gal.'* III, 16

4 I, Π, 9. — 5 II, 5-11; cf. infra, n. 1003 ; Prat, I, p. 443.

6 IX, 5. — Adversarii, ut probent hæc verba ad Christum non referri, punctum ponunt vel post *cantem9* vel post *stiper omnia'* et sic legunt " ex quibus Christus secundum carnem. Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula " vel " ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia. Deus benedictus in sæcula". Ultima autem verba interpretantur ut doxologiam ad Patrem : Deus qui est super omnia benedictus sit in sæcula; vel : Benedictus* sit Deus in sæcula. Quas intersecandi rationes proposuerunt Erasmus (1516) et Rcuss (1878). Punctuatio autem Vulgatæ retinenda est quia (a) *Patres* in probanda divinitate Christi hoc textu utuntur nec insistunt in probanda relatione ad Christum, quam habent ut concessam et per se evidentem, sed urgent verborum vim et significationem, (b) *Regula grammatica* nostram lectionem commendant ; doxologia enim ad Patrem requireret aliam constructionem, id est, non *" Detis benedictus in sacuta",* sed " *Benedictus Deus in sacula".* (c) *Contextus* pariter nostra lectioni favet. Apostolus tanquam magnum gentis suæ decus illud affert quod ex ea ortus sit Christus : quid igitur magis obvium quam ut quædam adjiciat ad dignitatem Christi extollendam, quid minus

Ep. ad Hebrews 1 dicitur quod sit "splendor gloriæ et figura substantiæ Dei", quod sit "hæres .universorum", quod "omnia per JLpsum_facta.sunt ita ut ei applicentur hæc verba : "Thronus..tuus+JQens^Jn sæcHluûX^axuli",

4° Ex testimonio Sancti Joannis.

989. Contra Ebionitas et Cerinthianos, S. Joannes *ex professo* divinitatem Christi inculcat, (a) In *Apocalypsi,* Agnus cum Deo Patre simul adoratur, laudatur et glorificatur ab omni creatun^^"^

fb)In *Evangelio,* refert clarissima verba Christi de propria divinitate : "Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum *unigenitum* daret Quaerebant eum Judaei interficere, quia... Patrem suum dicebat *Deum, aqualem se faciens Deo";* " Ego et Pater unum sumus"; "Philippe, *qui videt me videt et Patrem...* Non creditis quia *ego in Patre et Pater in me est*", etc. 3. (c) Divinitatem Christi S. *foannes* et ipse disertissime affirmat in *prologo* sui evangelii : "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est."

990. Conclusio. Qui igitur affirmant divinitatem Christi esse dogma a conscientia Christiana elaboratum, græcarum theoriarum ope, non unam aut alteram N. Testamenti paginam, sed *integravi ejus substantiam lacerare* debent : in omnibus enim fere paginis hoc dogma *explicite* traditur, aut *implicite* supponitur.

obvium quam ut inopinate mutato orationis subjecto, Deo Patri concinat doxologiam nullo praecedenti contextu præparatam? (Corluy, *Spicilegium,* II, 25).

j1-III.

91, 6, 17; II, 13, 18, 23; III, 7; XIX, 13, 16; XX, 6;XXXII, 13, etc.

3 Inter modernos negatores Divinitatis Christi plerique libenter concedant Christi verba, prout in hoc evangelio referuntur, affirmationem propriæ divinitatis continere. Sed addunt : "Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica evangelii contemplatio ; sermones in ejus evangelio contenti sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitute;... Joannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo, re tamen vera non est nisi eximius testis vite christianæ, seu vite Christi in Ecclesia exeunte primo sæculo" *{Lament.,* 16, 18).—Sed valor historicus hujus evangelii, in *Syn. theol.fund.,* n. 291, jam probatus, nuper decreto Commis. Bibi., 29 Maii 1907, confirmatus, a scriptoribus non paucis, sive Catholicis sive Aca-

5° Principia ad solvendas difficultates.

Difficultates ab Unitariis [1] Liberalibus et Modernistis propositae, sunt vel *negativa* vel *positiva*.

991. (A) Negativae jam confutatæ sunt ex probationibus allatis. Ad hæc quatuor reducuntur :

(a) Jesus de seipso loquitur tanquam homine. — *Resp.* non sequitur illum esse *merum* hominem, sed eum esse *simul* Deum et hominem.

(b) Nunquam dicit se esse Deum, nec a discipulis Deus vocatur. — *Resp.* Conceditur nullibi Christum expressis verbis dicere se esse Deum, etsi apud Joannem approbat confessionem Thomæ id aperte declarantis. Quæstio autem non est de nomine sed de re : parum refert utrum Christus hæc an illa verba adhibuerit quando constat eum sibi attribuisse *titulos* et *munera Deo soliproprio. Nostri non est determinare modum, quo Deus nobis id revelare debuerit.* Ut auditorum mentes recipiendæ veritati pararentur, nonne oportuit hanc gradatim tradi?

(c) Nunquam Jesus requirit vel accipit adorationem .Deo debitam. — *Resp.* Conceditur quidem Jesum discipulis non explicite praecepisse ut ipsum adorarent tanquam Deum. Sed quid inde, quando constat ab eo requiri *fidem* 'et *caritatem* quæ *soli Deo debentur?*

(d) Si Jesus divinitatem sibi attribuisset, sæpe blasphemiæ accusatus fuisset. — *Resp.* Hanc accusationem aliquando prolatam fuisse jam probavimus, immo propterea Christum mortis reum judicatum esse.

992. (B) Positivae objectiones. Imprimis notandum est nullum esse textum in quo Christus dicat se non esse Deum. Omnia verba quæ objiciuntur sensu Catholico intelligi *possunt,* si præ mente habemus Christum esse hominem simul ac secundam personam Trinitatis a Patre procedentem;immo et *debent,* alioquin Jesus de seipso sibi contradiceret.

(a) Opponunt hæc verba 5. *Pauli :* "Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in cælo sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini

tholicis, sæpe sæpius vindicatas est (Lepin, *Origine et val. hist, du j* ivang.* Paris, 1907-09; *Irish. Eccles. Quart.,* Octob. 1908).

[1] Unitariorum argumenta videri possunt apud J. F. Clarke*, *Manual,* less. 7; *Orthodoxy,* c. S; quæ jam a *Crellio* exposita, a Petavio (lib. III, cc. 1-6) non minus solide quam dilucide confutata fuerant; eadem quoad substantiam sunt ac ea, quæ ab Arianis proposita fuerant, et a Patribus confutata, necnon a S. Thoma, *C. Gent.,* L IV, c. 8-9.

multi), nobis tamen *unus est JDeus, Pater,* ex quo omnia " *. Jam-vero ex contextu patet S. Paulum hic antithesim instituere inter *deos* quos *ethnici* colebant, et *Deum* quem *Christiani* adorant : hunc Deum unum esse affirmat, ut sic excludatur polytheismus; sed a consortio divinæ naturæ Christum non excludit, cum statim addat hæc verba : " Et *unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia ",* in quibus divinitas Christi declaratur : vocatur enim *Dominus,* et *vis creativa,* quæ soli Deo competit, eidem ascribitur : *"per quem omnia ".*

Eodem modo explicantur alia ejusdem Apostoli verba : " *Unus Deus,* et *Pater omnium "* dixerat enim paulo ante de Christo (5) : *" unus Dominus ",* et paulo post ei tribuitur gratiæ dispensatio : "data est gratia secundum mensuram donationis Christi" (7) : multaque alia in eadem Epistola dicuntur quæ divinitatem Christi important.

Nec majorem vim habent verba, quæ in confirmationem praecedentium adducuntur : " Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine D. N. Jesu Christi, Deo et Patri " 3; hæc enim solummodo ostendunt nos Deo Patri gratias agere per Christum, qui, cum sit *Deus* et *hotno,* est perfectus religionis mediator.

993· ib) *Instant* adversarii : Christus sic Patrem alloquitur : " Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum unde sic : Ille solus est vere Deus qui dicitur *solus Deus verus·,* atqui solus Pater ibi dicitur Deus verus ; ergo.

Resp. dist. minorem ; solus Pater vocatur Deus, ut excludantur idola, *concedo;* ut excludatur Filius, *nego;* nam, ut *Gregorius Nazianz.* et ejus frater *Casarius* argumentantur, si propterea quod Pater hic solus verus Deus appellatur, colligunt Ariani Filium non esse Deum, colligant etiam Filium non esse sapientem, quia divus Paulus dicit : *soli sapienti Deo per Jesum Christum gloria* 5; colligant eum non esse immortalem, et non esse lucem, quia idem Paulus scribit 6 : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem,* licet Christus se passim vitam et lucem vocet 7. Revera vox *solum,* ut ex textu græco patet, significat : ut cognoscant te, qui es ille Deus qui solus verus es, ἵνα γινώσκουσιν σέ τόν μόνον αληθινόν Θεόν. Præterea satis compertum est, iis qui non sunt nimis theologiæ jejuni, quæcumque asseruntur de Deo Patre, et Filio convenire, præter relationem Paternitatis. Unde quod Pater nominetur *solus Deus,* nihil difficultatis facessit, cum ex aliis textibus

' *I Cor.,* **VIII,** 5-6. — ' *Ephes.,* **IV,** 6. — ' *Ephes.,* **V,** 20.
‹ *Joan.,* **XVII,** 3. — 5 *Rom.,* **XVI,** 27. — 6 Z *Tim.,* **VI,** 16.
l **Maldonat, in h. loc.**

constet Christum esse Deum, et etiam in textu nostro *Patri connumeretur* ut fons et objectum vitæ æternæ.

994. (c) Opponunt etiam illos textus in quibus Christus dicitui *Patri inferior,* aut a *Patre dependens,* vel *Dominus* non autem Deus.

jResp. 1) Christus considerari potest sub duplici respectu, *ut Deus,* ut *homo;* jamvero ut *Deus,* est quidem æqualis Patri, sed ut *homo,* est ipsi inferior, et in hoc sensu dicere potest : " Pater major me est ". Hic etiam notandum est, juxta nonnullos Patres, præsertim Græcos, Patrem majorem dici Filio, etiam quatenus Filius Dei est, non quidem ratione *natura,* quæ eadem est in utroque, sed ratione *originis,* quatenus Patris nomen honorificentius est quam Filii *.

2) Insuper Christus, etiam ut Verbum, procedit a Patre, et proinde ab ipso accipit naturam, voluntatem, omnia quæ possidet; quo sensu explicari possunt verba "a meipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera" 2; quamvis possint etiam intelligi de natura humana Christi, hoc sensu scilicet : verba quæ loquor, et opera quæ facio non humana, sed divina sunt, nam a divino principio procedunt.

3) Nomen *Dei* frequentius Patri tribuitur quam Filio quia Pater est *principium* a quo Filius procedit, ut supra, n. 727; propterea Pater vocatur ὁ θεό vel αὐτόθεο , dum Filius vocatur simpliciter Θεό sine articulo. Alia tamen nomina Christo assignantur, quæ ejus cum Patre æqualitatem significant. Sic Filius vocatur *Dominus,* Κὐριο , *solus Dominus* et *Dominator, rex regum,* et *Dominus Dominantium ; quæ* quidem omnia satis clare divinitatem important, eo magis quia *Septuaginta* nomen Dei ineffabile nomine *Dominus* reddere solebant.

6° Quædam principia ad directe confutandos adversarios.

995. Hodierni negatores divanitatis Christi contendunt Jesum *historicutn* nunquam affirmasse se esse Deum, conscientiam vero Christianam hoc dogma creavisse. Sed animadvertimus : (A) Quisnam sit ille Christus historicus, quem Christo fidei opponunt? Ilie

' Cf. Newman, *Arians,* p. I, c. 2, s. 3, p. 164 sq.; Petav., l. II, c. 2 ; qui ait " Filias eamdem numero cum Patre divinitatem habet, sed proprietate differt. Proinde *Filietas* ipsa *Paternitate* quodammodo minor est ; vel Filius, qua Filius, Patre, ut Pater est, minor dicitur, quoniam origine est posterior ; non autem ut Deus, hoc est, ratione divinitatis". (Petavius, L c. n. 15). — " Deus Verbum, etiam qua Deus est, ut plerique et spectatissimi inter Patres assentiuntur, de Patre ait : Pater major me est". Thomassinus, *De Incarnatione.* lib. X, cap. IX, n. 10. — 3*Joan.,* XIV, 10.

procul dubio de quo omnes magni nominis historici criticique consentiunt. Isti autem de illo oppositas tenent sententias. *Strauss* effinxit Christum *mythicum; Rcnant* Christum mysticum et dubie sincerum; *Harnack, Sabatier* et alii multi Christum *spiritualem* Paternitatis Dei Revelatorem ; *Loisy,* post *J. Weiss,* Christum *eschatologicum,* qui se falso putavit Dei vicarium ad consummationem mundi. Quonam jure illa systemata, *inter se contradictoria,* tanquam *certa conclusiones* scientiæ historicæ haberentur? Quonam jure eorum fautores *pro suo arbitrio,* inter textus evangelicos, illos servent qui pro sua sententia faciunt, alios autem ut interpolationes rejiciant? Quonam jure putent se melius nosse Christi mentem de seipso quam ejus primi discipuli et Ecclesia primitiva? Quonam jure affirment Evangelistas Domino verba attribuisse quæ ipse ut sacrilega rejecisset?

996. (B) Si Christus nunquam divinitatem suam asseruit, *underlain* conscientia Christiana fidem in ejus divinitatem hauserit? — Dicunt :

(a) Christiani a paganismo conversi Judaicam notionem Messiæ intelligere non poterant, proindeque audientes Jesum esse Filium Dei, eum putarunt filium naturalem, more deorum qui in græca mythologia alii ab aliis generati dicebantur. — Sed 1) illud *gratuito* asseritur, cum de tali errore nulla exstent monumenta; nec adversarii consentiant de auctore, tempore, vel loco hujus mutationis, quæ a quibusdam auctori quarti evangelii, ab aliis autem Paulo attribuitur. 2) Immo hæc explicatio prorsus repugnat : falso enim supponit primam generationem christianam Christum habuisse ut Filium Dei sensu *lato,* quod aperte contradicit testimonio Apostolorum, præsertim S. Pauli; falso etiam supponit a paganismo conversos deceptos fuisse quoad sensum hujus tituli, non contradicentibus Apostolis, cum e contra distinctio inter filiationem Dei naturalem et adoptivam in eorum scriptis inveniatur, et in jure romano sit pervulgata. 3) Præterea S. Paulus et omnes Apostoli Monotheismum aperte profitentur, et idololatriam gentium denuntiant. Juxta ipsos : "nullus est Deus nisi unus"; sunt quidem "dii multi, nobis tamen unus Deus Pater" [x]. Quomodo igitur permisissent discipulos suos Christum ut Deum colere, si revera Deus non fuisset?

(b) Christiani, inquiunt, philosophia græca imbuti, Verbum (Logos) Platonis et Philonis in Christo agnoverunt. — Sed 1) ex epistolis et Synopticis constat divinitatem Christi ad fidem christianam pertinuisse antequam Joannes Christum vocaverit Verbum Dei; 2) inter doctrinam Verbi apud Joannem et opiniones Philo-

[x] *I Cor.*. VIII, 4-6.

ms, vix aliquid præter nomen commune est, ut fatetur ipse *Harnack*^ et constat ex dictis n. 595.

997. (c) Nostram doctrinam ab Apostolorum et Christianorum *enthusiasmo creatam* fuisse dicunt. Sed 1) Quomodo tam stupenda mutatio meri hominis in Deum fieri potuerit intra 20 vel 30 annos, quin de ea ullum exstet monumentum? 2) Unde venerit ille enthusiasmus Christianorum nisi ex testimonio Christi, ex ejus miraculis necnon ex unanimi affirmatione primorum ejus discipulorum?

Ergo qui negant hoc dogma, explicare nequeunt nec quid Christus de seipso docuerit, nec unde fides in ejus divinitatem originem habuerit

998. Conclusio. Quibus expositis, merito concludimus, ex scriptis Novi Testamenti, Jesum Christum esse *vere Deum, Filium Dei unigenitum, Verbum incarnatum.* — Hic etiam demonstrari posset hanc fuisse fidem Patrum apostolicorum, apologetarum aliorumque secundi et tertii sæculi; sed id jam ostendimus in *Tr. de Deo Trino,* n. 623 sq., et iterum probabimus in tertia thesi : hæc igitur pro tempore sufficiant

999. *Thesis IH :* Christus est verus et integer homo, e corpore carneo et anima non solum sensibili sed et rationali constans.

Defide est, contra *Docetas* et *Apollinari^tasfsyiyxiL,* n. 973), ex Cone. *Chalcedonensi,* n. 958, et ex Symbolo *Athanasiano :* " Perfectus Deus, *perfectus homo, ex anima rationali* et *humana carne subsistens* " (n. 959).

Quod *Scriptura breviter* tantum ostendemus, cum res sit aperta ; argumentum vero ex *Traditione* exponemus in *tertia* thesi, ne eadem testimonia bis afferamus.

i° *Modo generali* Christus in Novo Testamento exhibetur ut homo ceteris hominibus similis, excepto peccato.

(A) Si de corpore agitur ; (a) ejus *genealogia* traditur x, ut exinde appareat eunf eèse, secundum carnem, ex *nostro genere* et ex regia familia David ; (b) *concipitur* quidem operante Spiritu Sancto, sed vere tamen ex Maria virgine 2, et, post ejus nativitatem, invenitur infans, pannis involutus,

' *Maith.,* I, 1-17

positus in præsepio 1 ; (c) inore ceterorum hominum, *circumciditur, adolescit, proficiens ætate* et sapientia apud Deum et homines 2 ; (d) constanter *se gerit ut hominem* inter homines, colloquens, esuriens 3 et sitiens 4, manducans et bibens 5, dormiens6, deambulans, fatigatus ex itinere7, sanguinem exsudans 8, flagellatus, crucifixus, moriens in cruce, sepultus. Corpore igitur vere humano præditus apparet.

(B) Ad animam quod spectat, exercet actus animae sive sensibilis, sive rationalis, (a) Animae *sensibilis :* nam turbatur, infremit spiritu, plorat 9, pavet et maestus est, tristis usque ad mortem 10 : hæc enim omnia animam sensibilem manifestant, (b) Animae *rationalis* .-etenim actus variarum *virtutum* exercet, nempe *religionis,* pernoctans in oratione Dei11, gratias agens Patri; *humilitatis*12· et *obœdientiæ,* oboediens factus usque ad mortem *3 ; plenae in Deum*fiduciæ,* in manus Dei commendans *spiritujn* suum *4, etc.; quæ quidem animam rationalem supponunt. *f T*

1000. 2° *Speciatim* vero, sæpe Christus ut homo exhibetur, in quantum est mediator Dei et hominum et caput generis humani, verbi gratia, quando dicit S. Paulus : " Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus'* *5; vel quando instituit idem Apostolus comparationem inter primum et secundum Adam l6, (supra, n. 898), vel quando dicitur in epistola ad Hebraeos qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes " *7. In his et similibus textibus supponitur Christum suum munus implere non posse, nisi vere sit homo.

Argumentum ex *Traditione* in sequente thesi evolvitur.

1001. *Thesis* ***IIT*** *:* In Christo natura divina et natura humana uniuntur in unica persona Verbi.

' *Luc.*, II, 7, 12. — 2 *Luc.,* II, 21, 52. — 3 *Matth.,* IV, 2; *Luc.,* IV, 2.
'*Joan.,* XIX, 28. — s *Matth.,* XI, 19 ; *Luc.,* VII, 34.
6 *Matth.,* VIII, 24; *Marc.,* IV, 38; *Luc.,* VIII, 23.

10 Matth., XXVI, 37, 38; *Marc.,* XIV, 33, 34.
" *Marc.,* I, 35; *Luc.,* VI, 12. — " *Matth.,* XI, 29.
'3 Philip., II, 8; *Matth.,* XXVI, 27, 36; *Luc.,* XXII, 19.
2 *Luc.,* XXIII, 4$. — '$ *L Tim.,* II, 5.
^*Rotn., N,* 12-21 ; ***I*** *Cor.,* XV, 1-28. — *'i Hebr.,* II, ..

De fide est ex *C. Chalcedonensi* et ex Symbolo *Athanasiano* (nn. 958, 959).

i° In Scriptura thesis nostra non abstractis, sed *concretis* terminis, affirmatur, cum *unus idemque Christus* Deus simul et homo prædicetur, unde jure concludimus divinæ naturæ et humanæ unionem *in persona* factam esse. Itaque, cum unionem duarum naturarum dicimus *hypostaticam,* hac dogmatica formula eamdem notionem exprimimus, quæ ex factis et verbis in Novo Testamento relatis colligitur. Quod ex supradictis patet et quibusdam exemplis sic illustrari potest

1002. (A) In *Synopticis* Evangeliis, *unus idemque Christus* sæpe exhibetur *simul* ut *Deus* et *homo.*

(fi) Christus ut *homo* in carne concipitur, nascitur et jacet in præsepio; sed simul ex Virgine concipitur de Spiritu Sancto, et quod nascitur *sanctum* merito vocatur *Filius Dei*[1] ; (b) Baptizatur in Jordane tanquam *homo,* qui peccati similitudinem assumpsit; sed Spiritus descendit super illum, et Pater de cælo dicit : " Hic est *Filius meus* dilectus, in quo mihi complacui "[2]. (c) Esurit in deserto ut *homo;* sed ut *Deus* ministratur ab Angelis[3]. (d) Vitam pauperem ducit ut *homo,* fatigatur ex itineribus, a Pharisæis despicitur; sed simul ut *Deus* ægrotos sanat, et mortuos suscitat propria virtute, et sibi vindicat munera soli Deo propria (n. 982). (e) In horto Gethsemani ut *homo* contristatur, mœstus et tristis est usque ad mortem; ut *Deus* milites ipsum rapientes sono vocis prosternit, Malcho auriculam restituit, et coram judicibus affirmat se esse *Filium Dei sensu proprio,* proptereaque tanquam blasphemiæ reus damnatur (n. 983). (f) In cruce, siti torquetur ut *homo,* et desolatus moritur; sed quia *Deus* est, sol obscuratur, templi velum scinditur, sepulchra aperiuntur, mortui resurgunt, et tandem tertia die, sicut prædixerat, *resurfit a mortuis,* optimam divinitatis probationem Apostolis exhibens.

Unde sic : uni eidemque Christo tribuuntur qualitates et actiones *propriæ* naturæ *humanæ* et naturæ *divinæ.* Atqui id fieri nequit nisi Christus sit *unus* simpliciter seu *una persona.* Ergo in Christo natura divina et natura humana in *una persona* uniuntur. Hanc autem personam esse personam præexistentem et immutatam Verbi probatur ex textu S. Joannis, infra, n. 1004.

[1] *Malt.,* I, 20-23; *Luc.,* I, 35. — [2] *Matt.,* III, 13-17. — [3] *Matt.,* IV, 2, 11

1003.(B) Idem constat ex S. *Paulo,* qui prædicat Jesum Christum et hunc crucifixum vere hominem et caput hominum, sed simul vere Deum.

Cujus doctrina in hoc textu contrahitur ubi, humilitatem Christi describens, quam ut exemplar fidelibus proponit, hæc habet : " Qui cum in *forma Dei* esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem . Ex his igitur verbis *unus idemque Christus* possidet : (a) *naturam divinam,* quippe qui dicatur esse in *forma* Dei, id est, præ se ferens divinitatis characteres, et insuper *æqualis* Deo; (b) *naturam humanam,* quia accipit formam seu naturam servi. Atqui non potest utramque naturam possidere nisi utraque in eadem persona uniatur.

Nec potest dici hæc omnia explicari posse per solam inhabitationem Verbi in homine Jesu; nam Verbum Dei in omnibus sanctis a principio mundi habitavit per gratiam, nec tamen dicitur propterea exinanitum, formam servi accipiens, oboediens usque ad mortem, etc. ; ergo non aliter explicatur nisi admittendo divinam et humanam naturam uniri in unica Christi persona.

1004.(C) Luculentius etiam constat ex *toto Evangelio secundum Joannem,* in quo clare asseritur Jesum Christum, cujus *dotes humanæ* tam vivide describuntur, non alium esse nisi Verbum incarnatum, Verbum, inquam, cujus divinam originem, æternitatem et vim creatricem antea declaravit. Tota ejus doctrina breviter his verbis continetur : "*Et Ver-*

l *Philips* II, 6-8, — Ad hæc verba intelligenda, duæ voces explicandæ sunt, scilicet*forma* et *rapina : — (ai)forma.* μορφή, significat, juxta quosdam, *essentiam* divinam, juxta alios autem, *majestatem* quæ Deo competit. Sed juxta utramque interpretationem, qui est in forma Dei est verus Deus; — (b) *rapina*^ ἁρπαγμό , triplici modo accipi potest : i. pretium avide retinendum; — 2. res indebita; — 3. excusatio ad vitandam rem difficilem aut tædiosam. Juxta primam opinionem, textus dicit : Christus noluit avide retinere gloriam quam ut æqualis Deo possidebat, sed semetipsum exinanivit. — Juxta secundam : non consideravit æqualitatem cum Deo esse sibi indebitam, attamen semetipsum exinanivit. — Juxta tertiam, noluit ex æquaiitate sua cum Deo praetextum seu occasionem assumere ne obediret, sed semetipsum exinanivit. Porro in omni casu affirmatur *aqualitas Christi* et *Dei.* ergo *divinitas Christi.* Cf. *Revue Biblique.* 1911, p. 550'553·

bum caro factum est, et habitavit in nobis"[1][3] quod idem significat ac " Verbum *homo* * factum est". Unde sic : ille qui a tota aeternitate est Verbum, vere in tempore factus est homo; atqui id fieri nequit nisi Verbum sit una eademque persona ac Verbum incarnatum seu Jesus Christus; ergo non sunt in Christo duæ personæ, sed una persona, nempe persona \7erbi quæ duplicem possidet naturam, divinam et humanam [3].

Confirmatur ex eo quod unio inter *Verbum* et *naturam humanam* dici nequit *moralis* seu per amicitiam aut gratiam; quamtumvis enim arcta sit unio inter amicos aut inter Deum et animam, nunquam dicere fas est : Jonathas per amicitiam factus est David, Deus per gratiam factus est Abraham. Ergo unio Verbi cum humana natura dici nequit unio *moralis tantum.*

Neque unio facta est *in natura ;* non enim Verbum jmmutabile converti potest in naturam humanam, nec "humana natura convertitur in Verbum, cum minime dicatur : *carofacta est Verbum.* Nec Verbum potest *informare* naturam humanam, sicut anima corpus informat, cum Verbi natura sit completa et natura humana pariter completa sit in suo genere.

Ergo unio Verbi cum natura humana facta fuit *in persona* seu est hypostatica.

1005. 2° Traditione. In hoc argumento complectimur *triplicem thesim* jam Scriptura demonstratam, ne bis aut ter

[1] *Joan.,* I, 14.

[a] Vox enim caro, σάρξ, sæpe designat hominem mortalem, v. g·, *Matt.,* XVI, 17; *Act.,* II, 17; *Luc.,* III, 6; *Gal.,* I, 16; *Ephes.,* VI, 22. Hic S. Joannes hac voce utitur contra Docetas, ad ostendendum corpus Christi esse vere carneum, non autem sensu *exclusive,* ad excludendam animam rationalem quam sæpe alibi commemorat : XI, 33, 50; XIII, 21; XVIII, 14; XIX, 5, etc.

[3] Cf. S. Thom., 3, q. 2, a. 1-3. Quod alibi (C. *Gent.,* 1. IV, c. 34) sequenti modo probat : " Omne quod factum est aliquid, est illud quod factum est, sicut quod factum est homo est homo, et quod factum est album est album. Sed Verbum Dei factum est homo, ut ex præmissis habetur. Igitur Verbum Dei est homo. Impossibile est autem ut duorum differentium persona, aut hypostasi, vel supposito, unum de altero prædicetur... et ideo nullo modo dici potest quod Socrates sit Plato vel aliquod aliud singularium ejusdem vel alterius speciei. Si igitur Verbum caro factum est i. e. homo, ut Evangelista testatur, impossibile est quod Verbi Dei et illius hominis sint duæ personæ, vel duæ hypostases, vel duo supposita

eadem testimonia afferantur; pleraque enim simul affirmant naturam *divinam* et *humanam* Christi et inter utramque *unionem*.

Prænotamus insuper hoc dogma jam *formaliter explicite* in Scriptura revelatum esse terminis *concretis,* ideoque profectum dogmaticum fuisse *meram explicitationem magis scientificam* doctrinæ in Scriptura traditae.

Quatuor stadia in hoc profectu distinguere licet : i) sæc. 1° et 11°, formulis adhuc *concretis* explicite affirmatur dogma; 2) 111° sæc., Patres jam terminis *philosophicis* utuntur; 3) IV° sæc., plenius, contra Arianos, divinitatem et consubstantialitatem Verbi probant, et, contra Apollinaristas, integram humanitatem Verbi incarnati; 4) V° et VI° sæc., *ipsam unionem* magis *philosophice* propugnant contra Nestorium et Eutychen.

1006.(A) Duobus prioribus sæculis, Patres affirmant, ut in Novo Testamento, *eumdem Christum esse simul Deui, et hominem,* quia catholicam doctrinam propugnant tum contra *Docetas* qui negant veritatem humanæ naturæ, tum contra *Gnosticos* et *Adoptianos* qui ejus divinitatem non agnoscunt. De *modo unionis* non tam explicite agunt, quia hæc non controvertitur.

(a) Inter Patres Apostolicos, S. *Clemens* docet Christum ex Abraham descendere secundum carnem, et esse *servum Dei,* sed simul *ejus Filium,* multo excellentiorem Angelis, cum sit splendor divinæ majestatis, vere a Deo genitum et a dextris ejus sedentem x. r— 5. *Ignatius,* Docetas impugnans, asserit Christum, ex una parte, esse Verbum in sinu Patris ante sæcula existentem, vere Deum, cum ejus sanguis sit sanguis Dei[1]; ex altera autem, verum hominem, vere ex stirpe David secundum carnem, vere ex virgine natum, vere passum, vere mortuum, qui tamen seipsum suscitavit [3].

1007. (b) Apologistæ, secundo saeculo, pariter affirmant Christum esse simul Deum et hominem [4], nempe Verbum

[1] ***I*** *Corinth.,* XXXII, 2; XXXVI, 2-5. — Immo, secundum vetustissimum codicem, Christum vocat Deum, παθήματα Θεοϋ (II, i).

[2] *Magn.,* VI, 1; VIII, 2; *Trail.,* VII, i ; *Smyrn.,* I, I; *Ephes.,* I, 1; XV, 3; XVIII, 2; *Rom.,* III, 3; *Polyc.,* VIII, 3.

[3] *Ephes.,* VII, 2; XIX, 3; XX, 2; *Smyrn.,* I, 1-2; II-III.

[4] Ita S. Justinus, *Dial, cum Tryph.,* LXIV, LXVIII, C, CII, CX, etc., *P. G.*. VI, 621, 632, 709, 711, 732, etc.

incarnatum, ex virgine natum secundum carnem, anima non solum sensibili sed rationali prædítum, idemque humanitatem assumendo, non desiisse esse Deum.

(c) Inter controversistas, S. *Irenæus,* contra Gnosticos, asserit Christum Redemptorem vere esse Verbum incarnatum : " Ostendo manifeste quod in principio Verbum existons apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum præfinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum " 1 ; hac autem ratione incarnatum quia, cum nos redimere vellet, *in se recapitulate* debebat *totum genus humanum.* Quia vero Deus est et homo, vere nos salvabit : " Quando incarnatus est et homo factus, longam hominum expositionem in se recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam... hoc in Christo Jesu reciperemus"2 — *Unionem utriusque naturæ* in Christo esse *personalem* inferri potest ex his verbis3 : " Ipsum Verbum Dei incarnatum suspensum est super lignum"; sed *vocabulum* ipsum non adhibet, et tantum hanc unionem vocat *commistionem et communionem Dei et hominis*,* et alibi 5 ενωσιν τού λόγου τού θεού προ τό πλάσμα αυτού.

1008. (B) Tertio sæculo,jam inchoatur quædam unionis expositio *philosophica.*

(a) *Origenes,* qui præexistentiam animarum admittebat, docet Verbum unitum fuisse uni ex his animabus quæ immaculata remanserat, et, mediante anima, corpori perfecto. In Christo igitur duplex est natura : " Aliud est in Christo deitatis ejus natura, quod est unigenitus Filius Patris, et alia humana natura quam in novissimis temporibus pro dispensatione suscepit "6* Sed duæ naturæ *unum ens* constituunt, σύνθετόν τι χρήμα?.

(b) De unione inter utramque naturam agit *Tertullianus,* qui, utpote jurisperitus, notionem juridicam *personæ* accu-

' *Adv. hares.,* Ill, iS, i, *P. G.,* VII, 932.
* *Ibid. ; cf.* Ill, 21, 10; V, 23.
3 *Ada. hares.,* , 18, 1, *P. G.,* VII, 1127; dr. Ill, q. 3.
* *Ibid.,* IV, 20, 4. *P. G.,* VII, 1034.
5 IV, 33· rI› *G··* VII, IO^°·
* *Deprincipiis, I. 2,* 1; II, 6, *2,* 3; *P. G.,* XI, 130, 2ΓO-2I I.
? *C. Cels.,* II, 9; I, 06; *P. G.,* XI, 810, 780, etc.

rate exponit. Contra Gnosticos, affirmat corpus Domini esse *verum,* et *carne* et *ossibus,* compositum, vere *natum* ex Maria, *passibile.* Nec minus clare asserit ejus *animam* esse non solum sensibilem, sed *rationalem.* Aliunde Christus est vere Deus. Quomodo autem fit unio inter utramque substantiam? Respondet[1] : "Videmus *duplicem statum non confusum,* sed conjunctum *in unapersona,* Deum et hominem Jesum ", Unaquæque autem substantia suas operationes proprias retinet : " Sed quia substantiæ ambæ in statu suo quæque distincte agebant, ideo illis et operæ et exitus sui occurrerunt " [2] Ita rejicitur dualismus gnosticus aut etiam utriusque naturæ confusio.

1009. -(C) *Quarto sæculo,* Patres, occasione arrepta Arianismi, *consubstantialitatem* Verbi diserte probant (n. 636); et, contra Apollinarismum, magis explicite affirmant Verbum assumpsisse non solum quædam humanæ naturæ elementa, sed *completam humanitatem,* et præsertim *animam intellectualem.*

(a) *Apollinarismus exponitur.* Apollinaris [3], Laodicensis episcopus, quo facilius tueretur unitatem personæ in Christo, contra scholam Antiochenam jam propendentem in errorem qui postea dictus est Nestorianismus, docuit Verbum assumpsisse quidem animam sensitivam (ψυχή), non autem animam *spiritualem* (πνεύμα): et vices tenuisse animae spiritualis in Christo. Ex quo inferebat unicam esse naturam in Christo, nempe naturam Verbi, cum corpus anima mere sensitiva informatum dici nequeat natura humana; hinc formula quæ postea celebris evasit : Μία φύσι του θεού λόγου σεσαρζωμενη.

1010.(b) *Confutatur et condemnatur Apollinarismus.* Contra hos errores scripserunt S. Athanasius et auctor operis *contra Apollinarium* S. Gregorius Nyss., *Antirrheticus,* S. Gregorius Naz. in pluribus *epistolis,* S. Epiphanius in *Hæresibus. 1)* Præcipuum argumentum quo usi sunt hoc fuit : " *Quod non est assumptum, non est sanatum* Sicut enim Christus nos salvare non potuisset,

[3] Ibid. — Utitur voce *substantiel* non naturæ, quia nomine naturæ potius designat proprietates quæ diversis substantiis communes esse possunt *{De anima.* 32) Cfr. Tixeront, I, 343.

[3] Cf. *Adversus fraudes Apollinistarum. P. G.*. t. LXXXVI, p. 1947-1976; Tixeront, t. II, p. 94-13°; J. Draeseke, *Apollinarios von Laodicea.* Leipzig, 1892; G. Voisin, *L'Apollinarisme*y Louvain, 1901 ; H. Lietzmann, *Apoltinaris von Laodicea und seine Schule.* I, Tubingen, 1904.

si corpus habuisset tantum apparens, ita pariter si non assumpsit animam vere intellectualem. 2) Prætera, absque anima intellectuali, nec mereri nec satisfacere potuit Christus, cum libertate careret.

Apollinaristæ a S. Damaso damnati sunt in synodo Romana (an. 380) Anathematizamus eos qui pro hominis anima rationabili et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, rationabilem et intelligibilem, sine peccato, animam susceperit atque salvaverit " \ Quam sententiam ratam habuit *C. Constantinopolitanum* (381).

1011. (D) 'Saeculo quinto, occasione duplicis hæresis *nestorianæ* et *eutychianæ,* conceptus catholicus unitatis personæ in Christo et unionis hypostaticæ diserte asseritur :

(a) *Nesiorius,* cui jam præluserat schola Antiochena, cum *Diodoro* et *Theodoro Mopsuesteno,* contendebat :

1) Sedulo distinguenda esse in Christo attributa operaquè Verbi ab actionibus propriis homini Jesu; 2) unionem inter Acerbum et Jesum comparari posse cum unione inter Spiritum Sanctum et prophetas, sed esse tamen altioris ordinis, cum Christus sit non tantum propheta sed redemptionis organon; 3) Mariam proinde vocari posse χριστοτόκον, non autem Θεοτόκον; 4) Jesum tamen merito vocari Deum et adorari, quippe qui Deum in se gerat.

Præcipuus fidei catholicæ defensor fuit 5. *Cyrillus Alex.* 3 qui scribebat : "...Ex duabus igitur rebus, divinitate nimirum et humanitate, certo constat Emmanuel. Unus tamen Dominus Jesus Christus, unus verus naturalisque Filius, qui Deus simul et homo est; non homo deificatus, par illis qui per gratiam divinæ naturæ participes efficiuntur, sed Deus verus, qui salutis nostræ causa in humana forma apparuit Quod vero ad Mariam attinet, hanc deducit conclusionem : " Si Dominus noster Jesus Christus Deus est, quomodo non sit deipara quæ illum edidit"?

Dicendo autem : *una natura Verbi incarnata,* μια φύσι τοῦ λόγου σεσαρκωμενη, duo significabat S. Doctor : non negabat quidem, post Incarnationem *duas in Christo esse naturas,* sed dicebat unum esse *subjectum,* Verbum scilicet incarnatum, de quo tam divina quam humana prædicantur. Postea, Nestorius damnatus fuit a *Condi. Ephes.* (431) quod, approbatis duodecim anathema-

* D. B., 65. — ' D. B., 85.
3 *Epist.,* i, *P. G.,* LXXVII, 27.

tismis Cyrilli ', clare definivit unionem utriusque naturæ, divinæ et humanæ, *non esse moralem* tantum (secundum dignitatem scilicet, auctoritatem, potestatem aut per inhabitationem Verbi in homine Christo), sed esse *secundum hypostasim.*

(b) Occasione *Eutychianismi,* qui asserebat unicam esse in Christo naturam incarnatione jam peracta (n. 975), iterum dogma unionis hypostaticæ fuit solemniter declaratum. Concilium enim *Chalcedonense* (451), *epistolam dogmaticam* S. Leonis Magni sequens, definivit2 : *Unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas* partitum atque divisum, sed *unum et eumdem Filium* unigenitum Deum, Verbum Dominum, Jesum Christum". Quæ quidem definitio, multo lucidior Ephesina, speculative finem liti imponebat.

Sed infeliciter multi monophysitæ in suo errore perseverarunt, et in varias sectas disjuncti, hodie adhuc subsistunt : in Ægypto vocantur *Copti,* in Syria et Mesopotamia *Jacobitce; Abyssini* pariter isti errori adhaerent.

1012. *Solv. diff.* Adversarii in medium proferunt hæc verba symboli *Athanasiani* cfuæ a S. Cyrillo et quibusdam aliis Patribus usurpata fuerant : "Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus"; atqui in homine unica est natura ; ergo pariter in Christo.

Rest). : Hæc comparatio, sicut ceteræ comparationes, legitima est quoad aliquid, sed ex parte claudicat. (A) Recte quidem usurpatur ad ostendendum unionem Verbi cum natura humana esse (a) *substantialem* et non moralem tantum; (b) *personalem,* ita ut natura humana et natura divina efforment unicam personam, sicut in homine : sicut enim unus homo *e* diversis naturis, corporali ac spirituali, componitur, quæ propriam servant in unitione distinctionem, ita pariter unus Christus e duabus naturis existit, quæ, sine ulla confusione, suas proprietates retinent. (B) Non autem adhibenda est, nec reapse adhibetur ad significandum unicam naturam esse in Christo, ut aperte constat ex contextu; nam immediate ante præfata verba expresse declaratur Christum esse unum

' D. B., 113 sq. — a Vide supra, n. 957.

"non confusione substantia (seu naturæ), *sed unitate persona".* Merito igitur ait S. *Thomas* 1*; " Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas naturæ et personæ : naturæ quidem, secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu et potentia, vel materia et forma; et quantum ad hoc non attenditur similitudo, quia natura divina non potest esse corporis forma, ut in primo probatum est ; unitas vero personæ constituitur ex eis in quantum est unus aliquis subsistens in came et anima : et' quantum ad hoc attenditur similitudo; unus enim Christus subsistit in divina natura et humana".

Scholastica expolitio unionis hypostaticæ.

Facto unionis hypostaticæ jam probato, idem *ratione* elucidare oportet : i° doctrinam catholicam ratione confirmando ; 2° diversa systemata exponendo.

i° Ratione confirmatur doctrina de unione hypostatica.

1013. (A) Hic argumenta S. Thomæ exponemus. S.Doctor primum ostendit *impossibile esse unionem Verbi incarnati factam esse in natura,* excludendo nempe diversos modos hujus unionisa.

" Tripliciter enim aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur : (a) *Uno modo ex duobus integris perfectis remanentibus ;* quod quidem fieri non potest nisi in iis quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura; sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit acervus; ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis et etiam ad aliquam figuram redactis fit domus. Et secundum hoc posuerunt aliqui unionem esse per modum confusionis, quæ scilicet est sine ordine; vel per modum commensurationis, quæ scilicet est cum ordine. Sed hoc non potest esse, i) Primo quidem, quia compositio, vel ordo, vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis : et sic sequeretur quod unio incarnationis non esset per se, sed per accidens : quod infra improbabitur art. 6 huj. quæst. 2) Secundo, quia ex hujusmodi non fit unum simpliciter, sed secundum quid; remanent enim plura actu. 3) Tertio, quia forma talium non est natura, sed magis ars; sicut forma domus : et sic non constituere-tur una natura in Christo, ut ipsi volunt.

(b) *Alio modo* fit aliquid *unum ex perfectis,* sed *transmutatis,*

1 Sum. theol., **3, q. 2, a. 1, ad 2.** — *3 Sunt, theol.,* **3, q. 2, a. 1-3.** **Cf. Backes,** *Die Christologie des hl. Thomas von Àçuin und die gtiechischen Kirchenvater.* **Paderba·^.**

sicut ex elementis fit mixtum : et sic aliqui dixerunt unionem incarnationis esse factam per modum commixtionis. Sed hoc non potest esse, i) Primo quidem, quia natura divina est omnino immutabilis, ut in i parte dictum est, quæst. 9, art. i et 2, unde nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis. 2) Secundo, quia id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie : differt enim caro a qualibet elementorum specie. Et sic Christus non esset ejusdem naturæ cum patre, nec cum matre. 3) Tertio, quia ex his quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio : solvitur enim species unius eorum, puta si quis guttam aquæ amphoræ vini apponat. Et secundum hoc cum natura divina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio, sed remanebit sola natura divina.

(c) *Tertio* modo fit aliquid ex aliquibus *non permixtis vel permittatis^ sed imperfectis;* sicut ex anima et corpore fit homo : et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. 1) Primo quidem quia utraque natura est secundum rationem suam perfecta, divina scilicet et humana. 2) Secundo, quia natura divina et humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus, quia natura divina est incorporea; neque per modum formæ et materiae, quia divina natura non potest esse forma alicujus, præsertim corporei : sequeretur enim quod species resultans esset communicabilis pluribus; et ita essent plures Christi. 3) Tertio, quia Christus non esset humanæ naturæ, neque divinæ naturæ. Differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum

1014. (B) Postea vero ostendit *unionem Verbi incarnati factam esse in persona.*

" Respondeo dicendum quod persona aliud significat quam natura. Natura enim, ut dictum est art. præc., significat essentiam speciei, quam significat definitio. Et si quidem his quæ ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adjunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturæ, quod est individuum subsistens in natura illa, quia unumquodque individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia et principia individuantia; sicut maxime apparet in his quæ sunt ex materia et forma composita. Et ideo in talibus etiam secundum rem differt natura et suppositum, non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei et superadduntur quædam alia quæ sunt præter rationem speciei : unde suppositum significatur ut totum habens natu-

ram sicut partem formalem et perfectivam sui : et propter hoc in compositis ex materia et forma natura non prædicatur de supposito : non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est in qua omnino nihil aliud est præter rationem speciei vel naturæ suæ, sicut est in Deo, ibi non est aliud secundum rem suppositum et natura, sed solum secundum rationem intelligendi, quia natura dicitur secundum quod est essentia quaedam ; eadem vero dicitur suppositum, secundum quod est subsistens, Et quod est dictum de supposito, intelligendum est de persona in creatura rationali vel intellectuali; quia nihil aliud est persona quam *rationalis natura individua substantia,* secundum Boetium, lib. de duab. Nat. parum a prine.

Omne igitur quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam ejus sive non, unitur ei in persona. Si ergo humana natura Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo ei unitur : et sic totaliter tollitur incarnationis fides, quod est subruere totam fidem Christianam. Quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi unitam, non autem ad suam naturam divinam pertinentem, consequens est quod *unio sit facta in Verbi persona, non autem in natura n.*

1015. (C) Tandem ostendit unionem Verbi incarnati factam esse in *hypostasi* ideoque merito *hypostaticam* dici.

" Respondeo dicendum quod, quidam ignorantes habitudinem hypostasis ad personam licet concederent in Christo unam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei, et aliam hominis, ac si unio sit facta in persona non in hypostasi. Quod quidem apparet erroneum tripliciter, (a) Primo, ex hoc quod persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, secundum quod Boetius dicit in lib. de duab. Natur., aliquant, a prine., quod *persona est rationalis natura individua substantia;* et ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanæ naturæ in Christo et propriam personam. Quod intelligentes sancti Patres, utrumque in concilio quinto apud Constantinopolim celebrato, collât. 8, can. 5, damnaverunt, dicentes : *Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, anathema sit. Nec enim adjectionem persona vel subsistentia suscepit sancta Trinitas incarnato uno de Sancta Trinitate Deo Verbo.* Subsistentia autem idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, ut patet per Boetium in lib. de duab. Natur., aliquant, a prine.

(b) Secundo, quia si detur quod persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit unio fieri, hoc nihil aliud est quam proprietas ad dignitatem pertinens; secundum quod a quibusdam dicitur, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad digni-

tatem pertinente. Si ergo facta sit unio in persona, et non in hypostasi, consequens erit quod non facta sit unio nisi secundum dignitatem quamdam. Et hoc est approbante synodo Ephesina, gener. **III,** part. 3, can. seu anathem. 3, damnatum a Cyrillo sub his verbis : *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola copulans eas conjunctione, quæ. secundum dignitatem quamdam vel auctoritatem est, vel secundum potentiam, et non magis concursu secundum adunationem naturalem, anathema sit.*

(c) Tertio, quia tantum hypostasis est cui attribuuntur operationes et proprietates naturæ, et ea etiam quæ ad naturæ rationem pertinent in concreto : dicimus enim quod hic homo ratiocinatur, et est risibilis, et est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet supponitur his quæ ad hominem pertinent, eorum praedicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur quod de aliquo alio quam de Verbo verificentur ea quæ sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum et sepultum. Et hoc etiam damnatum est approbante concilio Ephes., loc. cit.., can. 4, sub his verbis : *Si quis personis duabus vel subsistentiis eas quæ sunt in evangelicis et apostolicis Scripturis, partitur voces, aut de Christo a sanctis dictas, aut ab ipso de se, et quasdam quidem velut homini præter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam vero velut Deo decibiles, soli ex Deo Patre Verbo; anathema sit.*

Sic ergo patet *esse hæresim olim ab Ecclesia damnatam, dicere, quod in Christo sunt duæ hypostases, vel duo supposita, sive quod unio non sit facta in hypostasi vel supposito.* Unde in eadem synodo, can. 2, legitur : *Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum ex Deo Patre Verbum, utrumque esse Christum cum sua carne, eumdem scilicet Deum et hominem; anathema sit ",*

2° Varia systemata ad exponendam naturam unionis hypostaticae.

1016. Ex dictis in thesi tertia, unio utriusque naturæ, divinæ et humanæ, facta est *in persona Verbi.* Sed hic occurrit quæstio philosophica *quomodo* res ita se habeat, quomodo nempe natura humana possit hypostatice uniri personæ Verbi quin suam integritatem amittat. Solutio quæstionis pendet præsertim a *discrimine inter naturam et personam,* de quo jam diximus, n. 572-574. Exponemus : i° *antiquos errores;* 2° *recentiorum falsa systemata;* 30 systemata quæ *libere* inter theologos *disputantur.*

1017. 1° Systemata erronea antiqua. (A) Fuerunt imprimis theologi [1], qui non intelligentes quomodo natura humana sit completa et perfecta in linea naturæ quin simul sit et subsistens subsistentia seu suppositalitate propria, dixerint et Verbum et naturam humanam in Christo gaudere respective sua *propria subsistentia* ideoque efTormare duo *supposita* seu hypostases. Ad salvandum vero utcumque dogma, addebant hæc duo supposita coalescere in unam personam. — In hujusmodi autem theoria duo inter se contradictoria illogice jungebantur; persona enim non est aliud ac suppositum rationale seu intellectuale; unde necesse est duo supposita in Christo reduci ad duas personas : quod est hæresis nestoriana. Hinc in Concilio V° œcumenico, 20 Constantinop., jam definitum est : "Si quis... introducere conatur in mysterio Christi *duas hypostases seu duas personas :* anathema sit" [2].

(B) Alii [3], ad vitandam hanc personarum seu suppositorum dualitatem, negaverunt in Christo unionem naturalem animæ et corporis : qua via censebant feliciter removere personam humanam et unicam personam Verbi salvare : disjuncta enim anima a corpora, jam subsistentia humana erat impossibilis. — \,Terum talis explicatio fidei contradicit auferendo a Christo veram et genuinam naturam humanam. — Ceterum iidem theologi profitebantur partes separatas naturæ humanæ Verbo uniri accidentaliter sicut vestis vestito : unde in Nestorianismum reincidebant.

1018. 20 Falsa quædam recentiorum systemata. Rejicienda sunt vero recentiora *Güntheri* et *Rosmini* systemata, (a) Prior, cum discipulis *Baltzer* et *Knoodt,* contendebat unitatem Christi non esse *numerico-realem,* sed *formalem* et *dynamicam* [4]. Personalitas, juxta ipsum, in eo consistit quod natura sit *sui conscia.* Physice igitur duæ sunt in Christo personæ, persona Verbi et anima humana quæ, utpote sui conscia, est vera hypostasis. Attamen hæc anima ab initio conscientiam habuit se esse destinatam ad intimam conjunctionem cum Verbo, et hanc destinationem libenter agnovit. Jamvero persona divina ut *dominans* et persona humana ut *famulans* cognitione et agnitione ita arcte conjunguntur, ut inter eas existât unitas *formalis,* quatenus forma personæ, seu conscientia, hoc modo est una, nec non unitas *dynamica,* cum in se invicem agant. — Qui error a *Pio IX* reprobatus est [5]. Et merito; nam hæc unio, quam formalem et dyna-

1 Quos commemorat P. Lombardus, *III Sent.,* dist. VI, n. 2.

2 Denz., 217 (176); Card. Billot, *op. at.,* thesis VI.

3 Ita *Abalardus* ejusque schola; cf. Portalié *Adoptianisme au XII· s.,* in *Did. dt Thiol.* (Vacant), t. I, p. 413 sq.

4 Cfr. Kleutgen, *Theol.* der *Vorzeit,* n. 48 sq. ; Pesch., n. 68.

5 D. B., 1656.

micam vocat, nihil aliud est quam unio *moralis,* cum sita sit in mutua cognitione et actione, ideoque nestorianismum sapit.

1019. (b) Secundum *Rosmini,* " in humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Spiritu Sancto ad adhærendum Esse objectivo, id est, Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et, cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura " *. Quæ propositio damnata est a 5. *Officio,* 14 dec. 1887; et merito quidem, cum adhæsio hujusmodi non sit nisi unio moralis, nec dici valeat unio secundum personam, sed secundum voluntatem tantum.

1020. 30 Systemata libere disputata.

(A) Juxta *Scotum,* personalitas in aliquo *negativo* consistit, nempe in eo quod natura integra et singularis *noti assumitur ab* alia persona; juxta *Tiphanum,* in aliquo *positivo* sita est, nempe in eo quod est *tota in se* seu habet *totum suum esse individuum.* In utroque autem systemate Christi natura humana sua personalitate connaturali caret *unice* quatenus unitur personæ Verbi. *Omnis* scilicet realitas substantialis quæ est in quolibet puro homine, univoce adest in Christo; si vero non est subsistens nec persona, id provenit ex hoc solo quod a Verbo assumitur : hac enim assumptione, cadit a ratione *totius in se,* ut ait *Tiphanus,* et præ se fert rationem partis; sed si unio hypostatica,cessaret, eo ipso et sine ullo addito, natura humana Christi fieret persona.

Hæc autem explicatio minus probabilis videtur. Nam : 1) persona, " quæ est id quod perfectissimum est in natura ", in aliquo negativo reponi nequit; 2) humanitas Christi est aliquid *de se* et *per se* omnino substantialiter completum : per meram enim additionem ad aliud nihil fit ex completo incompletum in eo ordine in quo de se complementum habet. Si vero humanitas Christi est de se undequaque substantialiter completa, non apparet quomodo possit pertinere ad personam Verbi nisi *accidentaliter,* et ita logice reinciditur in errorem ponentium in Christo duas hypostases unitas hac honoris et dignitatis communitate quæ improprie vocaretur unitas personæ.

1021. (B) *Stparp?.* 3› et alii post eum theologi, autumant personalitatem seu *subsistentiam,* ut aiunt, esse quid *positi-*

* **D. B., 1917.**

3 **Scotus,** *In III Sent.,* **dist. I, q.** 1 ; **Tiphanus,** *De hypostasi et persona;* **Franzelin, th. 30-31 ; Stentrup, th. 31-34; Pesch, n. 9S-130.**

3 Disput. melaph., **disp. XXXIV, sect. 1-2.**

vum, nempe *modum substantialem* quo natura ultimo terminatur et fit sui juris. Unde, in Verbo incarnato, natura humana non est persona, quia deest ille modus substantialis quo persona constituitur, et Verbum vices supplet talis modi substantialis.

Sed contra est quod, in systemate philosophico horum theologorum, non salvatur distinctio realis inter essentiam et existentiam. Unde sequitur personalitatem superaddi rei jam actu existent! in suo esse intimo et substantiali : quod est *logice* profiteri unionem *accidentalem* personalitatis cum natura. Nam, in theoria Suarezii, Verbum accedit naturae in esse substantiali jam constitutae, ac proinde accidentaliter : quidquid enim advenit enti in suo esse substantiali jam completo, accidentaliter advenit nisi trahatur in communionem illius esse substantialis [1] ; atqui modus personalitatis adveniens naturae jam constitutae, non potest trahi in communionem illius esse substantialis; ergo *logice* unio hypostatica esset accidentalis.

1022. (C) *Cajctanus,* cum *multis Thomistis* [2], docet *personalitatem* esse *rcalitatem quamdam, nempe ultimum terminum naturæ* qui reddit naturam *incommunicabilem* et ultimo ac *positive terminatam;* et insuper discrimen reale admittit inter subsistentiam et existentiam. In hac igitur sententia, " humanitas Christi non est persona, quia caret simul actu *subsistentiæ propriæ* et actu *existentiæ proprice,* quem duplicem actum supplet Verbum " [3]. Thomistarum itaque sententia differt ab opinione Suarezii, juxta quem subsistentia suppletur a Verbo, sed non existentia.

(a) Ita optime servatur *unitas personæ* in Christo, cum in eo unum sit esse subsistentiæ et existentiæ, simulque *dualitas naturarum,* cum maneat duplex esse essentiae, (b) Insuper ita recte intelligitur doctrina Conciliorum declarantium unionem factam esse secundum *subsistentiam,* cum Verbum subsistentiam simul et existentiam in humana Christi natura suppleat.

[1] *Sum. theol.,* 3, q. 2, a. 6, ad 2.

[2] Cajetanus, in 3 p., q. 4, a. 2; Ferrariensis, in 5. *contra Gent.,* 1. IV, c. 43; Billuart, diss. IV, a. i; Salmant., tr. XXI, disp. VIII, dub. i; E. Hugon, t. III, 68-69. — [3] E. Hugon, p. 68.

Attamen *Card. Billot,* dum agnoscit theoria Cajetani servari tum realem distinctionem suppositi a natura in creatis, tum unionem substantialem Incarnationis, rejicit tamen ut *gratuitum* et inutilem *modum substantialem* quem Vasquez [1] concedit fuisse Sanctis Patribus ignotum, sed " scholastica disputatione non multis abhinc annis inventum ", addit insuper carentiam modi substantialis qui, juxta Cajetanum, in ceteris hominibus esse supponitur, impedire perfectam illam consubstantialitatem quam fides ponit inter Christum et nos.

(c) Juxta Card. Billot, ad constituendam personam duo requiruntur et sufficiunt : *natura intellectualis completa et individua* et *propria* hujus naturæ *existentia.* Recte ergo explicatur unio hypostatica " per hoc quod humanitas sic communicatur Verbo, ut *in illo exsistat* et *non in semetipsa,* quatenus scilicet, esse personale Filii Dei supplet vices creatæ exsistentiae sive proprii actus essendi qui eidem humanitati naturaliter debebatur " [2].

Et hic intelligitur *esse* Verbi secundum quod fungitur munere communicandi subsistentiam seu exsistentiam in se, non autem prout dicit ipsam essentiam seu naturam divinam. " Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro ; simul caro animata rationalis ; *in illo enim, et non per semetipsam habuit exsistentiam,* l·. αὐτω γὰρ, και ου καθ' ἑαυτήν εσχε τήν ὑ-άρ ιν " [3], Accedit auctoritas *S. Joannis Damasceni ;* " Neque enim ut seorsum subsisteret, Dei Verbi caro condita est, aut præter Dei Verbi personam alia facta fuit persona; sed facta est potius ἐνυπο'στατο (id est, in alio exstans), quam seorsum in seipsa substans hypostasis "[4]. *Nullum* igitur *intermedium* fingendum est sive ex parte naturæ sive ex parte personæ inter humanitatem Christi et Verbum. Verbum sibi ipsi immediate assumpsit humanitatem quæ ex hoc facta est sibi intrinsece propria, ita ut Verbum dicat propriissime : *Mea* humanitas, *meum* corpus, *ego* ambulo, *ego* passus sum [5].

[1] *Disp. 41 in ja,n part. Sum. thcol.,* c. 4, n. 22.

[2] Card. Billot, th. VII. Hanc sententiam antea propugnaverant nonnulli *Thomista,* ut *Medina, Guerinois, Salisburgenses;* huic adheerent *Schiffini, Gredt, L. Janssens,* t. IV, p. 625; Michel, ari. *Hypostase* in *D. T. C.,* VII, 423 sq. — [3] Sophronius, *Epistola* lecta et approbata in Concilio VI.

[4] *Dialectica,* c. 43-45, *P. G.,* CXXIV, 614 sq. Expressius idem Damascenus, *De fide orthodoxa,* III·, 22; cf. Journel, 2368.

[5] " Necessarium est ponere talem fuisse unionem Verbi et hominis ut neque ex duabus una natura conflata sit, neque Verbi ad humanam naturam talis

Hæc sententia optime salvat : i) *integritatem naturæ humatus* a Verbo assumptæ; nam actus essendi seu existentia nihil prorsus addit naturæ creatæ nisi ipsam existentiam, proindeque nihil addit, nihil aufert, nihil variat in iis quæ huic naturæ competunt in proprio genere, propria specie propriaque singularitate; 2) *carentiam personalitatis in humana natura* Christi, cum esse personale Verbi suppleat vices actus existentiæ qui assumptæ humanitati debebatur ; 3) *unionem substantialem* inter Verbum et naturam humanam, cum ipsum esse personale Verbi sustentet hanc naturam, ipsi immediate communicando suum proprium esse increatum.

Attamen, juxta Thomistas qui Cajetano adhærent, hæc sententia non satis salvat radicale discrimen inter ea quæ ad lineam *substantia* spectant et ea quæ ordinem *existentiæ* respiciunt.

1023. Judicium de hac controversia. Quatuor præfatæ sententiæ dogmati *catholico* consentaneae sunt; duæ autem priores thomisticæ doctrinae de reali discrimine inter essentiam et existentiam contradicunt; duæ posteriores quoad *substantiam* conveniunt, et consentaneae dici possunt generalibus principiis philosophiæ thomisticæ. Præcipuum discrimen in eo situm est quod, juxta *Cajetanum,* subsistentia requirit non solum *naturam completam et individuam,* sed etiam *modum substantialem,* qui *medius* sit inter naturam individuam et *actum existentiæ,* — dum, juxta *Card. Billot,* duo sufficiunt, nempe *natura individua* et *actus existentiæ.*

Nostri non est hanc litem inter ipsos Thomistas dirimere ;

fuerit unio, sicut est alicujus substantiae, puta hominis, ad exteriora, quæ accidentaliter se habent ad ipsum, ut domus et vestimentum ; sed Verbum in humana natura sicut in sibi propria facta per incarnationem subsistere ponatur, ut et corpus illud vere sit corpus Verbi Dei et similiter anima, et Verbum Dei vere sit homo... Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum *proprium* et *conjunctum,* ut manus ad animam ", S. Thomas, *Sum. cout· Gent.,* lib. IV, cap. XLI. Notentur hæc verba : *proprium* et *conjunctum.* Humanitas scilicet non est tantum *propria* Verbi sicut domus est propria proprietarii; sed est præterea *conjuncta* ad Verbum, non tam ut manus ad animam quæ conjunguntur et naturaliter et personaliter, quam ut 41 sextus digitus " ad animam, quæ conjunguntur tantum personaliter, ut advertit ipse Angelicus.

utraqiie sententia acutum ingenium ostendit, nec sperni potest nisi ab iis qui sanæ philosophiæ sunt jejuni.

Art. II. onsect ia unionis ^lypostati

Ex unione hypostatica duplicis naturæ in Christo multa fluunt consectaria, quorum præcipua sunt :

Ç i° *duplex voluntas* et *operatio ;*

J 2° *unica* autem *filiatio ;*

) 30 *adoratio* Christo debita ;

(40 *communicatio idiomatum* in Christo.

I. De duplici voluntate et operatione in Christo

1024. i° Errores. (A) Humanam voluntatem in Christo negarunt :

1) *Apollinaristæ* (n. 1009) qui putabant Verbum assumpsisse animam sensibilem, non autem *spiritualem,* ideoque nec intellectum nec voluntatem humanam.

2) *Eutychiani,* qui contendebant humanam naturam fuisse veluti absorptam in natura divina.

3) *Monothelitæ,* qui, duce *Sergio* Constantinop. patriarcha, ad bnciliandos Eutychianos, asserebant, unione hypostatica jam peracta, unicam voluntatem et unicam operationem manere in Christo. Cui hæresi strenue se opposuit S. *Sophronius,* tunc monachus Alexandriæ, sed postea ad sedem *Hierosolymitanam* evectus. Sergius autem Papam *Honorium* decepit asserendo multos distinctione duarum voluntatum scandalizari, quia exinde infe- , | rebant_ duas esse in Christo voluntates sibi Invicem contrarias. V Pontifex itaque rescripsit vitandam esse *novitatem vocabuli* quæ / simplicibus scandalum præberet, declaravitque se confiteri " unum ' operatqrçm Dominum Jesum Christum, Filium Dei vivi, operan-"

Quando autem Sophronii legati Romam venerunt, Honorius silentium Sophronio imposuit, aliamque epistolam ad Sergium misit, qua vetatur ""unam vel duas operationes *definientes* prædicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos *unum operatorem* Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo,

1 S. Thom., 3, q. i8, ejusque commentatores; L. Janssens, t. IV, p. 643-702; Card. Billot, th. XXVIII-XXXI; E. Hugon, p. 309-314; Hervé n. 399-403.

' Mansi, *Concilia,* XI, 538; D. B., 251.

ipsas potius *duas naturas*... in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum propria operantes "».

Hac æquivoca scribendi ratione inscius hæresi monothelitarum favebat. Quare concilium œcumenicum VI, *Const.* ***III,*** a. 681, Honorium jam defunctum inter *hæreticos* (i. e., hæresis *fautores}* recensere non dubitavit. Quod decretum approbando, *Leo* ***II*** prædecessorem suum anathematizavit quidem, sed quia fidem subverti permiserata.

(B) Ii omnes qui divinitatem Christi negant, eo ipso divinam ejus voluntatem rejiciunt; sed ex thesi de divinitate Christi confutati manent.

1025. 20 *Thesis :* Duæ sunt in Christo voluntates omnino cîistinctæ, sed semper concordes, duaeque operationes.

De fide est ex Cone. Constantin. ***IIT*** definiente " *duas natu-*

voluntates *non contrarias* " (supra n. 961).

1026. (A) Ex thesibus jam probatis merito *infertur.* (a) *Duplex* est enim *natura integra* in Christo, divina et humana;atqui ad integritatem naturæ intellectualis pertinent voluntas et operatio ; siquidem voluntas est proprietas naturæ, non personæ, ut videtur in mysterio SS. Trinitatis, ubi unica est voluntas, licet tres sint personæ; ergo in Christo duplex est voluntas, (b) Aliunde voluntas a persona movetur, ideoque voluntas humana Christi a persona Verbi movebatur, nec ei unquam contraria esse poterat 3.

1027. (B) *Scriptura* probatur. Evangelium enim agnoscit in Christo, præter volitionem et operationem *divinam,* quam etiam Monothelitæ asserunt in Eo esse, *humanam* voluntatem et operationem : (a) " Descendi de cælo non ut faciam voluntatem *meam* (humanam), sed voluntatem *ejus qui misit me "(f)* " Non *mea* voluntas (humana) sed *tua*

* D. B., 252.

' *Honorii rasus* fusius in *Syn. theol. fund.,* n. 739, exponitur.

3 Juxta S. Thornam, (q. 18, a. 2), præter voluntatem *rationalem,* erat in Christo voluntas *sensualitatis* seu appetitus sensitivus. Utraque fuit voluntati divinæ conformis ; nam in Christo hic appetitus erat rationi subditus.

fiat "(Q atqui in his textibus, *duplex voluntas* exhibetur, scilicet voluntas divina, quæ eadem est in Filio ac in Patre, et voluntas humana, quæ subditur voluntati divinæ. — Hæc autem duplex voluntas *semper* est *concors,* quia voluntas humana semper divinæ subditur ex ipsa *unitate suppositi,* quæ nullam deordinationem patitur, sed exigit ut inferior superiori perfecte subdatur. Unde Christus aiebat : " quia ego quæ placita sunt ei (Deo) facio semper"©

(b) Insuper adest duplex *operatio;* operatio *divina* quando Christus dicit : " Pater meus usque modo operatur et ego operor '^) item quando *miracula* proprio nomine efficit ; operatio *humana,* quando Christus dicit : " Filius hominis non venit ministrari sed *ministrare* '(4j) et quando exhibetur ut esuriens, fatigatus ex itinere, etc. (supra, n. 999).

1028. 30 *Corollarium* de operatione theandrjca. Quamvis duæ sint "in UhrisRT operationes, quia tamen *Verbum regit operationem humanam,* et vicissim *humana operatio specialem* ex *divinitate* sibi unita sortitur *efficaciam,* recte Patres, ad hanc ordinis unitatem exprimendam, dixerunt esse in. Christo operationem *theandricam* seu divinam simul et humanam.

Theandrica igitur operatio ea dicitur quam *Christus perficit per alterutram naturam cum alterius communione.* Quod quidem triplici modo fieri potest : 1) in ordine *perfectionis moralis,* quatenus operatio humana per divinitatem ita regebatur ut esset semper *ordinatissima;* 2) in ordine *efficacia ad extra,* quatenus divinitas humanitate utebatur tanquam instrumento ad *miracula* patranda; 3) in ordine *satisfactionis* et *meriti,* in quantum Verbum, hypostatice naturæ humanæ unitum, efficiebat ut actiones meritoriae et satisfactoriae, ab humana natura elicitae, essent actiones divinæ personæ, et qua tales, *infinitam* quamdam *dignitatem* et *astimabihtatem* haberent : *actiones enim sunt suppositorum* ideoque *dignitatem suppositi* participant.

Quibus praenotatis, aliquod est *discrimen* in modo loquendi atrum et theologorum. (A) Secundum quosdam, *triplex* operationum genus in Christo distinguitur, *divina, humana* et *theandrica :* "Siquidem ut *Deus* tantum operabatur, quando absens centurionis filium sanabat (operatio *divina}* ; ut *homo* tantum, etsi Deus erat, quando comedebat et tristabatur (operatio *humana)·,*

l *Luc.,* XXII, 42. — '*foan.,* VIII, 29.
'*Joan.,* V, 17. — 4 *Matth.,* XX, 28.

mixtim autem operabatur miracula, cæci oculos illiniendo restituens (operatio *theandrica* seu *deivirilis)* " *.

B) Alii, considerantes et naturas et personam Christi, dicunt bsolute " omnem humanam operationem in Christo fuisse theanricam"; unde in Christo distinguunt tantum operationem *divinam* et operationem *theandricam* a. Quibus præluserat S. *Damascenus* dicens : " Nihil ahud theandrica operatio declarat, quam quod Deo facto homine, hoc est, incarnato, *humana quaque ipsius actio* divina erat sive deificata, nec divinæ ipsius operationis expers... "3. — Revera quaelibet operatio Christi humana, etiam comestio et dormitio, erat et divina ratione hypostasis.

Conclusio. Ad litem componendam dici potest operationem theandricam duplici sensu intelligi posse : *litterali sensu,* quando *utraque natura* suo modo concurrit, v. g., in *miraculis* in quibus natura divina morbos sanat, concurrente tamen natura humana contactu sive physico (manus impositione) aut morali (oratione); *alio sensu* quando intervenit persona divina ad communicandam 'operationibus humanæ naturæ dignitatem infinitam, prout fit in meritis Christi. — Unde S. Maximus et S. Damascenus non proprie sibi adversantur, sed sub diverso respectu rem considerant.

II. De unica filiatione in Christo.

1029. *Errores.* Sæculo VIII®, *Adoptiani,* nempe *Elipendus,* arch. *Toletanus,* et *Felix,* ep. *Urgellensis,* duplicem in Christo filiationem distinguentes, fatebantur quidem Verbum vere esse Dei Filium per naturam, simul vero contendebant *filium Maria* non esse *Filium Dei* natura, sed tantum *adoptione* et *gratia.* Contra quos sit sequens thesis.

1030. *Thesis :* Christus, etiam ut hic homo, est Filius Dei naturalis, nec ulla ratione dici potest adoptivus 4.

i° Est *filius Dei naturalis. De fide est,* contra Adoptianos, ex *professione fidei* Mich. Paleologi, ipsi in *C. Lugdunensi IIe* a Gregorio X° proposita : " Credimus ipsum

UIA Maximus M., *//14 Dionys. Areop. epistolam.* Cfr. Petavius, 1. VIII, 7-I3TStenirup, th. 51-53; Hurter, η. 554-558.

' Card. Billot, edit. 6», p. 323.

3 *Defide orthodoxa,* III, 19, *P. G.,* 10S0; Journel, 2366.

* Cf. S. Thom., q. 23, a. 4; Petavius, 1. VII, c. 1-15; Legrand, diss. X, c. 5; Stentrup, th. 39-41; Franzelin, th. 38; Card. Billot, th. XXXV; E. Hugon, p. 349-355-

Filium Dei, aeternaliter natum de Patre... temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria semper Virgine... *non adoptivum*... sed *unum et unicum Filium Dei* in duabus et ex duabus naturis ",

Quod ut intelligatur, sciendum est filium *per naturam* eum dici, qui vere genitus est ab eo cujus appellatur filius; filium autem *adoptivum* eum qui, cum sit persona extranea, a patre adoptante non genita, ex mera benevolentia in adoptantis familiam suscipitur. In thesi dicimus " Christus ut *hic homo* ", id est, Christus spectatus ut *persona Verbi subsistens in natura humana,* nam pronomen demonstrativum designat personam. Non autem dicimus : " Christus ut homo ", quia talis expressio esset æquivoca et significare posset naturam humanam esse vere genitam a Patre; quod est hæreticum.

Prob. (A) Ex dictis Christus, ut hic homo, non est persona a Verbo distincta, sed Verbum hypostatice unitum humanæ naturæ; atqui Verbum, sese uniendo humanæ naturæ, non cessat esse Filius Dei per nâfuram; ergo Christus, ut hic homo, est Filius Dei per naturam r. Filiatio enim proprie convenit hypostasi seu *personæ,* non autem naturæ : nam *actiones et passiones sunt suppositorum.*

(B) Christus in Scriptura, spectatus ut hic homo, idem omnino est ac Verbum caro factum, et merito vocatur Filius Dei *unigenitus* 2, *proprius* 3 : "qui *proprio* Filio suo non pepercit " ; *verus* 4 : " Filius Dei venit ut cognoscamus verum Deum et simus in *vero Filio* ejus"; nusquam vero filius adoptivus.

(C) *C. Ephesinum* jam definierat " Christum esse veraciter Deum tanquam Filium per naturam ". *Francofordense* (794), errores Adoptianorum rejiciendo, merito declaravit : " Si ergo Deus verus est qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum " 5.

' S. Thom., 1. c.

3 *Joan.*, III, 16. — 3 *Itorn.*, VIII, 32.

4 *Joan.*, V, 20. — 5 D. B., 311, 313; Cf. *C. Lugdun. II,* D. B., 462.

1031. 2° *Non potest dici adoptivus.* Pauci theologi, post *Scotum* et *Durandum,* docuerunt Christum vocari posse *filium Dei adoptivum ratione humanæ naturæ;* non quidem negarunt Christum, ut *hunc hominem,* esse Filium Dei naturalem, ac proinde distinguuntur ab Adoptianis, sed dixerunt Christum ut hominem posse vocari etiam Filium Dei adoptivum secundum quid, seu secundum humanitatem, quatenus ejus natura humana ornata fuit gratia sanctificante, quæ nos facit filios Dei adoptivos *. Quæ sententia non est hæretica, quia non fuit sub hac forma a conciliis damnata, sed ut falsa et *erronea* merito rejicitur, nam : (a) Nunquam Christus ut Filius Dei adoptivus exhibetur sive in Scriptura sive in Patribus : jamvero in mysteriis fidei non licet a communi usu loquendi recedere; ergo, (b) Insuper filiatio convenit proprie personæ, non naturæ : actiones enim et passiones sunt proprie suppositi ; atqui unica est persona in Christo, scilicet persona Verbi, cui sane cqnvenit erga Deum filiatio naturalis, non autem adoptiva, (c) Adoptio est assumptio personæ *extraneæ* in familiam propriam; atqui Christus non potest vocari persona Deo extranea, cum sit Verbum Deo consubstantiale. Ergo non potest adoptari.

1032. Hinc intelligi datur quo sensu Christus dici possit *creatura,* vel *servusa.* Siquidem Christus homo considerari potest secundum *essentiam,* vel secundum *subsistentiam* seu *personam.* (a) *Priori* modo consideratus, Christus homo potest dici *creatus,* ratione scilicet humanæ naturæ ; stricte loquendo potest etiam dici *creatura,* quatenus ejus humana natura vere creatura est, sed quia Ariani hoc modo loquendi abusi sunt, vitari debet. Item dici potest *servus lato sensu,* quatenus fuit divinæ voluntati subjectus, et ipsi in omnibus obtemperare voluit; *non autem servus stricto sensu,* quia servus proprie est persona quæ alieni juris est, non sui, et nullum jus habet ad domini hereditatem : quod certe Christo non competit (b) *Posteriori* autem modo consideratus, secundum subsistentiam, neque creatura neque servus dici potest, cum sit Filius Dei naturalis, Patri coaequalis.

1033. 3° *Christus autem merito dicitur preedestinatus.* Etenim r *Toletanum XI* id aperte declarat 3 : " Hic (Chri-

' E. Portalié, *Adoptianisme,* in *Diet, de Thiol. {Vacant},* L I, 418.

² Cf. S. Thom., q. 16, a. 8, io;q. -20, a. I; Petavius, L VII, c. 6-9; Legrand, diss. X, c. 4; Stentrup, th. 37, p. 647 sq. — 3 D. B., 2S5.

stus) per hoc quod *de Deo Patre* sine initio prodiit, *natus tantum*› nam neque factus neque prædestinatus accipitur; per hoc tamen quod *de Maria Virgine* natus est, et natus et factus et *prædestinatus esse credendus est*".

Sensus est : persona Christi prout *subsistit in natura humana* prædestinata fuit ad *filiationem divinam* et *consequenter ad salutem :* in aliis hominibus prædestinatio fit ad æternam beatitudinem ; sed in Christo prædestinatio fit prius ad divinam filiationem : ex hac enim fluunt omnia dona gratiæ et gloriæ.

Prædestinatio Christi est *exemplar* nostræ prædestinationis dupliciter : i) quoad *bonum* ad quod prædestinamur, nam filiatio naturalis ad quam prædestinatur Christus est exemolar filiationis nostræ adoptivæ; 2) quoad *modum :* sicut natura humana in Christo unita fuit Verbo nullis præcedentibus meritis, ita nostra prædestinatio fit absque prævііs meritis *.

III. De unica Christi adoratione[2].

Cum Christus sit vere et unice Filius Dei, ei debetur adoratio proprie dicta.

1034. Σ° **Errores.** Circa cultum Christi humanitati reddendum errarunt : (a) quidam *Nestoriani,* qui unionem hypostaticam negantes, eo ipso adorationem proprie dictam Christo homini tribuendam esse negarunt; (b) *Wicleffus,* qui contendebat humanitati Christi, si per impossibile a Verbo sejungeretur, divinum cultum tribuendum esse; (c) tandem quidam inter *Nestorianos* et *Socinianos* qui, etsi negabant divinitatem Christi, asserebant cultum latriæ ipsi deberi, ut Dei legato.

1035.[20] *Thesis :* **Christus, ut hic homo, est adorandus, *seu* humana Christi natura, quatenus hypostatice Verbo conjuncta, una et eadem adoratione cum eodem Verbo est colenda.** *De fide,* ex *C. Constant.* ***II*** (553) definiente : " Si quis... non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, juxta quod Sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit "[3].

' S. Th., 3, q. 24, ejusque commentatores.

[2] S. Thom., q. 25; Card. Billot, th. XXXVII; E. Hugon, p. 359-364: L. Janssens, p. 804-806. — [3] D. B., 221.

Explicatur : Duo sunt distinguenda in hoc cultu : (a) *objectum materiale,* seu ipsa humana natura Christi, non in abstracto considerata, sed in *concreto,* seu quatenus actualiter et personaliter unita \rerbo. (b) *Motivum* seu *objectum formale,* scilicet unio hypostatica hujus naturæ cum persona Verbi : proinde humanitas Christi adoratur quidem *in se, non autem propter se,* sed propter Verbum quod humanitatem terminat, seu, ut ait *Card. Billot,* " *in ejus hypostasi et ipsa coadoratur humanitas* ".

1036. *Probatur.* (A) *Script.* "Omne judicium dedit Filio, ut *omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* " *; "Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu *omne genu flectatur* cælestium, terrestrium et infernorum"2; "Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : et *adorent eum* omnes Angeli Dei " 3. In quibus textibus tria aperte traduntur : (a) conferendos esse honores divinos Christo; (b) et quidem ut homini, accipienti scilicet potestatem judicandi, exinanito, oboedienti ; (c) ita tamen ut directe coadoretur cum natura humana persona Filii, Jesu, Primogeniti.

(B) *Trad,* (a) ex *Patribus :* " (Christum) utpote Filium Dei adoramus", aiebant testes *martyrii S. Polycarpi* ;* "Nostra profecto gratia et gloria est quod etiam homo factus Dei Filius adoretur ", scribit S. *Athanasius* s ; et alibi 6 " Nos creaturam neutiquam adoramus... sed Dominum creaturæ *incarnatum Dei Verbum adbramus.* Quamvis enim ipsa caro per sese pars est rerum creatarum, tamen Dei corpus est facta. At neque corpus ejusmodi a Verbo dividentes, adoramus : neque Verbum adorare volentes, ipsum a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, idem Verbum etiam in carne positum Deum agnoscimus ". (b) Ex *Conciliis,* videlicet *Ephesino,* can. 8, supra, n. 956 et *Nicceno* ***II*** (act. 5), ubi dicitur : " Cum Christus adoratur, non separatur humanitas a divinitate, sed *utraque ut unum adoratur".* — Huic accedit damnatio propositionis Synodi *Pistoriensis* asserentis " adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ " 7.

'Joan., V, 23. — ' *Philip.,* II, 9-10.
3 *Hebr.,* I, 6. — 4 Journel, 81.
5 *Adv. Arianos,* Orat. I, 42; Journel, 762.
6 *Ep. ad Adelph.,* n. 3, *P. G.,* XXVI, 1073; Journel, 795.
' D. B., 120, 1561.

(C) *Rat. theol.* Adoratio proprie *toti* et *solipersonæ* defertur, vi axiomatis; actiones et passiones sunt suppositorum. Atqui in Christo una tantum est persona, et proinde una res adoranda, videlicet Verbum in utraque natura, divina et humana, subsistens. Ergo una eademque adoratio *toti Christo* reddi debet, Verbo quidem *in se* et *propter se,* humanæ autem naturæ *in se,* sed propter Verbum.

1037. 3° *Corollaria :* (A) Omnes et singulæ partes humanæ naturæ Christi possunt cultu latriæ adorari, quia omnes sunt æque Verbo hypostatice unitæ : non tamen expedit ut singulis partibus specialis cultus exhibeatur, nisi specialis adsit ratio, ne incredulorum irrisioni locus detur. (B) Præter hunc latriæ cultum, *non debet ejus humanitati, seorsim spedatce, tribui cultus inferioris ordinis* propter finitam ejus excellentiam. Ita *communiter* contra *Suarezium ;* nam cultus directe ad personam tendit, nec in natura sistit; jam vero cultus personæ Christi conveniens, est cultus latriæ, non autem cultus inferioris ordinis. — Posset quidem per abstractionem considerari humanitas Christi; sed hæc abstractio est operatio mentis sine realitate objectiva.

IV. De communicatione idiomatum [*].

1038. i° Status quæstionis. (A) *Notio.* Nomine *idiomatum* (a græca voce totov, proprium) designantur *attributa* seu *proprietates* quæ de aliqua persona aut natura prædicari possunt. *Idiomatum communicatio* est igitur naturæ divinæ et humanæ earumque proprietatum de se invicem mutua prædicatio. Hujus *radix* est in Christo *imitaspersonæ* quæ in utraque natura subsistens utriusque attributa suscipit, et ita homini tribuuntur quæ sunt Dei, Deo tribuuntur quæ sunt hominis, et uni eidemque Christo tribuuntur humanæ divinæque proprietates. Ita dicere licet : *hic homo* (Christus) *est Deus, — Deus est homo, — Christus est creator et mortuus est.*

(B) *Errores.* (a) *Nestoriani,* duas personas admittentes in Christo, eo ipso communicationem idiomatum negant aut pervertunt; (b) *Eutychiani,* unam naturam in Christo post unionem agnoscentes, hanc communicationem adulterant, uni *naturæ* tribuentes prædicata alterius; (c) *Ubiquistæ* falso ex Incarnatione inferunt corpus Christi esse omnipræsens.

[*] S. Th., q. i6, etc. p. 723.

1039. 20 *Thesis :* Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto, non vero in abstracto «. Certum est.

1040. *Probatur.* (A) *Auctoritate :* constat ex omnibus textibus Scripturae et Traditionis jam allegatis in tertia thesi, nn. 1001 sq., in quibus hic modus loquendi adhibetur3.

(B) *Ratio theologica* ex ipsa unione hypostatica desumitur. Ubi est una persona in duabus naturis, naturæ et naturarum proprietates possunt de se invicem prædicari *in concreto,* quia nomina *concreta* significant, cum proprietate sive substantiali sive accidentali, *suppositum* seu *personam.* Atqui in Christo est una persona in duabus naturis. Ergo de illis prædicari possunt *in concreto* quælibet proprietates quæ personæ Verbi incarnati tum ex parte naturæ divinæ, tum ex parte naturæ humanæ conveniunt.

Ita quando dicitur : *Homo est Deus,* idem est ac si diceretur : persona Verbi quæ naturæ humanæ hypostatice unitur, est Deus. Nomina vero *abstracta,* cum significent proprietatem tantum, non possunt ita adhiberi : qui, v. g., diceret : *Humanitas* est *Divinitas,* est *Deus,* enuntiaret falsissimum, scilicet naturam humanam esse ipsam naturam divinam.

1041.30 Regulæ practicæ. (A) *Legitima est communicatio idiomatum in concreto,* ut probavimus. Attamen huic regulæ dantur exceptiones, sed *apparentes* tantum. Ita : (aj nomina concreta adjectiva, quæ *derivata* appellantur, ut *divinus, humanus,* minus accurate dicuntur de Christo et de se invicem; v. g., Christus minus recte dicitur esse *divinus, dominicus, deifer;* nam talia nomina non stricte exprimunt veras et genuinas proprietates Verbi incarnati, sed harum proprietatum participationes, quasi diceretur Christum esse Deum vel Dominum per participationem, (b) Pariter non potest dici : " hic homo factus est Deus ", quia sic declararetur aliquam personam humanam prius exstitisse, et postea divinam factam fuisse; quod falsum est. (c) Nomina concreta quæ *reduplicantur,* v. g., Christus *quatenus homo,* est Deus, falsum exprimunt; nam hujusmodi reduplicatio, jam non personam sed

' Cf. S. Th., q. 16; Petavius, 1. IV, c. 15-16 ; Suarez, disp. 35 ; Salmant, disp. 26 ; Legrand, diss. VI, c. 4, a. 2; Card. Billot, th. XXV ; E. Hugon, p. 29S-304.

a *Concreti* dicuntur termini qui proprietatem designant quatenus in aliquo subjecto existit, v. g., homo, Deus, mortalis ; *abstracti* vero qui proprietatem significant *in se,* prout a subjecto separatam, quales sunt humanitas, divinitas, etc

solani naturam designat, nisi corrigatur per pronomen personale, ut " hic homo ". (d) Nomina etiam concreta, quæ hæresi favent, sunt reprobanda : v. g., dici non debet, Christus est creatura, quia, licet illa propositio sit aliquo modo vera, tamen hæresi arianæ favet. Item Hormisdas approbare noluit hanc formulam : " Unus de Trinitate crucifixus est ", quia, licet in se vera, hæresi *Theopaschilaritm* favebat, qui dicebant naturam divinam passam fuisse [1]; postea tamen a Concilio Constantinopolitano II recepta fuit.

(B) Nomina *abstracta* naturæ humanæ de persona Christi prædicari nequeunt; dici non debet, v. g., Christus est humanitas, quia natura humana, licet Verbo unita, ab eo tamen distinguitur. Nomina vero abstracta divinæ naturæ possunt de persona Christi prædicari, quia in Deo qualitates abstractæ cum divinis personis identificantur, v. g., dici potest : " Christus est divinitas, est omnipotentia, vita ", etc.

1042. 4° Corollarium : *Error Ubiquistarum rejiciendus est. Lutherus,* sub praetextu communicationis idiomatum, asseruit quædam divina attributa, præsertim vero *ubiquitatem,* communicata fuisse humanæ Christi naturæ; quod quidem excogitavit præsertim ad explicandam multiplicem Christi præsentiam in Eucharistia. Hodie tamen hic error etiam a Protestantibus rejicitur. Et merito; vani enim Scripturae textus exhibent Christum transeuntem de loco in locum, et ostendunt illum esse in tali loco et non in alio; ita dicitur : "Si fuisses *hic,* frater meus non fuisset mortuus"[2]. Jesum qui crucifixus est, quaeritis, non *est hic"*[3]. Praeterea, si Christi humana natura divinis attributis gaudeat, omniscientia, immensitate, omnipotentia, tunc non est amplius humana natura, quæ necessario finita est et limitata, sed jam conversa est in naturam divinam, et sic renovatur error Eutychianorum. Aliunde nec potest hoc modo explicari dogma præsentiæ realis; nam si Christi corpus ideo est in Eucharistia quia est ubique, nulla specialiori ratione est sub speciebus consecratis quam in quolibet alio loco [4].

[1] De hac formula vide Petavium, l. V, c. 2-3; Legrand, l. c., p. 647 sq. ; ex documentis ab his auctoribus citatis, constare videtur monachos scythas, qui hunc dicendi modum propugnabant, ab errore eutychiano immunes fuisse. *Theopaschitæ,* addendo verba " *qui crucifixus est pro nobis"* sacro Trisagion hymno " Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis ", qui ex usu recepto ad Trinitatem dirigitur, eo ipso passionem toti Trinitati tribuebant.

[2] *Joan.,* XI, 21.

[3] *Matth.,* XXVIII, 6.

[4] Cf. Petavius, l. X, c. 7-10; Legrand, l. c., p. 65S sq. ; Schaff*, *Creeds of Christendom,* vol. I, p. 285 sq., 322 sq.

Art. III. Concordia unionis hypostaticae cum ratione [1].

1043. Status quaestionis. Post demonstratam existentiam unionis hypostaticae, et jam expositis ejus consectariis, inquirere licet quodnam judicium de hoc mysterio ratio ferat. Jam vero communi consensu theologi concedunt Incarnationis *factum* et *possibilitatem, solius rationis ope, cognosci aut demonstrari non posse;* est enim mysterium "absconditum a saeculis et generationibus" [2] quod sola ratione neque a priori neque a posteriori probari potest. Attamen demonstrari nequit hoc mysterium rationi repugnare, quidquid in contrarium dicunt *Rationalisiez* et *Liberales* [3]; sed, *posita revelatione,* potest analogiis illustrari et convenientiae argumentis suaderi, ut in secunda thesi probabimus. Unde duplex erit thesis.

1044. *Thesis I* :* Demonstrari nequit unionem hypostaticam rectæ rationi ullo modo repugnare. *Certum est.*

Si enim repugnaret, illud esset vel ex parte *Verbi,* vel ex parte *naturæ humanæ,* vel tandem ex parte *unionis hypostatice?;* atqui nullum ex his dici potest.

i° Non repugnat *ex parte Verbi.* In tantum repugnaret in quantum Verbum vices personalitatis humanae supplere non valeret sine aliqua sui mutatione. Atqui non est ita; nam personalitas Verbi est infinita, et continet eminenter omnes i) perfectiones personalitatis creatae; potest ergo supplere vices personalitatis humanæ. 2) Aliunde assumendo naturam humanam, non amittit perfectiones suas, non mutatur intrinsece, sed solum ad se elevat et nobilitat humanam naturam : item, omnes mutationes et passiones, quæ in Christo fuerunt, ut fames, sitis, dolor, humanam naturam, non divinam afficiebant [4].

[1] Cf. S. Thom., 3 p., q. 1, a. 1-2; Suarez, disp. 3, disp. 8, s. 4; Gonet, *Clypeus,* de Deo Incarnato, disp. II-ΠI; Legrand, disp. I; Card. Billot, th. I-IV; E. Hugoü, L III, p. 2-18. — [2] *Colors.,* I, 26; *Ephes.,* III, 8.

* *Liberalium* argumenta exponit F. Clarke*, *Orthodoxy, c. VIII,* § 3, p. 203 sq.; præcipua infra soluta invenies.

[4] Hinc intelligi datur quo vitio laborent difficultates ab *Uniteriis propositae (E Clarke, l. cit.).* *Dicunt* siquidem Deum infinitum, qui totum *repletae sus-*

1045. *Objicitur* quidem (a) mysterium Incarnationis opponi *immutabilitati* Verbi. — *Resp. :* Non magis mutatur Verbum per Incarnationem quam Deus per creationem; siquidem Verbum remanet intrinsece idem, solummodo ad se elevat et sub dominio suo personali constituit aliquam naturam creatam; tota igitur mutatio facta est in natura humana, quæ fuit assumpta in consortium divinæ naturæ ; v. g., quando Verbum dicitur in utero Virginis conceptum, natum, passum, mortuum, hæc omnia in natura humana a Verbo assumpta contigerunt, non autem in natura divina, quæ immutabilis est.

Nec dicatur per Incarnationem Verbum *intrinsecefieri hominem,* proindeque mutari; nam in seipso nihil novi accepit, tanquam sibi inhærens, sed solummodo terminavit ac complevit humanam naturam, ipsi communicando suam personalitatem; proinde tota mutatio facta est in humana natura, quæ ex tali unione realem relationem cum Verbo [1] et multas dotes acquisivit, non autem in persona Verbi, quæ, cum sit infinita omnesque perfectiones in se contineat, nihil novi acquisivit. Jamvero, ut profunde animadvertit S. *Thomas* [2], ea quæ *relative* dicuntur possunt de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione, sicut homo de novo fit dexter, absque sui mutatione, per motum illius qui fit ei sinister. Atqui Verbum fit homo ratione unionis, quæ est *relatio* quædam, ideoque absque sui mutatione : mutatio enim tota est in humana natura, quæ in divinam personam assumitur. Quod sic declarari potest : Verbum, quod a tota æternitate divinam naturam terminabat, jam a primo instanti Incarnationis incœpit humanam naturam terminare : quod quidem naturam humanam valde perficit, nil autem Verbo addit : sicut enim soli nulla perfectio accrescit quando radiis suis illuminare incipit novam terræ partem, ita pariter Verbum non perficitur dum personaliter regere incipit humanam naturam [3].

tentât orbem, in Palaestina nasci non potuisse : quis enim orbis curam gerebat, dum Deus infans in Virginis Mariæ ulnis ferebatur? Aliunde Jesus natus et mortuus est, famem et sitim passus est ; jamvero Deus impassibilis est. Hæc et alia hujusmodi falso innituntur supposito quod Verbum, dum homo factus est, cessaverit esse Deus : quod concedi videtur a quibusdam Protestantibus ac proinde contra eos urgeri potest, sed a Catholicis omnino rejicitur, ut infra explicite dicemus, n. 1055. Falso pariter nituntur supposito quæ scribit P. Janet, *Lesproblèmes du XIX* siècle,* La religion : " Entendue à la lettre, la doctrine de l'incarnation est une contradiction dans les termes, et Spinoza a pu dire qu'un Dieu fait homme n'est pas plus intelligible qu'un cercle qui se ferait carré

[1] Relatio qua Verbum refertur ad humanitatem non est realis ex parte Verbi, quia nihil novi Ei confert; sed est realis ex parte humanæ naturæ, quæ per unionem hypostaticam maxime perficitur.

[2] *Sunt. theol.·,* 3, q. 16, a. 6, ad 2.

[3] Simili comparatione utitur S. Bonaventura (Zw *3 Sent.,* dist. 1, a. 1, Si enim crystallus superinduatur radio domum jam illuminanti, crys-

1046.(b) Illud mysterium obstat *simplicitati* Verbi, quia tunc Verbum fit pars compositi. *Jlesp. :* Nego, nam Verbum non fit pars *proprie dicta* compositi, cum in se possideat totam perfectionem illius compositi, sed solum *pars improprie dicta,* eo sensu quod Verbum in se possidet duas naturas, quarum divina est ipsi essentialis, humana autem præter essentiam, et ita ei accedens ut nullam mutationem inferat: sic persona Verbi simplicissima in se remanet.

(c) Incarnatio Verbi obstat tum *circuminsessioni* trium divinarum personarum : vi enim illius circuminsessionis, Verbum non potest incarnari quin Pater et Spiritus incarnentur; tum principio jam admisso superius, quod omnis operatio *ad extra* tribus personis communis est. *lesp. :* Nego; 1) nam tres divinæ personæ sunt distinctæ, et una potest possidere *personaliter* humanam naturam, sine aliis; circuminsessio efficit solummodo ut Pater et Spiritus modo ac titulo speciali habitent in humana natura Christi, non autem ut eidem uniantur personaliter. 2) In *Incarnatione,* tres divinæ personæ ad unionem faciendam *active* quidem concurrunt, in quantum hic est actus *ad extra;* sed *una persona,* scilicet persona \rerbi incarnatur, quia *terminare* naturam humanam est actus *personalis.*

1047.2° Non repugnat *ex parte naturæ humana :* In tantum enim repugnaret, in quantum Verbum non posset sibi assumere naturam humanam, quin hæc personalitatem humanam amittat. Atqui non est ita ; natura enim humana, quæ ipso Incarnationis instanti a Verbo in unitatem personæ assumitur, non amittit personalitatem quam nunquam habuit; sed, integra manens ex parte naturæ, elevatur ad superiorem personalitatem[1]. (Cf. n. 1020-1022).

1048.30 Non repugnat ex parte *unionis hypostatica;* talis enim unio, licet conceptu difficilis, impossibilis dici nequit; nam si in homine duæ substantiæ tam diversæ, et primo intuitu tam oppositæ, substantia scilicet spiritualis et

talius illuminari dicitur et a radio pertransiri et ei copulari absque mutatione facta ex parte radii, sed solum ex parte crystalli : sic suo modo, sed longe spiritualius intelligendum est in natura assumpta et persona Verbi. ”

1 Ad rem S. Thom., 3, q. 2, a. 2, ad 2 : “ Dignius autem est alicui, quod existât in aliquo se digniore, quam quod existât per se ; et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi; sicut etiam esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formæ, tamen sensitivum nobilius est in homine propter conjunctionem ad nobiliorem formam completivam, quam sit in bruto animali, in quo est forma completiva

corporalis, corpus et anima, tam intime uniri possunt ut unam naturam et unam personam efibrment, quis dicere audebit Deo impossibile esse naturam divinam et naturam humanam in unam personam coadunare? Nonrie omnia possibilia sunt apud Deum, quæ non sibi invicem contradicunt?

Objicitur : Inter ea quæ uniuntur requiritur proportio; atqui nulla est proportio inter Verbum et naturam humanam. — *Resp. :* Nulla est proportio *aqualitatis,* concedo; nulla est proportio *ordinis,* nego; nam inter Verbum et naturam humanam adest proportio quæ existit inter perfectum et perfectibile, et hoc sufficit ut unio sit possibilis ; nam, ut ait 5. *Thomas* [1], " quod est perfectum in se non unitur alteri ad acquirendam, sed ad communicandam perfectionem. Et sic Deus homini uniri voluit non propter se, quia non habet quo crescat ejus perfectio, sed propter hominem, cui subveniendum erat ".

1049. *Thesis 2a :* Posita revelatione, ratio ostendere potest unionem hypostaticam valde convenire ex parte Dei, ex parte hominis; et ratione temporis quo facta fuit[2].

i° Ex parte *Dei.* Illud enim convenit ex parte Dei quod ejus attributa manifestat; atqui unio hypostatica optime manifestat attributa Dei, præsertim ejus bonitatem, sapientiam, justitiam et potentiam :

(a) *Bonitatem ;* cum enim Deus sit *bonum sui diffusivum,* largitur non solum optima dona, ut in creatione et justificatione, sed et unigenitum Filium suum : " Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret "[3].

Quæ quidem bonitas melius intelligetur, si consideratur : i) *quis* donum illud præstiterit, Deus videlicet, qui nulla re indiget et sola misericordia motus est; 2) *quid* dederit? Filium suum unigenitum, sibi carissimum sibique coæqualem; 3) *quibusl* Hominibus peccatoribus : " Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est "*; 4) *quomodot* Modo perfectissimo,

[1] *In 3 Sentent.,* dist. I, q. I, a. I, ad 2.

[a] S. Thom., 3. q. 1, a. I, 2; *C. Gent.,* 1. IV, c. 54; Gonet, disp. III, a. 1 ; Billot, th. 2; Satolli, p. 9 sq. ; Landriot, 5-6° Confér. ; Monsabré, *Conftr. de N. Dame,* 1877, 25e Conf. ; Schwalm, *Le Christ,* p. 11-36.

[3] *Joan.,* III, 16. — * *Rom.,* V, 8.

eum intrinsece uniendo humanæ naturæ; 5) *quofine!* Ut nos ab omni peccato redimeret : " Qui dedit senietipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum " Hinc cum 5. *Bernardo*'3 exclamare licet : " Quanto minorem se fecit in humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate; et quanto pro me vilior, tanto mihi carior est ",

(b) *Sapientiam* et *justitiam,* quia per unionem hypostaticam, Deus optimum medium invenit *conciliandijustitiis et misericordiæ jura,* exigendo, ex una parte, perfectam satisfactionem pro peccato, et ex altera, parcendo homini peccatori, juxta illud : " justitia et pax osculatæ sunt " 3.

Nam qui pro peccato hominum satisfacit, cum sit unus ex hominibus, pro hominibus constituitur legatus et caput, et cum sit Deus, reparationem infiniti valons pro culpa hominum offert, ut fusius ostendetur ubi de Redemptione.

(C) *Potentiam,* quæ manifestatur in unione duarum naturarum quæ *tantum distant,* et *tam arcte* conjunguntur, licet *distincta* maneant.

Ad rem S. *Leo* :* " Tanto foedere utramque naturam conseruit, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio Et in celebri *Epist. dogmat. ad Flavianum :* " In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, *totus in suis, totus in nostris* ". Potentia exhibetur in mirabilibus quæ hanc unionem sequuntur : siquidem Deus fit homo,.Ætemus , nascitur in tempore, Immortalis moritur, Mortuus seipsum resuscitat, etc.; hæc enim omnia divinam potentiam sane ostendunt.

1050. 20 Ex parte *hominis.* Illud enim convenit quod hominem promovet in bonum, removet a malo et desiderium ejus implet *intimee cum Deo unionis.* Atqui unio hypostatica : (A) promovet hominem *in bonum :*

(a) *Fidem magis certifitando :* nam fides nostra non solum testimonio prophetarum, sed etiam *testimonio Filii Dei* innititur5, (b) *Spem erigendo :* nam per unionem hypostaticam facti sumus " heredes quidem Dei, coheredes autem Christi " 6. (c) *Caritatem excitando;* nam Deus maximum amoris signum nobis exhibet, pro-

l Tit., II, 14. — ' *Serm. I in Epiph.,* n. 2. — 3 *ps.* LXXXIV, II.
« *Serm.* XXI (Z. *de Naiivit.), P. L.,* LIV, 192; Denz., 143 (132), 257 (205).
5 *Hebr.,* I, 1-2 : " Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in *prophetis,* novissime diebus istis locutus est nobis in *Filio...* "
' *Pom.,* VIII, 17.

prium Filium donando; et proinde unio Verbi cum natura nostra nos ad amorem divinum promovet, juxta illud : " sic nos amantem quis non redamaret?" (d) *Omnium virtutum nobis prcebendo exemplum,* juxta illud : " Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis"1; siquidem optimum hominum exemplar debet esse simul *visibile* et *perfectum;* Deus autem in sua natura est quidem perfectissimus, sed non visibilis ; homo est visibilis, sed imperfectus et peccabilis; at Deus factus est homo, ut perfectum esset exemplar. Hinc egregie ait *Augustinus* :* "Homo sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat; ut ergo exhiberetur homini et qui videretur ab homine, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo " 3.

(B) Removet etiam hominem *a malo* seu *peccato :*

(a) Eum instruendo de *propria dignitate,* juxta illud S. *Leonis* 4 : "Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Noli te diaboli iterum servituti subjicere, quia pretium tuum sanguis Christi est, qui veritate te judicabit, qui misericordia te redemit", (b) Homines etiam docendo *peccati fœditatem* et malitiam, quæ tanto remedio indiguit; (c) eos a*prasumptione et superbia* removendo, quæ sunt peccati causæ : quis enim superbiret, humilitatem Filii Dei considerando?

(C) Desiderium implet *intima cum Deo unionis :* hoc enim desiderium in omnibus religionibus expressum, optime impletur in *ipso Christo,* cujus humana natura ad dignitatem divinæ personæ evehitur, et in ejus *discipulis* aliquo modo, qui sunt membra corporis mystici Christi 5. Insuper cum homine, qui est quoddam universi compendium, orbis universus nobilitatur : " Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei " 6.

**Joan.,* XXIII, 15. — 1 *Serm. 52 de diversis.*

3 Immerito contendunt Unitarii exempla Christi minus efficacia esse eo quod Deus dicatur ; nam verus est homo et condolere potest iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate *{Hebr.,* V, 2). Cf. Liddon, *op. at.,* lect. 8, p. 494 sq. — Vide JourneI, n. 412 Indicis theol.

4 *Serm. cit.,* c. 3, *P. L.,* L1V, 192; JourneI, 2193.

5 Cfr. M. d'Hulst, *Conf, de N. Dame,* 1895, Retraite. Pariter DD. Bougaud, *Le Christianisme et les temps présents,* t. III, p. 327 sq., ostendit quomodo Incarnatio respondeat desiderio quod hominibus inest videndi et veluti contrectandi Deum. — 6 Z *Cor.,* III, 22-23.

1051. 3° Ex parte *temporis.* (A) Cum vero tanta bona ex unione hypostatica nobis accreverint, inquiri potest cur Verbum incarnatum non fuerit statim post lapsum. Hoc ex voluntate Dei pendet; attamen proponi possunt, post 5. *Thomam,* argumenta convenientiæ [1] : (a) ex parte *hominis :* decebat enim ut homo, qui ex superbia peccaverat, humiliter agnosceret se liberatore indigere; atqui si Christus statim post peccatum venisset, homo talem indigentiam non agnovisset, dum e contra, dilata Incarnatione, homo suam infirmitatem melius cognoscere potuit, ad medicum clamare et gratiæ quaerere auxilium; (b) ex parte *Verbi :* decebat enim ut Verbum propter suam dignitatem, longo praeconum et prophetarum agmine præcederetur; (c) ex parte *Ecclesia,* ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret, cum paulatim refrigescat caritas multorum.

(B) Nec tamen debuit unio hypostatica *differri usque adfinem mundi;* nam (a) Verbum est causa efficiens nostrae salutis : atqui non decebat opus redemptionis usque ad finem mundi differri; (b) Christus eo tempore venire debuit quo melius poterat infirmitati nostræ succurrere ; atqui si unio Verbi cum humana natura dilata fuisset usque in finem mundi, Dei notitia et reverentia, et morum honestas totaliter abolitæ fuissent in terris.

CAPUT II.

DE PERSONA ASSUMENTE.

Post dicta de unione hypostatica, remanet ut duo extrema unionis declaremus, scilicet *personam assumentem* et *naturam assumptam.* Circa personam assumentem, de qua in hoc capite agimus satis erit inquirere : i° *quænam* sit; 2° num unione *aliquid amiserit;* 30 quænam sint *unionis dotes* inter personam assumentem et naturam assumptam.

I. Quænam sit persona assumens.

1052. *Prcemittimus,* juxta S. *Thornam*, personæ divinæ propriissime convenire naturam creatam assumere.* Illi enim proprie assumere competit qui est simul principium et terminus assumptionis; atqui persona est *principium* assump-

[1] **Cf. S. Th., 1. c., a. 5-6; Landriot,** *& Conf.*

[2] *Sum. thee!.,* **3. q- 3· a· »-3» Card. Billot, th. X.**

tionis, quia ipsi competit agere, et simul *terminus,* cum unio fiat *in persona,* non in natura, n. 1014; ergo proprie personæ competit naturam assumere. — Attamen *secundario* convenit etiam naturæ divinæ assumere, quia est *principium* assumptionis, eo sensu quod ejus virtute fit assumptio; *non* potest autem esse *terminus* assumptionis, ideoque non assumit secundum *seipsam,* sed ratione *personæ* in qua consideratur.

1053. *Thesis :* Sola persona Verbi incarnata fuit, seu assumpsit humanam naturam *De fide* est ex variis symbolis quæ, contra Patripassianos, sedulo tres divinas personas distinguunt, et affirmant Filium, non autem Patrem aut Spiritum, de Virgine conceptum et natum, pro nobis passum et mortuum esse, ideoque Filium solum assumpsisse humanam naturam.

(A) *Scriptura* semper asserit *Verbum* seu *Filium Dei* fuisse incarnatum; et eum distinguit sive a *Patre,* qui Filium misit in mundum, sive a *Spiritu S.,* qui nondum erat datus et quem Christus misit a Patre. Ita dicitur : " *Verbum* caro factum est"; "Sic enim Deus dilexit mundum ut *Filium* suum unigenitum suum daret "[2].

(B) *Tradit. :* (a) *C. Consmntin. II* (oecum. V) definivit "unum de Trinitate" incarnatum fuisse, et Cone. *Lat. IV* declaravit "unigenitum Dei filium Jesum Christum a tota Trinitate fuisse communiter incarnatum"[3], (b) *Patres* attributa humana nunquam dederunt Patri vel Spiritui S.; sed aperte docent Verbum esse incarnatum et multiplicem convenientiam hujus facti exponunt.

(C) *Ratione convenientia. Ex se* nihil obstabat quin Pater vel Spiritus S. humanam naturam assumeret, sed posito revelationis facto, ratio investigare potest cur Filius, potiusquam Pater vel Spiritus S., incarnatus fuerit. Præcipuæ autem rationes convenientiæ desumuntur : (a) ex parte *unionis.* Verbum enim est *causa exemplaris* omnium rerum ideoque hominis; atqui decebat ut homo repararetur per eum qui ejus exemplar fuerat; ergo decebat ut per Verbum restauraretur; (b) ex *fine Incarnationis :* ad redemptio-

[2] Cfr. S. Thom., 3 p., q. 3, a. 4-8; Suarez, *disp. XII;* Salmantic., *disp. VIII;* Petavius, l. II, c. js; L. Billot, t. XI; E. Hugon, p. 95-111.
[3] *Joan.* I, 14; III, 16. — 3 D. B., nn. 216, 429.

nem hominis tria præsertim erant necessaria, scilicet *doctrina, exemplum* et *mediator* gratiæ; atqui Verbum, ut Sapientia Patris, *doctrinam* præbere; ut exemplar omnium rerum, *exemplum* nobis dare; tandem ut persona quasi media inter Patrem et Spiritum, *mediatoris* officium implere congruenter valebat; (c) ex *natura justificationis :* justificatio nostra in eo consistit quod efficiamur *filii Dei adoptivi;* atqui conveniebat ut efficeremur filii Dei adoptivi per eum qui est verus et proprius Dei filius, juxta illud Apostoli : " Quos præscivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui " [1].

1054. Corollarium. *Pater et Spiritus Sanctus modo speciali inhabitant in natura humana a Verbo assumpta :* etenim, ex dictis in *Tr. de Deo Trino* (n. 664), tres divinæ personæ in se invicem inhabitant, âc proinde ubicumque una invenitur, ibi sunt duæ aliæ; atqui persona Verbi, per unionem hypostaticam, specialiter in humana natura habitat; ergo duæ aliæ personæ specialiter in eadem natura habitant.

Nec tamen dici potest Patrem et Spiritum Sanctum fuisse *mediate* incarnatos : etsi enim modo speciali humanæ naturæ Christi uniuntur, non assumpserunt eam *in persona;* quod tamen necessarium est ad veram unionem hypostaticam. Unde, juxta S. *Thomam*[3], quod est *actionis* in assumptione commune est tribus personis; quod pertinet ad rationem *termini* ita convenit personæ Verbi ut non conveniat aliis personis. Juxta Patres, *tres vestiunt,* sed unus est vestitus.

II. Num persona assumens unione aliquid amiserit?

1055. *Thesis :* Verbum divinum, humanam naturam assumendo, divinam naturam divinaque attributa minime seposuit.

HH

De fide est contra recentes quosdam Protestantes, qui theoriam, quam vocant *Kenoticam* [3], advocant.

Duos præsertim textus in gratiam novi systematis allegant, priorem ubi de Christo dicitur [4] : " Quoniam propter nos *egenus* factus est, cum esset dives"; posteriorem, ubi de eodem scribitur[5] : semetipsum *exinanivit,* formam servi accipiens". 1) Exinde

[1] *Rom.,* VIII, 29. — Cfr. S. Thorn., 3, q. 3, a. 8; Monsabré, 34e Confér.

[2] *Sum. theol.,* 3, q. 3, a. 4.

[3] *Kenotica* dicitur illa theoria propter verbum ἐζένωσε quod usurpat S. Paulus describendo Christi exinanitionem in Incarnatione (*Philipp.,* II, 7). — Cfr. Gaudel, in *D. T. C.,* voce *Kinose,* t. VIII, 2339-2349.

[4] *II Cor.,* VIII, 9. — [5] *Philipp.,* II, 7.

quidam [1] inferunt Verbum, per Incarnationem, exspoliavisse divinitatem divinaque attributa, præsertim omnipotentiam ac omniscientiam, et induisse humanas dotes atque infirmitates, ita ut suæ divinitatis conscium non fuerit nisi post suam resurrectionem. 2) Alii[23]non tam longe procedunt, sed asserunt Verbum, habitualiter saltem, intermisisse exercitium divinorum attributorum, potentiæ præsertim ac omniscentiæ, ita ut divinitatis suæ quandoque conscientiam amiserit. Contendunt ita melius explicari humanæ naturæ Christi realitatem ejusque facultatum liberum exercitium ac incrementum.

1056. (A) Quæ quidem nova theoria catholico dogmati, prout ab antiquis Conciliis definito, manifeste opponitur.

(a) Jam enim *Chalcedonense* (451) definierat " unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in *duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem..."* Jamvero si duæ naturæ, divina et humana, sunt in Christo inconfuse, immutabiliter et inseparabiliter, certo dici nequit Verbum Incarnatum exuisse naturam divinam vel divina attributa; pariter, si nunquam tollitur naturarum differentia propter unionem, utraque natura remanet in Christo perfecta ac sui conscia. Neque etiam admitti valet suspensio divinorum attributorum aut divinæ conscientiæ : hæc enim mutatio esset in natura divina; quod reprobatur a præfato Concilio.

(b) Eodem modo argui potest e Concilio *Constantinopolitano* ZZZ(68o), cujus decreta retulimus n. 961, præsertim ubi declaratur Christum esse "*perfectum in deitate* et perfectum eumdem in humanitate...,*consubstantialem Patri secundum deitatem,* et consubstantialem nobis secundum humanitatem'^; non enim perfectus in deitate foret vel consub-

1 Ita Thomasius et Gess in Germania ; Godet et Pressensé in Helvetia et Gallia; H. M. Goodwin et Howard Crosby in America; quorum systema expositum vide ap. Bruce, *The Humiliation of Christ,* Edinburgh, 1881, lect. IV; Powell, *op. cit.,* p. 233 sq. ; Lichtenberger, *Encyclop.,* vol. III, p. 152 sq. — 2 Ita, inter alios, Martensen, Gore, Dorner, etc.

3 " (Filius) nec amisit quod erat, sed cœpit· esse quod non erat ; ita tamen ut *perfectus in suis* sit et verus in nostris Ex Formula *Fides Darnasi* nuncupata, apud D. B., 16. Cf. *Epist. dogm.* S. Leonis *ad Flavianum,* apud D. B., 144 (133); *Concil. Later,* an. 649, D. B., 257.

stantialis Patri secundum deitatem qui, etiam ad tempus, quædam essentialia divinitatis attributa exuisset atque propriae divinitatis conscius non esset. Concludendum est igitur cum Sancto Gelasio : " *Totus Deus* homo et totus homo Deus "[x].

1057.(B) *Scriptures* pariter hoc systema contradicit : (a) omnibus fere locis quibus Christus suam divinitatem ac cum Patre consubstantialitatem affirmat; non enim declarat se*fuisse* aut*fore,* sed *actualiter esse* Filium Dei unigenitum Patrique æqualem; atqui aequalis Deo actualiter tunc temporis non fuisset, si divina attributa seposuisset ad humanas infirmitates induendas ; (b) iis pariter locis ubi exhibetur ut miracula patrans *propria virtute :* cum enim miracula divinam potentiam requirant, nemo potest ea *propria virtute* operari nisi actu sit Omnipotens; quod jam *Ephesinum* declaraverat, anathemate plectendo eos qui dicebant Christum a Spiritu Sancto, tanquam *aliena virtute,* et non per proprium spiritum, divina signa fecisse (n. 956, can. 9).

Nec in contrarium allegari possunt duo textus superius citati. 1) Prior siquidem "egenus factus est, cum eSset dives", græce legitur " *dives existens";* hinc, juxta *Augustinum,* dives esse non desiit, quando pauper factus est (secus diceretur " cum dives *fuisset"),* sed cum esset intus dives, quatenus Deus, apparuit in paupertate quatenus homo. 2) Posterior autem " *semetipsum exinanivit",* ita exponitur non solum a Patribus ac catholicis exegetis, sed etiam a plerisque Protestantibus : Filius Dei exinanivit semetipsum, id est, inanem ac vacuum se fecit conditione ac majestate divina, non formam Dei deponendo, sed *eam occultando sub forma servi,* ut sequentibus verbis declaratur "*formam servi accipiens ";* participium enim aoristum λαβών non indicat actionem praeteritam, sed simultaneam, et clarius manifestat modum quo Verbum seipsum exinanivit '.

1058.(C) *Ratio* ipsa probat novam hanc theoriam omnino rejiciendam esse. Probatum est enim in *Tr. de Deo uno* Deum esse omnino ac essentialiter immutabilem (n. 436) " apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio "[3]; eumdem

[1] Ex celebri *Tomo* " Necessarium " apud D. B., 16S; cf. Journel, 189.

[3] Cfr. Corluy, *SpiciUg.,* II, p. 77 ; Powell, *op. cit.,* p. 237-255, ubi etiam Patrum ac exegetarum Commentaria in h. loc. invenire est.

esse summe intelligentem (n. 459). Porro Ens immutabile non potest, etiam per breve tempus, attributa sua deponere; nam ea deponere et iterum assumere est certe mutatio ; pariter Ens summe intelligens sui conscientiam nunquam amittere valet. Ergo Christus, ut Deus, suæ potentiæ aut scientiæ exercitium suspendere nequibat.

III. De dotibus unionis.

1059. Naturam humanam assumendo, Verbum eam sibi arctissime univit. Hæc autem unio : i° ex parte temporis, est *perpetua ; 2°* ratione ordinis in unione secuti, est *immediata ;* 30 ratione perfectionis, est *arctissima.*

i° Unio hypostatica est perpetua.

1060. (A) *Verbum assumpsit humanam naturam primo instanti quo concepta fuit* \ *Defide* est contra *Origenistas,* qui præexistentiam animarum admittentes, docuerunt animam Christi exstitisse ante unionem hypostaticam, et meruisse Incarnationem ; nec non contra *Paulum Samosatenum* et *Nestorium* 1,2 qui docuerunt Christum prius exstitisse, ut hominem, quam a Verbo assumeretur.

Probatur (a) *Script.* Ex Evangeliis 3 B. Virgo concepit et peperit filium qui Dei Filius est ; praeterea Elisabeth, afflante Spiritu Sancto, B. Virginem *matrem Domini* appellat : " Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me "4? Atqui hæc dici nequeunt nisi Christus, a Virgine genitus, Deus a primo instanti fuerit, ideoque jam exstiterit unio hypostatica.

(b) *Tradit.* Thesis expresse declaratur in Epistola dogmatica S. *Leonis magni :* " Natura nostra non sic assumpta est ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur " 5. Item in Epistola S. *Gregorii*

1 Cfr. Suarez, disp. XVI; Petavius, 1. IV, c. 11 ; Legrand, diss. VI, c. III, a. 2 ; Hurter, ɳ. 566.

3 Nonnulli tamen negant hunc errorem a Nestorio propugnatum fuisse ; certo tamen docuit unionem Verbi cum homine tantummodo incoeptam fuisse a primo conceptu, et progressu temporis, ex meritis ipsius hominis uniti, perfectiorem evasisse. Cf. Petav., 1. I, c. 9, n. 4 ; Garnier, *diss. de haresi in libris Nest.* (inédit, operum Marii Merc.); Franzelin, th. 25.

3 *Matth.,* I, 20-23 5 *Luc.,* I, 30. — 4 5 *Luc.,* I, 43.

5 *Epist.* 35 ad Julianum, c. 3, *P. L.,* LIV.

Papa ad episcop. Hiberniae : " Nec ante conceptus et postmodum unctus est ; sed hoc ipsum de Spiritu Sancto ex came Virginis concipi a Sancto Spiritu ungi fuit " x.

1061. (B) *Verbum ita assumpsit humanam naturam ut eam nunquam reliquerit, nec unquam sit relicturum a.* Est contra sabellianos *Marcellum Ancyranum* et *Photinum,* qui docuerunt, peracto finali judicio, Verbum depositurum esse naturam humanam; necnon contra *Leporium* et alios qui contenderunt unionem hypostaticam interruptam fuisse triduo mortis Christi 3.

(a) *Unio hypostatica perseveravit triduo mortis;* certum est. i) Dicitur in Symbolo, J. Christum Filium Dei, post mortem, ad inferos descendisse, et sepultum fuisse; hoc autem supponit Verbum unitum remansisse, tum animæ quæ ad inferos descendit, tum corpori quod fuit sepultum.

2) De cetero mors occurrere potest quin destruatur unio hypostatica ; nam mors non consistit in separatione divinitatis ab humanitate, sed in separatione corporis et animæ; unde corpus et anima possunt a se invicem separari quin disjungantur a Verbo 4.

(b) *Unio hypostatica perseveratura est etiam post resurrectionem. De fide est.* i) Dicitur de Christo : " Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium"^ Unde sic : ex illo textu, Christus manet in æternum, non solum ut Deus, sed etiam *ut homo,* cum in æternum sacerdotium exerceat, quod est opus divino-humanum ; atqui Christus non potest subsistere in æternum ut homo, nisi in æternum maneat unio hypostatica ; ergo. 2) Aliunde *C. Chalcedonense* definivit illam unionem esse inseparabilem : " Docemus unum eumdemque Christum in duabus

1 D. B., 250.

' Cfr. Petavius, L XII, c. 18-20; Legrand, 1. cit.; Hurter, n. 570.

3 Cfr. Petav., 1. XII, cap. 18-19.

4 Magno æstu olim disputatum est Dominicanos inter et Franciscanos num triduo mortis Verbum unitum remanserit sanguini in passione effuso; *Pius II* decretum edidit (1464) ne hac de re disputarent donec quæstio a S. Sede definita fuisset (ap. D. B., n. 718); nunquam vero definita fuit. Probabilius videtur λ erbum unitum remansisse sanguini qui resurrectionis tempore resumendus erat. S. Th., *Quodiib.* V, a. 5. — s *tfebr.* VII, 24.

naturis... *immutabiliter, inseparabiliter* esse agnoscendum. 3) Accedit argumentum *convenientiæ :* Incarnatio est opus Dei præstantissimum ; atqui Deus non solet opera sua, prae sertim vero perfectissima, destruere; ergo. Inde natum est axioma : " *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit*

2° De ordine in unione secuto[1].

2. Ex dictis supra, Verbum assumpsit tum animam humanam, tum corpus; sed quæstio agitatur inter theologos utrum Verbum assumpserit *immediate* tum corpus tum animam, an assumpserit immediate animam et mediate corpus.

(A) Si consideratur ordo *exsecutionis,* Verbum assumpsit *immediate* tum corpus tum animam; etenim (a) dicitur in Scriptura : "Verbum caro factum est"; porro hæc verba sensu obvio important Verbum directe assumpsisse carnem; (b) confirmatur ex eo quod Verbo directe tribuantur operationes non solum animæ sed etiam corporis, ut manducatio, fatigatio, dolores physici, etc.

(B) Si consideratur ordo *intentionis :* (a) Verbum assumpsit corpus *mediante anima,* non eo sensu quod anima fuit *intermedia* inter corpus et Verbum, sed quia corpus assumitur *propter* animam. Verbum enim non assumpsit corpus nisi quia erat corpus humanum; atqui corpus non est humanum nisi *propter* animam rationalem cui unitur; ergo corpus propter animam assumptum est. (b) Pariter Verbum assumpsit *animam inferiorem mediante anima superiore,* nempe intellectu et voluntate. Non enim anima est congruenter assumptibilis nisi quatenus est capax Dei per cognitionem et amorem ; atqui non est capax Dei nisi per intellectum et voluntatem. Ergo.

3° De perfectione unionis[2].

1063. (A) *Verbum divinum ita assumpsit humanam naturam, ut intrinsecus eam penetraret, licet ab ea distinctum maneret.* Quam intimam unionem et penetrationem Latini *circuminsessionem,* Græci περιχώρησιν appellant; consistit quidem in eo quod Verbum naturæ humanæ illabatur, eamque veluti pervadat; sed non in eo quod humana natura divinam penetret[3]; nam ut confitetur *Leporius*[4] : " Deus qui capax est, non capabilis, penetrans non penetrabilis,

[1] S. Thom., q. 6, a. 1-4; Suarez, disp. XVII; Legrand, l. c., a. 3; Card. Billot, th. XV; E. Hugon, p. 133-149.

[2] Thomassinus, l. III, c. 4 sq.; Petavius, l. IV, c. 14; Stentrup, th. 38; Card. Billot, th. IX; E. Hugon, p. 72-80.

[3] *Ci.* Journel, 2362, 2380. — [4] *Libellus emendationis,* n. 4

implens non implebilis, qui ubique diffusus, per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ mixtus est humanæ

Hoc ex dictis sequitur: cum enim Verbum *personaliter* humanæ naturæ uniatur, vicesque gerat humanæ personalitatis, totum hominem permeare debet. Quod Patres comparationibus illustrant ; sic, v. g., *Cyrillus Alex,* scribit[1] : " Dicitur *carboni* persimilis propterea quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus, ut in unitatem propemodum conjungantur. Ignis enim ubi lignum penetravit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato quod erat ",

1064.(B) *Unio Verbi cum humana natura est omnium maxima,* non quidem ex parte naturarum quæ uniuntur, tum quia maxime distant, tum quia natura assumpta etsi valde perfecta absolute tamen perfectior esse potuisset; sed *ex parte ipsius unionis*[a]. Ea enim unio maxima est, qua extrema summe a se invicem dissita præstantissimo et arctissimo nexu colligantur; atqui 1) extrema unionis hypostaticæ ex una parte sunt valde dissita, cum \rerbum sit infinitum, humana vero natura finita; 2) ex altera parte arctissime conjunguntur, cum in *unam coadunentur personam,* nempe personam Verbi, quæ, utpote per se subsistens nec in aliquo recepta per participationem, est magis una quam quælibet res creata; insuper id in quo utraque natura unitur (persona Verbi) est maxime unitum utrique extremo : *naturæ divina,* cum qua realiter identificatur; *natura humana,* cui largitur unum esse. Ergo unio ipsa est maxima.

1065.(C) Unio duarum naturarum in Christo facta fuit *per gratiam,* non eo sensu quod gratia habitualis fuit veluti *intermedia* inter utramque naturam ; sed quod elevatio humanæ naturæ ad divinam subsistentiam est donum omnino gratuitum, omnino supematurale, multo excellentius quam elevatio hominis per gratiam et gloriam ; nam ista est *accidentalis* tantum participatio naturæ divinæ, dum hæc est vere *substantialis,* creaturam aliquam elevans ad communionem ejusdem *esse substantialis* et *personalis* cum Deo. Ex hoc igitur capite, unio hypostatica est *opus Dei perfectissimum :* cum enim Deus esset *potentissimus,* plus facere non potuit; cum esset *safientissimus,* plus facere nescivit; cum esset *ditissimus,* plus dare non habuit quam semetipsum.

1066. (D) *Persona Christi est aliquo sensu composita*[3]. (a) Siquidem considerari potest *in se,* et sic est omnino simplex, sicut et

[1] *Ad Nest.,* 1. n ; cf. Journel, 1431, 1363.

[2] S. Thom., q. 2, a. 9; Suarez, disp. IX ; Legrand, 1. c., a. I.

[3] Cf. S. Th., q. 2, a. 4; Suarez, disp. VII, s. 4; Salmantic., disp. III, dub. 3 ; Legrand, dis. VI, c. 4, a. 1 ; Hurter, n. 565.

natura Verbi; alio modo considerari potest secundum *munus* personificandi quod dupliciter exercet, prout in duabus naturis subsistit, et tunc est composita, quia constat ex duabus naturis realiter distinctis, licet unitis : hinc legitur in ep. *Agathonis* ad imperat. : " Ex quibus (naturis) inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter *tsi compositus*" ». (b) Attamen Christo non competit illa compositionis species, quæ fit ex partibus proprie dictis et incompletis; nam, ex supra dictis, tum natura divina tum natura humana ut sic sunt completæ et iotegræ, nec Verbum per unionem perficitur, sed solum natura humana; proindeque Verbum et natura humana non sunt proprie loquendo partes compositi, sed elementa Christi personam constituentia.

Hinc dici potest Christum *esse ex duabus naturis,* sed ut omnis æquivocatio tollatur, adjici debet Christum esse etiam *in duabus naturis :* secus errori eutychiano quis faveret, ut declaratum est in C. *Chalcedonensi* (act. 4).

CAPUT HI.

DE NATURA ASSUMPTA.

1067. Praenotanda. (A) Nulli dubium est naturam humanam, a Verbo assumptam, fuisse perfectam, non quidem perfectione absoluta, quæ repugnat in ente creato, sed perfectione *relativa,* ita ut Christus, quatenus homo, præstantior dici debeat omnibus hominibus, qui fuerunt aut erunt, "ut sit ipse primogenitus in multis fratribus"[2]. Immo, licet natura Christi humana, *specifice* spectata, inferior sit naturæ angelicæ, juxta illud "minuisti eum paulo minus ab Angelis " [3], Angelis tamen superior est ratione *dignitatis,* tum propter unionem hypostaticam, tum propter *eximias scientiæ et sanctitatis qualitates,* quibus exornata fuit; ac proinde Christus ut homo merito vocari potest "caput omnis principatus et potestatis " [4].

(B) Verbum, nostram assumendo naturam, non solum *qualitates* sed etiam *infirmitates* aliquo modo assumpsit. Principii generalis instar, plerique Patres et theologi admit-

[2] D. B., 2S8 (235); cf. Journel, 2362.
[3] *Rom.,* VIII, 29. — [4] *Pt.* VIII, 6. — [5] *Colοπ.,* II, 10.

tunt Verbum i) illas *omnes qualitates assumpsisse quæ cum fine Incarnationis non pugnant;* 2) illos tantum *defectus assumpsisse qui Incarnationis fini vere subservire poterant.*

(C) Circa naturam assumptam, describemus : 1° *gratiam* quæ *ipsam substantiam* animæ pervadit et in *facultates* per *virtutes* et *dona* se diffundit; 2° dotes *intellectus* assumpti seu *scientiam* Christi ; 30 dotes *voluntatis, subjectionem* scilicet, *libertatem* et *potentiam ;* 40 dotes *appetitus sensitivi;* 50 dotes *corporis.*

Art. I. De gratia Christi.

1068. Duplex in Christo distinguitur gratia, essentialiter distincta : *gratia unionis* Christo omnino specialis et *gratia creata* seu *habitualis,* ejusdem generis ac ea quæ nobis confertur. *Prior* definiri potest : ea gratia, quæ resultat *ex ipsa unione hypostatica* quæ Deo substantialiter *consecrat* totam humanam naturam Christi, ideoque eam *sanctificat substantialiter* \x\ suo esse et eam Deo gratam reddit *Posterior* autem est qualitas creata et supernaturalis, jam antea definita (n. 849), et fusius in *Tr. de Gratia* declaranda, qua *divinæ* efficimur *consortes naturæ, filiique Dei adoptivi.* De *utraque* dicemus, et postea de *impeccabilitate* Christi.

I. De gratia unionis I.

1069. i° *Thesis :* **Christus homo habuit gratiai II unionis; *aliis verbis :* Ipsa unio hypostatica reddidit animam Christi sanctam et Deo gratam.**

Ita *communiter* contra Scotistas, qui contendunt unionem hypostaticam *per se,* absque gratia creata, *formaliter* non sanctificare humanitatem, sed tantum *radicaliter* et *causaliter,* quatenus exigit et producit gratiam sanctificantem creatam. — Probatur : —

(A) *Auctoritate Patrum* et *theologorum,* (a) Patres, textus Scripturæ declarantes, in quibus Christus dicitur *unctus* aut Verbum dicitur *incarnatum,* sæpe dicunt humanam naturam

» C. Héris, *Verbe Iruanii,* L II, p. 339; *Mystère du Christ,* p. 73.

Christi *per unionem cum Verbo sanctificatam esse.* Ita, v. g., S. *Augustinus* scribit[1] : " In quo (Verbo) et ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro, *quia una persona facta est Verbum et homo.* Tunc ergo sanctificavit *se in se,* hoc est hominem *se* in Verbo *se,* quia unus Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo ". (b) Pariter asserunt ejus humanitatem ipsa divinitate fuisse delibutam. Quod *S.foan. Damascenus* asserit : " Ipse enim seipsum unxit : ungens ut Deus *sua deitate;* nam ipse est hoc et illud, siquidem *deitas est unctio humanitatis".* Quod et comparatione illustrat : "Quemadmodum qui unitur igni, non natura, sed unitione et accensione et communione fit ignis, sic etiam de carne Filii Dei idem assero. Nam illa divinitatis secundum hypostasim communione non mutata, Deus existit ; non operatione Dei uncta, ut unusquisque prophetarum, sed *totius ungentis præsentia* "[2]. (c) A sæculo XVI°, hæc sententia in omnibus scholis accepta est ita ut a *Suarez*[3] dicatur sine dubio *vera.*

(B) *Rat. theol.* Ad hoc ut Christus homo sanctificetur per gratiam unionis, requiritur et sufficit ut ipsa unio hypostatica, independenter a qualibet alia gratia, in ejus anima producat *primarios effectus formales sanctitatis* quas gratia præstat, v. g., immunitatem a peccato, participationem divinæ naturæ et filiationem divinam. Atqui unio hypostatica *per se* hos effectus *eminentissime* producit : (a) reddit Christum hominem non solum immunem a peccato, sed etiam omnino *impeccabilem ;* (b) eumdem participem *efficit divinæ naturæ* non quidem accidentaliter et moraliter, sed *substantialiter,physice* et *perjnanenter;* (c) eum reddit *Filium Dei* non adoptivum, sed *naturalem,* et ipsi confert jus speciale ad hereditatem divinam. Ergo ipsa unio *per se* et *eminentissime* Christum sanctificat.

1070. *Objicitur* quidem per gratiam nos reddi filios Dei *adoptivos,* Christum autem non esse filium Dei adoptivum (n. 1030);

[1] *In Joan.,* CVIII, 5, *P. L.,* XXXV, 1916.

[2] *De fide orlhod.,* l. III, c. 3; *Orat. 1 de imag.,* in fine *P. G.,* XCIV, 990, 1249.

[3] Disp. XVIII, sect. I, n. 3.

sane hic est effectus formalis *secundarius ; primarius* enim est nos reddere divinæ participes naturæ ; sed, ut recte animadvertit *Curd-Billot,* " si forte gratia inveniatur in persona non extranea Deo pro quanto ornat naturam Deo unitam secundum hypostasim, semper quidem habebit suum proprium formalem effectum (participationem divinæ naturæ), quin tamen in hujus naturæ supposito resultet denominatio adoptivi, quia huic denominationi omnino repugnat personæ conditio ". Ceterum gratia unionis producit effectum multo præstantiorem, nempe veram filiationem.

2° *Gratiæ unionis dotes.* Hæc gratia est : a *simpliciter infinita :* constituitur enim dono personæ divinæ concesso humanæ naturæ, quæ Verbo immediate unitur x; (b) *radix ceterorum bonorum* spiritualium pro Christi humanitate, et ideo est *maxima gratiarum ;* (C) in Christo fuit ab initio et in ætemum permanebit.

II. De Gratia habituali et virtutibus Christi.

Præter gratiam unionis, Christus habuit gratiam habitualem ejusdem naturæ ac ea quæ nobis confertur, cui annexæ fuerunt *virtutes,* aliaque *dona* supernaturalia, quæ fusius in *Tr. de Gratia* describuntur.

1071. i° De gratia habituali : Anima humana Christi gratia sanctificante creata exornata fuit. *Certum.*

(A) *Script, et Trad.* Nam de Christo dicitur : "Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, *plenum gratiæ* et veritatis... et de *plenitudine ejus* nos omnes accepimus et gratiam pro gratia "[2]... " Jesus, plenus Spiritu Sancto "[3]. In textibus allatis Christus declaratur plenus gratiæ et veritatis, et plenus Spiritu Sancto (qui sine gratia non datur) : atqui gratia, de qua hic agitur, non est gratia unionis, sed gratia sanctificans ejusdem speciei ac gratia quam habemus : " *deplenitudine ejus nos* omnes accepimus"; non possumus autem participes esse gratiæ unionis, quæ formaliter causatur unione hypostatica.

Quam interpretationem confirmant Patres cum S. *Augustino*[4] : ".Dominus Jesus Christus Spiritum S. non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo ; propterea dictus est plenus gratia et Spiritu Sancto". — Utramque vero sanctitatem optime declarat

[1] S. Thom., 3, q. 7, a. 11; E. Hugon. p. 172. — [2] *Joan.,* I. 14.
[3] *Luc.,* IV, 1. — [4] *De Trinit.,* l. XV, c. 26, n. 4, *P. L.,* XLII, 1093.

5. *Bernardus*[1] ; explicans verba " ideoque et quod nascetur ex te *Sanctum ",* ait : " Posuit ergo indefinite *sanctum,* quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per *Spiritus sanctificationem* et per *Verbi assumptionem ";* ubi duplicem sanctitatem in Christo distinguit, *creatam* quam vocat Spiritus sanctificationem, et *gratiam unionis* quam Verbi assumptionem appellat.

(B) *Rat. convenient.* Gratia habitualis in Christo admittenda est propter tria : (a) propter *unionem* animæ illius cum Verbo : quanto enim aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto magis participat de influentia ipsius; atqui anima Christi propinquissima erat gratiæfonti, scilicet Deo ; ergo, vi illius propinquitatis et unionis, abundantissime gratiæ fit particeps, (b) Propter *perfectionem* Christi : nam etiamsi anima Christi per ipsam unionem hypostaticam sit sancta, tamen gratia sanctificans ei *novum decorem* addit ipsi inhærentem et quasi proprium novasque aptitudines et vires quibus connaturaliter et suaviter cognitionem et amorem Dei attingere poterat, et ita præparari ad visionem beatificam, (c) Propter ejus *munera :* Christus, ut homo, est mediator apud Deum, et ipse in nos effundere debet gratiam creatam ; atqui non potest convenienter diffundere illud quod non habet ; ergo convenit eum possidere gratiam sanctificantem ejusdem speciei ac nostram[2].

1072. Corollaria. (A) *Gratia habitualis* in Christo *sequitur gratiam unionis* non ordine temporis, sed *ordine naturæ;* causatur enim ex præsentia divinitatis, quæ directe producit gratiam unionis[3].

(B) *Christus habtiit plenitudinem gratiæ non solum relativam, ut alii sancti, sed etiam absolutam, non solum intensivam, sed etiam extensivam.*

Duplex siquidem distinguitur plenitudo gratiæ : (a) prior *relativa* seu *subjectiva,* qua quis omnem gratiam possidet quam requirit ejus conditio et status, et in hoc sensu multi sancti dicti sunt pleni gratia et Spiritu Sancto; (b) posterior est plenitudo *formalis* et *absoluta,* qua tanta gratia habetur

[1] *Homil. IV* super *Missus est.*
[2] *Sum. th.,* 3, q. 7, a. I.
[3] *Sum. th.,* 3, q. 7, a. 13.

quanta haberi potest *de potentia Dei ordinaria;* et illam plenitudinem gratiæ solus Christus habuit. (a) Deus enim gratiam distribuit secundum munera et officia cujusque : atqui non potest dari majus munus et officium quam officium Christi, cum sit Caput, Mediator et Redemptor omnium hominum. Ergo gratia Christo collata fuit maxima, seu tanta quanta haberi potest de potentia Dei ordinaria, licet augeri potuisset de potentia Dei extraordinaria, cum finita esset, (b) Insuper anima Christi gratiam recipiebat, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios ; et ideo oportuit eum habere maximam gratiam, sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus1 : hæc vocatur plenitudo *redundantia* seu gratia *capitis,* de qua agemus ubi *de Redemptione.*

Quapropter gratiæ Christi plenitudo fuit *intensiva,* quatenus maximam excellentiam attigit quæ dari possit ; *extensiva,* quatenus ejus efficacia ad omnes effectus gratiæ extenditur, omnia dona, omnes gratias etiam gratis datas, cum statu Christi compossibiles.

1073. (C) *Gratia Christo collata non* ***fuit*** *quidem infinita simpliciter sedpotest dici infinita secundum rationem gratiæ.*

(a) *Non est infinita simpliciter,* nam infinitum simpliciter dicitur quod plenitudinem habet in tota linea entis. Atqui gratia Christi non habet talem plenitudinem, sed est in determinato genere contracta, sicut ejus subjectum, cum recepta fuerit in anima Christi quæ finita est.

(b) *Est infinita* duplici modo : 1) secundum *rationem gratiæ :* " Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiæ ; et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur; quia scilicet habet quidquid pertinere potest ad rationem gratiæ, eo quod secundum propositum Dei cujus est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi sicut cuidam, universali principio gratificationis in humana natura... sicut si dicamus lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest"2. 2) In *esse .moris,* quatenus nempe cooperabatur

* S. Th., q. 7, a. 9. — 3 S. Thom., q. 7, a. 11.

actionibus supernaturalibus quæ, propter unionem hypostaticam, erant infiniti valoris.

1074.(D) *Christus habuit hanc plenitudinem gratiæ ab initio.* Etenim hæc plenitudo gratiæ Christo tribuitur, ex supra dictis, propter unionem hypostaticam, quæ ab initio existebat. Et ideo hæc plenitudo augeri nequit.

Christus igitur non potuit *realiter* proficere in gratia, sed solum *apparenter,* quatenus scilicet manifestavit modo perfectiori hanc perfectam sanctitatem, quam possedit ab initio.

Dicitur tamen in Scriptura Christum profecisse gratia apud Deum et homines *. Quod sic optime ab Angelico Doctore explicatur 23 : "In sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum *ipsos habitus* sapientiæ et gratiæ augmentâtes. Alio modo secundum *effectus,* in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit; et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et ætate, quia secundum processum ætatis *perfectiora* opera Jaciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quæ sunt ad Deum, et in his quæ sunt ad homines ".

1075.2° De virtutibus Christi. (A) *Christus habuit omnes virtutes infusas quæ non repugnant visioni beatificæ aut unioni hypostaticæ.*

Etenim virtutes supernaturales sunt veluti proprietates et effectus gratiæ sanctificantis, et tanto perfectius in anima imprimuntur quanto perfectior est gratia sanctificans; atqui, ex dictis, gratia sanctificans Christo collata perfectissima fuit; ergo modo perfectissimo possedit virtutes supernaturales 3.

1 *Luc.,* II, 52.

3 S. Th., 3, q. 7, a. 12, ad 3.

3 S. Th., q. 7, a. 2. — Virtutes Christi describere nostri non est instituti : studiosus autem theologiæ candidatus, dum Evangelium legit, verba et exempla Domini de variis virtutibus ad vitam christianam spectantibus sedulo notet memoriæque commendet, ut ex eis ædificetur aliosque ædificare valeat Quo in studio juvari poterit sequentia opera legendo : Ludolphum Carthus., *Vita Christi;* Sepp, *Das LebenJesu;* Fouard, *La Vie de N. S.Jésus-Christ,* anglice *The Christ the son of God;* Le Camus, *Vie de N. S. Jésus-Christ;* Didon, *Jésus-Christ;* Ch. Sauvé, *Jésus intime,* Paris. — Breviter de virtutibus Christi egimus in *Syn. Theol.fund.,* n. 392-394.

(B) *Christus non habuit virtutes repugnantes unioni hypostatica* scilicetfidem* spem* panitentiam et continentiam proprie dictam.*

(a) Christus non habuit *fidem proprie dictam** quæ versatur circa res non visas, nec cum visione beatifica coexistere potest. Habuit tamen *meritum fidei** quatenus paratus erat assentire illis rebus, si eas non vidisset[1].

(b) Christus non habuit *spem proprie dictam** cujus est exspectare fruitionem Dei nondum possessi; nam Christus ab initio possessione Dei fruebatur. Attamen Christus habuit spem *improprie dictam* quatenus firmiter exspectabat glorificationem proprii corporis [2].

(c) Pariter non habuit virtutem *poenitentia, proprie dicta** quæ est dolor de proprio peccato, cum emendationis voto : non poterat enim dolere de propriis peccatis, cum impeccabilis esset. Attamen *panitentia opera* egit pro peccatis nostris, quatenus erat caput nostrum in ordine morali; sed invocare non licet Jesum pænitentem.

(d) Tandem non fuit in ipso virtus *proprie dicta continentia** sed solum perfectissima temperantia et virginitas : nam continentia ordinatur ad motus *inordinatos* concupiscentiæ refrænandos, qui non poterant esse in Christo.

1076. 3° De donis. *Christus habuit omnia dona Spiritus Sancti.*

(A) *Script. Isaias* enim expresse asserit Spiritum Sanctum Messiæ seu Christo collaturum esse omnia sua dona : " Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris " [3].

(B) *Rat. theol.* (fi) Illa dona semper consequuntur gratiam sanctificantem; atqui Christus possidebat gratiam sanctificantem perfectissimam ; ergo, (b) Insuper dona illa sunt veræ perfectiones, animam disponentes ut prompte oboediat Spiritui Sancto : atqui anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur, juxta illud : "Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus esta Jordane et agebatur a Spiritu in desertum ",

Occurrit quidem difficultas quoad donum *timoris** quod Christum parum decere videtur ; sed solvitur, animadvertendo Christum

1 S. Th., q. 7, a. 3. — ' s. Th., q. 7, a. 4.

3 Isa., XI, i. In texta hebraico sex tantum dona connumerantur, sed vocabulum *îreath Yahweh* quod *Unior Domini* redditur, plura significat, scilicet non solum timorem Domini, sed etiam omnem erga Deum observantiam, religionem, pietatem; complectitur ergo etiam pietatis donum, ut universalis fert cbristiana traditio. Cf. Knabenbauer, *in /saiam,* in h. loc. ; D. B., 378.

non habuisse timorem servilem aut etiam timorem culpæ, sed solum timorem filialem et reverentiæ affectum erga Patrem [1].

1077.4° De gratiis actualibus. *Christus habuit gratias actuales.* Non poterat enim agere humana natura nisi Deo concurrente et auxiliante. Ad agendum vero supematuraliter, auxilio Dei supernatural! indigebat. Quia vero, etsi liber, gratiæ semper consensit, nulla gratia in eo sterilis fuit, ideoque omnes ejus actus boni et perfecti fuerunt.

1078.50 De gratiis gratis datis : *Christus habuit omnes gratias gratis datas.*

(a) Gratiæ gratis datæ sunt quædam privilegia supernaturalia, hominibus concessa in utilitatem aliorum, v. g., donum miracula patrandi, donum prophetiæ, scientiæ, etc. Unde sic : Gratiæ gratis datæ communicantur fidei doctoribus, ut fidem, quam prædicant, verbis suadeant, et signis confirment : atqui Christus est primus et principalis Doctor fidei : ergo conveniebat ut ipsi conferrentur omnes gratiæ gratis datæ et quidem modo *universaliori* et *eminentiori* quam ceteris doctoribus [2].

(b) Potest insuper confirmari ex variis Evangelii locis, in quibus refertur Christum hisce gratiis usum fuisse, miracula patrando, prophetias edendo, etc. — Quod jam probavimus, sive n. 982, sive in *Syn. Theol. fundam.*, n. 415-442.

III. De impeccantia et impeccabilitate Christi [3].

1079. E gratia unionis logice fluit non solum *impeccantia* Christi, sed etiam ejus perfecta *impeccabilitas.* Etenim, vi unionis hypostaticae, Verbum incarnatum *sua* facit omnia quæ humanæ naturæ insunt aut ab ea peraguntur, cum *actiones sint suppositorum;* atqui Verbum *sua* facere nequit *peccata* aut ipsam *possibilitatem peccandi;* ergo Verbum incarnatum neque peccavit neque peccare potuit.

i° De impeccantia Christi.

1080. i° *Thesis :* Christus homo fuit ab omni peccato immunis tum originali, tum actuali.

De fide est ex C. *Florentino,* ubi legitur in *Decreto pro Jacobitis :* " Firmiter credit, profitetur et docet (Ecclesia)

[1] S. Th., q. 7, a. 5-6. — [2] S. Th., q. 7, a. 7.

[3] S. Thom., 3, q. 15, a. 1-2; Card. Billot, th. XXIII; E. Hugon, p. 279-2S9; L. Janssens, p. 666-676.

neminem ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum, Jesu Christi D. N., *qui sine peccato conceptus, natus et mortuus,* humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit " x. Jam C. *Ephesinum* decreverat : " Non enim eguit oblatione qui peccatum omnino nescivit " 2.

(A) Immunis a peccato *actuali,* ut constat *Script. :* i) id enim *directe* declaratur : " Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus "3; et alibi : "Decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus " 4. *2) Indirecte* etiam ; nam solus inter homines Christus potuit dicere : " Quis ex vobis arguet me de peccato " 5? et nemo serio tali affirmationi contradixit.

(B) Immunis *a peccato originali,* (a) *Scriptura* constat, tum quia, licet missus fuerit *in similitudinem carnis peccati*^, fuit tamen *absque peccato* 7; tum præsertim quia est *Filius Dei naturalis,* et ideo ab omni peccato immunis esse debet, (b) *Rat. theol.* Ii soli originale peccatum contrahunt qui naturaliter ex Adamo generantur, ut ex *Tr. de Deo Creante,* n. 447, patet ; Christus autem miraculose conceptus est virtute Spiritus Sancti.

1081. 2° Corollaria. (A) *Christus immunis fuit ab omni imperfectione morali.*

Ille est immunis a qualibet morali imperfectione qui universam voluntatem Dei *semper* agit, et ejus gloriam indesinenter promovet; atqui talis fuit Christus; nam ipse dixit : " Quæ placita sunt ei facio semper " 8... " Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam "9. Revera Verbum suos facere nequit actus moraliter imperfectos.

1082. (B) *Certum est Christum nullos habuisse inordinatos concupiscentia motus; immo tenendum est nec ipsum habuisse fomitem concupiscentia,* seu potentiam habendi motus inordinatos.

1 D. B., 711. — ' D. B., 122. — 3 *I Par.*. II, 22.
4 *Hebr* /II, 26. — 5 *Joan.,* VIII, 46. 6 *Rom.,* VIII, 3.
* Zfeir., IV, 15. — 3 *Joan.,* VIII, 29. — 9 *Joan.,* XVII, 4.

Probatur : (a) *Ex dictis;* nam concupiscentia est sequela originalis peccati, quod in Christo non fuit, (b) Ex Cone. *Œcum. V*ℓ declarante (can. 12) : " Si quis defendit Theodorum impiissimum Mopsuestemrm, qui dixit alium esse Verbum et alium Christum, a passionibus animæ et concupiscentiis carnis molestatum, et a malis paulatim separantem se, et ita ex promotione operum melioratum... A. S. " 1.

Quoad *ipsum fomitem,* sic arguit *Angelicus Doctor'l :* Quanto gratia et virtutes perfectius in anima radicantur, tanto magis appetitum sensitivum rationi subjiciunt; sic igitur patet quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis; atqui in Christo fuit virtus secundum perfectissimum gradum, ex infra probandis; ergo in eo fomes peccati non fuit 3.

Christus autem *non fuit immunis ab impugnationibus mundi et diaboli,* sed e contra fuit " tentatus per omnia, pro similitudine, absque peccato ", et ita victoriam promeruit, nobisque exemplum reliquit, quod, adjuvante gratia, imitari possumus, strenue contra tentationes certando *.

20 De impeccabilitate Christi.

1083. *Thesis :* Christus homo fuit absolute impeccabilis.

Certum est contra *Giinther, Farrar* 5 et paucos alios, qui, dum admittunt Christum de facto non peccavisse, contendunt in ipso tamen fuisse peccabilitatem.

(A) *Probatur* ex communi Patrum consensu, inter quos audire sufficiat S. *Cyrillum Alex,* de Jesu dicentem6 : " Eximiam naturæ divinæ prærogativam sortitus (est), nimirum *non posse peccare".*

Quod *Origenes i* comparatione illustrat : " Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris omnibusque

' D. B., 224. — 2 *Sum. theol.,* q. 15, a. 2.
3 Immo plerique theologi tenent nec de potentia Dei absoluta potuisse in Christo esse fomitem peccati ; quod probant iisdem fere argumentis. Cf. Salmant., disp. XXV, dub. 4, Gonet, disp. XX, a. 2.
* *Luc.,* IV, 1-13; *Hebr.,* IV, 15.
5 Giinther, *Vorschule,* II, 441 sq. ; Farrar *, *The Life of Christ,* c. 9.
6 *In foan.* VIII, 29, *P. G.,* LXXIII, S50.
7 *De Principiis,* 1. II, c. 6, *P. G.,* XI, 211.

venis ignem recipiens, et tota ignis effecta, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc, quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam et indesinenter ardentem, posse frigus aliquando recipere... Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic *semper in Verbo,* semper in *sapientia,* semper in *Deo posita* est, omne quod *agit,* quod *sentit,* quod *intelligit Deus est;* et ideo nec convertibilis et mutabilis dici ροιβεζ quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit ". yl

(B) *Dat. theol.* (fi) Juxta *Scotistas,* hæc impeccabilitas non oritur ex ipsa unione hypostatica, sed ex *visione beatifica :* ille est impeccabilis qui Deum intuitive videt : clare enim intelligit Deum esse finem maxime amandum, eique adhæret sicut nunc necessario bonum in genere appetimus; atqui Christus ab initio intuitive Deum vidit et quidem modo perfectiori quam Beati in cælo ; ergo fuit impeccabilis. (b) Sed S. *Thomas* ac communiter theologi hanc impeccabilitatem merito desumunt prius ex *unione hypostatica :* meritum et demeritum actionum Christi hominis in personam Verbi redundant, cum Verbum *dirigat, gubernet* ac *suas* faciat omnes actiones humanæ naturæ assumptæ; atqui repugnat ut Verbum possit dici peccator; ergo impossibile est ut humana natura Christi peccare possitL

Art. II. De Scientia humana Christi 2.

1084. Status quæstionis. (A) *Christum habuisse animam vere rationalem proindeque intellectum creatum,* de fide est contra Apollinaristas (n. 1009) juxta Symb. *Athanasia-*

' Hinc S. Thomas (in III dist. 12, q. 2, a. 1) de Christo ait : " Secundum quod fuit Deus, et anima ejus et corpus fuerunt quasi organum deitatis, secundum quod deitas regebat animam, et anima corpus : unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam, sicut nec Deus potest peccare ". — Attamen sententia Scoti a theologica censura immunis est, ex declaratione S. Congregationis jussu Pauli V edita, quia ex ipsa visione beatifica sufficienter demonstratur impeccabilitas.

* Cf. S. Thom., q. 9-13; Suarez, disp. XXIV-XXX; Salmant, disp. XVII-XXtl; Billuart, diss. X-XII; Stentrup, th. 69-73; Franzelin, th. 42; Legrand, diss. IX, c. 2, a. i; Pesch, η. 241-275; L. Labauche, p. 25459.; Card. Billot, th. XIX-XXI; E. Hugon, p. 197-213; J. Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinitt,* 1919, p. 513-544; Hervé, n. 420-436; A. Michel, *D. T. C.,* vocab. *Jisus-Christ,* 1273.

num, ubi dicitur : " (Christus est) perfectus homo, ex *anima rationali* et humana carne subsistens ",

(B) Errores. *Protestantes* non pauci, imprimis *Liberales,* nostris præsertim diebus, plus aequo hanc scientiam limitant, ut nobis similior Christus appareat, veri progressus capax et omnino liber : hinc contendunt eum multa ab initio ignorasse, et suam missionem nonnisi post aliquod tempus et quasi pedetentim novisse. Eumdem fere errorem profitentur : (a) *Guntheriani* paucique alii catholici modemi, ut *H. Schell,* docent Christum ut hominem visionem beatificam non habuisse saltem ab initio; sed multa ignorasse, quæ nonnisi paulatim didicit; (b) *Moderniste, Liberalium* vestigiis inhærentes, dicunt : " criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite...", et speciatim, eum " non semper habuisse conscientiam suæ dignitatis messianicæ "[x].

Dicemus : i° de scientia Christi *in genere ;* 2° de *triplici* ejus scientia *in specie.*

§ I. De scientia Christi in genere.

1085. *Thesis :* Christus ut homo scientiam eximiam habuit ab omni errore et ignorantia immunem.

Certum est ex damnatione *Agnoetarum* 2, *Modernistarum* 3, necnon sequentium propositionum *a S. Officio* 4 (7 junii 1918) : " 1) Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam quam habent beati seu comprehensores. — 2) Nec certa dici potest sententia quæ statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, præterita, præsentia et futura, seu omnia quæ Deus scit scientia visionis. — 3) Placitum quorumdam recentiorum de scientia animæ Christi limitata, non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali ", Tres illæ propositiones *tuto* doceri nequeunt, ideoque sunt saltem temerariæ.

Dixi : ab *omni ignorantia immunem,* non quidem eo sensu quod ejus scientia humana fuit infinita, sed quatenus nihil ignoravit eorum quæ ad proprium statum spectant, nempe ab initio cognovit in Verbo omnia, præterita, præsentia et futura, seu omnia quæ Deus scit scientia visionis.

[1] D. B., 2032-35. — [2] D. B., 248. — [3] D. B., 2032.

i° **Juxta Scripturam,** Christus, **plenus** gratiæ et veritatis[1], omnibus thesauris sapientiae et **scientiæ ditatus**[2], cordium scrutators et futurorum **nuntius**[4], est magister quem nos audire debemus[5], testis æternæ **veritatis**[6],* et fratribus suis hominibus veram perfectamque **lucem et** cognitionem Dei affert. Porro hæc omnia **ostendunt** doctorem eximia scientia ornatum et infallibilem, **ne** quis eum sequens in tenebris ambulet[7]. H |

1086. 2° Quoad **Patres,** tria præsertim **stadia** distingui possunt.

(A) *Per tria, priora sœcula,* sæpe agitur de Christo *luce* et *padaζoξo* hominum, sed nonnisi *obiter* de perfectione et extensione scientiæ humanæ qua præditus erat. 5. *Irentzus,* Gnosticorum intellectualem superbiam retundere volens, asserit Christum non erubuisse fateri solum Patrem judicii diem et horam scire, ut ita nos doceret humiliter de nobismetipsis sentire et agnoscere Patrem esse super omnia[3][5] — *Origenes* vero animadvertit Christum aliquando alios interrogare, non quia nesciebat, sed volens se hominum moribus accommodare[9], et ita supponit ignorantiam consistere non posse cum dignitate Salvatoris.

1087. (B) *Sœculis IVe et Ve,* occasione Arianæ hæresis, de scientia Christi directe **disputatum** est. **Ariani** enim dicebant Christum plura ignorasse, præcipue **diem** judicii eumque ih scientia vere profecisse[10]. **Patres autem** diversimode hanc difficultatem solvunt : omnes quidem **asserunt** Christum *ut Deum* infinita scientia pollere, sed **pauci** concedunt eum, *ut hominem,* quædam ignorasse, præsertim diem judicii, licet asserant eum ab errore **immunem** fuisse.

(a) Quidam *Grtzci* videntur fateri Christum ut *hominem,* quædam parum utilia ignorasse. Ita S. *Athanasius :* " Quoniam enim

[1] *Joan.,* I, 14. — [2] *Coloss.,* II, 3. — [3] *Malt.,* IX, 4 ; XII, 25, etc.
[4] *Marc.,* X, 33; *Malt.,* XX, 17-19; XXVI, 21-25, 31, 34, 47*49. 57; XXVII, 2, 26, 30, etc. Præcipuas Christi prophetias retulimus in *Tr. de Vera Religione,* n. 413-417.
[5] *Malt.,* XXIII, 10; *Luc.,* IX, ^*Joan.,* XIII, 13.
[6] *Joan.*. III, ii; XVIII, 37. *Apoc.,* I, 5. — [7] *Joan.,* VIII, 12.
[8] *Adv. hares.,* II, 28, 6-8, *P. G.,* VII, 808-811. ز |
[9] Comment, *in Matt., P. G.,* XIII, S65, 1686-16S8. I

[10] Objiciebant siquidem hos textus : " De die autem illo, vel hora, nemo scit neque Angeli in cœlo, *neque Filius,* nisi Pater" *{Marc.,* XIII, 32); "Jesus proficiebat *sapienlia* et ætate et gratia apud Deum et homines" *{Luc.,* II, 52).

homo factus est, idcirco propter carnem ignorantem dicere non erubescit : Nescio, ut scilicet ostendat se ut Deum scire, at secundum carnem ignorare. Itaque non dixit ; Neque Filius Dei novit, ne divinitas ignorare videretur; sed tantummodo : Neque Filius, ut nimirum ignoratio Filii ex hominibus nati esse intelligeretur ”*. idem sentire videntur S. *Basilius, S. Gregorius Naz., Theodoretus, S. Cyrillus Alex.*1 3 Fatendum est tamen eosdem Patres alibi aliter rem explicare, dicendo nempe Christum diem judicii non ignorasse, sed *manifestare noluisse,* quia id opportunum non judicabat 3. *Benigne* igitur intelligi possunt alii textus, ut ita vitetur contradictio in eorum verbis. Pariter profectum ejus in sapientia explicant eo sensu quod paulatim manifestavit thesauros sapientiæ quæ in eo erant ab initio 45

(b) Inter *Latinos,* pauci quamdam ignorantiam in Christo agnoscere videntur. Ita 5. *Ambrosius* 5, 5. *Fulgentius*6.* Sed multo plures, cum S. *Augustino,* affirmant nullam in eo fuisse ignorantiam : “ Quam plane ignorantiam nullomodo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis ” 7. Si igitur Dominus aliquando dixit se aliquid nescire, ita locutus est quia non expediebat id hominibus revelare : “ Mavult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, petentibus his quæ cognitu inutilia judicaret, videri ignorare quod noverat, quam negare”8... Quæ doctrina ita communiter ab Episcopis Africæ et Galliæ meridionalis erat accepta ut *Leporius* monachus, qui docuerat Christum aliqua ignorantia laborasse, subscribere debuerit libellum emendationis, a quinque episcopis Africæ et Galliæ approbatum, in quo suam opinionem retractabat et anathematizabat 9 “ quia dici non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum ”.

1088. (C) *A sæc. VI0 ad* occasione hæresis Agnoetarum, communis evadit sententia *Christum nihil*

1 *Adv. Arianos,* III, 43, *P. G.,* XXVI, 413; Journel, 774.

2 Quos textus invenies ap. Journel, 913, 992, 1178, 2072; aut J. Lebreton, *op. cit.,* ia ed., p. 450-456, et4* ed., p. 514, sq.; p. 529, hos Patrum textus explicat.

3 Ita 5. *Athanasius, S. Basilius, S. Gregor. Naz., S. Chrysostomus.*

* Ita S. Cyrillus Alex., *Contra Nestorium,* 1. III, c. 4; T'. *G.,* LXXVI, 153.

5 *De Incarnat, sacram.,* VII, 71-74, *P. L.,* XVI, 836-837.

6 *Ad Trasimund.,* I, 8, *P. L.,* LXV, 231.

1 *De peccat, meritis,* II, 48, *P. L.,* XLIV, 180.

8 *De Fide,* V, 220, 222.

* *P. L.,* XXXI, 1226; Journel, 2049.

ignorasse ex iis quæ ad munus suum spectant, et hoc munus ad omnia sese extendere, etiam diem judicii.

Agnoetæl, duce Themistio Alexandrino diacono, Monophysitarum erroribus imbuti, contendebant Christum, id est naturam quæ ex commixtione utriusque naturæ consistebat, ignorare diem judicii; ex quo sequebatur naturam Verbi ignorantiæ fuisse participem. Quos impugnavit *Eulogius,* Alexandria patriarcha, qui aperte docuit humanitatem Christi, utpote Verbo Dei hypostatice unitam, neque præsens neque futurum ignorare posse [2]. Cujus doctrinam adprobavit Papa 5. *Gregorius M.,* qui simul Agnoetas ut hæreticos anathematizavit. In *epistola, ad Eulogium* scribebat [3] : " Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quod ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit, ita et omnipotens Filius nescire se dicit diem quem nesciri facit, non quod ipse nesciat, sed *quia hunc sciri minime permittat* ". — Ceteri Patres doctrinam SS. Augustini et Gregorii amplexi sunt. — Eam ampliaverunt Scholastici, triplicem scientiam in Christo distinguentes, ut mox dicemus.

1089. Conclusio. Inspectis igitur Scriptura et Traditione, scientia Christi fuit *certe eximia* et *ab errore immunis;* nam error positivus est malum intellectus, sicut peccatum est malum voluntatis, ideoque Christo tribui nequit, cujus mens hypostatice unita erat ipsi veritatis fonti : Verbum enim non potest *sua* facere judicia *falsa.* — Fuit etiam *ab ignorantia immunis,* cum ea ignorare quæ ad proprium statum spectant sit magna imperfectio quæ Christum dedecet.

Difficultates autem quas *Liberales* et *Modernisiez* desumunt e prædictione regni Dei eschatologici tanquam proxime venturi, jam solutæ sunt in *Syn. theol. fund.,* n. 620.

§ II. De triplici scientia Christi in specie.

1090. Scholastici, ea ratione innixi quod Christo tribuendum sit quidquid perfectionis est in creaturis, dummodo fini Incarnationis non repugnet, ei merito adseribunt omnem scientiam quæ creato intellectui inesse potest. Jamvero triplex scientia distingui potest : (a) scientia *beata* seu visio *beatifica,* qua Deus facie ad faciem *intuitive* videtur

[1] A. Vacant, *Agnoiles,* in Z>. *T.* C., L I, 586-596.

[2] Cujus opus hodie amissum breviter contrahit Photius, *Biblioth* cod CCXX, a *g.,* CIII, 1081.

resque videntur in Eo; (b) scientia *infusa,* qua res cognoscuntur per *species* a Deo infusas; (c) scientia *experimentalise* quæ acquiritur per *exercitium* sensuum et intellectus.

I. De visione beatifica r.

Tria declarabimus : *existentiam, objectum, dotes* hujus scientiæ beatificæ.

1091. i° *Thesis :* In anima Christi, a primo instanti, fuit intuitiva visio.

Certum est ex unanimi theologorum consensu et ex damnatione hujus propositionis a S. *Officio* (n. 1085) : " Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam quam habent beati seu comprehensores

(A) Scriptura *valde probabiliter* statuitur : 1) nempe ex iis locis in quibus Christus testatur se *videre Deum :* "Ego quod *vidi* apud Patrem meum *loquor"*[2] "Arnen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod *vidimus testamur"* 3. Atqui hæc verba valde probabiliter de *Christo homine* dicuntur; nam Christus ea *testatur* quæ vidit; atqui testatur ut homo; ergo videt ut homo. — Attamen verba hujusmodi et similia possunt etiam, licet minus probabiliter, de ipso Verbo intelligi vi unionis hypostaticæ et communicationis idiomatum : Ego quod vidi ut *Verbum...* loquor ut *homo**. — 2) Ex verbis in quibus Christus asserit se Patrem *novisse* et *scire :* " Est Pater meus qui glorificat me... et non cognovistis eum; ego autem *novi* eum; et si dixero quia non *scio* eum ero similis vobis mendax " 5. Hæc sane Christus protulit ut homo, quia glorificatur ut homo; atqui scientia quam sibi vindicat est scientia perfecta, sine restrictione, quæ non alia esse potest nisi scientia beata 6.

1 S. Thom., 3, q. 9, a. 2, q. 10; Card. Billot, th. XIX; L. Janssens, t. IV, p. 402-453; E. Hugon, p. 214-218, 227-233; Hervé, n. 428-433.

2 *Joan.,* VIII, 38.

3 *Joan.,* III, 11; cfr. *Joan.,* III, 32; VI, 46; VIII, 14.

4 Quod fatetur L. Janssens, *op. cit.,* p. 4ii;idem dicit de aliis textibus a Card. Billot allegatis.

5 *joan.,* VIII, 54'55-

6 Ita Janssens, p. 407-408.

(B) *Tradit,* (a *Implicite* hanc thesim asserunt Patres docendo scientiam Christi fuisse ab initio perfectam et interni profectus incapacem; nisi enim visionem beatificam habuisset, ejus scientia nec perfecta nec augmenti incapax fuisset, (b) *Explicite,* licet *subobscure S. Augustinus* id declarat, discrimen instituendo inter Christum et ceteros homines, occasione resurrectionis Lazari e monumento : hi Deum facie ad faciem non vident, dum Christus etiam degens in terra nihil ignoravit, ita ut nihil eum lateret : " Quantum autem intersit inter hominem quem Dei sapientia gestabat (Christum) et ceteros homines hinc intelligitur quod... etiam renata anima nisi resolutione corporis libera ab omni peccato et ignorantia esse non potest quamdiu per *speculum* et in *cenigmate* videt Dominum... Ipse solus in carne non tantum monumento non est oppressus ut aliquod peccatum in eo inveniretur, sed nec linteis implicatus ut eum aliquid lateret"r.

(c) Certo autem probatur *unanimi theologorum consensu :* nam theologi omnium scholarum, a sæc. XII usque ad tempora nostra, unanimes sunt in propugnanda thesi nostra; jamvero " concordem omnium theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est " 2.

(C) *Rat. convenientia.* (a) Christus, ut homo, præceptor generis humani, homines ad visionem beatificam dirigere debuit, juxta illud : " Ego sum via et veritas et vita "3; atqui hoc munus perfecte exercere nequivit nisi, per visionem beatificam, perfectam cognitionem habuerit mysteriorum et ipsius beatitudinis 4; ergo hanc habere debuit, (b) Heres naturalis statim hereditate fruitur, nisi aliquid adsit quod ejus possessionem impediat; atqui Christus ab initio erat naturalis Dei Filius, proindeque heres, nec aderat impedimentum quo hereditatem adire prohibitus fuerit; ergo ab initio fruebatur divina hereditate, scilicet visione beati-

mi

•l!
•li<
illi
1)11
'III

* *De diversis questionibus 83,* q. 60, *P. L.,* XL, 60. Alii quidem textus afferuntur, sed nonnisi probabiliter ad visionem beatificam referuntur, ut scribit P. Galtier, *P. Sc. P.,* fév. 1925, p. 54-68. — J M. Canus, *Loc. theol.,* l. VIII, c. 4. Cf. *Sum. theol.,* 3, q. 15, a. 3. Merito ait Suarez, disp. XXV, sect, i : " Existimo contrariam sententiam etiam *erroneam* et *proximam haresi". — 3Jean.,* XIV, 6. — 4 S. Thom., 3, q. 9, a. 2.

fica *. (c) Hoc genus cognitionis competit Christo ut propriae divinitatis ab initio clare conscius esse valeat; atqui necesse erat ut Christus ab initio suae divinitatis conscius esset.

1092. (D) *Solv. diffic.* (a) Si Christus ab initio Deum vidit facie ad faciem, non *viator,* sed comprehensor fuit, neque mereri potuit : *Resp.* Christus fuit *simul viator* et *comprehensor;* fuit quidem comprehensor, quatenus visione beatifica fruebatur; fuit autem viator, quatenus experimentalem et infusam scientiam habuit.

(b) Qui visione beatifica fruitur, pati nequit; atqui Christus passus est; ergo. *Resp.* Christus fruebatur quidem visione beatifica, sed Deo ita permittente, visio beatifica in superiori parte animæ continebatur, ac proinde tum corpus, tum inferior animæ pars pati poterant. Immo et quod ipsa superior pars animæ aliquando videbatur derelictioni obnoxia, juxta illa verba Christi in cruce [1]3: " Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ", hoc non est incompossibile cum gaudio visionis intuiiivæ : martyres dum fortiter pro Deo tormenta tolerarent, gaudebant quidem pro ejus nomine pati, sed simul pcenam acerbam sentiebant.

1093. Hujus sciontisc objectum. *Primat tum objectum visionis beatifica in Christo fuit Deus ipse, unus et trinus,* (a) Certe visio illa *perfectior* in Christo fuit quam in qualibet alia creatura, Angelis non exceptis. Nam tanto magis quis videt Deum quanto propinquior est ipsi; atqui, anima humana Christi propinquior est Deo quam quaelibet alia creatura, cum ei uniatur in persona [3]. (b) Attamen illa visio *non erat comprehensiva;* Deus enim est infinitus, intellectus autem humanus Christi finitus [4]. Unde C. *Basileense* hanc propositionem damnavit : " Anima Christi videt Deum tam clare et intense sicut Deus videt seipsum " [5].

(B) *Secundarium objectum visionis beatifica in Christo fuerunt omnia contingentia* praeterita, praesentia et futura. Etenim Beati in Deo vident omnia quæ ad suum statum pertinent; atqui cognitio omnium contingentium ad proprium statum Christi pertinet : cum enim sit Caput, Rex et Judex omnium hominum, cognoscere debet omnia quæ

1 **Suarez, disp. XXV, s. I, n. 4.**

' *Maith.*, **XXVII, 46.**

3 **S. Thom., 3, q. 10, a. 4.** — 4 **S. Th., 3, q. 10, a. 1.**

5 Sess. **XXII, ap. B. Carranza,** *Sum. Conciliorum,* **ibid.**

egerunt et agent, etiam cordium secreta; cum insuper sit aliquo sensu Caput .Angelorum, debet etiam cognoscere ea quæ ad ipsos pertinent. Unde, ut ait S. *Thomas,* "ad Christum et ad ejus *dignitatem* spectant quodam modo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia ".

Hinc : anima igitur Christi : i) *ab initio* cognovit in Verbo *omnia qua Deus scit scientia visionis.* 2) Attamen *non* cognovit *omnia possibilia,* quia cognitio omnium possibilium infinitam scientiam requirit[x]. 3) Non cognovit *infinita actu,* cum neque substantiæ neque accidentia, quæ Christus videt, sint infinita actu; sed cognovit *infinita in potentia,* quia vidit omnia quæ sunt in potentia creaturæ : hæc autem sunt infinita in potentia.

30 **Dotes hujus scientiæ.** Jam diximus hanc visionem perfectiorem fuisse quam in aliis creaturis, quia anima Christi propinquior erat Deo. Insuper *communiter* admittitur a theologis cum S. Thoma, *nullum incrementum* fuisse in visione beatifica Christi, sed eam fuisse tam perfectam ab initio quam in fine vitæ ipsius; et eamdem fuisse non habitualem tantum, sed in actu, quatenus in \rerbo simul et omnia actu cognoscebat [2].

II. De scientia Christi infusa.

1094.1° **Status quæstionis.** (A) Scientia *per se infusa* ea est quæ ex se naturam alicujus excedit, atque idcirco sola communicatio divina obtineri potest, ut est, v. g.. cognitio futurorum contingentium, vel immediata essentiarum cognitio in homine mortali; scientia *infusa per accideris* ea dicitur quæ, licet ex se nativis viribus comparari posset, de facto tamen divina communicatione obtinetur, ut est, v. g., notitia alicujus idiomatis divinitus data.

(B) Quidam theologi, inter *Scotistas,* docent non fuisse in Christo scientiam *per se infusam,* quia talis scientia omnino inutilis videtur, cum jam Christus omnia cognoscat per visionem beatificam; aliunde quæ in Scripturis de ejus scientia leguntur, satis explicantur admissa scientia beatifica et experimental! ; quæ quidem duplex scientia pariter sufficit ad dignitatem Christi, munusque Redemptoris adimplendum.

1095.20 **Communis sententia.** Plerique tamen theologi, cum S. *Thoma,* affirmant in Christo fuisse *scientiam per se infusam.* Nam ea scientia Christo tribuenda est, quæ ejus dignitatem decet et aliunde *fini Incarnationis* maxime *convenit.* Atqui scientia *per se* infusa : 1) *dignitatem*

[2] S. Thom., 3 *Sent.** a. 2, q. 3.

Christi omnino decet : congruit enim ut humanitas Christi perfecta sit in ordine cognitionis sicut in ordine .essendi ; atqui humanitas Christi non esset perfecta si infusa deesset scientia; tunc enim anima Christi *in potentia* maneret quoad res multas quas *in seipsis* per *species proprias* cognoscere valeret. 2) Aliunde talis scientia exigitur a statu termini et competit naturaliter angelis et animæ separatæ. Ergo non defuit Christo qui ab initio fuit in statu termini secundum se, et præterea est caput angelorum et hominum.

1096. 3° Objectum hujus scientiæ[1]. Probabilius Christus omnia novit, præter essentiam divinam, nempe creationem universam, omnia naturalia et simul gratiæ mysteria; hæc scientia versatur circa omnia singularia, præsentia, præterita et futura, quatenus spectant ad Christum judicem ac dominum omnium.

40 Dotes, (a) Christus potuit, pro libitu, hac scientia uti vel *absque conversione* ad phantasmata, quia jam erat *comprehensor* ratione visionis beatificæ, vel *cum conversione* ad phantasmata, quia erat *viator* et poterat phantasmatibus uti quasi exemplis et speculis, sicut ille qui, potens aliquod objectum videre in seipso, voluntarie illud in speculo intuetur.

(b) Hæc autem scientia *non* fuit *discursiva* quoad *acquisitionem,* sed potuit esse discursiva quoad *usum,* quia naturale est homini de una re in aliam discurrere.

(c) *Non* erat semper *in actu ;* sed per modum habitus, ita ut Christus ea uti posset quando volebat; et ita distinguebatur a scientia beata quæ est semper in actu.

(d) Unde scientia infusa Christi fuit inferior quoad *cognoscendi modum* angelicæ scientiæ, quatenus in Christo multiplicari debuerunt species, ut servaretur modus connaturalis animæ humanæ; sed *simpliciter* fuit *perfectior* ex multiplici capite[2], quia species in anima Christi infusæ

[1] De objecto et proprietatibus hujus scientiæ infusæ vide ea quæ habet S. Thomas, 3, q. 9, a. 3 j q. II, x 1-6; Faber, *Bethlehem,* chap. 6 p. 276.

[2] *Sum. theol.,* 3, q. II, a. 5.

erant *supernaturales** potentiori lumine res repræsentabant, et cum majori claritate et distinctione.

III. De scientia Christi experimental!.

1097. i° *Thesis :* Admittenda est in anima Christi scientia experimentalis. *Certum est.*

(A) S. Paulus de Christo dicit : "Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex eis quæ passus est, obedientiam'*; atqui illa verba important Christum, qui jam aliunde *theoretice* obedientiam cognoscebat, per *propriam experientiam** per dolores ex obedientia susceptos, modo *novo* et *practico* quid sit obedientia, quid secum involvat cognovisse; sicut v. g., astronomus, qui jam mathematicis rationibus planctæ existentiam noverat, eam novo modo cognoscit ope telescopi videndo.

(B) Ex dictis supra, Christus habebat intellectum vere *humanum** et exinde aptum ad ideas a rebus sensibilibus abstrahendas ope sensuum externorum et internorum ; atqui talis intellectus *otiosus* remanere nequibat, sed ex quotidiana inspectione creaturarum, ideas ac proinde scientiam acquirere debebat ; ergo habuit scientiam acquisitam.

1098. 20 **Objectum.** Communiter asseritur scientiam ejus acquisitam sese extendisse ad omnia quæ naturaliter cognosci possunt per virtutem intellectus agentis, non autem ad omnia, ac non ad essentias substantiarum separatarum, nec singularia praeterita, præsentia et futura, quæ tamen cognovit per scientiam infusam. Omnis enim scientia quæ in eo fuit, debuit esse perfecta in suo genere, cum nihil imperfectum sine necessitate in eo ponendum sit; atqui scientia acquisita imperfecta esset, nisi sese ad omnia præfata protenderet, cum sint objectum adæquatum intellectus.

Nec dicatur Christum per scientiam infusam hæc omnia jam cognovisse; nam ad perfectionem ejus intellectus pertinet non solum omnia cognoscere, sed etiam *omni modo* cognoscendi quod sibi competit '.

Probabilius docet S. *Thomas* Christum, etiam quoad scientiam acquisitam, nil ab hominibus et Angelis didicisse in his quæ pertinent ad scientiam *proprie* dictam, quamvis aliquid didicerit *mere experimentale** ut verba et signa mere artificialia. Decebat enim ut ille qui est *primus Doctor* ab aliis scientiam veram non acciperet.

' *Hibr.,* V, S. — › S. Tbotn., 3, q. 12, a. 1. __ 1 p. Vigué, *R. S. R* 1920, p. 1-27.

1099. 3° **Qualitates.** Illa scientia *successive, prompte,* abundantius, sine errore et celeriter pro perfectione cognitivarum potentiarum, acquisita fuit, ac proinde *verum progressum* accepit, quatenus Christus successive novas res videbat, ex eis novas ideas acquirebat, et ex ideis jam habilis novas conclusiones deducebat ». Hoc sensu accipi possunt hæc Scripturae verba : " Jesus proficiebat *sapientia,* et ætate, et gratia apud Deum et homines"'. Si vero agitur de scientia beata vel infusa, hæc verba non sunt intelligenda de vero progressu, sed tantum de successiva manifestatione sapientiæ jam habitæ.

1100. **Conclusio.** Tres hujusmodi scientiæ potuerunt simul existere in Christo. Scientia enim beata non exigit formam intelligibilem in mente receptam, cum Deus ipse vices gerat speciei impressæ in intellectu Beatorum, ideoque coexistere potest cum duabus aliis, quin intellectus informetur simul pluribus speciebus intelligibilibus. Aliunde duæ aliæ scientiæ non sunt semper in actu, ideoque in intellectu Christi non erat commixtio diversarum specierum intelligibilium. Hac autem triplici scientia extollitur dignitas Christi : scientia *beata,* est caput *Beatorum* in cælo; scientia *infusa, Angelis* præcellit; scientia *acquisita, hominibus* in terra degentibus præeminet

Art. III. De dotibus voluntatis Christi.

Jam supra (n. 1025) ostendimus in Christo esse voluntatem humanam a voluntate Verbi distinctam. Præcipuas autem dotes hujus voluntatis exponere juvat, i° ejus perfectam *subjectionem Patri;* 2° ejus *libertatem ;* 30 ejus *potentiam.* De ejus *sanctitate* jam egimus ubi *gratia Christi.*

§ I. De subjectione Christis.

1101. *Thesis :* **Christus homo Patri subjectus fuit secundum bonitatem, dispositionem, obedientiam et orationem.** *Certum est.*

(A) Secundum *bonitatem:* bonitas Christi quatenus humana multo inferior est bonitati divinæ : Deus enim est bonus *per*

[*] S. Thom., 3, q. 12, a. 2. — ' *Luc.,* II, 52.

[3] S. Thom., 3, q. 20-21; ejus Commentatores; L. Janssens, t. IV, p. 714-719; Card. Billot, th. XXXII, XXXIII; E. Hugon, p. 333-338.

essentiam, dum Christus homo est bonus per participationem. Quo sensu Dominus dicit : " Unus est bonus, Deus " i ; " Pater major me est " a.

1102. (B) Secundum *dispositionem,* eo sensu quod dispositus erat in omnibus subjacere divinæ operationi, et omnia, etiam infausta, de manu Dei accipere. Quare, juxta S. Paulum, *formam servi* accepit 3, non quidem eo sensu quod servus erat eo modo *pœnali* quo servi dicuntur bello capti 4, sed in quantum omnis creatura Deo, cui servire regnare est, merito subditur.

1103. (C) Secundum *obedientiam,* quatenus præceptis Patris in omnibus *ex amore* subest. Ita, jam primo instanti conceptionis, dicit : " Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam "5; per triginta annos, Mariæ et Joseph, in quantum Deum repræsentabant, obedivit : " Et erat subditus illis " 6 ; per totam vitam activam, Patris voluntatem implevit : " Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me"7;ideo enim in mundum venerat ut faceret voluntatem ejus : "Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me etiam quando Pater calicem amarum ei præbebat : " Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat " 8 ; tandem obediens factus est" usque ad mortem, mortem autem crucis "9. Hanc vero voluntatem perfecte implebat *ex amore,* ad placendum Patri : " Quæ placita sunt ei, facio semper " I0, et ad eum glorificandum : " Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam " IX.

1104. (D) Secundum *orationem.* Oratio siquidem est vel adoratio vel petitio decentium a Deo; et ita est actus *subjectionis,* quatenus orans agnoscit se a Deo pendere et ope divina indigere.

(a) *Christum orasse super terram ex* Scriptura evidenter constat : " Erat pernoctans in oratione Dei " 12 ; " Ego pro

* *M"i.,* XIX, 7. – **Joan.,* XIV, 28. — 3 *Philip.,* II, 10.
4 Quo sensu C. *Prancofordeiue* prohibet ne Christus dicatur *servus;* D· B·, 313·
Hibr., X, 9. — *Luc.,* II, 51. — *ijoa.ii.,* IV, 34. — · *Luc.,* XXII, 42.
9 *Philip.,* II, iS. — 10*Joan.,* VIII, 29. — "*Joan.,* XVII, 4.
" *Luc.,* VI, 12.

eis rogo... non pro eis tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me " L 1) Certe oravit *adorando.* 2) Insuper *petivit* certo *pro aliis,* ut ex allato textu constat; sed etiam *pro se,* petendo, v. g., ut transiret calix afflictionis, si possibile esset, — ut nomen suum glorificaretur[2], — non autem glorificationem animae, cum hanc jam possideret

(b) Certum est etiam *Christum orare in cælo,* saltem *interpretative,* exhibendo nempe vulnera Patri ; sed, etiam *probabiliusformaliter,* cum sit "semper vivens ad interpellandum pro nobis " 4; cum enim sit sacerdos in aeternum, ei competit adoratio Patris et *petitio proprie dicta* pro nobis.

(c) Ejus oratio *proprie dicta* semper fuit *exaudita,* juxta illud Exauditus est pro sua reverentia " [5]. Oratio enim proprie dicta est manifestatio voluntatis efficacis; atqui voluntas Christi efficax semper exauditur, cum sit divinæ voluntati omnino conformis.

Conclusio. Ex hac subjectione Christi sequitur ejus voluntatem fuisse omnino *rectam* .-ea enim voluntas perfecta rectitudine pollet quæ est omnino conformis voluntati divinæ, cum hæc sit norma moralitatis.

§ II. De libertate Christi

II05. *Prænotanda.* Libertas *a coactione* est immunitas a vi externa, seu expedita potestas spontanee agendi, absque ulla coactione; libertas autem *a necessitate* est facultas eligendi unum præ altero, ita ut agens non sit intrinsece determinatus ad unum. Hæc iterum triplex est : libertas *contradictionis,* qua eligere possumus inter actum et non actum, v. g., inter amare et non amare; libertas *specificationis*^ qua eligere valemus inter actus specie diversos, v. g., inter deambulare et legere; libertas *contrarietatis,* qua quis eligere potest inter actus sibi contrarie oppositos, v. g., inter bonum et malum. — Jamvero Christus habuit quidem libertatem *contradictionis* et *specificationis, non* autem probabilius *libertatem contrarietatis* ad malum, cum esset impeccabilis, n. 1107.

[1] *Joan.,* XVII, 9, 20. *Matth.,* XXVI, 39 *oan.,* XVII, 5
[4] *Heb.,* VII, 25. - [5] *Hebr.,* V, 7.
[6] Cf. S. Th., q. I a. 4; Suarez, disp. XXXVII; Salmant., disp. XXVII Petavius, 1. IX, 7-8; de Lugo, *De Mysterio Incarnat.,* disp. XXVI Legrand, diss. IX c. 2, a. 3; Gazzaniga, *De Incarnat.,* s. II, diss. IV c. 6; Billuart, diss. XVIII, a. 3-4; Stentrup, th. 75-76; Galtier, n. 358 sq

1106. *I. Thesis :* Voluntas humana Christi vere fuit libera, non solum a coactione, sed etiam a necessitate, saltern in plurimis. *De fide est;* nam : i) de fide est Christo inesse omnes proprietates hurrtanæ naturæ connaturales, ex dictis; atqui de fide est unam ex his proprietatibus esse libertatem a necessitate, ut constat ex *Tr. de Actibus Hum.;* ergo de fide est Christum vere fuisse liberum.

2) Præterea de fide est ad meritum requiri libertatem a necessitate; nam ut *Jueretica* damnata fuit hæc Jansenii propositio : "Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine *libertas a necessitate,* sed sufficit libertas a coactione " 1 ; quod valet etiam de Christo qui nobis meruit justificationem.

(A) *Script,* (a) Christo tribuitur facultas inter duo *specie diversa* eligendi : " Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam; *non* enim *volebat* in Judæam ambulare " 2; quando volebat, ægros sanabat : " *Volo,* mundare" 3; quandoque respuit ea quæ sibi offeruntur : " Cum gustasset, *noluit* bibere " 4.

(b) Christus de passione sua loquens, ait : " Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso"5; quo loco utitur *Augustinus* ut demonstret animam Christi corpus non deseruisse invitam, " sed *quia voluit, quando voluit, quomodo voluit" 7.* "Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta"8; quod ita interpretatur S. *Chrysostomus :* "licebat ipsi nil perpeti, si voluisset; et potestatem habebat, si voluisset, crucem non adire " 9.

(c) Opera perficit *meritoria :* " Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam... in *qua voluntate sanctificati sumus* per oblationem corporis Jesu Christi " Io ;" Factus obediens usque ad mortem... *propter quod* et Deus exaltavit illum"11.

* D. B., 1094, S20, S42.

'*Joan.,* VII, 1. — 5 *Matth.,* VIII, 3.

4 *Matth.,* XXVII, 34. — **Joan.,* χ, 17-18.

6 *De Trinit.,* 1. IV. c. 13, n. 16; *P. L.,* XLII, S98.

7 Cf. *Gal.,* II, 20, ubi S. Paulus dicit Christum seipsum morti tradidisse propter dilectionem suam erga nos : quod libertatem supponit.

8 *Hebr.,* XII, 2. — » *Houiil. 28 in Heb.,* n. 2, *G.,* LXIII, 193.

10 *Hebr.,* X, 9-10. — " *Phil.,* II, 8; *Hebr.,* V, S.

Atqui obedientia et meritum libertatem supponunt; nam nemo actui necessario meritum obedientiæ tribuit, nemo præmio dignum putat opus nisi libere perficiatur; ergo Christus fuit liber.

(B) Ratio quam S. *Thomas* affert, hæc est. In Christo fuit voluntas non solum ut natura, sed etiam ut *ratio,* quatenus nempe ferebatur in media ad finem; atqui voluntas ut ratio importat electionem mediorum ad finem, ideoque liberum arbitrium. Ergo Christus fuit liber.

1107. II. Objectum libertatis in Christo. Disputant Theologi circa *objectam et extensionem* libertatis in Christo, propter difficultatem eam cum impeccabilitate conciliandi in rebus praeceptis, præsertim quoad *præceptum moriendi :* nam, si potuit violare praecepta, impeccabilis non fuit; si vero non potuit praecepta violare, liber non fuit.

i° *Vasquez, Lugo,* aliique, docent Christum non fuisse liberum circa substantiam, sed solum *circa circumstantiasprceceptorum, et* circa *actus qui non cadunt sub prcecepto;* v. g., juxta ipsos, Christus non erat liber circa præceptum amandi Deum, sed circa circumstantias temporis, modi, circa intensitatem actus, etc. Si Christus, inquiunt, fuerit liber circa præcepta, potuit ea violare : porro qui potest violare præcepta, potest peccare, nec proinde est impeccabilis. Si vero liber tantum fuit in iis actibus qui non cadunt sub præcepto, poterat eos eligere vel non absque peccato.

Ut autem explicent *quomodo* Christus fuerit liber *in moriendo,* alii dicunt cum *Petavio* Christo impositum fuisse a Patre præceptum moriendi *non strictum,* sed latum et improprium, cui absque peccato non obtemperare potuisset *; alii contendunt tale præceptum fuisse *conditionatum,* ita ut ab eo dispensationem habere

1 Nec desunt testimonia ex quibus colligi possit vocem *mandatum* talem significationem apud auctores sacros obtinere, v. g. : " Dominus enim*pracepit* ei ut malediceret David " ; " et præcepit turbæ ut discumberent super terram " *{IV Reg.* XVI, io; *Matt.,* XV, 35; Cf. *Marc.,* VII, 36; X, 3-5; *Matt.,* XIX, 7-8). Ad hanc sentem'am reducitur theoria Card. Billot, thesis XXX, juxta quem : ""Cum vellet Deus absoluta voluntate beneplaciti redemptionem hominum per liberam satisfactionem in morte crucis, eo ipso dicendus est non imposuisse Christo præceptum patiendi, sed ipsum beneplacitum divinæ voluntatis metaphorice dicitur in Evangelio præceptum sive mandatum, secundum quod apud nos homines præeeptum solet esse signum voluntatis in superiore exsistentis ".

potuisset; alii tandem admittunt fuisse vere præceptum *quoad, substantiam, non* autem *quoad circumstantias* mortis, ac proinde Christum liberum fuisse circa hujusmodi circumstantias.

Hujusmodi explicationes difficile conciliantur cum Scriptura, quæ declarat non solum mortem ipsam, sed ejus circumstantias fuisse a Deo præscriptas : "hoc totum factum est ut adimplerentur Scripturæ " [1]; et aliunde voces *mandatum, obediens,* etc., attento contextu, de simplici consilio accipi nequeunt

1108. 2° Juxta *Thomistas,* quibus hac in re substantialiter [2] assentiunt *Suarez, Lessius, Pesch,* aliique, Christus fuit *liber in omnibus,* non solum circa circumstantias praeceptorum, sed etiam *quoad ipsam substantiam præcepti.* (A) Etenim (a) Scriptura aperte declarat Christum fuisse liberum in *morte* subeunda, ut ex dictis patet; atqui acceperat tamen *verum* moriendi *præceptum,* ut docet Scriptura : " Ego pono animam meam... hoc *mandatum* accepi a Patre meo"; confirmatur ex eo quod Christus fuit *obediens usque ad mortem;* atqui obedientia proprie dicta versatur circa vera præcepta; ergo Christus fuit liber in. observando moriendi praecepto, et si ita est, nil impedit quin liber fuerit etiam circa alia præcepta. (b) Insuper si admittitur Christum fuisse liberum solum circa circumstantias praeceptorum, tunc *tollitur prcecipua pars meritorum Christi,* cum principale meritum desumatur ex ipsa substantia actus, (c) Tandem, si admittitur systema adversum, tollitur proprie dicta obedientia Christi; nam Christus non fuit obediens in servando præcepta, quia circa eadem non erat liber; pariter non fuit obediens circa praeceptorum circumstantias quia non cadebant sub praecepto, nec proinde sub obedientia proprie dicta.

(B) Ita vero conciliant libertatem cum *impeccabilitate :* Christus habuit semper gratiam efficacem ad bonum faciendum, quæ gratia ei debebatur propter unionem hypostaticam. Porro qui semper habet gratiam efficacem remanet quidem liber, cum gratia libertatem minime destruat, ut dicetur in *Tr. de Gratia,* sed tamen non

[1] *Afaith.,* XXVI, 56.

[2] Discrimen inter Thomistes et discipulos Suarezii oritur ex diverso modo gratiæ efficaciam explicandi.

peccat, seu habet privilegium impeccantiae; ille autem, cui *debetur* talis gratia efficax, non solum non peccat, sed nec peccare potest. Ergo Christus potuit esse liber simul et impeccabilis.

Hoc igitur systema nobis multo probabilius videtur, quia non tantum Scripturæ conformius est, sed etiam dignitatem et meritum Christi magis extollit.

II09. 30 *Conciliatio libertatis cum visione beatifica.*

Difficultas, quæ in omni systemate existit, in eo sita est quod fruentes visione beatifica necessario Deum amant.

Ad solvendam hanc difficultatem : (a) *Thomistæ* nonnulli duplicem amorem distinguunt in Christo : unum regulatum *visione beatifica* ac proinde necessarium, alterum regulatum scientia *infusa* vel *acquisita* ac proinde liberum[x]. (b) *Salmanticenses* autem[13] rem aliter explicant : duplicem actum amoris in Christo distinguunt, actum quo dilexit *Deum clare visum* consideratum *secundum se,* et hic actus necessarius fuit; et actum quo dilexit Deum consideratum in *ratione ultimi finis* exercite moventis ad creaturarum amorem, et hic actus liber fuit; seu, aliis verbis, Christus necessario dilexit Deum secundum se et propter se, libere eum amavit ut moventem ad diligendum creaturas, (c) *Scotista.* putant amorem beatificum non esse *intrinsece* necessitantem, nec ideo opponi libertati interiori, sed esse necessarium *extrinsece* tantum, quatenus sua Providentia Deus procurat ut beati in amore perseverent.

Fatendum est tamen rem esse mysterio plenam. Nec mirum : nam quotiescumque agitur de concilianda libertate Dei cum ejus immutabilitate, vel humana libertate cum præscientia et concursu Dei aut visione beatifica, imbecillitatem ingenii nostri agnoscere debemus; irrationabile autem esset negare veritates, quarum existentia *certo aliunde constat,* ea sola ratione quia eas inter se conciliare non valemus.

§ III. De potentia Christis.

Christus, ut *hic homo,* potest quidem omnipotens dici, vi communicationis idiomatum, " non, ait S. *Thomas,* quasi sit

1 Hanc explicationem respuit Card. Billot, dicens : " Hoc enim nihil est, nam profecto, homo uno solo vinculo ligatus non ideo dici potest expeditus... Atqui scientia beata semper nécessitât voluntatem ad amorem divini boni

' L. c. n. 53.

3 Cf. S. Thom., q. 13; Suarez, disp. XXXI; Salmantic., disp. XXIII; Petavius, 1. VIII, c. 12; Stentrup, th. 85; Billuart, diss. XIII; Card. Billot, th. XXII ; E. Hugon, p. 249-265.

alia omnipotentia hominis quam Filii Dei... sed eo quod una est persona Dei et hominis ” *. Sed insuper quæstio inter theologos agitatur *quanam potentia proprie humanitati* Christi competat.

1110. i° *Anima Christi nec habuit nec habere potuit omnipotentiam simpliciter.* Nam, ex dictis, in unione hypostatica duæ naturæ inconfusæ et impermixtæ manserunt cum suis proprietatibus ; atqui omnipotentia simpliciter est proprietas soli naturæ divinæ competens, cum veram infinitatem importet2 ; ergo humana Christi natura non est omnipotens.

1111. 2° *Anima Christi habuit propria virtute excellentissimam potestatem.* Etenim, propter unionem hypostaticam, ad tantam dignitatem evecta est, ut ipsos Angelos sub hoc respectu facile superet; atqui potentia alicujus entis merito ejus dignitati proportionatur ; ergo, cum S. *Thoma*\ concludere licet Christum potentiam habuisse “ ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ convenientes, puta ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per gratiæ et scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ”,

1112. 3° Anima Christi, *ut instrumentum Verbi, “ habuit instrumentaient virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas,* ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt ”4. Revera Jesus multa patravit miracula, et quidem mediante humana natura assumpta, ut ex his et similibus verbis colligitur : “‘Virtus de illo exibat et sanabat omnes”; “tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse”5; cum vero humana natura incapax sit hujusmodi operum, nonnisi *instrumentaliter* operabatur, quatenus vi unionis hypostaticae erat *instrumentum Verbi conjunctum.* Non habuit tamen, etiam modo instrumental!, potestatem creaturas annihilandi, quæ, sicut potestas creandi, soli Divinitati competit :

1 S. Thom., 3, q. 13, a. 1 ad i. — ’ S. Thom., 3, q. 13, a. 1.
3 S. Thom., 3, q. 13,-a. 2, — * S. Thom., *ibid.*
s *Luc.,* VI, 8; VIII, 46.

eadem enim potestas requiritur ad annihilandum quam ad creandum.

Nonnunquam potestas miracula patrandi instrumentaliter etiam sanctis communicatur; sed in Christo multo præstantior fuit quam in eis; erat enim : (a) *universalis,* ad omnia scilicet miracula sese extendens, quæ finibus Incarnationis inservire poterant; (b) *expeditissima,* nam solo tactu, verbo vel nutu miracula patrabat; (C) ita *propria,* ut aliis eamdem communicare posset.

1113.4° Anima Christi agere potuit quidquid *absoluta voluntate* facere voluit; sapiens enim nihil vult absolute nisi quod scit suæ potestati subesse; atqui anima Christi fuit sapientissima; ergo nil voluit nisi quod scivit subesse suæ potestati vel propria virtute vel ut instrumentum Verbi; ergo quidquid absolute voluit impletum est vel propria virtute vel voluntate Verbi. — Non autem quæ voluit voluntate conditionata fuerunt semper impleta.

1114. 5° *Controvertitur* utrum humanitas Christi sit instrumentum miraculorum aliorumque effectuum supernaturalium *moraliter tantum* an *physice.* Tres sunt præcipuæ sententiæ.

(a) *Scotistce* aliique *simpliciter* negant causalitatem physicam et *solam moralem* admittunt, nempe imperio aliove signo Christi voluntatem manifestante *.

(b) *Vega* paucique alii distinguunt : humanitas Christi fuit causa *physica* eorum effectuum quos *personaliter* et *sua prcesentia degens in terris* operatus est.

(c) *Tliomishe* plerique, quibus *Suarez* adhæret, *causalitatem physicam* admittunt quoad omnes effectus supernaturales post Incarnationem productos, etiam post Ascensionem, — quatenus nempe humanitas Christi accipit a Verbo *motionem* seu *virtutem transeuntem* qua *physice cooperatur* his effectibus2. Verbum enim est *physice prcesens humanitati suce* simulque *physice pressens corpori vel aninue* ubi fiunt effectus supernaturales; potest igitur virtutem physicam humanitatis Christi etiam in cælo degentis applicare sive animæ sive corporibus ubi fiunt effectus supernaturales. — Ita Incarnatio non restringitur ad locum vel tempus determinatum, sed ubique et ad omnia tempora extenditur.

Art. IV. De appetitu sensitivo Christi[1].

Christus habuit facultates *cognoscitivas sensibiles* et *appetitum sensibilem,* seu facultatem per quam inclinamur in *bonum sensibile* : nihil enim ei defuit eorum quæ Deus in natura humana plantavit. In eo igitur fuerunt sensus communis seu conscientia sensitiva, phantasia, memoria et æstimativa, sed perfecte rationi et voluntati subditae, In eo pariter fuere *passiones* appetitus sensitivi, sed *recte ordinatæ.*

1115. i° *Fuerunt passiones in Christo,* scilicet :

(a) *Amor,* dicitur enim : " Ecce quem amas infirmatur"; "Discipulus quem diligebat Jesus"[3]. Nec dici potest amorem hujusmodi fuisse solum voluntatis actum ; nam additur[3] : " Et lacrymatus est Jesus jamvero dilectio, quæ lacrymis se prodit, non est merus voluntatis actus, sed simul appetitus sensitivi affectio, (b) *Desiderium :* " Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum "[4]. (c) *Gaudium :* " Gaudeo propter vos ut credatis "[5]. (d) *Tristitia :* " Tristis est anima mea usque ad mortem "[6]. (e) *Timor :* " Coepit pavere et tædere" *i.* (f) *Ira :* " Et circumspiciens eos cum ira"[8]. *IVbn* fuit tamen in ipso *desperatio proprie dicta,* quæ deordinationem includit, sed solum illa *animi dejectio,* quæ nullam deordinationem moralem includit, sed magnam tristitiam supponit, v. g., quando Christus dixit in cruce : " Deus meus, ut quid dereliquisti me "[9]?

!i
III
m
I·
ili!
tui

1116. 2° *Christi passionesfuerunt recte ordinatæ,* et sic a nostris dissimiles : (a) quoad *objectum,* nam in nobis feruntur sæpius ad illicita, dum in Christo tendebant solum ad bonum honestum ; (b) quoad *principium :* in nobis sæpe præveniunt, dum in Christo sequebantur imperium rationis; hinc dicitur : " Infremuit spiritu, et turbavit seipsum"[10]; quare sæpe vocantur *præpassiones;* (c) quoad *effectum :*

[1] Cf. S. Thom., q. 15, a. 4; Suarez, disp. XXXIV ; Salmantic., disp. XXV, dub. 8; Legrand, diss. IX, c. 2., a. 4, concl. 4; Billuart, diss. XV, a. 4; Schwalm, *Le Christ d'après S. Thomas,* ch. VIII.

[3] *Joan.,* XI, 3; XIII, 23.

[3] *Joan.,* XI, 35; cf. *Lue.,* XIX, 41.

[4] *Luc.,* XXII, 15. — [5] *joan.,* XI, 15. — [6] *Maith.,* XXVI, 37.

[8] *Marc.,* XIV, 33. — [8] *Marc.,* III, 5; [10] *Joan.,* II, 14-17.

[9] *Maith.,* XXVII, 46. — [10] *Joan.,* XI, 33.

passiones nos sæpe conturbant et commovent, dum in Christo rationi perfecte subdebantur x.

1117. 3° In Christo fuit *admiratio* secundum expérimentaient scientiam, non secundum alias scientias. Cum enim admiratio exsurgat ex cognitione alicujus *novi* et *insoliti,* nil hujusmodi fuit in Christo secundum scientiam beatam et infusam, sed tantum secundum scientiam experimentalem.

1118.4° In Christi anima fuerunt tantum illi *defectus* qui ad integritatem humanæ naturæ spectant et ad fines incarnationis vere utiles sunt : imprimis *passibilitas,* quæ animæ corpori unitæ competit et aliunde ad nostram redemptionem valde utilis erat ; non autem*peceabilitas,* ut supra (cf. n. 1120).

Art. V. De Corpore Christi.

Verbum assumpsisse corpus *vere humanum, reale* et non phantasticum, *carneum* et non æthereum, de fide est contra Docetas, ut jam supra ostendimus, n. 999. Remanet ut breviter de ejus *passibilitate* et *perfectione* dicamus.

I. De passibilitate Christi2.

1119. i° *Corpus Christi fuit passibile et mortale ;* de fide est, ex variis Symbolis : " Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus... "

(A) Revera, *Scriptura* teste, expertus est famem, sitim, fatigationem, acerbissimos passionis cruciatus, et tandem crucifixus et mortuus est 3. Idem etiam aperte declarat S. *Petrus* 4 .· " Christus *passus* est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus".

(B) Inter *Patres,* audiatur S. *Fulgentius,* qui ceterorum doctrinam sic contrahit :

"Famem tamen, sitim, fatigationem corporis ac dolorem veraciter sensit; quæ omnia pertinent ad illam partem poenalis corruptio-

1 **S. Th., q. 15, a. 4 ; Bossuet,** *itr Sermon pour la profession de A/" de la Vallière;* **Schwalm,** *op. cit.,* **ch. VI.**

2 **Cf. S. Thom., q. 14 ; Suarez, disp. XXXII ; Salmant., disp. XXIV ; Legrand, disp. IX, c. 2., a. 5, concl. I; Stentrup, th. 55-59; Card. Billot, th. XXIII ; E. Hugon, p. 266-274.**

3 *Maith..,* **IV, 2;** *Joan.,* **IV, 6; XIX, 28.** — 4 *I Petr.,* **II 21.**

nis, quam sic ex peccati pœna supplicio trahimus, ut ex ea nullum peccati supplicium contrahimus. Esurisse Christum, sitisse, fatigationemque sensisse Evangelium docet, quem manifestum est esurisse, quando ad ficulneam venit, nec in ea fructum invenit. Fatigatus etiam ex itinere sedit super puteum.. Hanc infirmitatem in Domino non putativam, sed veram docet Apostolus : nam etsi crucifixus, est, inquit, ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei"',

(C) *Ratio* idem ostendit. Etsi præfatæ infirmitates non necessario assumptionem humanæ naturæ sequuntur, conveniebat tamen Christum pati propter tria : (a) ut satisfaceret pro peccatis; (b) ut melius probaret se assumpsisse humanam naturam integram; (c) ut nobis patientiæ perfectum exemplum præberet[1].

II2O. 2° Inter humanas infirmitates, aliæ sunt *communes,* aliæ autem *accidentales :* priores ex naturali constitutione humani corporis in præsenti statu consequuntur, et ideo communes sunt omnibus hominibus, ut sitis, fames, frigus, dolor, mors; posteriores ex causis particularibus in individuis oriuntur, ut lepra, febris, etc. Quo posito : (a) Christus ***assumpsit communes*** *infirmitates,* quia et ipse missus est in similitudinem camis peccati ; (b) *non autem habuit accidentales infirmitates,* scilicet morbos, qui non decebant illius perfectam naturam, cum sæpe veniant "ex culpa hominis, puta ex inordinato victu, quandoque autem ex defectu virtutis formativæ : quorum neutrum convenit Christo, quia et caro ejus de Spiritu Sancto concepta est..., et ipse nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit "3; (c) hos defectus Christus libere assumpsit, nec eos habuit ex necessitate naturæ, nec ab eis dominabatur, sed pro nutu eos vitare, temperare aut suspendere poterat.

II. De perfectione et pulchritudine ejus*.

1121. i° *Christus assumpsit corpus humanum perfectum, integrum, et bene dispositum, conditioni suce conveniens.* Certum est.

[1] *Efi. 18 ad Reginum,* n. 6, Λ *L.,* LXV, 495. S. Hilario ascribitur error nostræ thesi contrarius; multi tamen dicunt eum noluisse dolorem a natura humana Christi removere, sed solum a divinitate. Cfr. Constantius, *prtif. gen.* in opera S. llilarii, sect. IV, § 3; Stentrup, th. 56; Franzelin, th. 42, Schol. I: Hurter, 514.

[3] S. Thom., q. 14, a. 1. — [3 4] S. Thom., q. 14. a. 4.

[4] Cf. S. Thom., *in Ps. XLIV;* q. 46, a. 6; Suarez, disp. XXXII, s. II ; SaknanL, disp. XXIV, n. 14; Legrand, diss. IX, c. 2, a. 5, conci. 3; Gazzamga, s. II, diss. II, c. III, n. 123 sq. ; Stentrup, ih. 60; Landriot, *Le Christ de la Tradition,* 10e Conf.; E. Hugon, p. 275-27S.

Etenim Verbum eos tantum defectus assumpsit qui finibus Incarnationis vere utiles erant; atqui defectus huic perfectioni oppositi, cum non consistant in aliqua actione vel passione, ad meritum vel satisfactionem non conferebant.

1122. 2° *Christus eam assumpsit corporis pulchritudinem quæ virum decet.* Ita *communiter.*

Quidam inter veteres Patres hoc quidem negaverunt propter *Isaiæ* verba : "Non est ei species neque decor"[1]; sed illud argumentum non valet, quia præfata verba passionem Christi describunt, ut ex contextu apparet.

Alii autem[2], præsertim *Hieronymus* et *Chrysostomus,* affirmant, et eorum sententiam communiter amplectuntur theologi. Quod tamen intelligendum est de virili, non de feminea pulchritudine : " Illam pulchritudinem habuit summe, quæ pertinebat ad *statum* et *reverentiam* et *gratiositatem* in aspectu; ita quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod omnes eum venerabantur, ut ait Augustinus "[3]. Cujus rei afferri potest hæc ratio, quod corpus *immediate* et *miraculose* formatum a Spiritu Sancto debebat præ se ferre perfectionem tanto artifice dignam. — Unde sic : pulchritudo est veluti resplendentia animæ super corpus ei proportionatum; atqui anima Christi perfectissimo decore fulgebat ex gratia et virtutibus redundante, et corpus, a Deo ipso formatum animæ proportionabatur; ergo corpus ipsum decore non carebat.

Corollaria pietatis.*

1123. Ex omnibus quæ in hoc capite disputavimus, sponte fluit obligatio Christum adorandi, amandi et imitandi.—Jam supra, 1035, probatum est Christum esse adorandum cultu latriæ. Præterea : —

[1] *Isa.,* LUI, 2. — [3] Cf. Nicephorum, *Antirrhet. III,* c. 43, *P- G.,* C, 462.

[3] S. Thom., *in Ps. XLIV.* Quam sententiam a veteribus Judæis admissam fuisse innuit S. Hieronymus : " *Virgam* et *florem* de radice Jesse ipsum Dominum Judæi interpretantur : quod scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur". *In Isaiam,* cap. XI, *P. L.,* XXIV, 144.

* Cfr. S. Ignatius, *Exercitia spiritualia,* Ilebd. 2a; J. J. Olier, *Pietas Seminarii S. Sulpitii;* Contenson, *De Deo Conversante,* diss. I, specui. 3; Stentrup, *Soteriol.,* th. 133-136; J. B. Saint-Juré, *De la Connaissance et de ΓAmour dit Piis de Dieu, opus* anglicc redditum; Ch. Sauvé, *Jésus intime;* L. Grimai, *Jésus-Christ étudié et médité,* Paris, Lelhielleux, 1910; Benson, *L'amitié de Jésus-Christ* ' Ad. Tanquerey, *Précis,* nn. 136-141, 1252 sq.

1° *Christum ferventi amore prosequi debemus.* Tria enim sunt amoris incentiva : *bonitas, beneficia, amoris* exhibitio : (A) *Bonitas,* quia amor fertur in bonum; jamvero in Christo est plenitudo bonitatis et pulchritudinis : (a) in ipso siquidem *plenitudo divinitatis* corporaliter inhabitat, proindeque omnes divinæ perfectiones; sed quia perfectus est homo, omnes virtutes ac dotes, quas in hominibus mirari licet, in eo maximo gradu inveniuntur; (b) elucet pariter in eo *plenitudo pulchritudinis,* quæ ex donis tum gratiæ, tum naturæ resultat : "Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis" *. (B) *Beneficia* pariter ad amorem provocant; atqui Christus beneficiis nos cumulavit, verbis, exemplis, meritisque nos ad cælestem patriam trahendo : "Ama, inquit *Augustinus,* amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum Virginis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis"[1] (C) *Amor* denique amatum sibi conciliat; atqui "Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis"[3], videlicet post dona sua dedit seipsum, dedit ad patiendum et moriendum, dedit indignis, dedit ingratis. "Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis"[4]; Jesus autem animam suam dedit pro inimicis suis![5] Sic nos amantem quis non redamaret?

2° *Christum imitari debemus;* nam amor non est otiosus, sed magna operatur, et ad imitationem tendit personæ amatæ : amicitia enim æquales accipit aut facit Aliunde Christus est : (a) perfectissimum *exemplar* omnium virtutum, cum in sua vita *abscondita, activa* et *patiente* cuique se præbeat imitandum : "Ego sum *via* et veritas et vita"[6]; si velimus cum eo regnare, eum sequamur oportet[7] ; (b) *adjutor* noster, nam actionibus suis nobis gratias meruit, quibus vestigia ejus prosequi valemus, et, dum ejus virtutes imitari conamur, auxilio opportuno infirmitatem nostram adjuvat. — Non solum autem ejus externam agendi rationem, sed interiores dispositiones imitari debemus, "ita ut interiora ejus intima cordis nostri penetrent, et liceat cuilibet dicere quod Paulus fiducialiter de se prædicabat : *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus"*[8]

[1] *Ps.* XLIV, 3. — Hinc merito *Laeordaire* aiebat : "Depuis que j'ai connu Jésus-Christ, rien ne m'a paru assez beau pour l'aimer d'un amour de concupiscence" (Chocarne, *Vie du P. Laeordaire.* t. II, p. 119.)

■ *De Catechizand. rud.,* L IL

3 *Ephes.*. V, 2. — XV, 3. — s Cf. *Rom.*. V, 8. — 6 *Joan.*. XIV,6.

1 Apposite scribit S. Ambrosius, *de Fide.* 1. III, c. 7, *P. L.*. XVI, 600: Viæ igitur Domini velut quidam tramites bonæ vitæ sunt, quæ diriguntur a Christo, qui ait : Ego sum via et veritas et vita. Via ergo superna est Dei virtus; Christus enim nobis via est. Et bona via, quæ credentibus cæli regna patefecit. Viæ autem Domini viæ rectæ sunt, sicut scriptum est : Vias Domine, notas fac mihi. Via castitas, via fides, via est abstinentia...

§ J· J· O^er› *Pietas Seminani.* § 1.

PARS ALTERA.

DE MYSTERIO REDEMPTIONIS
seu SOTERIOLOGIA.

1124. Exposito Incarnationis mysterio, de Redemptione jam disserendum est. Siquidem finis *ultimus* Incarnationis est utique *gloria Dei* Gloria in altissimis Deo1... Ego te *clarificavi* super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam ”2. Sed finis *proximus,* saltem *partialis,* fuit redemptio generis humani, ut dicitur in Symbolis : “ qui propter *nos* et propter *nostram salutem* descendit de cælis Dixi “ saltem *partialis* ”, quia controvertitur inter theologos num Redemptio fuerit finis proximus *totalis* et *adcequatus* Incarnationis, proindeque num, Adamo non peccante, Verbum incarnatum esset : de quo infra dicemus.

Post *prænotanda* de Christo *mediatore* et *redemptore,* in quatuor capitibus declarabimus :

I. EXISTENTIAM REDEMPTIONIS.
II. Modum et dotes redemptionis.
III. Opus præcipuum redemptionis seu sacrificium.
IV. Necessitatem redemptionis.

Per modum *coronidis, controversiam* exponemus *de motivo-finali Incarnationis.*

Praenotanda de Christo Mediatore et Redemptore,

E priore tractatus parte logice fluit Christum esse *mediatorem* inter Deum et homines, cum sit ipse *Deus* et *homo;* præcipuum vero opus divini mediatoris fuit *redemptio* humani generis.

’ *Luc.,* II, 14. — **Joan.,* XVII, 4.

I. De Christo Mediatore[1].

Duo exponemus : i° *existentiam* divinæ mediationis; 2°*prcecipuos modos* quibus exercetur.

i° Existentia Christi mediationis.

1125. *Thesis :* **Christus Jesus est verus et unicus mediator principalis inter Deum et homines.**

De fide est ex *Tridentino* definiente nos salvatos esse "per meritum unius mediatoris D. N. Jesu Christi "[2].

(A) *Ex ipsa unione hypostatica deducitur,* (a) Mediator enim ille est qui *medius* stat inter duos vel plures, cum quibus *aliquid commune* habet, et *a quibus distinguitur,* ut *eos conjungat.* Atqui Christus secundum quod homo in Verbo subsistens : i) *medius* stat inter Deum et homines, naturam divinam habens communem cum Deo, et *eamdem specie* naturam habens cum hominibus ; 2) ab iis tamen distinguitur : *a Deo* per naturam humanam sibi *hypostatice* unitam; *ab hominibus* autem per *unionem hypostaticam* sibi omnino propriam et plenitudinem gratiæ et veritatis quæ ex ea fluit; 3) *Deum* et *homines* intime *conjungit* non tantum *physice,* quatenus *in ipso* natura divina et humana hypostatice uniuntur, sed etiam *moraliter,* in quantum Deus fit homo ut homo fiat deus per participationem, videlicet ut in pristinum statum gratiæ restauretur per peccatum amissum. Ergo Christus vere est mediator inter Deum et homines.

(b) *Solus Christus est mediator principalis* seu proprie dictus. Ille enim solus est *principalis* mediator qui tres conditiones superius expositas in se conjungit; atqui solus Christus, quatenus homo in persona Verbi subsistens, *ejficaciter* conjungere potest Deum et homines, quia solus *proprie* medius est inter Deum et homines, solusque pro eis satisfactionem infiniti valoris Deo offerre. Quod quidem præstat ut *homo* in Verbo subsistens; Verbum enim, utpote

[1] *Sum. theol.,* 3, q. 26; Card. Bülot, th. XL; E. Hugon, p. 379.384; *L.* Janssens, t. IV, p. 825-830; Hervé, η. 474-478.

æquale Patri, non stat medium inter Deum et homines, nec potest coram Patre humiliari, satisfacere aut mereri.

1126.(B) *Scriptura* constat Christum esse *mediatorem* et quidem *unicum*. Nam : ex S. *Paulo,* " Unus enim Deus, *unus et mediator* Dei et hominum, homo Christus Jesus" «; ex S. *Petro,* " *Non* est *in alio aliquo* salus; nec enim aliud nomen est sub cado datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri " 2.

Christus igitur est unicus mediator *principalis* et *necessarius* seu *simpliciter,* quia solus *propria virtute* homines Deo conjungere valet. Sed, ut recte ait S. *Thomas* 3 ; " Nihil tamen prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive* vel *ministerialiter*". Quinam sint mediatores secundarii, infra dicemus ubi de B. Maria Virgine et de Sanctis.

1127.(C) *Traditione* idem constat. Jam *S.Irenæus** scribebat : " Oportuerat *mediatorem Dei et hominum* per suam ad utrosque domesticitatem in amicitiam et concordiam utrosque reducere". Præ ceteris autem *S. Augustinus* 5 rem aperte declarat et explicat : " (Christus) et *mediator Dei et hominum;* quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter deitatem ; non mediator Deus præter humanitatem... sed inter divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est humana divinitas et divina humanitas Christi ". Alios textus afferemus ubi de redemptione.

20 De præcipuis modis quibus Christus est mediator.

1128. Christus, ut homo, variis modis est mediator : 1) ut *doctor* seu *propheta* homines docuit veritates ad finem suum attingendum necessarias; 2) ut *rex* homines in spiritualem societatem coadunavit, eosque ad finem per leges direxit; 3) ut *sacerdos,* religionis actibus et præsertim

' *I Tim.*, II, 5. — 3 *Act.*, IV, 12.
3 *Sum. theol.*, 3, q. 26, a. I.
‹ *Adv. hares.*, 1. III, c. 18, n. 7. — s *Sermo* 47, 12, 21, R., 150a

sacrificio Deum glorificavit et ab eo gratias pro nobis impetravit; 4) praecipue vero ut *redemptor* nos a servitute peccati liberavit atque jura ad gratiam et gloriam restituit; 5) ut *caput* hominum, vitam spiritualem in eos infundit.

De duobus prioribus muneribus hic agemus, quia ex jam dictis intelligi possunt; de aliis autem opportunius dicemus ubi de ipsa redemptione, cum ex ea fluant aut saltem melius intelligantur.

1129. (A) De Christo propheta seu doctore. (a) Prophetae antiqui non solum futura annuntiabant, sed etiam res divinas docebant, legis observationem et cultum divinum promovebant, doctrinam suam exemplis, miraculis et vaticiniis confirmabant.

Atqui Christus hoc munus propheticum perfecte adimplevit : r) *Eventusfuturos* miraculose*prcedixit.* 2) *Res divinas docuit* cum auctoritate quam nemo unquam obtinuit, juxta illud : "Erat enim docens eos sicut potestatem habens et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi" '. 3) *Legem antiquam* a falsis interpretationibus *expurgavit,* eamque *ampliavit* et perfecit, præsertim quoad legem cari tatis, ut videre est in sermone supra montem a; item cultum divinum instauravit, homines edocens quomodo Deum in spiritu et veritate adorarent λ 4) Tandem suam doctrinam *exemplis* confirmavit : "Cœpit facere et docere"*... "Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis"s; eamdem *miraculis* et *vaticiniis* confirmavit, annuntiando suiipsius mortem et resurrectionem, eversionem Jerusalem, etc. 6 Ergo Christus fuit eximius Propheta.

(b) Christus in docendo, loquitur ut *legatus Dei,* a qualibet humana auctoritate et schola *independens;* nam 1) Scriptura expresse testatur eum directe missionem suam accepisse a Deo, et eamdem directe Apostolis transmisisse : " Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Euntes ergo docete omnes gentes " ?... 2) Insuper Christus, ratione unionis hypostaticæ, plenitudinem scientiæ habuit, nec scientiam suam ex Judaicis scholis vel græcis hausit, sed absque ullius magistri humani ope, plenus scientia et doctrina repertus est : " Et mirabantur Judæi, dicentes : quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? "8

1 *Matt.,* VII, 29. — · *Matt.,* V, 17-48. — 3*Joan.,* IV, 23. — * *Act.,* I, 1. s/oan., XIII, 15. — 6Quod fuse probavimus in *Syn. theol.fund.,* η. 436-1-1?
7 *Matt.,* XXVIII, 18. — Cfr. *Syn. theol.fund.,* n. 397-413
8*Joan.,* VII, 15.

(c) Christus est *unicus Doctor et Magister nova Legis;* i) id declaravit Pater caelestis, dum in Transfiguratione dixit : "Hic est filius meus : ipsum audite" x. Idem expresse docet Christus : "Magister vester unus est, Christus"2; quare et ipse aliis confert potestatem docendi, et quidem cum auctoritate, ita ut qui non obœdiunt Evangelio, damnationis poenam incurrant λ 2) Revera, cum Christus sit omnium redemptor, ad eum spectat eas veritates docere quæ ad salutem necessariae sunt, et intus illuminare mentes ut divinorum mysteriorum aliquam intelligentiam consequantur*.

1130.(B) De Christo Rege : *Christus etiam, vi unionis hypostaticæ, est rex omnium creaturarum, præsertim hominum, modo excellentissimo.* Certum est 5.

(a) *Declaratur.* i) Christus est quidem sensu quodam *translato* rex hominum, quatenus in *mentibus, voluntatibus* et *cordibus* eorum regnare debet, ut scribit *Pius XI;* sed insuper, *sensit proprio,* vi unionis hypostaticæ, " non potest omnia cum Patre non habere communia, proptereaque ipsum in res creatas universas summum atque absolutissimum imperium "4.— 2) Attamen " ejusmodi regnum *præcipuo* quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere... Christus sua agendi ratione confirmat "7. Sane in *actu ptimo,* ut aiunt, Christus potestatem *etiam temporalem* habuit in omnes homines et omnia regna ; sed in *actu secundo* hanc temporalem potestatem exercere noluit *Non eripit mortalia qui regna datcœlestia^.— 3) Hæc potestas est *completa,* nempe *legislativa, judiciaria* et *coercitiva,* ut in *Tr. de Ecclesia* declaravimus, n. 624.

1131.(b) *Probatur.* 1) *Scriptura.* Jam in *Vet. Testamento,* prænuntiatur tanquam *rex super Sion* montem sanctum ejus *, *princeps pacis,* cujus multiplicabitur imperium Io, cui omnes populi, tribus et linguæ servient, cujus potestas erit æterna ut *rex mansuetus,* qui, ascendens super pullum

1 *Luc.,* IX, 35. — 2 *Matt.,* XXIII, IO. — 3 *Marc.,* XVI, 15.

4 Excellentiam doctrinæ Christi declaravimus in *Syn. theol. fund.*, n. 350-385.

5 Encycl. Pii XI *Quas primasy* n dec. 1925, *A. A. S.,* XVII, 593-610, ubi thesis egregie exponitur et probatur, simulque instituitur festum D. N. Jesu Christi regis; Encycl. Leonis XIII *Annum sacrum*^ 25 maii 1899. Cfr. Suarez, disp. 48; Salmant., disp. XXXII; Petavius, 1. XII, c. 15.

6 Encycl. *Quas primas*, A. A. S., 596. — 7 *Ibid.,* 600.

6 Ilym. *Crudelis Herodes* in offic. Epiphaniae.

2 *Ps.* II. — ,0 *Isai.y* IX, 6-7. — " *Dan.y* VII, 13-14.

asinæ, Hierosolymam justus et salvator ingressurus erat[1]. — In *Novo Test.* Christus ab Angelo annuntiatur ut regnaturus super sedem David et in domo Jacob in æternum[2]; Ipse autem de suo imperio testatur sive in sermone ad populum de præmiis pœnisve[3], sive Præsidi romano respondens se esse regem[4], sive Apostolis munus docendi omnes gentes committendo, quia "data est mihi omnis potestas in cælo et in terra"[5]. Merito itaque a Joanne dicitur *princeps regum terræ*[6], *Rex regum et Dominus dominantium*[7].

2) Traditione. Multi quidem Patres hanc regiam potestatem asserunt unionem hypostaticam docendo aut præfatos textus Scripturæ exponendo. Referre sufficiat S. *Cyrilli Alex,* verba: "Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per vim extortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura"[8]. — Sed res hodie omnino certa evasit tum ex Encycl. *Pii XI* jam allegata, tum ex institutione ab eodem Pontifice *festi D. N. Jesu Christi Regis*[9].

3) *Rat. theol.* Christus est rex hominum: (a) quia, vi *unionis hypostatica* quatenus est Filius Dei, omnibus hominibus praeeminet, et jus habet eos regendi, juxta illud: "Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam"[10]: et hæc est ratio *fundamentalis.* — Addi tamen potest Christum esse regem spiritualem (b) titulo *redemptionis:* nam Christus nos a captivitate diabolica eripuit, et acquisivit pretio proprii sanguinis: "Non estis vestri, empti enim estis pretio magno"[11]; *(c)* titulo *libera electionis:* nam omnes qui per baptismum Ecclesiam ingrediuntur, vel postea vota baptismi renovant, eo ipso libere se subdunt imperio Christi, qui supremus est Ecclesiæ Rex.

II32. (c) *Extensio.* Quam potestatem exercet: 1) in *animas* quas illuminat, movet et roborat, sibique et Patri subdit; 2) in *Ecclesiam* quam regit et gubernat per sacram hierarchiam a se institutam, ut dictum est in *Tr. de Ecclesia;* 3) etiam aliquo sensu in *societatem civilem:* nam, ut ait *Pius XI* "turpiter ceteroquin erret qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abjudicet, cum is a Patre jus in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita". Itaque *spiritum*

[1] *Zach.,* IX, 9. — [2] *Luc.* I. 32-33. — [3] *Matth.,* XXV, 31-40.
[4] *Joan.,* XVIII, 37. — [5] *Matth.* XXVIII, 18. — [6] *Apoc.,* I. 5.
[7] XIX, 16. — [8] *In Luc.* X. — [9] *A. S.,* XVII, 655; [J. B. Bord], *La Fête et la Messe de Jésus-Christ Roi.* Paris, Tequi. — [10] *Ps.* II, 8. — [11] *I Cor.,* VI, 20.

evangelicum in Christianos principes dilTundere nititur, et *jus* habet ut *societas gubernetur secundum principia legis Christiana,* ut diximus in *Tr. de Ecclesia,* n. 910-922.

II33. (d) *Excellentia* autem regiæ potestatis Christi colligitur ex ejus *dotibus.* Est videlicet : 1) *suprema,* nam Christus, utpote Filius Dei, subditos habet non solum omnes populos, sed etiam reges terræ, et ipse nemini subditur. Hinc ipsi inest potestas *legislativa,* qua potest sive antiquas leges abrogare, sive novas condere; qua potestate usus est, v. g., in sermone supra montem, ubi legem mosaicam complevit et perfecit ', aut etiam in ultima Ccena, quando dixit : ‘‘Mandatum novum do vobis”’. Quæ potestas ei tam propria est ut eamdem aliis communicare possit : “ Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ” 3. — Ipsi pariter competit potestas *judiciaria,* qua judicare potest vivos et mortuos : ‘‘Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio”... ‘‘qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum ” * — Tandem *coercitiva,* qua contumaces punire valeat.

2) *Universalis,* quatenus extenditur ad omnia loca, omnia tempora, omnes creaturas : “ Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ ”... “ et regnabit in domo Jacob in æternum ”... “ omnia subjecta sunt ei ”5. Merito itaque *Pius XI* ait : “ Nationum igitur rectores imperio Christi publicum reverentiae obtemperationisque officium per se ipsi et per populum præstare ne recusent, si quidem velint, sua incolumi auctoritate, patriæ provehere atque augere fortunam

3) *Adfinem præstantissimum ordinata;* reges enim terræ bonum civium temporale per media imperfecta prosequuntur, Christus autem ad finem supernaturalem et beatitudinem æternam per media perfectissima subditos suos efficaciter ducit.

II. De Christo Redemptore.

Duo declarabimus : *notionem* redemptionis ; 20 *varios respectus* sub quibus considerari potest.

1 Malth.y V, 17, 21 sq.
3Joan., XIII, 34.
3 Maith.y XVI, 18 sq.; XVIII, 17 sq.
**Joan,y* V, 22, 27; *Act.y* X, 42; cf. XVII, 31.
5 Ps. II, 8; *Luc.y* I, 32; *1 Cor.y* XV, 27.

1134.i° Definitio redemptionis. (A) Redemptio *in genere* est actus quo res, antea possessa et amissa, iterum acquiritur, soluto pretio. Tria igitur importat : (a) amissionem alicujus rei, (b) recuperationem ejusdem, (c) solutionem alicujus pretii ad rem amissam recuperandam.

(B) Redemptio *generis humani,* attentis fontibus revelatis infra relatis, definiri potest : *actus quo genus humanum lapsum, per mediationem Christipro hominibus satisfacientis et merentis,fuit a servitute peccati ereptum, et in amicitia Dei redintegratum.*

Dicitur : (a) actus quo genus humanum *lapsum :* his verbis indicatur *subjectum* cui redemptio *profuit,* scilicet homo, qui gratuito ad statum supernaturalem fuerat a Deo elevatus, sed, per peccatum originale, ex illo statu dejectus fuerat, et sub captivitate diaboli positus, ut supra exposuimus, n. 889 sq.

(b) Per *mediationem* etc.; quibus verbis exprimitur *modus* quo facta fuit Redemptio : Christus siquidem utpote *mediator* noster apud Deum, ideoque *caput* nostrum morale, loco nostri, pretium solvit redemptionis nostræ : per *satisfactiones* suas peccata nostra delevit, et per *merita* sua jus ad gratiam nobis restituit : quod præstitit præcipue per *sacrificium* in ara crucis peractum.

(c) Fuit a *servitute,* etc.; ita exponitur *duplex* Redemptionis effectus : per *peccatum,* homo servus diaboli constitutus fuerat (n. 908), et divina amicitia juribusque ad æternam hereditatem privatus; per *Redemptionem,* a servitute diaboli fuit ereptus, et in *gratiam* ac proinde in amicitiam Dei redintegratus, cum jure ad æternam beatitudînem. R

In hac igitur notione reperire licet tria elementa superius descripta : *amissionem* gratiæ ac donorum supernaturalium ; eorumdem *recuperationem,* et quidem mediante *pretio* quod Christus pro nobis solvit.

1135. 2° Varii respectus sub quibus considerari *potest.* (A) Ante omnia, redemptio^egt opus *amoris* et *justitiæ :* amoris, quia " Deus, qui dives est in misericordia, *propter nimiam caritatem* qua dilexit nos... convivificavit nos in

Christo" *justitiæ,* quia Deus infinite misericors voluit nos a peccato liberari per reparationem adæquatam, imo et superabundantem : " Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia"[2], et ita justitia et pax osculatæ sunt[3].

1136. (B) Juxta S. *Thomam**, redemptio facta est per modum *meriti* et *satisfactionis,* per modum *sacrificii, liberationis* et *redintegrationis* in pristinum statum. Quod sic declaratur :

(a) Redemptio enim, ut diximus, importat solutionem pretii : hæc autem fit essentialiter, per *satisfactionem* quæ adæquate reparat offensam Deo illatam, et per *meritum* quo restituitur jus ad gratiam per peccatum amissam.

(b) *Opus* autem *prcecipuum* quo Christus pro nobis satisfacit et meretur, est *sacrificium* in ara crucis oblatum.

(c) *Effectus* vero hujus sacrificii est *liberatio* a servitute peccati et *redintegratio* in statum gratiæ cum jure ad gloriam.

Ita satisfactio et meritum sunt *elementa constitutiva* redemptionis ; sacrificium est *opus* præcipuum inter elementa constitutiva ; liberatio et redintegratio sunt *effectus* redemptionis. Hæc autem omnia *amore* et *justitia* veluti inspirantur.

Quæ quidem melius intelligentur ex dicendis in decursu tractatus.[5]

[1] *Ephes.* II, 4. — Cfr. L. Richard, *La rédemption, mystère d'amour, R. S. R.,* t. XII, 1923, pp. 193, 397.

[2] *Rom.,* V, 20. — [3] A. LXXXIV, xi.

[4] *Sum. theol.,* 3, q. 48-49.

[5] In hoc Tractatu *notis manuscriptis* usi sumus quas benigne nobis tradidit P. VIGUÉ in Seminario S. Sulpitii professor.

CAPUT I.

EXISTENTIA REDEMPTIONIS.

1137. Status quaestionis. i° *Errores :* (a) Per *excessum,* Protestantes antiqui ita perverterunt doctrinam Redemptionis ut eam rationi repugnantem reddiderint, viamque Socinianorum negationibus paraverint[1]. Juxta illos, Christus ita peccata nostra in se suscepit ut Deo odiosus ab eoque maledictus fuerit, et in cruce aut in descensu ad inferos damnatorum tormenta sustinuerit. Nihil igitur nobis faciendum aut patiendum manet : salus per solam fidem in Christi merita obtinetur, (b) Per *defectum :* i) primis saeculis Redemptio indirecte negata fuit ab eis qui divinitatem Christi vel peccatum originale rejiciebant. 2) Modernis temporibus, *Sociniani* [2]et Protestantes *Liberales* [3], quibus assentiunt *Modernisiez, moralem* Redemptionem propugnant : Christus nos salvat per *doctrinam* et *exemplum tantum,* id est, eodem modo ac prophetæ et martyres, etsi superiori gradu. Doctrinam orthodoxam rejiciunt ut attributis Dei repugnantem, nullo habito discrimine inter fidem catholicam et Reformatorum errores. Contendunt hanc doctrinam, a mente Christi alienarn, introductam esse vel a Paulo vel a communitate Christiana.

1138. 2° *Doctrina catholica* est Christum nos *proprie* redemisse per passionem et mortem suam, *satisfaciendo* pro peccatis nostris nobisque *merendo* gratiam et vitam aeternam; quod *specialiter* præstitit, seipsum pro nobis in cruce ut veram hostiam offerendo. Dixi *specialiter,* non exclusive : omnia enim, quæ Christus egit et passus est, àd reparationem nostram contulerunt; sed, inter hæc opera, mors

[1] Cfr. A. Grétillat*, *Essai de théologie systématique,* Neufchâtel, 1890, IV, p. 291-293» 332"333 · A- Sabatier *, *La doctrine de l'expiation et son évolution historique,* Paris, 1903, p. 66-67.

[2] Objectiones Socinianorum contra *orthodoxam* doctrinam exponunt A. Sabatier, *op. cit.,* p. 68-73 et Lichtenberger, *Encyclop. des sc. religf voce Rédemption,* L XI, p. 144.

[3] *Schleiermacher, Rilschl, A. Harnack, A. Sabatier,* quorum errores exponit J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption, étude historique,* p. 17-27.

in cruce est opus *praecipuum,* imo ex *ordinatione divina necessarium,* cui tribuitur reconciliatio nostra, secundum loquendi modum Scripturæ et Traditionis. Quare: i° in *thesifundamentali* ipsum redemptionis factum demonstrabimus; 2° ejus *convenientiam* cum ratione ostendemus.

Art. I. Thesis fundamentalis de Redemptione \

1139. *Thesis :* Christus vere et proprie nos redemit sua passione et morte piaculari ex obedientia et amore suscepta.

De fide est contra *Unitarios, Liberales* et *Modernistas* tum e *Symbolis* et *Conciliis,* tum ex *ordinario Ecclesiae magisterio.*

(a) In *Symbolis* enim declaratur Christum passum et mortuum esse " propter nos et *propter nostram salutem* ".

(b) Inter *Concilia :* In Concilio *Ephesino* legitur [2] : " Obtulit semetipsum pro nobis". — In *Tridentino* definitur : 1) causam meritoriam justificationis nostræ esse Christum, "qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit" [3]; 2) Dominum nostrum, "etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic *redemptionem* operaretur", instituisse sacrificium eucharisticum " quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur " [4].

(c) Inter *Pontifices, Clemens VI* (1352) declaravit redemptionem a Christo peractam esse superabundantem, ejusque merita esse infiniti valorisi; *Alexander VIII* damnavit,

[2] Cfr. Petavius, l. XII, c. 9; A. Essenius, *Triumphus crucis,* seu fides catholica de satisfactione ac merito Christi asserta; Legrand, diss. VIII, c. 2; Billuart, diss. XXIX, a. 4; Franzelin, th. 46; Stentrup, *Soteriol.,* th. 19; Dale*, *The Atonement,* lect. III-VII; J. Campbell*, *The Nature of the Atonement,* 6th. ed., London, 1886; Smeaton *, *The Doctrine of the Atonement.* as taught by Christ, 1868; as taught by the Apostles, 1870; Oxenham, *The Atonement,* London, 1865; J. Rivière, *Le Dogme de la Réiiemption,* étude historique, 1905; étude théologique, 1914; Chr. Pesch, *Dos Sühneleiden unseres gottlichen Erlosers,* 1916; A. d'Alès, in *D. A.,* voce *rédemption,* IV 542-^82; P. Galtier, th. XXX.

[3] D. B., 122. — [4] D. B., 799. — [5] D. B., 938. — [6] D. B., 550-552.

decreto S. Officii (1690), errores Jansenistarum universalitatem redemptionis negantium 1; *Pius X,* decreto S. Officii *Lamenlnb.* (1907), hanc propositionem (38) Modernistarum reprobavit2: "Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina

§ L Doctrina redemptionis Scriptura probatur.

I. Quæ doctrina in Vetere Testamento præflguratur et annuntiatur.

1140. (A) *Præfiguratur* præcipue per *exitum ex Æçyfita**. Israelitæ siquidem, in servitutem redacti, divina misericordia liberantur, mediante præsertim *agio paschali,* cujus sanguine a devastante Angelo protecti sunt, posteaque in nationem electam coadunati, terram promissam ingressi fuerunt. Ita pariter (secundum interpretationem Novi Testamenti, Patrum et Liturgiæ sacræ) humanum genus, sub potestate diabolica constitutum, a servitute peccati liberatum est, mediante vero Agno paschali, et gentem sanctam efibrmavit quæ ad cælestem patriam tendit.

1141. (B) *Annuntiatur* autem præsertim in *secunda parte Isaiæ* 4. Ibi enim prænuntiatur Messias tanquam *servus Domini,* qui populum suum salvabit non conterendo hostes, sed *humili obcedientia, passione* et *morte ignominiosa.*

Passiones hujus servi Dei ejusque mirabiles effectus *Isaias* tam vivide describit, ut hic locus merito vocatus fuerit *passio Jesu Christi secundum Isaiam.* (a) Primum *humiliationes* ejus narrantur : " Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus... despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum " 5.

(b) Deinde ejus *dolores,* et *causa* eorum, nempe *peccata hominum* quæ in se suscepit expianda : " Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos

1 D. B., 1294-95. — ' D- B-, 2038. — 3 *Exod,* XII, 3, 51.

4 Zxa., XLII, 1-4; XLIX, 1-6; L, 1-9; LU, 13-15, et LUI. — Critici multi hanc Isaiæ partem ignoto auctori sæcoli sexti ante Christum adscribunt : quod etsi argumenti causa concederetur, etiam tum verum maneret prophetiam longe ante eventum editam fuisse. — De indole et auctore prophetiarum Isaiæ *Commissio ώ re biblica* decretum edidit, 29 Jun. 1908, *A. S. S.,* t XLI, 613-614.

5 *Jsa.,* LUI, 2-3 ' *

putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus" x.

(C) Postea ejus *mors,* quam *sponte* suscepit : " Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum " 2.

(d) Tandem hujus mortis *effectus,* nempe ejus *triumphus* et *justificatio* multorum : " Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit " 3. — In boc igitur capite certo agitur de liberatione a peccato per mortem *justi,* nempe Messiæ qui libere animam suam dat pro populo suo.

II. Doctrina redemptionis ex Novo Testamento probatur.

1142. Praenotamus Judæos tempore Christi non exspectasse Messiam patientem et pro populo expiantem; rabbini siquidem prophetiam Isaiæ de servo Dei ita interpretabantur ut quæ ejus passionem et humiliationes describebant, non ad Messiam ipsum referrent; quare plerique Messiam exspectabant, qui a servitute Gentilium eos liberaret, et insuper, juxta pios, a peccato et vitiis4.

Nihilominus dogma redemptionis per mortem Christi in Novo Testamento clare prædicatur.

1143. i° In Synopticis Evang'eliis, Christus tria affirmat, quæ rem evincunt : (a) Christus *venit ad salvandos homines,* eos a peccatis liberando : "Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat " 5. Quod

' *Ibid.,* 4-6. — a *Ibid.,* 7.

3 *Ibid.,* 10-11. —Cfr. Reinke, *Exegesis critica in Isaia cap.j2-gj; The fifty-third ch. of Isaiah according to the Jewish interpreters,* by Neuhauer, Driver, Pusey, 2 vol. 1876-77; Knabenbauer, *Comment, in Isa.,* in h. 1. ; Corluy, *Spicilegium biblicum,* vol. II, p. 84 sq. — Falsas Judæorum et Rationalistarum interpretationes confutavimus in *Syn. theol. funaam.,* n. 332.

* Quod inferri potest ex cantico *Zacharia (Luc.,* I, 68-80).

5 *Luc.,* XIX, 10; cfr. *Malt.,* XVIII, 11.

variis parabolis confirmat ovis perditæ, amissæ drachmæ, filii prodigix. HH

(b) *Mortem suam* pluries annuntiat tanquam a prophetis praedictam, et quidem ut *necessariam ad munus suum implendum;* primum quidem obscure, dicendo sponsum non semper cum discipulis mansurum 2§ deinde, post confessionem Petri, omnino aperte : " Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia *oporteret* eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum, et occidi et tertia die resurgere " 3.

(C) Circa finem vitæ, declarat *passionem* suam *et mortem causam esse nostrce liberationis :* " Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis" 4. Porro, qui dat vitam suam tanquam pretium ad redimendos homines (hæc est enim significatio græcæ vocis λύτρον), nos liberat, non solum improprie et per exemplum, sed *proprie* redimit *soluto pretio,* scilicet moriendo pro hominibus, et eorum loco. Confirmatur verbis Christi in ultima Ccena, ubi declarat sanguinem suum pro multis effundendum esse " *in remissionem peccatorum* " 5. Quæ quidem verba rationem reddunt cur Dominus vitam suam tradiderit, nempe ad nos liberandos a peccatis.

1144. 2° Constat pariter ex testimonio Apostolorum. (A) Secundum *Actus Apostolorum,* (a) S. Petrus pluries loquitur de morte et resurrectione Christi, quem " Salvatorem Deus exaltavit, ad dandam pœnitentiam Israeli et remissionem peccatorum"6; sed non tam aperte declarat relationem quæ existit inter mortem et peccati remissionem ; (b) diaconus Philippus Christo applicat prophetiam Isaiæ de servo Domini patiente supra expositam, η. 1141.

(B) Sed in *prima Petri epistola* doctrina redemptionis *explicite* exponitur; tria enim declarantur : (a) eos qui nunc credunt, *ohm oves errantes,* de tenebris vocatos esse in

* *Luc.,* XV, 1.32. — » *Matth.,* IX, 15; *Marc.,* IX, 19-20; *Lue., N,* 34-35.
3 *Matth.,* X\ I, 21 ; cfr. XV II, 22 ; *Marc.,* VIII, 30 sq. ; *Lue.,* IX, 21 sq.
4 *Marc.,* X, 45; cf. *Matth.,* XX, 28. BB I
5 *Matt.,* XXV I, 28 ; *Mare.,* XIV, 24; *Luc.,* XX, 30. Cfr. Rivière, *op. cit.,* p. 6S-69. — 8 *Act.,* V, 30; cf. II, 23-36; III, 13-20 ; IV, 10-12.

admirabile lumen fidei; eos, qui aliquando non populus, nunc esse populum Dei, qui non consecuti misericordiam, misericordiam consecutos esse [1]; (b) *eosdem* nunc esse^zwwj *electum,* regale sacerdotium, gentem sanctam, *populum acquisitionis 2;* (c) hanc autem instaurationem tribuendam esse *passioni et morti Christi* in cruce : " Non corruptibilibus auro et argento redempti estis (ελυτρωϋητε)... sed pretioso sanguine quasi immaculati Christi "; " qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus " [3]. Hic S. Petrus affirmat nos redemptos esse *pretio soluto,* illud pretium nihil aliud esse nisi sanguinem Christi; Christum *in se suscepisse* peccata nostra, et corpus ejus fuisse cruci affixum, ut per hoc a peccatis liberaremur; atqui hæc omnia veram et *proprie dictam* redemptionem important, non autem metaphoricam per modum exempli.

1145. 3° Speciatim ex testimonio S. Pauli, qui de hoc dogmate tanquam religionis christianæ fundamento *expro-fesso* tam *explicite* agit ut adversarii contendant hoc dogma a Paulo inventum esse; de eo autem agit non ut a se excogitato, sed a Jesu tradito : "'Tradidi enim vobis in primis quod et *accepi :* quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas " [4]. — Cum rationalistæ ipsi concedant Paulum nostram thesim docuisse, pauca verba referre sufficiet :

(A) Passio et mors Christi exibentur : (a) ut *causa liberationis a peccato :* "'In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, *remissionem peccatorum* secundum divitias gratiæ ejus... Christus dilexit nos et *tradidit* semetipsum pro nobis oblationem et *hostiam* Deo in odorem suavitatis'^; (b) ut *medium reconciliationis* inter Deum et homines : " Et per eum *reconciliare* omnia in ipsum, pacificans, per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt;[6]... Omnia autem ex Deo qui nos *reconciliavit* sibi per Christum "[7]...

[1] *I Petr.,* II, 9-10, 25. — [3] II, 9. — [3] I, 18; II, 24.
[4] *I Cor.,* XV, 3. — [5] *Ephes.,* I, 7 ; V, 2. — [6] *Coloss.,* I, 20.
[7] *// Cor.,* V, 18. Paulo post additur (21) : " Eum, qui non noverat pecca-

(B) Doctrina redemptionis *synthetics* exponitur in <?/. *ad Rom.*, præsertim ubi S. Paulus, postquam ostendit sive Gentiles sive Judæos esse sub lege peccati : (a) declarat eos gratis justificari per gratiam Christi : "per *redemptionem* (ἀποΑυτρώσεω), quæ est in Christo Jesu, quern proposuit Deus *propitiationem* (Ιλαστηριον) per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suæ, ... ut sit ipse justus et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi"1, Ibi clare affirmatur Christum esse causam *meritoriam* justificationis quæ nobis gratis datur, et eumdem fuisse *victimam expiatoriam* (propitiationem) fundendo sanguinem tanquam pretium (redemptionem) ut a peccatis justificeremur. (b) Postea vero hujus redemptionis *effectus* fusius exponit, *reconciliationem* nempe cum Deo et vitæ divinæ infusionem : " Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius"2, (c) Tandem, parallelismum instituens Christum inter et Adamum, ostendit nos per Christi obeditionem justos constitui sicut per Adamum peccatores constituti eramus 3. Itaque, juxta Apostolum, vere redempti sumus, a peccato liberati et gratia justificante donati, per mortem et sanguinis effusionem Christi, non solum physice toleratam, sed ex *obedientia* et *amore libere acceptatam* 4.

Ex his variis textibus theologi thesim de vera redemptione per modum satisfactionis et meriti jure probaverunt, ut infra patebit.

1146. 4° Ex testimonio S. Joannis : (A) In *epistola prima* diserte asserit nos *emundari ab omni peccato in sanguine Christi* 5, qui est propitiatio (ἱλασμό) seu hostia pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi 6, ita ut Dei amicitia et vita fruamur per mortem Christi 7.

tum, pro nobis *peccatum* fecit"; quod quidem non significat Christum fuisse peccatorem, sed *hostiam pro peccato.* 1

1 */tom.,* III, 24-25. — 3 4\5*m.,* V, io.
3 V, 12-21. H

4 De doctrina *ep. ad Hebraos* vide infra ubi de sacrificio Christi.
5 *1 Joan.** I, 7. — 6 II, 2. — * IV, 9.

(B) In *Apocalypsi,* tradit nos λ *peccatis nostris ablutos esse in sanguine Christi,* et ita in regnum Dei introductos1; exhibet Agnum stantem tanquam occisum, ideoque ut victimam, cujus sanguine redempti facti sumus cives regni divini et sacerdotes 2.

(C) In *Evangelio :* (a) sæpe docet : i) nos *a servitute peccati liberatos* esse, de tenebris in lucem, de morte ad vitam spiritualem translatos 3 ; 2) hos autem effectus tribuendos esse *morti Christi :* sicut enim per serpentem a Moyse exaltatum in deserto Israelite salvi fiebant, ita et homines per Christum exaltatum in cruce salvantur 4; cum enim exaltatus fuerit (in cruce), omnia ad seipsum trahet 5 ; ita suos *diligit ut animam suam ponat pro eis* 6;* et sanctificet (id est, sacrificet) seipsum ut et ipsi sanctificentur in veritate 7; *moritur pro gente,* ut filios Dei, qui erant dispersi, congreget in unum8.

(b)Quod lucidius patet ex allegoria *boni pastoris* 9 .· Christus est bonus pastor qui ideo in mundum venit ut oves vitam habeant et abundantius habeant; *animam suam dat pro ovibus suis.* et quidem *libere,* a seipso, ad *obediendum* Patri ; mors igitur Domini ex obedientia suscepta vim habet nobis vitam aeternam procurandi.

1147. 50 *Quædam verba declarantur.* Doctrina redemptionis totum pervadit Novum Testamentum, diversisque *analogiis* illustratur, quas exponere juvat : hae tamen sunt *comparationes* quæ quoad aliquid valent, non autem quoad omnia.

Dicitur : (a) *Redemptio.* Jamvero redemptio personarum est actus quo captivi liberantur, pretio soluto iis qui servos sub potestate detinent. Quando Scriptura dicit nos per Christum redemptos esse, significatur quidem nos a captivitate peccati et diaboli ereptos esse in libertatem filiorum Dei, minime vero pretium solutum esse diabolo : homo enim per peccatum non desierat esse sub potes-

1 Apoc.. I, 5. —3 4V*; 6-10.
3*Joan.*, I, 9.12; III, 19-2I; VIII, 12; XII, 35, 36, 46.
4*Joan.*. III, 14-15. — 5 XII, 32-33. — 6 XV, 13. — *i* XVII, 19.
8 Ita Joannes explicat verba quæ protulerat Caiphas de Christo " quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo ", animadvertens eum prophetasse, cum esset Pontifex anni illius.
9*Joan.*. X, 10-18.

rate Dei, nec traditus erat diabolo tanquam legitimo *possessori, sed* tanquam divinæ justitiæ *executory; pretium igitur non erat diabolo solvendum, sed Deo* ad reparandam offensam injuste illatam

(b) *Reconciliatio cum Deo.* Animadvertit .£ *Thomas* passione Christi nos Deo reconciliatos esse, *non* quidem eo sensu quod Deus *de novo nos amare coepit,* cum scriptum sit : " In caritate perpetua dilexi te " a; sed quia per passionem *sublata est odii causa,* nempe peccatum. Revera ipsa redemptio exhibetur ab auctoribus sacris ut *opus eximium caritatis,* quo Deus dilexit nos, etiam cum adhuc inimici essemus.

(c) *Propitiatio,* seu *sacrificium ad Deum placandum.* Ex hac autem analogia inferre non licet, ut Veteres Protestantes dixerunt; Deum proprie *ira incensum* fuisse erga homines, *nec Christum factum* esse, propter peccata nostra, *Deo infensum* et ab Eo *maledictum :* Deus enim non irascitur nec placari indiget sicut homines. Ira quæ Ei tribuitur nihil aliud est nisi *manifestatio divinæ sanctitatis* peccatum merito reprobantis; placatur autem quando tollitur peccatum quod est justæ indignationis causa.

(d) *Expiatio,* qua Christus peccata nostra in se suscepit, et, loco nostri, pœnam pro eis solvit. Ex quo *legitime infertur Christum constitutum esse caput morale nostrum* et vices nostras egisse in subeundo pœnam peccato debitam ; non autem Eum propterea inferni pœnas, præsertim pœnam damni, sustinuisse : nullomodo enim poterat a Deo separari, cum natura humana esset inseparabiliter Verbo unita et visione beatifica frueretur (supra, nn. 1061,1091).

1148. **Conclusio.** In Novo itaque Testamento *explicite* et *diserte* asseritur nos per Christi passionem et mortem redemptos esse, simulque declarantur mirabiles hujus redemptionis effectus, nempe peccatorum remissio, justificatio et salus aeterna; *quomodo* vero hi effectus producantur, nempe per *satisfactionem et meritum, minus diserte,* sed *explicite* tamen dicitur, ut infra exponetur ubi de *modo* redemptionis.

§ II. Redemptio Traditione probatur 3.

1149· Prænotamus Patres, qui, contra diversas hæreses, divinitatem simul et humanitatem Christi vindicandam sibi proposuerunt, non *ex professo,* in *specialibus tractatibus,* disseruisse de

* *Sum. theol.,* 3, q. 48, a. 4, ad 2. — *'Jerem.,* XXXI, 3.

J. Rivière, qui erudite in parte historica hoc argumentum evolvit, p. ıoi-4S6; Tixeront. I, 120, 139, 154, 242, 257, 295, 325, 344, 382; II, 150-157, 293-298; 381-3S3; L. Labauche, p. 315-337; A. d'Alès, *l. c.,* 554-582.

redemptione quæ non impugnabatur directe; sed *explicite* tamen, occasione controversiarum de Trinitate, de Incarnatione et de peccato originali, aut in explicatione symboli, ubi de passione et morte Christi agitur; in sermonibus moralibus et asceticis; ideoque in eorum operibus *integram* et *syntheticam* hujus mysterii *expositionem non* esse *qucerendam,* sed tantum præcipua lineamenta cum quibusdam tentaminibus ad reddendam rationem catholicæ doctrinæ. Exinde non minuitur, sed potius *augetur* eorum *auctoritas,* cum ut *testes* fidem Ecclesiæ tunc tradant.

Tria stadia in explicatione dogmatis distinguemus.

1150. i° *Sæc. 1° et 11°,* Patres apostolici, Apologetæ et Controversistæ, contra Gnosticos qui contendebant homines salvari per scientiam (γνώσιν) quam Christus de cælo attulit, sæpe affirmant nos redemptos esse *per Christi passionem et mortem* quam voluntarie sustinuit, et effectus hujus redemptionis describunt nempe *liberationem a peccatis, reconciliationem cum Deo,* et participationem vitæ divinæ.

Ita, v. g., 5. *Clemens :* "Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, et cognoscamus, quam pretiosus sit Deo et Patri ejus, qui *propter nostram salutem effusus* toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit" x. Postea addit eum *propter caritatem* nos redemisse : " Propter caritatem quam erga nos habuit, Dominus noster Jesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit"23 — In *ep. Barnaba* idem asseritur, posteaque describuntur *redemptionis effectus,* nempe peccatorum remissio, mortis destructio, resurrectio a mortuis, novæ vitæ infusio, qua efficitur populus novus et sanctus qui populo israelitico substituitur 3.

In *ep. ad Diognetem,* exponitur quomodo Deus benignitatem et potentiam suam manifestaverit proprium Filium dando pretium redemptionis pro nobis, sanctum pro iniquis, mali expertem pro malis, justum pro injustis* : ita jam delineatur conceptus *substitutionis.* — *S. Justinus,* qui, juxta adversarios, nil de redemptione dicit, pluries de ea sermonem habet sive in *Apologiis,* sive præsertim in *Dial, cum Tryphone : " Pro eorum salute* qui illi credunt et pro nihilo haberi et *pati* sustinuit, ut *mortuus* et resurgens mortem vinceret 5... ut perpessionum nostrarum particeps factus medicinam illis faceret"6.

1 *Ep. ad* Cor., VII, 4; Journel, 12. — * *Ep. ad Cor.,* XLIX, 6; Journel, 26.
3 *Ep. Barnaba,* V, 1-7 ; VII, 2 ; XIII ; XIV, 4-6 ; Journel, 32-33.
* *Ep. ad Diogn.,* IX, 2-5; Journel, 99.
s *Apol.,* I, 63, *P. G.,* VI, 424; Journel, 127.
6 *Apol.,* II, 13, *P. G.,* VI, 465 ; Journel, 131.

Ulterius progrediens, 5. *Irenceus,* docet nos redemptos esse sanguine Christi, ejus morte quæ verum sacrificium fuit, ejusque oboedientia quæ nostram inoboedientiam expiavit : " Verbum potens et homo verus sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his qui in captivitatem ducti sunt... Propitians quidem pro nobis Patrem in quem peccaveramus, et nostram inoboedientiam per suam oboedientiam consolatus... ut et Deus beneplacitum habeat, pro universo semine ejus dilectum et unigenitum suum præstare *sacrificium* in nostram redemptionem, θυσίαν ει λυτρώσιν " x.

1151. 2° *A sæc. IIIo ad Vum,* non solum *existentia* et *effectus* redemptionis describuntur, sed jam delineantur *theories* ad explicandum *quomodo* redempti simus.

Quo melius vis argumenti intelligatur sciendum est *Liberales* contendere ex diversis ejusmodi theoriis clare evinci *Patres nil certi de redemptione docuisse.* Tres nempe sunt hujusmodi theoriæ : (a) theoria quæ dicitur *mystica* seu *physica,* asserit redemptionem præcipue per *ipsam incarnationem* peractam esse, quatenus humana natura, peccato inquinata, intimo contactu cum Verbo sanctitatis fonte sanctificata fuit; (b) theoria, quæ vocatur *realistica,* docet redemptionem præcipue peractam esse per *passionem* et *mortem* Christi : (c) theoria, quæ *jura deemonis* admittens in homines, contendit pretium redemptionis ipsi *diabolo* solutum esse cujus, per peccatum, servi erant. Nonne igitur patet, inquiunt, redemptionem esse humanum systema libere inter doctores disputatum?

'ill
ili

nil!

Quam falsa sit ista conclusio ostendemus.

(a) Ex dicendis historice constabit *plerosque* Patres theoriam, quæ *realistica* ideoque *catholica* dicitur, docuisse, etiam eos qui primae aut tertiæ theoriæ favent : *non* enim *exclusive* unam aut alteram theoriam proponunt, sed plerique alibi asserunt Christum Patri seipsum pro nobis obtulisse, (b) Prima theoria, præsertim in Oriente proposita, dogmati catholico non adversatur, quando *non exclusive* propugnatur, cum valor infinitus redemptionis ex unione hypostatica procedat ; jamvero plures de facto simul *realisticam* theoriam proponunt, (c) Tertia, quam pauci defendunt, aliquid veri continet, nempe *debitum* a peccatoribus incurri quod solvi debeat, errat vero *circa personam cui* solutio facienda sit

' *Adv· hares.,* 1. V, I, IjV,2,I;V, I7, 1 ; IV, S, 4;P. *G.,* VII, 1121, 1169, 986. Cf. Journel, 221, 249.

Notandum est etiam quosdam ex iis qui jura diaboli admittunt, simul realisticæ adhaerere doctrinæ. Dici igitur potest Patres *unanimes* esse circa *existentiam* et *effectus* redemptionis, quam Christi *passioni, morti* et sacrificio in cruce adscribunt ; nec inter se differre nisi quoad modum *accidentalem* explicandi hoc dogma. Quod quidem patebit ex simplici historica expositione.

II52. (A) Inter GræcOS : (a) *realisticam* theoriam propugnant : *Origenes,* qui satis completam theoriam habet, paucis tamen erroribus mixtam. Asserit siquidem Christum, utpote *caput nostrum morale,* peccata nostra sibi imposuisse, et pro eorum remissione passum et immolatum fuisse tanquam victimam : " Peccata generis humani imposuit super caput suum : ipse est enim caput corporis ecclesiae suae... Secundum hoc ergo quod hostia est, profusione sanguinis sui propitiatio efficitur in eo quod dat remissionem praecedentium delictorum " \ Sed admittit nostrae redemptionis *pretium diabolo solvi* 2 et propter auctoritatem qua gaudebat, quosdam alios Patres in eumdem errorem induxit. Ceteroquin hæc redemptio tam universalis est ut ad omnes creaturas rationales se extendat, etiam extra orbem terrarum 3.

Eamdem doctrinam, absque errore circa jura dæmonis, tradit *Eusebius Cœsariensis ;* varias enim exponens causas mortis Christi, dicit : " alteram (esse) ut nostras abstergeret maculas peccatorum, qui pro nobis sacrificatus et exsecratio factus sit; tertiam ut tanquam Dei victima atque ingens sacrificium ipsi supremo Deo offerretur pro universo mundo " *. Idem docent *Didymus* s, 5. *Cyrillus Hierosol.* 6;* S. *Basilius* 7, S. *Gregorius Naz.* 8;* S. *Chrysostomus* 9t *S. Cyrillus Alex.,* qui, v. g., scribit : " Mors Christi salutem praestitit; siquidem propriam pro nobis carnem obtulit, mortique semetipsum nostri causa contradens, omnes ex mortis laqueis exemit " I0.

l *In Levit.,* hom. I, 3 ; *In Joan.*. XXVIII, 14; *In ep. adRom.*. III, 8 ; *P. G.*. XIV, 720, 721, 946, 950. — Cf. JourneI, 492, 498, 533.

' *In Maith.,* XVI, 8 ; *C. Cels.,* I, 31 ; *In Rom.,* IV, 11 ; *P. G.,* XIII, 1397; XIV, 1000 : " *Cuinam* autem animam suam redemptionis pretium pro multis dedit? Non Deo. Numquid igitur *malo?* Is enim nos dominabatur, donec pro redemptionis mercede anima Jesu daretur ipsi decepto". (Zn *Matth., Comment.,* 168; JourneI, 508.

3 *In Joan.,* I, 40, *P. G.,* XIV, 93.

4 *Demonstr. evang.,* IV, 12, *P. G.,* XXII, 284 ; JourneI, 669.

5 *De Trinit.,* III, 12, 21, 27, *P. G.,* XXXIX, 860, 904, 944.

6 *Catech.,* III, 12; *P. G.,* XXXIII, 444.

' *In Psalm.,* XLVIII, III, 4; *P. G.,* XXIX, 437.

8 *Oral.,* XLV, 28, *P. G.,* XXXVI, 661. — ' *In Galat.,* II, 8, *P. G.,* LXI, 646.

" *De recta fide ad reginas,* VII, *P. G.,* LXXVI, 1207.

Ix53· Φ) Theoriæ *mystica* favent, *etsi realisticam non excludunt, S. Athanasius* et S. *Gregorius Nyss.* Prior, contra Arianos, probare volens divinitatem Christi, docet redemptionem, quæ deificationem nostram importat, fieri non posse nisi *unione cum vero Filio Dei,* cujus contactu dii efficimur : " Ipse siquidem homo factus est, ut nos dii efficeremur ; ipse seipsum per corpus vadendum exhibuit, ut nos invisibilis Patris cognitionem acciperemus; ipse injurias sibi ab hominibus illatas sustinuit, ut nos immortalitatis hæredes instittueremur " '. Alibi vero non minus *clare* affirmat *nosfer mortem in cruce,* quam sacrificium vocat, et quidem soluto pretio, redemptos esse; exponens enim quo sensu Christus factum fuerit *maledictum* et *peccatum,* declarat " non totum ipsum intelligimus maledictum et peccatum factum esse, sed nostram maledictionem duntaxat suscepisse, ut Apostolus his verbis docet : *Redemit nos de maledictione,* nostraque portasse peccata, ut ait Isaias, atque ea, ut scribit Petrus, corpore in lignum sustulisse' "1. Idem fere docet S. *Gregorius Nyss.* 34

1154. (c) Theoriæ quæ *jura diaboli* admittit adhærent 5. *Gregorius Nyss.* et 5. *Rasilius.* Prior asserit aliquod pretium debitum esse diabolo, cujus per peccatum servi eramus, hoc autem pretium fuisse Christum ipsum ; quem diabolus, tanquam piscis vorax, arripit, hamum divinitatis non videns, sed et ipse captus manet, dum Salvator hominem liberat.

(d) Quam vero theoriam ut *blasphematoriam* reprobat S. *Gregorius Naz.* s ; " Si autem redemptionis pretium non alii solvitur nisi illi qui captivos tenet, quæso, cui oblatum est, et quam ob causam? Si maligno, o contumeliam !... Si autem Patri, primum quomodo id factum est? Nec enim ab illo detinebamur..." — Præterea notetur hanc theoriam nunquam apud Patres communem fuisse; et verba quæ eam stricte docere videntur comparanda esse cum dictis eorumdem auctorum jus diaboli negantium aut imminuentium (cf. n. 1147).

1155. (B) Inter Latinos : (a) plerique *realisticam* theoriam ideoque thesim nostram proponunt. Inter quos, *Tertullianus* clare, etsi breviter, docet Christum *innocentem peccatoribus substitutum* esse, ut *delicta nostra expiaret,* pro nobis moriendo et seip-

1 *Orat, de Incarnat. Verbi,* 54, *P. G.,* XXV, igijcfr. *Cont. Arianos,* II, 61; HI, 33, — ' *Orat. cont. Arian.,* II, 47, *P. G.,* XXVI, 247; cf. II, 66; HI, 33. 58; *Orat, de Inc.,* IX, 26.

3 *C. Eunomium,* V, VI, VII, *P. G.,* XLV, 693, 7V, 860; *De occursu Domini^ P.* C., XLVI, 1161, 1165.

4 *Oratio caUctutica.* 22-24, 26, *P. G.,* XLV, 60, 68.

5 *Orat.t* XLV, 22, P. (7., XXXVI, 653; Journel, 1016.

sum in sacrificium offerendo *. Idem fere S. *Cyprianus a.* Nec minus clare 5. *Ambrosius :* " Peccatum non fecit, sed peccatum factus est... quia peccata nostra suscepit... ut peccatum nostrum in sua carne crucifigeret... Idem ergo sacerdos, idem et hostia... nam et agnus ad immolandum ductus est, et sacerdos est secundum ordinem Melchisedech... cujus sanguinis pretium poterat abundare ad universa mundi totius redimenda peccata " λ S. *Hilarius* non solum idem docet, sed etiam explicite affirmat oblationem Christi fuisse omnino liberam : " Maledictorum se ergo obtulit morti, ut maledictum legis dissolveret, hostiam se ipse Deo Patri *voluntarie offerendo,* ut per *hostiam voluntariam* maledictum, quod ob hostiæ necessariæ et intermissae reatum erat additum, solveretur " ♦.

(b) Attamen 5. *Hilarius,* forsan solus inter I^atinos, alibi theoriae *mystica* favet, dicendo Filium Dei ex Virgine natum esse, " ut homo factus naturam in se camis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret " *s.*

(c) Pauci etiam admittunt pretium redemptionis *diabolo* solutum esse. Ita 5. *Ambrosius*** : ""Pretium autem nostræ liberationis erat sanguis Domini Jesu, quod necessario solvendum erat ei cui peccatis venditi sumus ". Alii, ut S. *Hilarius* 7 et S. *Padanus* 8, dicunt *diabolum,* apparente infirmitate Christi *deceptum,* ejus morti operam commodasse, et, ob injustitiam ejusmodi, a juribus quæ in homines acquisierat juste privatum esse.

1156. (d) Synthesim vero doctrinæ catholicæ tradit S. *Augustinus.* Redemptio est *substitutio :* " Non enim ipse ulla delicta habuit, sed nostra portavit " 9. Pro liberatione nostra, *pretium* solutum est : " Quo pro nobis solvente quod non debebat, a debitis et paternis et propriis liberati sumus " I0. Vere igitur vices nostras egit : " Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum et finiret etiam supplicium nostrum "IX.

l *De came Christi,* 5; *de baptismo,* 11 ; *de pudicitia'* 22; *de patientia,* 3; *de resurrectione camis,* 53 ; *de anima,* 40 ; *defuga in persec.,* 12; Journel, 370.

2 *De op. et eleemos.,* 1, 26; ep. LVII1, 6; Journel, 563.

3 *De Incarnat, domin. sacram.,* 60; *De fide,* III, 87; *In Ps.* XLVIII, 13.15; *P. L.,* XVI, 833, 607; XIV, 1161.

‹ *In ps.,* LUI, 13, *P. L.,* IX, 345· — 5 *De Trinit.,* II, 24, *P. L.,* IX, 66.

6 *Epist.,* 72, n. 8, *P. L·,* XVI, 1245.

7 *In Ps.* XLVIII, 8. — 8 *Sermo de baptismo,* 4. — * *Tract, adv. Jud.,* 6.

l0 *De Trinit.,* 1. XIII, c. XIV-XVIII, 16-22, *P. L.,* XLTI, 1031.

ll *Cont. Faustum,* XIV, 4, ^ *L.,* XLII, 297.

Sacrificium propitiatorium pro nobis libere obtulit : " Morte sua quippe uno vero sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat... purgavit, abolevit, exstinxit "L Non admittit quidem pretium diabolo solutum esse, sed fatetur eum deceptum et captivis suis juste privatum fuisse2,— Ita viam parabat scholasticæ expolitioni hujus mysterii.

(e) Antequam hanc exponamus, notandum est saltem a sæc. VI°, in liturgicis hymnis et precibus, commemorari *redemptionem hominum per crucem :* ita in hymnis *Vexilla Regis* et *Pange lingua,* sed præsertim in *benedictione cerei paschalis,* ubi de Christo canitur : " Qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum solvit, et veteris piaculi cautionem pio cruore detersit

1157. 3° *A sæc.* ***XI ad XIII,*** ducibus S. *Anselmo* et *divo Thoma,* synthetice et philosophice exponitur doctrina de redemptione.

(A) Prior duo declarat 3 : *cur Deus homofactus sit* et *quomodo Deus-Homo nos redemerit,* (a) Deus homo factus est *ad satisfaciendum pro peccatis nostris.* Omnis voluntas rationalis creaturæ subjecta esse debet voluntati Dei, et si hunc honorem debitum Deo non reddit, Deum exhonorat et erga divinam justitiam debitum contrahit, quod tolli nequit nisi *satisfactione* qua, pro contumelia illata, tantum reddatur quantum ablatum est Atqui, ex una parte, *necesse est* ut omne peccatum satisfactio aut pcena sequatur et quidem *secundum mensuram peccati; ex* altera vero, homo hanc satisfactionem solvere nequit, cum omnes pænitentiæ actus quos elicere valeat jam sint Deo debiti, et insuper *offensa* Deo irrogata sit *infinita.* Ergo hanc *satisfactionem solvere nequit nisi Deus-Homo :* solus enim Deus infinitam offensam reparare potest, et quia satisfactio ab homine debetur, *ab homine* solvi debet. Exinde infert satisfactionem non posse præberi nisi per Horni nem-Deum.

(b) *Deus-Homo sua morte nos redemit.* Christus satisfacere pro nobis non poterat actibus obœdientiæ et amoris quos per totum vitæ suæ cursum peragebat, cum hi omnes jam Deo debiti essent, sicut actus creaturarum ; sed *morte sua,* quam, utpote innocens, subire non tenebatur, pro nobis *abunde satisfecit,* cum libera acceptatio mortis sit infiniti valoris. Insuper hæc acceptatio, utpote

l *De Trinit.,* IV, 17, *P. L.,* XLII, 899.
* *De Trinit.,* XIII, 16-18, *P. L.,* XLII, 1026 sq.
3 *Cur Deus homo, P. L·,* CLVIII, 361-430.

actus supererogatorium, *meritoria* est; et, cum Christus non possit *sibi* mereri (ab initio enim omnia bona a Patre acceperat), *nobis* meruit, et convenienter quidem, quia fratres ejus sumus.

Redemptio igitur, juxta S. Anselmum, peracta fuit per *vicariam satisfactionem* qua Christus libere nostra debita solvit, æquivalenter reparando offensam peccatis nostris Deo illatam; necnon per *mentum* ejus, quo bona per peccatum amissa nobis restaurat. Quæ quidem doctrina jam in Scriptura, præsertim apud S. *Paulum,* formaliter implicite continebatur, ideoque, statim ac scientifice exposita est, communiter fuit recepta.

Hanc autem /Vnselmus nimis rigorose exposuerat, nonnullis etiam admixtis erroribus circa necessitatem redemptionis, data hypothesi peccati; quos correxerunt posterioris ævi theologi, præsertim S. Thomas.

1158. (B) S. Anselmi doctrinam non secutus est *Abcelardus,* sed, Socianianis præludens, contendit nos per Incarnationem et passionem Christi justificari, quatenus ita ad amorem Dei provocamur. Cujus errores, a S. Bernardo aliisque impugnati, in *C. Senonensi* damnati sunt *. Postea *Hugo a S. Victore* docuit, contra S. Anselmum, Deum aliter quam per satisfactionem Christi, potuisse nos salvare 2. *P. Lombardus* lucidius exponit vicariam Christi satisfactionem, quæ tamen nos a pænitentia et amore minime dispensat3. *Alexander Alensis* synthetice et fuse S. Anselmi doctrinam exponit, sed redemptionis necessitatem attenuat 4. 5. *Bonaventura* docet redemptionem non fuisse necessariam, sed divinæ misericordiæ consentaneam; Christum qualibet actione aut passione nos liberare potuisse, sed convenientius *morte,* quæ est perfectissima amoris exhibitio, et qua talis Patri magis acceptabilis 5.

1159. (C) Quidquid veri erat in antecessorum theoriis, S. *Thomas* digessit, sedulo vitans errores in quos nonnulli inciderant, doctrinamque tradidit quam, post eum, omnes fere theologi, saltem quoad præcipua puncta, amplexi sunt; quæ sic breviter contrahi potest :

(a) Posito protoparentis peccato, redemptio generis humani *non erat necessaria, sed conveniens 6;* decebat etiam,

' D. B., n. 371.
3 *De sacramentis,* I, p. VIII, c. 3-4; *P. L.,* CLXXVI, 307-309.
Sent., 1. III, dist. 18, 3-7; *P- L.,* CXCII, 797*798.
* *Sum. theol.,* III, q. I, membr. I-IV.
s *In III Sent.,* dist. XVIII-XX.
6 *In 111 Seni.,* dist. XX, q. b »· I-

sed non necessarium erat Deo satisfactionem offerri, et quidem per incarnationem [1] et passionem [2] Filii Dei.

(b) Christus, qui, ex speciali ordinatione Dei, caput morale nostrum constitutus est, nomine nostri egit, salutemque nostram passio ejus causavit per modum redemptionis, meriti, satisfactionis et sacrificii, non quidem ut causa principalis sed ut *causa instrumentalis.*

(c) Perfecta fuit redemptio, sive consideratur in *causa* scilicet Christo, cujus actiones, vi unionis hypostaticae, *infinitum* habebant *valorem* et qui immensas passiones libere ex *amore* et *oboedientia* sustulit [3]; sive consideratur in *effectibus* suis quoad nos.

Art. II. Concordia hujus doctrinæ cum ratione[4].

1160. Status quaestionis. (A) Fatemur equidem dogma redemptionis esse *mysterium,* ideoque supra rationem. Jam tempore Apostolorum, Christus crucifixus erat " Judaeis quidem scandalum,Gentibus autem stultitia " 5;et in *Catechtsmo Concilii Tridentini* legitur : " Si quid aliud humanæ menti et intelligentiæ difficultatem affert, certe crucis mysterium omnium difficillimum existimandum est ; vixque percipi a nobis potest, salutem nostram ex cruce ipsa, et ex eo, qui pro nobis ligno illi affixus est, pendere ".

Mysterium in eo præcipue situm est quod Christus *innocens* pro *hominibus peccatoribus* passus et mortuus est, et insuper in eo quod Christus qui unica oratione nos salvare potuisset, obediens fuit usque ad mortem crucis.

(B) *Liberales* autem contendunt, post Socinianos, doctrinam de redemptione esse *rationi contrariam :* (a) *Dei bonitati* adversatur qui gratuito ex amore condonat nostra delicta ; (b) falso ei tribuit *vindicta* sensus; (c) immo *justitiam* violat, innocentem pro reo puniendo et quidem poena mortis; (d) *ordinem moralem pervertit,* physicis tormentis tribuendo redemptionem quæ caritati et exemplo Christi adseribi debet[6]. Contra quos sit sequens thesis :

[1] *Sum. theol.,* 3, q. I, a. 2. — [2] *Ibid.,* q. 46, a. 1-4. — [3] *Ibid.,* q. 46, a. 5-12.
[4] j- *Exp"* historique,* p. 15-27; 489-498; [illegible] p. 3x7-380
[5] *I Cor.,* I, 23.
[6] Ita, inter alios, A. Sabaüer, *of. oil.,* pp. a3, et passim.

1161. *Thesis* z' : Catholicum dogma redemptionis rationi minime repugnat. *Certum est.*

Praenotamus præfatas difficultates aliquo modo valere contra systema Lutheri et Calvini in quo dogma redemptionis *deformatum* fuerat (supra, n. 1137), non autem contra doctrinam catholicam superius expositam, qualis per novem et decem sæcula ab Ecclesia proposita et a viris profundissimo ingenio præditis credita fuit.

(A) Doctrina nostra *non adversatur Dei bonitati nec gratuite condonationi peccatorum,* (a) Ex textibus enim Scripturæ et Patrum jam allatis patet redemptionem esse primario opus *caritatis et misericordia :* sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ; Christus ipse, cum adhuc inimici essemus, dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, et quidem libere; ita nos provocat ad amorem, et reapse se hostiam libere pro nobis offerendo in cruce, omnia corda trahit ad seipsum. (b) Neque dogma catholicum adversatur *gratuitati* Redemptionis nostræ; Deus enim minime tenebatur Filium suum nobis dare, sed satisfactionem *personalem* exigere poterat, cum offensa ipsi irrogata constitueret, ex parte nostri, *personale* debitum ; *gratuito* igitur misit Filium suum ; *gratuito* ejus satisfactionem pro nobis accepit, et in hoc sensu recte S. Paulus dicere potuit[1] Justificati *gratis* per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu ". *Gratuita* igitur est redemptio ex *parte nostri,* non autem ex *parte Christi,* qui pretium redemptionis pro nobis solvit.

1162. (B) Dogma catholicum *minime supponit in Deo inordinatos vindicta sensus,* quales sæpe existunt in homine, sed solum *justitiam* quæ in omni superiore, sed præsertim in Deo, existere debet. Quando enim Deus offenditur, eo ipso lex naturalis violatur, et vera injustitia committitur; atqui violatio legis *ex se* postulat reparationem quamdam, ut ordo violatus reparetur, et reus a peccando arceatur. Ergo *vindicta minime* in Deo apparet, sed solum justitia.

In casu autem nostro, Deus, nedum vindicta inordinate moveatur, peccatores diligere non cessat, etiam quando

[1] *Rom.y* III, 24.

adhuc in peccato versantur, sed misericordia motus, eis medium efficacissimum præbet ut divinae justitiæ plene satisfacere valeant, quin et ipsi dira subeant tormenta.

1163. (C) *Nec justitia violatur,* innocentem pro reo puniendo poena mortis. Actus enim redemptionis non fuit damnatio innocentis pro reo, sed *acceptatio oblationis* quam perfecit homo, ex hominibus assumptus, et pro hominibus constitutus, dum seipsum sanctum, innocentem, impollutum obtulit pro fratrum peccatorum salute. *Quomodo* autem hæc innocentis spontanea oblatio vitam reis obtinuerit, non equidem intelligimus, et hoc est divinæ justitiæ arcanum, humanis mentibus absconditum. Unum autem perspicere valemus, non esse contra justitiam nec bonitatem Dei quod tam sublime sacrificium, ad tantam dignitatem homines extollens, Supremus vitæ ac mortis dominus ratum habuerit, immo et postulaverit ab eo qui solus offerre id potuit.

1164. (D) *Ordo moralis non pervertitur, sed optime servatur :* redemptionem enim tribuit non physicis Christi tormentis in se consideratis, sed prout *caritate* et *oboedientia* toleratis. Ut pluries enim animadvertimus, thesim probando (nn. 1150,1153, 1157, etc.). Scriptura et Patres morti quidem Domini adscribunt liberationem nostram, sed morti *ex obœdientia et amore libere susceptæ,* et *ex unione hypostatica* quæ infinitum valorem Christi doloribus et morti præbet, non autem morti *physice* tantum spectatæ. — Hæc igitur, sicut et aliæ difficultates, genuina dogmalis expositione solvuntur.

1165. *Thesis 2a :* Redemptio per mortem piacularem Christi omnino conveniens est[1].

(A) *Ex parte Dei.* cujus *sapientia* et *amor* optime manifestantur in hoc mysterio, ex eo quod jura *justitiæ* et *misericordia* perfecte conciliare potuerit, ex una parte, æquivalentem satisfactionem et reparationem ordinis læsi exigendo, et ex altera, miseris hominibus parcendo.

(B) *Ex parte Christi,* qui, pro nobis satisfaciendo, *suam* eximiam *caritatem* erga nos manifestat, et ita *amorem nos-*

1 Cf. S. Thom., 3, q. 46. 3; J- Rivière, *Le dogme de la Rid., it. thiol.*. P· 3>7-343·

trum sibi conciliat; nam, ut ait S. *Paulus :* " Caritas enim Christi urget nos... ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est " 1 et insuper nova munera Mediatoris inter Deum et homines ac Supremi Pontificis perfectissime adimplendo, majorem sibimetipsi gloriam acquirit : " Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam " 2?

(C) *Ex parte hominum,* qui peccatum fugere discunt, videndo *quanta* reparatio sit a Deo requisita ad illud delendum : "empti enim istis pretio magno"3; et insuper Christianas virtutes, præsertim sui abnegationem, patientiam et caritatem colere ut infra dicemus, ubi de sacrificio Christi. — Præterea hoc ad majorem *dignitatem* hominis cessit ut, sicut homo a diabolo victus fuerat, ita etiam homo esset qui diabolum vinceret ; et ita diabolus maximam confusionem experitur, eo quod ab illa humana natura vincitur quam in paradiso vicerat.

CAPUT IL

DE MODO ET DOTIBUS REDEMPTIONIS.

Probato redemptionis facto, duo exponenda sunt :

i° *quomodo* redemptio peracta fuerit ; 2° quaenam sint ejus *dotes.*

Art. L De modo quo peracta fuit redemptio.

1166. Juxta *T'ridentinum*4, Christus homines redemit pro nobis *satisfaciendo* et *merendo sua passione et morte :* "Sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit

Concilium minime negat aliorum Christi actuum vim satisfactoriam et meritoriam, sed *soli morti nostram salutem adscribit.* (a) Cur? Sane propter *ordinationem divinam.* Deus siquidem voluit mortem Christi *pretium* esse salutis

* *II Cor., N,* 14-15. — ' *Luc.,* XXIV, 26. — 3 *I Cor.,* VI, 20.

humanæ, ideoque alias actiones ejus ad nostram salutem non conterre nisi *otdinatione* quadam *ad sacrificium* crucis.

Quod sane constat ex omnibus testimoniis in thesi generali allatis, in quibus redemptio nostra passioni et morti Christi adscribitur.

(b) *Ratio* autem ipsius ordinationis divinæ duplex assignatur : i) Sacrificium Christi in cruce ex *obedientia et amore* peractum, est *in se* et *objective* perfectissima inter actiones ejus, cum sit simul excellentissimum religionis et expiationis opus.

2) Insuper, pro nobis patiendo et moriendo, Christus optimum sui erga nos amoris testimonium, necnon sublime omnium virtutum præbebat exemplum, quibus efficaciter moti, ad eum diligendum atque imitandum traheremur : " Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum " *.

Dicemus itaque : i° de *satisfactione ;* 2° de *merito* Christi. Utrumque ad perfectam redemptionem desiderabatur. Per peccatum Adae, *Deus* fuerat *ojj'ensus*, et *homo gratia sanctificante* ceterisque donis supernaturalibus *privatus ;* Christus Dei offensam *vicaria satisfactione* reparat, et bona amissa pro nobis *merendo* restituit. Hi autem sunt tantum *duo respectus* unius ejusdemque redemptionis : iisdem enim actibus amoris et obedientiæ Christus simul gratiam merebatur et pro peccatis satisfaciebat.

I. De vicaria satisfactione Christi

1167. i° *Prcenotanda.* Satisfactio *in genere* est rei debitæ integra solutio. Satisfactio autem *moralis,* de qua hic agitur, est *redditio libera honoris cequivalentis ad compensandam injuriam alteri illatam.*

Dicitur : (a) *redditio,* quia est actus justitiæ et veluti restitutio quædam ; (b) *libera,* quia honor reddi non potest sine libero consensu voluntatis; (c) *honoris cequivalentis,* quia satisfactio proprie dicta, prout distinguitur a condonatione, *cequalitatem* postulat inter opus satisfactorium et offensam ; (d) *ad compensandam injuriam,* ut sic distinguatur a merito quod directe ad praemium ordinatur.

x *Joan.* y **XII, 32.**

' **S. Thom., 3, q. 48, a. 2; Petavius, 1. XII, c. 9; Billuart, diss. XXIX, 2, 4; Stentrup,** *Soteriol.,* **th. 19; Card. Billot, th. 51; E. Hugon.p. 386-393.**

Satisfactio autem *vicaria* dicitur, quatenus loco nostri Christus patiens *vices nostras* egit, non quidem tanquam nobis alienus, sed ut *caput* nostrum morale, sicut et Adam caput nostrum fuerat.

1168. 2° *Thesis :* Christus vere vicaria satisfactione pro peccatis nostris passione sua satisfecit.

Defide est ex symbolis ubi dicitur Christum " propter nos et propter nostram salutem passum et mortuum esse ", et ex *Tridentino* jam allegato, 1166.

Declaratur. Ut vero sensus thesis melius intelligatur, praenotamus Christum peccata nostra in se *formaliter* non suscepisse, ita ut ipse peccator evaderet nec proinde *proprie* loquendo *punitum* fuisse, si per poenam intelligatur malum *reo* inflictum in *vindictam culpæ* ab eo commissae. Sed Christus, ut *caput morale* totius generis humani, obligationem pro peccatis membrorum suorum satisfaciendi *in se libere suscepit,* et vice nostra *poenas* vere ex *obedientia* et *amore* sustinuit, si nomine pœnæ intelligatur *laboriosa satisfactio* quam pro nostris delictis solvit

1169. **Probatur** : (A) *Script.,* iis omnibus textibus, jam supra allatis, in quibus asseritur Christum in se suscepisse peccata nostra eaque expiasse (n. 1145), — Christum animam suam dedisse pro multis, — ejus sanguinem effusum esse in remissionem peccatorum, — ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris, et quidem per sanguinis effusionem, — nos redemptos esse non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine Christi, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum (nn. 1143, 1144, 1145, 1146, etc.). Hæc enim veram et proprie dictam satisfactionem vicariam important.

1170. (B) *Tradit.,* ex iis nempe testimoniis ex quibus constat Christum paenitentiae gratiam toti mundo per effusionem sanguinis obtulisse, eumdem sacrificium in nostram

l Rejiciendæ sunt igitur non solum falsæ Protestantium assertiones de *pana damni* a Christo in cruce tolerata, sed etiam exaggerationes quorumdam prædicatorum similia asserentium. Aliunde negari nequit satisfactionem Christi fuisse vere laboriosam et poenalem sensu exposito.

redemptionem obtulisse, — peccata generis humani super caput suum imposuisse ut ea expiaret, — Christum pro nobis sacrificatum esse ut nostras abstergeret maculas peccatorum, — ejus sanguinem effusum esse ad universa totius mundi redimenda peccata, etc. (nn. 1150, 1152, 1153, 1155). Legantur speciatim testimonia S. Augustini, S. Anselmi, S. Thomae (n. 1156-1159).

1171. (C) *Ratio* autem cur satisfactio Christi nobis profuerit, assignatur a S. Thoma[1] : " *Caput* et *membra* sunt quasi *una persona mystica;* et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra ". Merito itaque supponit S. Doctor Christum esse *caput morale* omnium hominum, qui sunt ejus membra, et cum eo constituunt *unam personam mysticam;* id enim probant textus superius allati de redemptione et satisfactione Christi pro nobis, et insuper speciales textus de Christo capite, v. g. : " Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur "[2]. Atqui satisfactiones et merita capitis, vi intimæ solidaritatis, omnibus membris prosunt. Ergo satisfactiones et merita Christi capitis omnibus hominibus prosunt.

II. De merito Christi.

1172. Notio et species. (A) Meritum in genere considerari potest ut *jus* ad praemium, vel ut *opus* quod jus tribuit ad praemium. Sub hoc respectu est omne opus praemio dignum. Meritum autem *supernaturale* est opus supernaturale pro Deo factum, ex quo, posita divina ordinatione, oritur jus ad supernaturalem retributionem. (B) Duplex distinguitur : (a) meritum *de condigno,* quod proportionatur praemio obtinendo, et cui proinde *ex justitia,* vel saltem ex *fidelitate,* praemium debetur : ex justitia, si opus *ex se* adaequat meritum ; ex *fidelitate* si praemium, etsi superans opus, infallibiliter tamen conceditur vi *promissionis facta ;* (b) meritum *de congruo,* quod ex se non proportionatur præmio, et cui proinde solum ex *decentia* seu *congruitate,* praemium debetur.

[1] *Sum. theol.*, 3, q. 48, a. 2, ad 1.
[2] *Ephes.*, I, 22.

1173. 2° *Thesis :* De fide est Christum pro nobis gratiam proindeque gloriam meruisse, ut constat ex *Tridentino :* " Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, A. S. Cf. supra, n. 1166.

(A) *Script, et Tradit.* Colligitur ex omnibus testimoniis jam supra allatis, in quibus asseritur homines fuisse justificatos (i. e., accepisse gratiam) per gratiam Christi, per redemptionem quæ est in sanguine ejus, ut peccatis mortui *justitia* vivant; ita Christus est non solum justus, sed et *justificans,* et nos de morte ad vitam spiritualem transfert (nn. 1144, H45) 1146, etc.). Patres pariter affirmant per Christum non solum peccata nostra remitti, sed *vitam novam* infundi, et *salutem* tribui, et omnia jura per peccatum amissa restitui, etc. (nn. 1150, 1157, 1159, etc.).

(B) Ratione infertur ex eo quod Christi actionibus insunt omnes conditiones ad meritum requisitae. Hae enim sunt, ex parte agentis, *status viæ* et *gratiæ,* ex parte operis, *libertas, honestas* ac *supernaturalitas,* ex parte Dei, *promissio* præmii. Porro : (a) Christus erat *viator,* ac proinde in statu merendi, tum ex parte corporis quod nondum glorificabatur, tum ex parte inferioris animæ, quæ non fruebatur delectatione ex visione beatifica promanante ; aliunde erat in *statu gratia,* immo et *plenus gratia* (n. 1072); (b) ejus opera erant *libera, honesta, supernaturalia, propter Deum facta,* juxta illud : "Quæ placita sunt ei facio semper"1; immo eadem opera, propter infinitam dignitatem personæ erant præmio proportionata; (c) tandem aderat *promissio divina,* vi cujus pro nobis mereri poterat, utpote caput morale nostrum, juxta illud Isaiæ : " Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum " 2

III. De duratione satisfactionis et meriti Christi.

1174. (a) Christus satisfacere et mereri *incœpit,* juxta communem sententiam, a *primo instanti Incarnationis :* " Ingredieris mundum dicit : hostiam et oblationem noluisti... tunc dixi : ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam"3; talis enim oblatio non solum satisfactoria, sed etiam Deo grata fuit ac proinde meritoria :

« *Joan.,* VIII, 29. — 9 *ha.,* LIII, 10. — 3 *Hebr.,* X, 5, 10.

additur enim : " in qua voluntate *sanctificati* sumus per oblationem cor ris Jesu Christi semel ". (b) Insuper, per totam suam vitam, sine intermissione satisfecit et meruit per omnes actus humanos quos exercuit, cum liber esset in actibus suis, saltem circa circumstantias, et aliunde actiones ipsius, ex dictis, haberent omnes conditiones ad satisfactionem et meritum requisitas. Hinc, dum varia mysteria, quæ mortem ejus præcesserunt, mente recolimus, cogitare juvat non solum *exemplis* sed etiam *gratiis, quas per hujusmodi actiones nobis meruit,* nos ad ejus imitationem potenter provocari. (c) Sed præsertim satisfecit et meruit per *passionem* et *mortem* suam, quæ, positiva Dei ordinatione, ad redemptionis opus necessariæ erant, n. 1138, hinc salus nostra *sanguini* et *morti* ejus adscribitur : " Sanguis J. Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato " non corruptibilibus auro et argento redempti estis..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi"[1]. (d) Christus autem *non meruit post mortem :* nam ad meritum requiritur status *via,* qui, juxta ordinationem divinam, ipso instanti mortis desinit.

Art. II. De dotibus redemptionis.

Redemptio Christi fuit simul *universalis* et *perfecta.*

§ I. De universalitate redemptionis.

Christi redemptio universalis fuit : 1° quoad *omnes homines;* 2° quoad *omnia peccata;* 30 quoad *omnia bona* per peccatum amissa.

I. De universalitate redemptionis quoad homines[2].

1175. Status quæstionis. (a) Errarunt : 1) *Pradestinatiani* (sæc. IX) et *Calvinista* docendo Christum pro solis prædestinatis mortuum esse; 2) *Jansenista,* qui contendebant semipelagianum esse dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, cum revera non meruerit omnibus gratias vere ad salutem sufficientes, (b) *Vasquez* autem paucique alii theologi docuerunt Christum non pro eis mortuum esse qui moriuntur antequam baptizari possint.

[1] *Joa.,* I, 7; *I Petr.,* I, 19; vide etiam textus citatos n. 000.

[2] Cum hæc quæstio affinis sit quæstioni de voluntate salvifica Dei, plerique theologi de ea non disserunt nisi ubi de praedestinatione. Hanc tamen fuse pertractant Petavius, l. XIII, c. 1-16; Stentrup, *Soteriol.,* th. 31-34. Lege etiam quæ diximus ὡ *Deo Uno,* n. 525 sq.

Universalitas autem redemptionis quoad *sufficientiam* in eo consistit quod Christus instituit *universalem causam liberationis nostree*, et *media* quæ *ex se* omnibus applicari valeant, nisi tamen obstet hominum culpa, vel legum naturalium cursus. Unde fit ut passionis fructus nec ad omnes proveniat quoad *efficaciam*, nec etiam proveniat æquali modo ad eos ipsos qui re et actu participes ejus efficiuntur *.

Ut certa ab incertis secernantur, tres erunt propositiones : de *fidelibus, infidelibus* et *parvulis*.

1176. i° Christus mortuus est pro omnibus fidelibus, etiam pro iis qui non sunt praedestinati. *De fide est ex Tridentmo* dicente2 : "Verum, etsi ille *pro omnibus mortuus est,* non omnes tamen mortis ejus beneficium accipiunt".

Sensus thesis est Christum satisfactionem et meritum obtulisse ut omnes et singuli, saltem fideles, gratiam accipere possint cadumque pertingere, si tamem conditiones ex parte ipsorum requisitas adimpleant; ideoque meruisse gratias vere et proprie sufficientes.

(A) *Scriptura,* (a) S. *Paulus* aperte declarat Christum esse salvatorem omnium, præsertim fidelium :"Qui est salvator omnium hominum, *maxime fidelium*" 3. (b) Insuper manifeste supponit Christum mortuum esse etiam pro iis qui non prædestinantur : " Noli cibo tuo illum *perdere* pro quo Christus mortuus est " 4 ; supponit igitur Christum etiam mortuum esse pro iis qui perdi possunt, id est, qui non prædestinantur.

(B) *Traditione :* (a) Legitur enim in *Symbolo :* " Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, crucifixus etiam pro nobis"; atqui omnes fideles, etiam non prædestinati, tenentur recitare Symbolum; ergo Christus mortuus est pro omnibus, etiam non praedestinatis, (b) Propositio *Jansenii :* " Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse ", damnata est uti " falsa, temeraria, scandalosa, et, intellecta eo sensu ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit,

1 **Card. Billot, p. 507, ed. 6æ.**

2 **Sess. VI, cap. 3, D. B., 795.** — * *I Tim.*, **IV, 10.** — * *Rom.*, **XIV, 15.**

impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica ”x.

1177. 2° Christus mortuus est pro omnibus infidelibus, saltem adultis. *Certum est etfidei proximum,* eodem sensu ac supra, nempe pro omnibus gratias vere sufficientes meruisse.

(A) *Script. :* (a) Ex textibus in quibus modo generali asseritur Christum pro omnibus indiscriminatim satisfecisse v. g. : “ Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro *nostris* tantum, sed etiam *pro totius mundi ” 3.* (b) Ex speciali textu S. Pauli 3 : “ Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes... pro *omnibus* hominibus, pro *regibus* et *omnibus qui in sublimitate sunt...* Hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui *omnes* homines vult salvos fieri, et ad *agnitionem veritatis* venire... Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro *omnibus",* i) Ex contextu apparet vocem *omnibus* complecti etiam *infideles,* quia in versiculo secundo agitur de regibus et magistratibus hujus temporis, qui adhuc infideles erant. 2) Aliunde agitur de iis qui ad *agnitionem veritatis venire* indigent, et proinde qui fidem nondum habent.

Nec opponi possunt verba Christi : * “ Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo”; nam postea addit : “Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me... ut credat *mundus* quia tu me misisti” (20); ex quo apparet eum pro mundo orasse, non quatenus malus est, sed ut fidem acciperet.

(B) Damnata est ab *Alexandro VIII* sequens propositio Jansenistarum mitigatorum : “Christus dedit semetipsum oblationem Deo... pro omnibus et *solis* fidelibus”. Ergo certum est Christum non esse mortuum pro solis fidelibus sed *etiam pro infidelibus* 5.

1 D. B., 1096. — ’ *IJoan.,* II, 2. —3*1 Tim.,* II, ı-6. — *1Joan.,* XVII, 9.

s Jam Concil. ***I*** *Carisiacum* contra Pnedestinatianos idem declaraverat : “ Christus Jesus, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur ”. D. B., 319·

1178. 3° *Christus vere mortuus est etiam pro parvulis, qui baptizari non possunt,* quatenus eis meruit gratiam baptismi, *àpendenter* tamen *a causis secundis* quæ aliquando impediunt ne baptismus conferatur. Ita communiter contra *Vasquez.*

(a) Nullibi enim Scriptura excludit parvulos a beneficio redemptionis, sed asserit modo generali Christum pro omnibus mortuus esse, (b) Insuper S. Paulus docet omnes justificari et salvari per Christum, sicut omnes in Adamo peccaverunt : " Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei in plures abundavit "[1]; atqui parvuli de quibus agitur vere in Adamo peccaverunt.

Ergo cum S. Augustino[2] dicere licet : "Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineat ad eos quod dictum est : vult omnes salvos fieri "?

Si igitur parvuli non pauci reapse non baptizantur, id provenit ex causis secundis quas miraculose cohibere Deum non decet.

II. De universalitate redemptionis quoad peccata.

1179. i° Christus vere satisfecit pro omnibus peccatis, sive originali sive actualibus, humani generis. Propositio est *defide* pro peccatis fidelium, *certa* pro peccatis infidelium, *communiter* admissa pro originali peccato parvulorum.

Sensus est Christum adaequatam reparationem Deo obtulisse pro omnibus peccatis, et media instituisse ad remissionem peccatorum, v. g., baptismum, paenitentiam ; sed hujusmodi media non esse efficacia nisi *accedente cooperatione nostra.*

(A) *Script,* (a) Expresse enim asseritur modo generali Christum nos liberasse ab omnibus peccatis : " Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab *omni iniquitate* "... " Sanguis Jesu Christi emundat nos ab *omni peccato* "[3]. (b) Insuper specialiter declaratur Christum mortuum esse pro peccatis commissis sub Veteri Testamento : " In redemptionem earum praevaricationum quæ erant sub *priori testamento* "[4].

(B) *Ratione theologica.* Ex dictis supra, Christus est Redemptor et Salvator omnium hominum; atqui non potest vere hunc titulum mereri, nisi satisfecerit pro *omnibus peccatis;* si enim unicum pec-

[1] *Rom.,* V, 15.
[2] *Cont. Julian.,* IV, 8, 24, *P. L.,* XLIV, 759.
[3] *Tit.,* II, 14; *I Joan.,* I, 7. — [4] *Hebr.,* IX, 15.

catum esset pro quo non satisfecisset, eo ipso unus saltem homo esset, cujus Redemptor dici non posset.

1180. 2° Christus nos liberavit non solum a culpa, sed etiam a reatu poenae, quatenus solvit pretium sufficiens ad tollendam omnem poenam peccato debitam, *dummodo tamen perfidem et caritatem passioni ejus communicemus.*

(a) Christus, pro nobis satisfaciendo, nos ab inferno liberavitl ; atqui liberatio ab inferno importat saltem liberationem a poena æterna; ergo, (b) Insuper satisfactio Christi est infiniti valons; atqui satisfactio infiniti valoris non solum maculam peccati, sed etiam omnem pcenam peccato debitam tollere potest, eo magis quia peccatum inter alia importat reatum ad pcenam.

Attamen de facto poena illa non tollitur, nisi nobis applicentur satisfactiones Christi; quod fit per Sacramenta, Sacrificium Missae, fidem, caritatem aliaque christianæ vitæ opera, præcipue indui* gentias.

1181. 3° *Etsi satisfactio Christi in se perfectissima fuit et universalis*^ necesse est ut adulti Christum patientem imitentur, et cum eo pro peccatis suis per bona opera satisfaciant, si salvi fieri velint.

Certum est contra Protestantes, qui ita extollunt satisfactionum Christi perfectionem ut, juxta ipsos, nulla remaneat peccatoribus obligatio satisfaciendi, et sola fides sufficiat ut Christi satisfactiones et merita nobis applicentur 23

(A) *Script.* *Christus* enim aperte declarat nullum posse suum fieri discipulum, proindeque salvari, nisi tollat crucem suam : " Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me" 3; item 5. *Petrus* nos edocet Christum passum esse, ut sequamur vestigia ejus4; et S. *Paulus* manifeste supponit nos non posse cum Christo coronari, nisi cum illo patiamur : " Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur ut et conglorificemur " 5 ; hinc de se ipso dicebat : " Qui

1 4'Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum... Et vos cum mortui essetis indelictis... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta ; delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci " *(Coi.,* I, 13; II, 13-14-) Cf. S. Th., q. 49, a. 3-5.

a Cf. Moehler, *Symbolik,* § XXLXXH; Stentrup, *Soteriol* th. 8 ; Bossuet *Exposition de la Foi cathoi.,* VIII.

3 *Λ/ait.,* XVI, 24. 4 *I Pet.,* II, 21. — s *Rom*^ VIII, 17.

nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus quod est Ecclesia Porro hæc testimonia, aliaque multa quæ referre possemus, clare evincunt passionem Christi, licet in se completam, a nobis esse complendam, quatenus debemus, ut *membra* ejus, *capiti nostro configurari,* sequendo vestigia ejus, tollendo crucem nostram, passionesque mortificando, ut sic merita et satisfactiones ejus nobis applicentur; ergo non sufficit fides, licet libenter fateamur eam esse prorsus necessariam, ita ut opera, sine fide peracta, ad salutem inutilia sunt.

(B) *Tradit.,* ex *Trident,* ubi dilucide catholica doctrina his verbis proponitur[3] : "Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : " Abundate in *omni opere bono,* scientes quod labor vester non est inanis in Domino ; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur *ofieris vestri* et *dilectionis.* quam ostendistis in nomine ipsius ". Et : " Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et *tanquam gratia* filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et *tanquam merces* ex ipsius Dei promissione *bonis* ipsorum *operibus et meritis* fideliter reddenda ",

(C) *Rat. theol.* (a) Quamvis Christus sufficienter pro peccatis humani generis satisfecerit, sunt tamen unicuique remedia propriæ salutis quærenda. Mors enim ejus est quasi quædam universalis causa salutis, sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis; atqui universalis causa unicuique individuo applicari debet specialiter, ut effectum universalis causæ participet ; aliunde talis applicatio meritorum Christi fit per fidem, sacramenta et bona opera; ergo, (b) Præterea adultus sese præparare debet ad justificationem variis actibus, qui in *Tr. de Gratia* describuntur; et in statu gratiæ perseverare nequit ..sine bonis operibus; atqui hoc evidenter supponit uniuscujusque cooperationem tum ad propria peccata expianda tum ad perseverandum in bono; ergo. Aliunde experientia constat, etiam post Redemptionem, remanere in justificatis *concupiscentiam et passiones;* atqui non possumus passiones vincere, nisi carnem mortificaverimus : "Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis "[3] *ergo.*

Nec dicatur per hoc injuriam fieri satisfactionibus Christi; valor enim satisfactorius et meritorius actionum nostrarum ab ejus

[*] *Coloss.,* I, 24.
[*] Sess. VI, cap. 16, D. B., 809. — [3] *Galat.*. V, 24.

satisfactionibus derivatur, et ad ejus gloriam conducit : "Cum enim, ut ait *Tridentinum,* ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat " [1], non magis detrahunt opera bona nostra a satisfactione Christi quam palmites a gloria vitis detrahunt fructus bonos ferendo; immo, ut ait *Suarez*[2] "hoc ipsum magis extollit merita et satisfactionem Christi, et ostendit ejus efficaciam, quia non solum satisfecit pro nobis, sed etiam nos facit cooperatores suos, vel ad nostram salutem, cum ad illam disponimur et pro peccatis nostris satisfacimus per ejus gratiam, vel ad alienam, cum aliis applicamus sacramenta vel satisfactiones ".

III. De universalitate redemptionis quoad meritum.

Dicemus quid Christus *nobis, sibi* et *angelis* meruerit

i° Quid Christus pro nobis meruit?

Per peccatum originale homo amiserat : i° bona *supernaturalia,* scilicet gratiam et gloriam ; 2° bona *præternaturalia,* scilicet immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, dolore et morte. Christus per merita sua hæc bona nobis restituit sed *gradatim,* quæd-am in præsenti vita, quædam autem in altera.

1182. (A) Quoad bona supernaturalia. (a) Quoad *gratiam. Christus sufficienter*[3] *omnibus hominibus meruit sive gratiam habitualem* (seu justificationem), *sive gratias actuales* quæ justificationem praeparant aut consequuntur. Certum est.

i) *Script.* Quoad gratiam *habitualem,* constat ex textibus supra allegatis, ubi declaratur nos justificatos fuisse per Christum : justificatio enim fit per *gratia infusionem.* Quoad gratiam *habitualem et actualem :* " Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali

1 D. B., 809.

3 Disp. IV, sect 3, n. 10; cfr. Oxenham, *op. cit.,* c. 7, p. 325. Merito igitur ait *Trident,* (sess. XIV, c. S) : "Omnis gloriatio nostra *in Christo* est : *in quo* vivimus, *in quo* meremur, *in quo* satisfacimus, facientes fructus dignos pænitentiæ, qui *ex illo* vim habent, *ab illo* offeruntur Patri, et *per illum* acceptantur a Patre". D. B., 904.

1 Dicitur *sufficienter,* non efficaciter, quia Christus meruit quidem ut omnibus gratiæ offerrentur sive proxime sive mediate ; sed gratiæ hujusmodi repelli possunt et revera a nonnullis propria culpa repelluntur, ut fusius in *Tr. de Gratia* declaratur.

in cælestibus in Christo Jesu "[1]: jamvero in hoc textu declaratur Deum effundere super nos omnem spiritualem benedictionem, id est, omnem gratiam *habitualem* et *actualem,* ut ex amplitudine verborum et ex toto contextu constat, et quidem ob merita Christi. 2) Quod confirmat *Tridentinum* :* "Christus sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit"; jamvero qui meretur justificationem eo ipso meretur gratias actuales ad illam obtinendam vel conservandum. 3) Constat insuper ex *praxi Ecclesia,* quæ omnes gratias postulat per merita Christi dum dicit in fine orationum : *Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

(b) Quoad *gloriam. Christies sufficienter meruit omnibus hominibus vitam æternam,* id est gloriam tum animæ tum corporis.

Probatur : " Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi *causa salutis æternee* " ... " Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur "[3]. — Aliunde nobis merendo gratiam, quæ est medium essentiale ad vitam æternam, hanc etiam meruit.

N. B. Christus nobis etiam *meruit bona naturalia, quatenus ad salutem inserviunt.* Etenim bona naturalia, quatenus ad salutem utilia, eo ipso sunt aliquo sensu gratiæ Dei.

1183. (B) Quoad bona præternaturalia. Hæc sunt immunitas ab ignorantia, concupiscentia, dolore et morte. Circa quæ tria statuuntur : (a) Christus *non meruit ut hæc bona nobis restituerentur in præsenti vita.*

Nam 1) lugenda constat experientia nos, etiam post Redemptionem, ignorantiæ, concupiscentiae, doloribus mortique subditos esse. 2) Insuper oportebat nos propriæ nostræ saluti cooperari, vestigia Christi subsequendo, ut dictum est supra, n. 1181.

(b) Christus tamen meruit ut ignorantia, concupiscentia et dolores nobis *non dominarentur in pressenti vita* et *ut eis uteremur ad merita acquirenda.*

Nam 1) ex una parte dedit nobis *patientice exemplum,* quo incitamur ad patienter tolerandos omnes illos defectus et dolores; 2) et insuper *gratias actuales* meruit ut dolores, quos patimur in præsenti vita, gloriam nostram in cælo augerent, juxta illud S. Pauli : " Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero

[1] *Ephes.,* I, 3 : totus legatur contextus.
* Sess. VI, cap. 7 î D. B., 799.
[3] *Htbr.,* V, 9; Z *Cor.,* XV, 22.

spem" ... "momentaneum et leve tribulationis nostræ... ætemum gloriæ pondus operatur in nobis" *.

(c) Tandem Christus meruit ut omnes illæ infirmitates *tollerentur in altera vita.* Nam meruit pro omnibus vitam æternam et visionem beatificam, quæ omnem infirmitatem excludit

20 Quid Christus sibi meruit?

1184. (a) *Christus sibi meruit tum gloriam corporis tum nominis exaltationem.* — *Scriptura* enim aperte declarat Christum propter passionem suam glorificatum fuisse : "Videmus Jesum *propter passionem* mortis, gloria et honore coronatum"2; atqui hic agitur de gloria corporis, quia Christus jam ab initio possidebat gloriam animæ seu visionem beatificam.

(b) Christus etiam meruit *proprii nominis exaltationem,* scilicet, gentium adorationem, Ecclesiæ suæ diffusionem, uno verbo omnes honores quos jam accepit aut accipiet. Nam, post relatas ejus humiliationes et passiones, S. Paulus addit : " *Propter quod* et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur "3.

(c) Christus *non meruit sibi gratiam habitualem vel animæ gloriam.* Ita communiter. Nam, ex dictis, hæc omnia ab initio habuit tanquam sibi debita propter unionem hypostaticam : atqui quod habetur ab initio tanquam aliquid debitum, non potest amplius mereri.

3° Quid Christus pro Angelis meruit?

1185. (A) Juxta omnes theologos, Christus meruit Angelis *gloriam quamdam accidentalem,* quatenus videlicet obtinuit pro illis ut melius cognoscerent varias circumstantias Incarnationis et Redemptionis, quarum cognitio eorum felicitatem accidentalem adauget.

(B) Sed quæstio est num insuper Christus meruerit Angelis et Adamo innocenti *gratiam substantialem,* quæ illis a Deo collata fuit.

* *Rom.,* V, 3-4; ***II*** *Cor.,* IV, 17. — ' *Hebr.,* II, 9.

3 *Philip.,* II, 9-10. Optime animadvertit S. Thomas (in h. loc.) triplicem hic commemorari exaltationem Christi triplici humiliationi respondentem : (a) *gloriam* resurgentis " exaltavit illum" quæ respondet exinanitioni ejus exinanivit semetipsum (b) *notificalionem divinitatis* " donavit illi nomen... ", quæ respondet humilitati qua divinitatem suam celaverat " formam servi accipiens" ; (c) *reverentiam* totius creaturæ ""omne genu flectatur", quæ opponitur humilitati opprobria sustinenti " humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem"...

(a) *Scotistæ* et *quidam Thomista affirmative* respondent, textu S. Pauli innixi* : " Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ : quoniam in ipso (in Christo) condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni sive Dominationes, etc. " ; unde sic argumentantur : ex hoc textu Angeli conditi sunt in Christo; atqui hoc nihil aliud significat nisi Angelos accepisse a Christo gratiam : ergo. Quod confirmant ex *Eph.,* I, io et *Coloss.,* I, 20, ubi dicitur omnia instaurari et pacificari in Christo, sive quæ in *calls* sive quæ in *terris* sunt. — Revera si Christus ante omnes alias creaturas intentus fuerit, omnino decet ut omnium sit caput, pro omnibus gratiam merendo.

(b) *Negant* autem plerique *Thomista* et multi alii theologi. Nam 1) textus ex *Coloss.* desumptus de Christo agit ut Deus est[2], et affirmat tantummodo Angelos creatos fuisse a Christo ut Deo, seu per Verbum : nullomodo asserit Angelos gratiam accepisse per Redemptionem Christi; duo autem alii textus intelligi possunt eo sensu quod Christus cælum cum terra reconciliavit, vel Angelos pacificavit lato sensu, ipsis gloriam solummodo *accidentalem* largiendo.

2) Scriptura autem nos edocet Verbum incarnatum fuisse ad salvandos peccatores : " non enim veni vocare justos sed peccatores"; atqui Angeli boni peccatores nunquam fuerunt; ergo Verbum non propter eos incarnatum est. Insuper Christus dicitur " mediator Dei et hominum ", non autem Angelorum.

§ II. De perfectione redemptionis Christi[3].

1186. Quæ perfectio complectitur satisfactionem et meritum, etsi theologi præsertim de priore agere solent.

Ratione perfectionis, *satisfactio* triplex esse potest : i° *Congrua* seu *insufficiens* aut *imperfecta,* quæ non proportionatur debito, sed solum viribus satisfacientis : v. g., aliquis debet centum nummos, et solvit tantum quinquaginta, quia pauper est. 2° *Condigna* seu *æquivalens* seu perfecta ex *parte materia* quæ proportionatur gravitati offensæ, ita ut tantum honoris reddatur quantum ablatum fuerit. Quando autem satisfactio, in se insufficiens, acceptatur

l *Colos.,* i,.15-19.

a In hoc capite S. Paulus agit de Christo ut Deo et homine : versus autem allegati describunt ea quæ ei competunt ut Deo.

1 Cf. S. Thom., q. 48, a. 2; Suarez, *De Incarnat.,* disp. IV, sect. ПI-VI; Semantic , disp. I, dub. VI; Legrand, diss. VIII, c. 3; Billuart, diss. XIX, 5.8; Stentrup, *Soterwl.,* th. 7-12; Card. Billot, th. LI, LIL

tamen a persona læsa, tunc vocatur *æquivalens extrinsece,* seu ex acceptatione personæ læsæ. 30 *Perfecta* ex *parte formes* seu in *rigorejustitia* seu ad *strictosjuris apices,* quae non solum est completa ex parte materiae, sed fit : (a) ad alterum; (b) ex bonis propriis; (c) ex bonis alias indebitis; (d) ita ut creditor teneatur hanc satisfactionem acceptare. — *Meritum* autem perfectum dicitur quando est *de condigno,* n. 1172.

Duo proinde expendemus, num satisfactio Christi fuerit : 1° *æquivalens ex parte materia;* 2° *perfecta ex parte forma.*

I. Redemptio Christi fuit vere æquivalens.

Ut certa ab incertis secernamus, exponemus : i° Quid sit *certum;* 2° quid *controvertatur.*

1187. i° Certum est redemptionem Christi esse in genere æquivalentem, immo superabundantem, abstrahendo a quæstione utrum *ex se* an *ex acceptatione divina.*

Hoc enim declarat *Clemens* PYI/"Non corruptibilibus auro et argento, sed suiipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit : quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter *unionem ad Verbum* pro redemptione totius humani generis suffecisset[2], sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse"; et infra addit thesaurum a Christo acquisitum esse *infinitum,* propter *infinita* ejus merita; ergo æquivalenter, immo superabunde nos redemit.

(A) *Script.* " Non sicut delictum, ita et donum... ubi abundavit delictum, *superabundavit* gratia " ; " In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, secundum divitias gratiæ ejus, quæ *superabundavit* in nobis "[3] ; ibi expresse declaratur redemptionem Christi non solum esse delicto proportionatam, sed etiam superabundantem.

(B) *Tradit.* Patres hanc doctrinam luculenter affirmant et comparationibus illustrant.

[1] Extravag. *Unigenitus,* 1. V, L 9, c. 2, inter communes; D. B., 550.

[2] Quod idem asserit Liturgia, in hymno *Adoro te :* " Cujus (sanguinis) una stilla salvum facere Totum mundum quit ab omni scelere ".

[3] *Eom.,* V, 15-20; *Ephes.,* I, 8.

AL.v·*/

Unus audiatur *Chrysostomus,* qui citata verba S. Pauli exponens, ait : "Quemadmodum ergo, si quis decem obolos debentem in carcerem conjiciat, nec ipsum solum, sed cum eo pariter conjugem ipsius, et filios et servos illius causa, tum alius veniens non decem obolos tantum numerat, sed innumera talenta auri largiatur, ac vinctum ipsum in palatium introducat, et in supremi magistratus solium..., non jam fœnerator mentionem facere amplius possit decem obolorum illorum, ita et in nobis factum est : nam multo plura quam debebamus persolvit Christus, et tanto plura quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit" x.

Id aperte docet *Catech. C. Tridentini* :* "Est integra atque omnibus numeris perfecta satisfactio quam Jesus Christus pro peccatis nostris Deo Patri obtulit".

1188. 2° *Controvertitur* autem utrum satisfactio Christi æquivalens *ex se* an tantum *ex acceptatione divina* fuerit.

Scotistæ contendunt redemptionem Christi in se fuisse insufficientem, et non posse dici æquivalentem nisi quia ut talis a Deo acceptata fuit. Ratio eorum est quia actiones Christi sunt finiti valons.

Thomistæ autem, et cum illis omnes fere theologi, docent satisfactionem Christi *ex se* fuisse non solum æquivalentem, sed superabundantem. Quæ sententia nobis *omnino amplectenda videtur*3, probaturque :

(A) *Scriptura.* Nam, ex dictis, S. Paulus vocat redemptionem Christi simpliciter superabundantem ; atqui præposterum esset eam ita appellare, si *in se* prorsus insufficiens, æquivalens non fieret nisi ex acceptatione Dei. Nemo enim dicet debitorem superabunde satisfecisse, qui, centum nummos debens, quinquaginta tantum solvit, etsi creditor hanc insufficientem solutionem acceptavit.

(B) *Tradit. Clemens VI,* in Bulla supradicta, asserit redemptionem Christi esse superabundantem *ex ipsa unione hypostatica;* atqui quod est superabundans ex unione hypostatica non potest dici sufficiens ex sola acceptatione et condonatione Dei. Insuper S. Pontifex manifeste supponit merita Christi esse *infinita,* ideoque *ex se* superabundantia.

l *Hom. X in Rom.,* n. 2, *P. G.,* LX, 474· — " F- I, a. 7, n. 25.

3 " Illam (sententiam Thomistarum) existimo ita certam, ut contraria nec probabilis, nec pia, nec fidei satis consentanea videatur " (Suarez, disp. IV, sect. 3, n. n).

(C) *theol* Satisfactio Christi fuit *ex se aquivalens,* immo et *superabundans,* utpote infiniti valoris. Nam actionum valor primario pendet a *dignitate persona agentis* ', et secundario a *pretio rei oblata.* Atqui i) persona agens, seu Christus, est persona vere infinita; ergo quidquid agit, infiniti valoris est; 2) item res oblata fuit ipse Christus, "qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus"2; atqui Christus, utpote Deus-homo, est persona infinita; ergo res oblata infiniti pretii est. Patet ergo ejus actiones esse infiniti valoris, et quidem ex duplici capite.

Itaque *infinitas satisfactionis Christi* est altioris et perfectioris ordinis quam infinitas offensæ a peccato irrogatæ. Peccata enim non habent gravitatem infinitam nisi quia ratione offensæ *moraliter* afficiunt Deum ; dum satisfactio Christi est simpliciter infinita ex conjunctione *physica* cum persona infinita ; porro talis conjunctio non potest non afferre modum infinitatis excellentiorem quam infinitatem moralem peccati ; ergo.

II. Redemptio Christi fuitne in rigore justitiæ?

1189. Quæstio inter theologos controvertitur. *Scotiste, Vasquez, Card. Billot,* aliique putant satisfactionem Christi non esse in rigore justitiæ seu perfectam ex *parte formæ,* quia desunt conditiones superius, n. 1186, expositæ, præsertim vero ea quæ exigit ut satisfactio sit ex *alias indebitis.* Ex adverso plerique *Thomiste* putant has conditiones impletas fuisse. Quapropter difficultates a *Vasquez* propositas exponemus necnon *Thomistarum* responsa.

i° Objicit quidem *Vasquez* satisfactionem Christi *non esse ad alterum,* quia persona satisfaciens, scilicet Christus, eadem est ac persona Verbi, cui debetur satisfactio simul ac duabus aliis personis SS. Trinitatis. — *Resp. :* ut satisfactio sit ad alterum, *sufficit distinctio naturarum* in Christo; nam, vi illius distinctionis, unica Christi persona est virtualiter duplex : quatenus terminans naturam humanam, potuit satisfactionem solvere, et quatenus terminans naturam divinam, potuit satisfactionem accipere.

20 *Vasquez* addit Christum non potuisse satisfacere *ex bonis propriis,* quia omnes illius actiones erant sub dominio Dei, nec proinde ipsi *propria.* — Sed respondetur distinguendo : actiones Christi *physice* spectatae, erant quidem sub dominio Dei, quia erant actio-

1 Quod illustrari potest comparatione : obsequium quod redditur a duce, pluris habetur quam si a plebeio præstatur ; si ht a rege, pluris adhuc æstimatur : si vero a persona infinita, erit simpliciter infinitum (Cf. Salmant, l. c., η. I7i).

nes alicujus creaturæ ; sed *valor moralis* illarum actionum, utpote pendens a persona Verbi, cadebat sub dominio quasi personali et hypostatico solius Verbi ut subsistentis in humana natura, juxta illud axioma : "*actiones sunt suppositorum* "; ergo Christus potuit satisfacere ex bonis propriis.

3° Asserit quidem Vasquez omnes actiones Christi esse *Deo débitas aliis titulis,* scilicet titulo creationis, gratitudinis, religionis, etc. — *Respondetur* eadem distinctione, scilicet : illæ actiones *physice* spectatæ, Deo quidem debebantur aliunde, sed in *suo valore morali,* ad solum Christum pertinebant, qui utpote æqualis Patri, nullam habebat obligationem proprie dictam erga Deum. Insuper actiones Christi, utpote infiniti valoris, poterant simul diversis obligationibus satisfacere; et aliunde quod ex justitia solvitur, potest simul ex oboedientia et caritate fieri, et sic multiplicem habere valorem '.

4° Tandem creditor seu Deus *tenebatur acceptare* hanc Christi satisfactionem;nam, ut diximus, Christus fuerat, *ordinatione divina,* constitutus fidejussor et caput morale hominum ; quo posito, Deus tenebatur Christi satisfactionem acceptare, ne sibi contradiceret ; ideo enim Jesus constitutus fuerat caput et fidejussor generis humani, ut posset, loco nostri, satisfactionem offerre.

1190. Conclusio. Quidquid de hac controversia judicium feratur, retinendum est omnino Christi redemptionem ex *parte materiæ* esse superabundantem, et ex *parte formez* esse tam perfectam quam sinit conditio Christi hominis.

Corollarium de Christo capite 2.

Post expositam doctrinam de Christi merito, melius intelligitur *quo sensu Christus sit caput hominum et Angelorum.*

1191. i° *Christus est caput corporis mystici, cujus omnes homines sunt membra, et cujus anima est Spiritus Sanctus.*

De fide divina ex doctrina S. Pauli.

Sensus est homines a Christo redemptos efformare aliquod corpus non solum moraliter, sed *realiter,* non tamen materialiter, sed *mystice,* cujus singuli homines sunt membra, caput vero Christus. Vita igitur spiritualis seu gratia sanctificans a Christo capite in singula membra dimanat, dummodo nullum obicem afferant sed capiti sese subdant ; hæc

' *Sum. theol.,* 3, q. 4S. a. 5. —a S. Thom., 3, q. 8; Suarez, disp. XXIII; Salmantic., disp. XVI; Petavius, 1. XII; L. Billot, thés. XVIII; E. Hugon, p. 178-194; Ad. Tanquerey, *Syn. theol. fund.,* n. 812.

autem gratia, quam Christus meruit, diffunditur in animas nostras per Spiritum Sanctum, qui proinde est veluti anima hujus corporis.

1192. (A) *Script.* (a) Jam *Christus* ipse hanc veritatem docuerat dicendo se esse *vitem,* cujus nos *palmites* sumus : sicut enim palmes a vite succos vitales accepit, ita et nos a Christo capite vitam spiritualem habemus.

(b) Sed S. *Paulus* hanc doctrinam diserte docuit præsertim in epistolis ad *Ram., Corinth., Ephes., Coloss.*[1]

Doctrinam suam his verbis contrahit Ipsum (Christum) dedit *caput* supra omnem Ecclesiam, quæ est *corpus ipsius* "[a]. In hoc textu duo asseruntur, videlicet Ecclesiam effbrmare aliquod corpus mysticum, et Christum esse caput ejusdem.

(B) *Ratione theol.* In corpore humano, caput est ea pars quæ eminet : *prioritate,* cum sit prima pars corporis ; *perfectione,* quia in capite vigent omnes sensus ; præsertim *virtute influendi,* quia in cetera membra agit, ea movendo et gubernando. Atqui hæc tria Christo competunt relate- ad alios homines : (a) Est *prior,* cum sit *exemplar* cui conformes esse debeamus : " Quos præscivit et prædestinavit *conformes* fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse *primogenitus* in multis fratribus" 3; (b) habet etiam *perfectionem,* quia possidet plenitudinem gratiæ et veritatis : " in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi " 4 ; (e) tandem habet *virtutem influendi;* nam, sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et ita " de plenitudine ejus nos omnes accepimus" 5; et revera, ut dictum est, omnis gratia ac proinde omnis motus in ordine supernaturali a Christo Redemptore venit; hinc *Tridentinum* ait[6] : "cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam *caput in membra,* et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat "...

Spiritus Sanctus vero dicitur *anima* hujus corporis, quia per eum, utpote sanctitatis fontem, diffunditur vita spiritualis in corda nostra.

[*] *Rom.,* XII, 4-5; *I Cor.,* XII, 12-31 ; *Ephes.,* I, 22-23, etc.
[1] *Ephes.,* I, 22; cf. IV, 15; V, 23; *Coloss.,* I, 18. — [a] *Rom.,* VIII, 29.
[«] *Coloss.,* II, 3; *ci. Joan.,* I, 14, — *sjoan.,* I, 16. — [4] Sess. VI, cap. 7.

1193. Christus est quidem caput omnium hominum, sed *secundum diversos gradus.* (A) Est caput *actu* : (a) beatorum, qui perfecte ac immobiliter ipsi uniuntur per gloriam; (b) justorum in terra, qui ipsi mobiliter uniuntur per fidem et caritatem; (c) fidelium peccatorum qui ipsi uniuntur per fidem et spem. (B) Est autem caput in *potentia* infidelium omnium qui possunt ad veram fidem converti; nam quamdiu infideles manent in terra, Christus remote saltem agit in ipsos, ut illos ad'fidem adducat; atqui talis influxus sufficit ut possit vocari eorum caput in potentia ; ergo. (C) Nullomodo autem est caput damnatorum in inferno; nam isti nullum influxum gratiæ a Christo amplius accipere possunt.

1194. 20 Christus est *caput Angelorum,* minus tamen perfecte quam hominum. Probatur :

(A) *Script.* Dicitur enim de Christo 12: " Qui est caput omnis principatus et potestatis", scilicet omnium Angelorum, ut patet ex contextu et locis parallelis.

(B) *Jiat. theol.* Christus enim, etiam relate ad Angelos, habet aliquo sensu omnes conditiones requisitas ut sit eorum caput : nam (a) ratione unionis hypostaticæ Angelis præeminet; (b) majorem plenitudinem gratiæ quam ipsi possidet ; (c) et tandem eis meruit saltem gloriam accidentalem, et, juxta non paucos theologos, gloriam essentialem ut jam dictum est.

1195· **Conclusio.** Christo igitur capiti nostro indesinenter atque intime adhaereamus, ut per ipsum et cum ipso et in ipso Deo laudes et gratias agamus, per quem laudant Angeli; et ejus vitam ac virtutes in nos oratione et imitatione trahamus, juxta illud : "Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu... Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus " '.

1 *Coloss.,* II, io.

2 *Philip.,* II, 5; *Galat.,* II, 20. — Conclusiones practicas ex hoc dogmate fluentes exposuimus in opere : *Les dogmes générateurs de la piété.*

CAPUT III.

DE OPERE PRÆCIPUO REDEMPTIONIS NEMPE DE SACRIFICIO CRUCIS.

Ex jam dictis, n. 1139, redemptio tribuitur sacrificio Christi in ara crucis peracto, non quidem exclusive, sed ita *principaliter* ut ceteræ Christi actiones sine illo sacrificio inefficaces fuissent, ex ordinatione divina, ad salutem hominis operandam. De hoc igitur sacrificio agendum est; 1° de *sacerdotio* Christi; 2° de *sacrificio crucis.*

Art. I. De sacerdotio Christi

1196. i° Notio sacerdotii. Sacerdos (a verbis *sacra dans'*) seu pontifex, *modo generali,* dicitur " mediator inter Deum et populum, ea quæ hominum sunt deferens ad Deum, et vicissim ea quæ Dei sunt deferens ad homines"[2]. Itaque, *nomine populi* et pro populo, *preces* et *sacrificium* Deo offert; *nomine Dei,* veritates et leges divinas homines docet, eos sacramentorum administratione *sanctificat* et in via salutis regit.

Sensu igitur *proprio,* sacerdos is est qui, *a Deo vocatus et ex hominibus assumptus, deputatur ad offerendum Deo sacrificium aliaque divina mysteria dispensanda.*

Etenim ex *ep. ad Hebrews* 3, ut quis sit sacerdos, debet : (a) *vocari a Deo* et *inter homines* eligi, ut possit esse simul Deo gratus et hominibus compatiens : " Omnis namque pontifex *ex hominibus* assumptus, pro hominibus constituitur... nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui *vocatur a Deo* ". (b) *Mediatoris officium* exercere, scilicet veluti medius stare inter Deum et homines ad Deum placandum, et ad impetrandas gratias ab ipso pro hominibus : " constituitur in iis quæ sunt ad Deum ". (c) *Sacrificium* præsertim *Deo* offerre : " ut offerat dona et *sacrificia* ", quod sacrificium debet esse *efficax* ad Deum honorandum hominesque sanctificandos : sacerdos enim bona divina hominibus dispensare debet.

1 S. Thom., 3, q. 22; Card. Billot, th. XXXIV; E. Hugon, p. 339-348
2 Card. Billot, 1. α — 3 *Hebr.*, V, 1. 5

1197. 20 *Thesis :* Christus homo a Deo constitutus est sensu proprio summus sacerdos in Ecclesia.

Defide est ex *Ephesino* definiente " Christum *pontificem* et apostolum confessionis nostræ factum esse " 1 et ex *Tridentino :* " Oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, D. N. Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere " 2.*

Script, (a) Jam in *Vet. Testam.* Christus annuntiatus fuerat ut sacerdos : " Juravit Dominus et non pœnitebit eum ; tu es *sacerdos* in aeternum " 3 ; (b) In *Nov. Test.* S. Paulus demonstrat Christum esse supremum Pontificem Novæ Legis : " Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum " 4. Describit enim conditiones in sacerdote necessarias, ostenditque eas summo gradu in Christo inveniri; nam (a) electus et *vocatusfuit a Deo,* juxta illud : " Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum " 5 ; et *ex hominibus* fuit assumptus, ut posset nostris infirmitatibus compati 6; (b) mediatoris officium exercuit, quia nos cum Patre reconciliavit 7, pro nobis oravit8, nec cessat in caelis orare : " semper vivens ad interpellandum pro nobis " 9 ; (c) tandem pro nobis seipsum hostiam obtulit in ara crucis (n. 1139); hinc est simul *sacerdos* et *victima.*

1198. 30 De dotibus sacerdotii Christi. (A) Christus est sacerdos *secundum ordinem Melchisedech.* Hoc pariter expresse docet Scriptura, et merito; nam Melchisedech fuit figura Christi Sacerdotis : (a) quoad *nomen :* vox enim Melchisedech interpretatur rex *justitiæ,* et insuper ille fuit rex *Salem* seu rex *pacis ;* atqui Christus est rex justitiæ et princeps pacis : ergo; (b) quoad *originem :* nam Melchisedech apparet in Scriptura " sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens"10; similiter Christus factus est sacerdos non per carnalem successionem, sicut Levitæ, sed ex præordinatione divina et

1 D. B., 122. —3 Sess. XXII, cap. I, D. B., 938.
3 *Ps.* CIX, 4. — 4 *Hebr.,* IV, 14. — 5 *Hebr.,* V, 5. — 6 *Hebr.,* V, 2.
l Ephes., II, 14-15. — * *Hebr.,N, η.* — » *Hebr.,* VII, 25. — 10 *Hebr.,* VII, 3.

non habet successores, sed solum vicarios; (c) quoad *eminentiam :* nam Melchisedech benedixit Abraham, patrem sacerdotum generis levitici, ac proinde præstantior fuit sacerdotibus Aaroniticis ; similiter Christus longe antecellit sacerdotes antiquæ legis ; (d) quoad *sacrificium :* Melchisedech obtulit sacrificium *panis* et *vini;* jamvero Christus seipsum offert sub *speciebus panis et vini* in sacramento Eucharistias [x].

1199. (B) *Christus factus est sacerdos in primo instanti suæ conceptionis, suumque sacerdotium per suam naturam humanam exercuit, virtute autem communicata ex unione hypostatica* [2].

(a) Christus ccepit esse sacerdos eo tempore quo potuit Deum adorare eique preces et sacrificium offerre. Atqui Christus non potuit id praestare ut Verbum, cum ut tale sit Patri aequalis, sed tantum per suam naturam humanam, quæ, utpote Deo inferior, Eum adorare Eique preces et sacrificia offerre valet. Ergo nonnisi primo Incarnationis instanti sacerdos esse potuit.

(b) Sacerdotium autem exercet virtute communicata ex unione hypostatica; hæc enim tria humanitati præstat : i) ipsa enim divinitas Verbi ungit ejus naturam humanam oleo sacerdotii, eam videlicet a rebus profanis separat et ad cultum divinum devovet; 2) ipsa ei confert potestatem sacerdotalem et imprimis potestatem homines Deo reconciliandi; 3) tandem omnibus operibus ejus infinitam dignitatem et moralem valorem infinitum communicat.

Recte intelligi debet sententia *Thomassini* asserentis Verbum a tota aeternitate esse sacerdotem, quia quasi medium stat inter Patrem, omnium bonorum fontem, et creaturas in quas beneficia Dei per Verbum derivantur, et quæ per Verbum obsequia Patri offerunt. — Hoc non est sacerdotium *creatum* de quo hic tantum dicimus, sed sacerdotium *sublime* et *divinum,* in sinu Trinitatis, fons et exemplar omnis sacerdotii inter creaturas *(Thomassinus,* l. X, c. IX, n. 10.)

1200. (C) Christus est *sacerdos in æternum :* (a) Hoc expresse declaratur a Scriptura : " Tu es sacerdos in æter-

1 S. Thom., 3, q. 22, a. 6. — 2 Héris, *O. P., Le mystère du Christ.*

num"... " Hic autem,eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium " 1; (b) aliunde Christus nunquam cessabit exercere aliquos sacerdotales actus : etsi enim unicum sacrificium Christus in cruce peregerit, tamen seipsum offert in terris per manus sacerdotum, et in cælo erit mediator religionis, per quem Patrem adorabimus, nec unquam virtus ejus sacrificii exhaurietur.

1201. Exinde sequitur *unicum esse sacerdotem* principalem in Nova Lege, nempe Christum Jesum, aliosque sacerdotes non esse nisi ejus *vicarios visibiles,* quatenus nempe pro Christo legatione funguntur 2, et sacra mysteria dispensants. Hinc Christus est qui in ipsis sacerdotibus vivit et operatur, ipse qui per manus eorum baptizat et sacrum sacrificium offert. Quanta igitur est sacerdotum dignitas! Quanta ipsis incumbit obligatio Christo intime adhaerendi ejusque virtutes interius imitandi exteriusque manifestandi : "Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu" 4.

Art. II. De sacrificio Christi.

Quatuor exponemus : i° *notionem* sacrificii; 2° *existentiam* sacrificii Christi in cruce; 30 ejus *excellentiam;* 40 *controversiam* de *essentia et extensione sacrificii.*

I. Prænotanda de sacrificio.

1202. i° De sacrificio in genere 5. Præter sacrificium *improprie dictum*^ nempe omne opus bonum in honorem Dei factum, dantur sacrificia *proprie dicta* apud omnes gentes, etiam non excultas.

Diversimode tamen a variis auctoribus explicantur, i) Juxta quosdam, sacrificium est *donum* quo nituntur homines deorum favorem consequi6. 2) Juxta alios, est *cibus* diis oblatus ad eos pascendos, et ad facilius cum eis communicandum 7. 3) Alii

« A. CIX, 5 ; *Hebr.,* VII, 24.

' *II Cor.y* V, 20. — 3 *II Cor.,* VI, 4. — 4 *Phil.,* II, 5.

5 M. J. Lagrange, *Etudes sur les religions sémitiques,* Paris, 1903, p. 244-268; J. Grimai, *Le Sacerdoce et le Sacrifice,* Paris, 1923, p. 3 sq.; DD. A. Le Roy, *La Religion des Primitifs,* Paris, 1911, p. 321-327.

6 Ita Renan *, *Histoire du peuple d'Israël,* t. I, p. 52.

7 Ita præsertim Smend*, *Lehrbuch der alttestamentlichen Religiongeschichte*,* P. 133 sq.

vero contendunt sacrificium essentialiter esse *communionem* cum divinitate, manducando partem victimæ quæ divinitati offertur. — Duæ priores opiniones satis communiter hodie rejiciuntur; tertia vero aliquid veri continet, nempe unum e finibus sacrificii esse unionem cum Deo : hæc autem unio essentiam sacrificii non constituit.

Inspectis variis ritibus qui sacrificium comitantur, dici potest hunc ritum oriri ex duplici instinctu qui hominibus inest : (a) ex intima persuasione quod Supremo Numini reddendus est *cultus adorationis, gratitudinis, impetrationis* et, si peccatum commissum est, *expiationis,* et quidem *externus,* immo et *publicus (De Jtelig.,* nn. 101,106); (b) ex desiderio signum manifestum haoendi quod divinitas, sacrificio placata, *communionem* cum hominibus inire consentit. — Ita explicatur cur homo Deo aliquod donum *offerat,* ad agnoscendum ejus supremum dominium super creaturas et propius ad Eum accedendum; immo *animam viventem,* utpote nobiliorem, quæ *immoletur,* et ex parte *comburatur,* ex parte autem *comedatur;* pars enim quæ comburitur censetur a Deo accipi, dum alteram manducando cum Eo veluti epulamur.

1203. 20 De sacrificiis Antiquæ Legis. (A) Statim post lapsum peracta fuisse sacrificia ab hominibus Scriptura testatur[x]. (a) Inter quæ celebre est sacrificium panis et vini quod Melchisedech obtulit[2].

(b) Sub lege *mosaica,* multa fuerunt sacrificia ministerio *sacerdotum* oblata, qui ad hoc munus specialiter a Deo fuerant electi et deputati. Quæ ad quatuor genera reducebantur[3] : *holocaustum* in quo tota victima comburebatur, pelle tamen detracta ; sacrificium *pro delicto,* ad reparandum delictum, et sacrificium *pro peccato,* ad illud expiandum : in utroque, una pars victimæ comburebatur, altera in usum sacerdotum cedebat ; *hostia pacifica,* quæ offerebatur pro *gratiarum actione* vel pro novis beneficiis obtinendis, in tres partes dividebatur : una pars comburebatur, alia in usum sacerdotum cedebat, tertia vero in usum offerentium; manducatio autem victimæ ut aliquid *sacrum* existimabatur, quod quamdam sanctitatem legalem requirebat.

1204. (B) Rituum praecipuorum *significationem* declarare juvat : (a) *victima* repraesentat offerentem qui manus imponit super caput hostiae, ad significandum eam *sibi substitui;* quando offertur pro peccato, hostia vocatur peccatum, ἁμαρτία, quia in se suscipit peccata offerentis; (b) *mactatio* victimæ cum effusione sanguinis

l Gen., IV, 3*4» UL 20» XII» 7*8; XIII, 4; XV, 9-12, etc.
• *Gtn.,* XIV, 18. — 3 *Levit.,* I-VII.

ostendit peccatorem agnoscere se reum mortis esse, et hanc poenam acceptare per substitutionem victimæ ; juxta quosdam etiam, significat Deum, utpote supremum dominum, jus habere mortis et vitæ in omnes creaturas; id vero non est certum '; (c) *carnes adusta* super altare, in holocaustum et odorem suavissimum Domino, significant sacrificium esse Deo acceptabile; (d) carnibus autem *extra castra* combustis ostenditur peccata longe ab homine remota esse; (e) *communione* tandem significatur hominem, mediante hostia quæ sacra facta est, cum Deo ipso communicare et ejus sanctitatis participem fieri.

1205. (C) Valde tamen *imperfecta* erant hujusmodi sacrificia : (a) unumquodque *non integre,* sed tantum ex parte significabat varia elementa quæ constituunt perfectum sacrificium ; (b) et id quidem modo satis *vulgari,* cum homini substituerentur hostiæ irrationales, et Deus censeretur suavem odorem sacrificii olfacere; (c) tandem *inefficacia* erant sacrificia, cum *in se* non haberent quod Deo placerent, aut homines sanctificarent : vacua igitur erant signa, quæ implere non poterant quod significabant, et nullum valorem habebant nisi ex acceptatione divina.

His tamen *prcefigurabatur* verum sacrificium quod Christus in ara crucis oblaturus erat.

1206. 30 **Genuina sacrificii notio**2. (A) *Stricto sensu,* quatenus est specialis actus religionis, qualis describitur in *Levitico* et in *ep. ad Hebrceos,* communiter definitur : *oblatio rei sensibilis cum aliqua ejus immolatione, a ministro legitimo soli Deo facta, ad significandos interiores religionis sensus, quibus agnoscitur supremum Dei dominium.*

Tria autem sunt in sacrificio elementa: *oblatio, immolatio* et *communio,* quorum duo priora ad essentiam sacrificii spectant, tertium autem est veluti pars *integratis* quæ in omnibus sacrificiis non habetur.

Dicitur : (a) *Oblatio* rei *sensibilis,* quia sacrificium est in genere oblationum, licet omnis oblatio non sit sacrificium, Res autem oblata debet esse sensibilis, nam sacrificium proprie dictum est actus *cultus publici,* et externa manifestatio virtutis religionis, ac proinde consistere debet in oblatione victimæ sensibilis, qua offerens significet velle seipsum Deo dedicare; oblatio mere interna non esset nisi sacrificium improprie dictum.

' **M. de la Taille,** *Mysterium fidei,* **p. 3-9, — a S. Thom., 2. 2., q, 185 ; Suarez,** *De Eucharistia,* **disp. 73; Lugo,** *De Euchar.,* **disp. XIX, sect. 1 ; Buathier,** *Le Sacrifice dans le Dogme catholique,* **I part., ch. 1-3 ; M. de la Taille,** *Mysterium fidei,* **Elucid. I ; Lepin,** *L?Idee du Sacrifice dans la religion chrétienne,* **1926, pp. 727'737» 75°» etc-5 P. Galtier, th. XXXVIII.**

(b) Cum aliqua *immolatione*. In hoc apparet sacrificii a simplici oblatione discrimen. Immolatio autem victimæ duplex esse potest : vel *physica* destructio, ut fiebat in holocaustis; vel *moralis* immutatio, qua victima in statu humiliori constituitur, ut fiebat in libationibus, in quibus liquor effusus in statu decliviori et ad destructionem sui vergente constituebatur.

(c) A legitimo *ministro :* cum enim sacrificium proprie dictum sit actus *cultus publici,* nomine societatis oblati, nemo potest illud offerre, nisi specialiter ad hoc munus deputetur : " Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus *constituitur* in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et *sacrificia* " ».

(d) *Soli Deo* facta, ad *significandos interiores religionis sensus* quibus agnoscitur *supremum Dei dominium.* Finis enim præcipuus sacrificii est Deum agnoscere ut primum principium, supremum dominum et finem ultimum; hoc autem *significat* oblatio victimæ; et ita sacrificium est in genere *signi,* quatenus significat interiores religionis sensus: nempe *adorationem* divinæ Majestatis, *gratiarum actionem* pro acceptis beneficiis, *reparationem* pro peccatis et *supplicationem* pro novis beneficiis quibus indigemus.

t

Duo igitur actus *essentiales* sacrificii sunt *oblatio* et *immolatio* victimæ. Quia vero finis offerentium est unio cum Deo, tertium est elementum *integrans,* nempe *communio.*

1207. (B) *Species.* Ratione *finis,* sacrificium quadruplex distinguitur : (a) *latreuticum,* quod directe tendit ad agnoscendum supremum Dei dominium, quale erat *holocaustum;* (b) *eucharisticum,* quod ad gratias Deo agendas directe ordinatur, v. g., *hostia pacifica;* (c) *impetratorium,* quo nova beneficia postulantur; (d) *propitiatorium,* quod offertur pro peccatis aut poena peccatis debita, quale erat hostia *pro delicto* et hostia *pro peccatis.*

II. Existentia sacrificii Christi.

1208. *Thesis :* Christus, supremus Pontifex, seipsum Deo Patri pro nobis offerens in cruce, morte intercedente, verum et perfectum obtulit sacrificium.

Defide est ex Conciliis *Ephesino* et *Tridentino.* Ephesinum rem ita definit : " Obtulit autem semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit... pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius *pro nobis* solis (non enim eguit

oblatione qui peccatum omnino nescivit), A. S." *. *Tridentinum* docet Christum sacerdotem perfectum "semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri obtulisse ut æternam illic redemptionem operaretur", et postea addit "sacrificium Eucharistiæ nihil aliud esse nisi repræsentationem cruenti sacrificii semel in cruce peracti" 2. Jamvero hæc verba manifeste supponunt oblationem Christi morientis in cruce esse verum et proprie dictum sacrificium.

(A) *Scriptum,* (a) Ex textibus in quibus asseritur Christum se ut *hostiam* Deo obtulisse et quidem vere *immolatam :* "Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et *hostiam* Deo in odorem suavitatis"... "*Pascha* nostrum *immolatus* est Christus"... "Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in *sanguine suo*" 3. Unde sic : in illis textibus evidenter agitur de sacrificio Christi in cruce, ut constat ex verbis : Tradidit semetipsum *hostiam, immolatus* est, *zn sanguine suo"* ; atqui hoc sacrificium exhibetur ut sacrificium proprie dictum : nam in primo textu declaratur Christum seipsum obtulisse, non solum tanquam *oblationem* (quæ vox intelligi posset de sacrificio improprie dicto), sed etiam *hostiam* (θυσίαν) : quæ vox indicat sacrificium cruentum et proprie dictum ; ergo sacrificium Christi in cruce fuit verum et proprie dictum sacrificium.

(b) Præsertim vero ex *ep. ad Hebræos,* ubi S. Paulus ostendit summum sacerdotem Christum Deo obtulisse *sacrifidum,* et quidem *unum* sacrificium multo *perfectius omnibus* antiquis sacrificiis quæ erant umbra futurorum, nec per sanguinem hircorum, sed per *proprium sanguinem ;* (c) cujus *efficacia* tanta est ut *semel* oblatum sufficiat ad multorum exhaurienda peccata : "Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum... neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per *proprium sanguinem* introivit *semel* in Sancta, æterna redemptione inventa... sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum *semetipsum obtulit* immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad servien-

' D. B., 122. — ' D. B., 938.

' *Ephes.*, V, 2; *I Cor.*, V, 7 » *Apoc.*, I, 5.

dum Deo viventi... Sic et Christus *semel* oblatus est ad multorum exhaurienda peccata " x.

(B) *Traditione :* (a) ex multis testimoniis superius allatis, v. g., ex S. *Irenæo* testante Christum Deo obtulisse sacrificium in nostram redemptionem, ex *Origene* declarante Christum esse hostiam profusione sui sanguinis, in peccatorum remissionem, ex *Eusebio Cæsariensi* testante Eum pro nobis sacrificatum et tanquam Dei victimam oblatum esse pro universo mundo, ex S. *Augustino* dicente " morte sua, quippe uno vero sacrificio pro nobis oblato quidquid culparum erat " abolevisse (nn. 1150, 1152, 1156).

(C) *Rat. theol.* Ex definitione superius explicata ad verum sacrificium quinque requiruntur et sufficiunt : res seu victima sensibilis, ejusdem oblatio et immolatio, legitimus minister, recognitio supremi Dei dominii et reparatio offensæ Deo per peccatum illatæ.

Atqui in morte Christi omnes illæ conditiones adsunt, nam :

(a) Christus, utpote verus homo, est victima sensibus obvia.

(b) Insuper hæc victima offertur et immolatur, quia Christus sacerdos seipsum obtulit Deo immaculatum, vere immolatum et mortuum in cruce.

(C) Adest etiam legitimus minister, scilicet Christus ipse, qui est sacerdos in æternum, a Deo Patre vocatus et unione hypostatica unctus.

Nec dicatur Christi immolationem a tortoribus peractam fuisse; isti enim fuerunt solummodo causa *instrumentalis* et *materialis* mortis ejus; sed verus sacerdos fuit ipse Christus, quatenus *seipsum voluntarie tradidit morti* a tortoribus infligendae, juxta illud : " Ego ponam animam meam... nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso " 2 : non potuissent enim vitam ejus eripere, nisi ipse seipsum eis tradidisset; et hoc sufficit ut Christus vere fuerit sacerdos, nam in sacrificiis A. Legis victimæ etiam a laicis immolabantur, et a sacerdotibus offerebantur.

(d) Melius autem agnosci non poterat supremum Dei dominium quam per mortem hominis Dei ; sic enim demonstrabatur omnes creaturas, etiam perfectissimas, a Deo pendere quoad totum suum esse, solumque Deum jus habere ad existentiam et honorem.

* *Hebr.*. IX, 11-28. — *Joan.*, X, 18.

(e) Ita pariter optime reparabatur offensa Dei irrogata, et venia implorabatur.

Deest quidem communio *proprie dicta* in ipso sacrificio *cruento,* in quo est impossibilis, sed invenitur in sacrificio altaris *incruento,* quod institutum est ut sacrificium crucis repræsentaretur ejusque fructus uberrime a singulis hominibus perciperentur.

III. Excellentia sacrificii Christi.

1209. Sacrificium Christi in cruce fuit :

(A) *Perfectissimum :* nam perfectio alicujus sacrificii pendet præsertim ex *dignitate victimes,* et ex *perfectione immolationis,* Atqui in sacrificio crucis victima oblata erat infiniti valoris, et immolatio fuit completa, cum post multos et diuturnos dolores, Christus tandem mortem violentam *libere, patienter, ex oboedientia et amore,* passus fuerit, et sanguinem suum fuderit.

5. *Thomas*[1] ostendit quomodo Christus omnes dolores sustinuerit : (a)*Extensive :* i) ex parte *hominum,* et a Gentibus et a Judæis, ab amicis eum deserentibus, a Juda proditore et a Petro eum negante; 2) ex parte *bonorum :* in fama per blasphemias contra eum prolatas, in honore et gloria per contumelias, in anima per tristitiam, in corpore per vulnera et flagella, in capite per coronam spineam, in manibus et pedibus per crucifixionem, in facie per alapas et sputa, etc.

(b) *Intensive :* 1) nam ejus *corpus,* exquisita sensibilitate praeditum, cruciatus vividius sentiebat; ejus vero anima secundum vires inferiores efficacissime apprehendebat omnes causas tristitiae; 2) insuper, cum voluntarie et ex amore dolores assumeret ad redemptionem nostram, eam iritensitatem doloris assumpsit quæ proportionaretur magnitudini fructus qui inde sperabatur.

Quare, etsi pars superior animæ Christi visione beatifica fruebatur, Christus non permisit hanc fruitionem redundare in partem inferiorem animæ aut in corpus.

(B) Finibus Incarnationis *accommodatum :* nam finis Incarnationis non est solum redimere hominem, sed etiam illi præbere remedia adversus triplicem concupiscentiam : " Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus " 2. Atqui Christus in passione

[1] *Sum. theol.,* 3, q. 46, a. 3-8. — [a] *I Petr.,* II, 21.

hæc remedia nobis præbet, *exemplo* nos docendo quomodo divitias, honores et voluptates contemnere debeamus : fuit enim omnibus bonis externis, etiam vestibus, spoliatus, opprobriis saturatus, et omni tormentorum genere afflictus.

(C) Ex se *efficacissimum :* illud enim sacrificium est ex se efficax, quod ex natura sua potest Deum glorificare et placare, nobisque restituere omnia bona per peccatum amissa. Atqui tale fuit sacrificium Christi, quod, utpote *infiniti valoris* (supra, n. 1188), optimos produxit effectus : *latreuticum* et *eucharisticum,* Deum infinite glorificando adoratione et gratiarum actione : " Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam"1; *propitiatorium,* nos liberando tum a peccato, tum a potestate diaboli et reatu pcenæ (supra, n. 1180), et cum Deo reconciliando; *impetratorium,* gratiam nobis merendo (n. 1182), januamque cæli nobis aperiendo, ut egregie exponitur a S. *Thoma* 2, qui totus hac de re legendus est.

Insuper *efficadssimum* fuit ad trahendos multos homines ad amorem Christi patientis, ad patientiam in laboribus et doloribus libenter sustinendis, ad praxim omnium virtutum Christianorum. Verba Christi prophetica quotidie implentur : " Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum " 3

IV. Controversia de sacrificii Christi essentia ex extensione.

1210. Omnes quidem catholici admittunt mortem Christi in cruce esse verum sacrificium; quidam vero volunt quasdam ejusdem alias actiones ad proprie dictum sacrificium spectare.

(A) *Thalhofer* putans sacrificium non esse in genere signi, sed essentialiter consistere in *actu interno oboedientia,* quocumque modo manifestato, contendit actum, quo Christus in cælo se suaque opera et mortem Patri sistit, esse verum sacrificium : ita enim actum obœdientiæ internum repetit, eumque cicatricibus in glorioso corpore manentibus manifestat

1 *Joan.,* XVII, 4. — 2 *Sum. theol.,* 3 p., q. 49, art. i-5. — 3 *Joan.,* XII, 32.

* *Das Offer des Alien und Neuen Bundes,* p. 201 sq. ; *Handbuch der KathoischdH Liturgik** 195 sq.

(B) *P. de Condren* l et *Thomassin* a, quorum theoriam lucide exponit *M. Lepin*\ docent sacrificium essentialiter quinque elementis constitui, videlicet consecratione, oblatione, immolatione, consummatione et communione; et totam vitam Christi sacrificium esse : victimæ *consecratio* primo instanti Incarnationis facta est; *oblatio,* eodem instanti incoepta, die Præsentationis exterius manifestata est ; *immolatio,* in cruce peracta ; *consummatio,* die Resurrectionis perfecta; *communio* in cælo in æternum, in terra per mysterium eucharisticum usque ad finem mundi persistet.

(C) *Communis* tamen *sententia,* quam amplectimur, asserit sacrificium *essentialiter* consistere in *oblatione victimæ immutatæ,* ideoque *solani passionem et mortem Christi esse proprie dictum sacrificium;* ceteros autem ejus actus fuisse aut *præparationem* aut *complementum* sacrificii proprie dicti ; incarnationem, v. g., esse remotam praeparationem, quatenus Filium Dei constituit sacerdotem, et materiam praebet sacrificii; primum Christi actum : *Ecce venio...* esse oblationem futuri sacrificii, ceterosque actus oboedientiae et amoris ultimo referri ad sacrificium crucis in quo invenitur perfectissima amoris manifestatio ; resurrectionem et ascensionem considerari posse tanquam *ultimum complementum* ipsius sacrificii jam in cruce peracti : sicut enim aliquando in antiquis sacrificiis Deus manifestabat acceptationem sacrificii jam oblati, ita Pater, Christum glorificando in resurrectione et ascensione, ostendit se efficaciter ratum habere sacrificium dilecti sui Filii in cruce 4.

Hæc sententia ita intellecta sola consistere videtur cum textibus Scripturæ et Conciliorum declarationibus, in quibus dicitur *unum* fuisse Christi sacrificium, *semel in ara crucis* oblatum, cujus sacrificium missae est repræsentatio ; et cum notione sacrificii qualis e diversis sacrificiis deducitur : non enim quælibet oblatio, etiam externa et publica, est sacrificium, sed ea tantum quæ fit cum *aliqua immutatione victimæ ;* secus omnis actus religionis publicus (qualis est,

' *Z'Idée du sacerdoce et du sacrifice de J.-C.,* nouvelle éd., Paris, 1901.

3 *De Incarn.,* l. X, c. 9, n. 16 sq.

3 *L'Idée du sacrifice dans la Religion chrétienne,* thèse, Paris, 1897.

♦Ad rem M. de la Taille, *op. rit.,* Elucid. XII : ‘‘Oblatum in cœna et redditum in passione sacrificium Christi consummationem aliquam accepit in resurrectione et ascensione, perseveratque in æternum ”. Perseverat in cælo, addit, non active, sed *passive,* in suo esse hostiæ acceptate (p. 143).

v. g., recitatio precum nomine Ecclesiae) esset verum sacrificium : quod nullus catholicus dicere potest.

1211. Objiciunt quidam illationem sanguinis in Sancta Sanctorum per Summum Sacerdotem, quæ in antiquis sacrificiis fiebat (*Hebr.*, IX, 7), fuisse verum expiationis sacrificium; proinde Christum per analogiam sacrificium peregisse, quando post ingressum in cælum, sanguinem suum Deo Patri obtulit. — Sed immerito; nam hujusmodi cæremonia nihil aliud erat nisi *complementum sacrificii jam peracti;* verum enim sacrificium in oblatione victimæ immolatæ situm est; igitur Christus verum sacrificium in cruce obtulit, et ingressus in cælum nihil aliud fuit nisi complementum sacrificii quod in cruce obtulerat. Quæ interpretatio contextu firmatur, nam, teste Apostolo, Jesus *semel tantum oblatus est*[3], et *una oblatione consummavit* in sempiternum sanctificatos 3; quod dici nequit de oblatione in cælo facta, cum sit jugis perpetuoque renovetur : "semper vivens ad interpellandum pro nobis "

Scholion de sepultura, resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris et judiciaria potestate Christi.

Ad complenda ea quæ de sacrificio Christi dicta sunt, pauca addere juvat de iis quæ mortem Christi secuta sunt, ad mentem 5. *Thomæ* et *Catechismi Tridentini.*

1212. i° **De descensu ad inferos.** Christo jam mortuo, ejus anima, hypostatice Verbo unita manens, ad inferos descendit, ibique tamdiu mansit quamdiu ejusdem corpus, hypostatice pariter Verbo unitum manens, in sepulchro fuit.

(a) Descendit quidem *potentia sua,* non autem substantiali præsentia, ad infernum *damnatorum,* ut eos de sua incredulitate et malitia convinceret; et ad *purgatorium,* ut animabus ibi detentis gloriam certo sperandam declararet, (b) *Prceseniia* autem *substantiali* animæ descendit in limbum Patrum, eos liberaturus : siquidem ab ingressu cæli adhuc prohibebantur, quia pretium redemptionis nondum fuerat solutum; sed, soluto per mortem pretio, eos *luce gloria,* illuminavit, et ita ab inferno vere liberavit, quamvis ex inferni loco statim non eduxit : ibi enim est cælum ubi adest visio beatifica.

' Ita *Thalhofer,* qui rem probare nititur ex *Hebr.*, IX, 7, 24 ; idem argumentum proposuerant Sociniani ; isti vero a catholicis maxime differunt, cum asserant Christi mortem non fuisse verum sacrificium, sed tantum præparationem ad sacrificium quod obtulit cælum ingrediendo.

« *Hebr.*, IX, 28. — ' *H(br.*, X, 14. — 4 *Hebr.*, VII, 25.

1213- 2° De resurrectione. (A) Christus vere a mortuis surrexit, *primitia dormientium et primogenitus* ex mortuis Et hoc conveniens fuit propter quinque, ait S. *Thoma* [2] : i) ad *commendationem divina justitia,* ad quam pertinet exaltare eos qui se propter Deum humiliant ; 2) ad *fidei nostra instructionem,* quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi; 3) ad *sublevationem nostra spei,* quia dum videmus Christum resurgere, caput nostrum, speramus et nos resurrecturos; 4) ad *instructionem fidelium,* qui ita discunt in novitate vitæ ambulare, existimantes se esse peccato mortuos, viventes autem Deo; 5) ad *complementum nostra salutis,* ut mortui peccato, promoveamur ad vitam perfectiorem et ad bona opera quæ per resurrectionem significantur : " si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram " [3].

(B) Causa *principalis* resurrectionis Christi fuit *Christus ipse secundum virtutem suce divinitatis ;* hæc resurrectio quandoque *Patri* quandoque ipsi *Christo* tribuitur [4], quia Christus, ut Deus, eadem potentia fruitur ac ipse Pater. — Causa *instrumentalis* fuit anima Christi, quatenus erat instrumentum Verbo conjunctum. — Causa *meritoria* fuit passio et mors humillima Christi.

(C) Hæc autem resurrectio Christi, capitis nostri, est *causa resurrectionis nostrce* : Verbum enim primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito, et secundo per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis. — Immo, cum resurrectio Christi in virtute divinitatis agat, est causa etiam *efficiens instrumentalis* et *exemplaris* resurrectionis animarum quoad gratiæ vitam [5].

1214·. 30 De ascensione in cælum. Absoluto redemptionis nostræ mysterio, Christus, secundum *naturam humanam,* ascendit in cælos, non autem secundum naturam divinam quæ nunquam cælos reliquit. — Ascendit autem primario propria virtute divina et secundario virtute animæ glorificatæ moventis corpus prout vult[6].

Hæc autem ascensio Christi est causa nostræ salutis, et

« *I Cor.*, XV, 20; *Col.*, I, 18.
* *Sum. theol.*, 3, q. 53> a· x· — 3 HI, I"2·
4 *Act.*, II, 24; III, 15; IV, 10; X, 40; *Rom.*, VIII, 11 ; *Galat.*, I, 1.
5 *Sum. theol.*, 3, q- 56, a. 2. — 6 *Sum. theol.*, 3, q.57, a. 3.

quidem dupliciter, ut ait S. Thomas[1] : i) ex parte nostra, quatenus per ascensionem mens nostra movetur in Christum per fidem, spem et caritatem ; 2) ex parte Christi : primo quia viam nobis paravit ascendendi in cælum, cum ubi sit caput ibi membra esse debeant ; secundo, quia Christus intravit cælum ad interpellandum pro nobis ; tertio, quia e cælo divina dona hominibus mittit.

1215.40 De sessione ad dexteram **Patris.** Christus dicitur sedere ad dexteram Patris *metaphorice :* quia nempe, inter homines, sedere ad dexteram est majorem honorem recipere, ideo Christus sedet ad dexteram Patris, quia super omnem principatum et potestatem et dominationem constituitur, et omnia sub pedibus ejus subjiciuntur[2].

Christus autem sedet ad dexteram Patris : quatenus *Deus,* eo sensu quod est æqualis Patri et abeo distinctus; quatenus *homo,* eo sensu quod paternis bonis præ ceteris creaturis fruitur, nempe majori beatitudine, et insuper quia, cum natura assumpta, Christus divinos honores accipit. Unde nulli alii, nec angelo nec homini, convenit sedere ad dexteram Patris, sed soli Christo[3].

1216. 50 De judiciaria potestate Christi[4]. Christus "constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum"[5]. Et merito ; nam, ut *Verbum,* est sapientia Patris : atqui ad judicium requiritur præsertim sapientia; ut *homo,* est caput totius Ecclesiæ, et ipsi competit judicare membra sui corporis ; insuper ex merito hanc potestatem obtinet, quia æquum est ut qui pro Dei justitia pugnant et vicit et injuste judicatus est, judicet alios.

Hæc judiciaria potestas se extendit ad *angelos:* 1) quia etiam Angelos illuminat, cum sit propinquior Deo quam ipsi, eisque accidentalia præmia largitur; 2) quia per passionis dolores et humilitatem ejus natura humana meruit exaltari super angelos ipsos.

Conclusio. Christo igitur passo strenue adhæreamus, ut participes effecti ejus passionis, ejus gloriæ comparticipes esse mereamur.

[1] *Sum. theol.,* 3, q. 57, a. 6. — [2] *Ephes.,* I, 20-22.
[3] *Sum. theol.,* 3, q. 58, a. 2-4. — [4] *Sum. theol.,* q. 59.

CAPUT IV.

DE NECESSITATE REDEMPTIONIS[1].

Hucusque de facto, modo et præcipuo opere redemptionis. Sed ulterius inquirunt theologi num redemptio per Incarnationem alicujus divinæ personæ fuerit *necessaria absolute* vel *hypothetice.*

I. Errores.

1217. Duplicis generis sunt errores : de necessitate *absoluta* et de necessitate *hypothetica.*

1° Errores de necessitate absoluta, (a) *Wicleffus* docebat Deum non magis esse liberum in operibus *ad extra* quam in operibus *ad intra,* et inde inferebat Incarnationem fuisse necessariam. Quare C. *Constantiense* hanc Wicleffi propositionem (27) damnavit : "Omnia de necessitate absoluta eveniunt"[2].

(b) *Optimisiez,* ut *Malebranche*[3], ita arguunt : Deus libere quidem se manifestat; posito autem decreto se *ad extra* communicandi, mundum optimum ideoque Incarnationem intendere debet. Simili modo *Leibnitzius* arguit ex principio rationis sufficientis : ratio enim sufficiens pro infinito Deo sese communicandi *ad extra* non potest esse nisi ut se communicet *summo* modo, ideoque per Incarnationem.

Quæ quidem theoriæ sunt falsae, utpote *divinæ libertati* oppositae (n. 494). Deus enim, utpote sibi sufficientissimus, non tenetur sese manifestare tali vel tali modo, sed prout ipse libere decreverit, omnis enim creatio, etiam entium inferiorum, infinitam potentiam denotat, et hoc plane sufficit ut ratio agendi sufficiens.

20 Errores de necessitate hypothetica, (a) *Günther* docebat, supposito lapsu, Deum teneri humanum genus reparare, ut homo suum finem supernaturalem attingere valeat.

(b) 5. *Anselmus* olim docuit in hac hypothesi Incarnationem alicujus divinæ personæ esse necessariam[4].

[1] Cf. S. Thom., 3, q. I, a. 2-3 ; Suarez, disp. IV; Salmantic., disp. I ; Petavius, 1. II, c. 12-14; Legrand, diss. V; Billuart, disp. III, a. 2; Stentrup, *Soteriologia,* th. 3-6; Hurter, n. 480 sq. — [2] D. B., 607.
[3] *Entret. sur la métaphysique et la religion,* ent. IXe, n. 5 sq.
[4] S. Anselmus, *Cur Deus homo,* 1. I. Nonnulli theologi euin ab hoc errore immunem esse dixerunt, sed hoc vix admitti potest. Sic enim arguit : impossibile est totum genus humanum suo carere fine; atqui, nisi reparetur, finem

(c) *Tournely* censebat Deum non teneri quidem humanum genus reparare, sed, posita voluntate reparandi, Incarnationem esse necessariam.

II. Doctrina certa.

1218. i° Posita existentia peccati originalis, Redemptio non fuit necessaria sed conveniens. *Certum est.*

(A) *Non fuit necessaria,* quatenus Deus poterat vel annihilare genus humanum, vel eum ad ordinem naturalem reducere.

(a) *Script.* Illud enim necessarium dici nequit quod *misericordia* et *nimia caritati Oei* tribuitur; atqui Redemptio misericordiæ et caritati Dei tribuitur : " Deus autem, qui dives est in *misericordia,* propter *nimiam caritatem* suam qua dilexit nos... convivificavit nos in Christo"1; item : " Secundum *misericordiam* suam salvos non fecit " a.

(b) *Rat.* Redemptio necessaria non est : i) ex parte *Dei,* quia quamvis ex bonitate *inclinetur* ad bona sua communicanda, et ex misericordia ad peccata ignoscenda, minime tamen *necessitatur,* sed remanet liber in omnibus operibus ad extra; 2) e:* parte *hominis,* quia, cum homo *sua* culpa amisisset gratiam gratuito ipsi concessam, nullomodo *exigere* poterat reparationem; 3) ex parte *bonorum* restituendorum, quia erant supernaturalia, proinde indebita.

(B) Fuit tamen *conveniens,* si spectatur tum *natura culpa,* originalis, tum *conditio peccantis,* (a) Homines enim non propria, sed protoparentum voluntate peccaverunt, et quidem a tentatore decepti; ergo decebat Deum erga eos se misericordem exhibere : eorum enim culpa minus gravis est quam angelorum, ac proinde divinam misericordiam magis provocat.

(b) Homines naturaliter *inconstantia* laborant et versatilitate in ratione et in voluntate ; *convenit* igitur ut homines non statim ac peccant damnentur, sed ut ipsis detur *panitentia* locus ; nec proinde

suum attingere nequit; ergo *debuit* reparari. Sed reparari *nequit* nisi per Incarnationem; offensa enim per peccatum Deo irrogata, utpote infinita, non potest compensari nisi per divinam personam ; aliunde divina persona satisfacere nequit pro homme, nisi incametur. — Ceteroquin, non obstante hujusmodi errore, S. Doctor praeclare omnino disserit de divina justitia, peccati malitia et redemptionis efficacia. Rivière, *Le dogme de la Rédemption. it. historique.* p. 291-323.

1 *Ephes.*. II, 4. — 2 *Tit.*. III, 5.

æquiparari possunt angelo qui uno intuitu omnia apprehendens, immobiliter suo proposito adhæret '.

1219. 2° Posita in Deo voluntate genus humanum reparandi, Redemptio per Christum non fuit necessaria. *Certum est.*

Talis enim Redemptio necessaria non fuit, si Deus genus humanum reparare potuerit *alio* modo; atqui potuit illud reparare multis aliis modis : *(jl) gratis* omnino condonando : cum enim ipse sit persona læsa, potuisset, sine ullo justitiæ detrimento, remittere offensam in se commissam, absque ulla externa expiatione, sola interna pænitentia contentus2, (b) Exigendo *imperfectam* satisfactionem, talem qualis perfici potuisset ab unoquoque homine; (c) committendo alicui *puro* homini, specialibus gratiis ornato, munus satisfaciendi *imperfecte* pro aliis hominibus.

Nec dicatur Deum, utpote sapientem provisorem, leges suas poenis proportionatis sancire teneri ; hoc enim concedimus modo generali; sed, sicut Rex potest in casu particulari clementiam manifestare quin justitiæ jura lædat, præsertim cum reus sinceræ pænitentiæ signa dedit, ita pariter Deus poterat in hoc particulari casu misericordiam suam, salva justitia, benigne ostendere.

III. Doctrina communis.

1220. *Posito quod Deus exigere voluerit satisfactionem æquivalentem, Incarnatio alicujus personæ divines stricte **fuit** necessaria.*

Ita *communiter* contra *Scotistas,* qui contendunt, etiam in illa hypothesi, Incarnationem non esse necessariam, quia, juxta ipsos, peccatum mortale, non habens infinitam malitiam, potest per simplicem creaturam reparari 3.

Prob. (A) *Tradit.* Cum Scriptura hac de re sileat, nihilque ab Ecclesia definitum fuerit, quædam *Patrum* testimonia afferri possunt, inter quæ seligimus hæc verba S. *Basilii*

' S. Thom., I, q. 64, a. 2.

' Quod sic declarat S. Thomas, 3, q. 46, a. 2, ad 3 : " Ille enim judex non potest salva justitia culpam sine poena dimittere qui habet punire culpam in alium commissam... Sed Deus... si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam... misericorditer et non injuste agit ".

3 Scotus, *In III Sent.*, d. 20, § Contra ea quæ dicuntur

quæ lucidiora videntur[1] : " Ne igitur fratrem quæras, qui redimat, sed eum qui tuam excedat naturam ; neque merum hominem, sed hominem Deum Jesum Christum, qui *solus* potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis ".

1221.(B) *Ratione,* (a) *Thomistæ* arguunt ex *infinitate* peccati.

Antequam argumentum proponamus, hæc sunt prænotanda : in peccato mortali tria sunt sedulo distinguenda : *offensa,* seu injuria Deo per peccatum irrogata; *malitia,* seu deordinatio actus peccaminosi in ipsa voluntate peccatoris existens, et *demeritum,* seu debitum poenæ peccato debitæ. Jamvero *sola offensa* Deo irrogata per peccatum mortale, est infinita et quidem *in genere moris,* secundum prudentum æstimationem.

Unde sic : ad reparandam æquivalenter offensam infinitam, requiritur Incarnatio alicujus personæ *divinæ.* Nam quaevis creatura, utpote *finita,* reparationem non potest praebere infinitam, juxta illud : "*honor est in honorante",* seu mensuratur secundum dignitatem personae honorantis. Atqui offensa Deo irrogata per peccatum mortale, est infinita in genere moris[2] ; siquidem offensa crescit secundum dignitatem personae laesae, juxta illud : " *injuria est in persona injuriata* ". Persona autem læsa in casu est *infinita.* Ergo hæc offensa nonnisi per infinitam personam reparari potest.

Comparatione confirmatur : injuria viro communi inflicta, est delictum ordinarium; eadem inflicta regi, fit crimen laesæ majestatis; si irrogatur enti superiori, fit etiam ordinis superioris; tandem si *Deo* ipsi irrogatur, offensa est ordinis omnino divini seu vere infinita. Ergo.

1222. *Objicitur* eodem argumento probari posse peccatum veniale esse pariter infinitum : quod tamen a nemine conceditur.

[x] *In Ps. XLVIII,* n. 4,Λ G., XXIX, 440; Journel, 961, cf. nn. 1006, 1675, 2127, 2204.

[1] " Quicumque rem aliquam digniorem indigniori postponit, injuriam ei facit : et tanto amplius quanto res est dignior. Quicumque autem in re temporali finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso quantum ad affectum suum præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam quam Creatorem. Finis enim est qui maxime diligitur. Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum quodam modo injuria fit, dum ipse Deus contemnitur et ejus præceptum ". (S. Thom., *De Veritate,* q. 28, a. 2.) Cf. Salmanticenses, qui præ aliis de hoc præclare disserunt, disp. I.

Hoc autem negamus, quia peccans mortaliter vere *injustitiam* committit sese avertendo a Deo ut ultimo fine; dum peccans venialiter, quamvis ab ordine rationis aliquo modo divertatur, tamen non avertitur a Deo ut ultimo fine, nec proinde veram injuriam committit, sed solum superflue inhaeret creaturae et ejus amore retardatur : unde nulla paritas esse potest inter peccatum mortale et veniale.

Instant iterum : actus caritatis Deum ut summe bonum et finem ultimum attingit; ergo est infinitus sicut offensa, ideoque ad eam reparandam sufficit. — Nego actum caritatis eo sensu esse infinitum quo peccatum lethale; nam *honor est in honorante,* seu aestimatur juxta honorantis dignitatem; v. g., honor redditus a communi cive, non tanti fit quanti honor a præside vel rege praestitus ; proindeque valor satisfactionis, etiam per caritatem, desumitur ex dignitate personæ satisfacientis; atqui in hypothesi persona satisfaciens est finita; ergo finitus est honor actu caritatis Deo redditus.

1223. (b) *Suarez* ejusque discipuli arguunt ex *distantia inter Deum et hominem.* Ad satisfactionem *æquivalentem* requiritur inter personam satisfacientem et personam offensam quædam *proportio,* aut saltem ut inferioritas personae satisfacientis possit compensari per *excellentiam* operis satisfactorii; atqui inter Deum et hominem, utpote infinite distantes, talis est improportio ut nullo modo compensari possit per excellentiam operum quæ homo perficere posset. Quæ improportio per gratiam creatam suppleri nequit : licet enim sit participatio divinæ naturæ sensu alibi explicando, semper remanet dignitas finita.

Admittenda itaque videtur sententia S. Thomæ de necessitate redemptionis per Incarnationem in hypothesi satisfactionis æquivalentis.

Controversia de motivo finali Incarnationis.

1224. Status quæstionis. Omnes theologi agnoscunt : (a) Deum *liberrimo consilio,* non autem ex necessitate, Incarnationem decrevisse ; (b) Deum, Incarnationem decernendo, voluisse *manifestare* perfectiones suas seu *gloriam suam externam;* (c) Eum *potuisse* Incarnationem intendere independenter a quavis hypothesi vel dependenter ab aliqua hypothesi, v. g., independenter vel dependenter a lapsu hominis.

Quaestio igitur est quid *de facto* intenderit, et quidem *vi præsentis decreti?* Quid enim *voluisset vi alterius decreti* ignoramus, cum agatur de re mere possibili. Praesens autem

decretum nobis innotescere potest Scriptura et Traditione. Jamvero circa interpretationem Scripturæ et Traditionis non est concors sententia, sed tres dantur præcipuæ opiniones.

1° Juxta *Thomistas,* multosque aliarum scholarum theologos, motivum *finale adeequatum* Incarnationis fuit *Redemptio generis humani,* ita ut, *Adamo non peccante, Verbum incarnatum non fuisset.* — Attamen quidam inter eos addunt Incarnationem, propter redemptionem volitam, simul *propter suam excellentiam* intentam esse, ita ut *Christus* in decretis divinis constitutus fuerit *centrum* totius mundi, etsi *causa meritoria* non sit gratiæ quæ Angelis et Adamo innocenti concessa est x.

2° Juxta *Scotistas,* et non paucos alios, Deus omnia vult *propter amorem sui :* primo sui Filii incarnationem, ut ab Eo infinite glorificetur; secundo creationem et sanctificationem angelorum et hominum; tertio, præviso peccato, redemptionem in carne *passibili.* Hinc, juxta ipsos, Verbum incarnatum fuisset, etiamsi Adamus non peccasset : sed tunc venisset in *carne impassibili.*

3° Juxta *Suarez,* Deus decrevit Incarnationem propter *duplex motivum,* tum propter divinarum perfectionum manifestationem, tum propter Redemptionem, ac proinde Verbum incarnatum fuisset, etiam Adamo non peccante. Proinde ejus opinio substantialiter non differt ab opinione Scotistarum.

I. Systema Thomistarum

1225. i° Animadvertunt imprimis Thomistæ quæstionem propositam esse quæstionem *facti,* non *merce possibilitatis;* fatentur

l E. Hugon, *Le mystère de ΓIncarnation,* p. 74-75. — Hi igitur Thomiste distinguunt in genere cause finalis ordinem *intentionis* et ordinem *executions :* in ordine *intentionis* decretum Incarnationis præcedit decretum creationis et permissionis peccati ; sed in ordine executionis, decretum creationis et permissionis peccati prius est.

' S. Th., q. i, a. 3; S. Bonaventura, *in III Sent.,* dist 1, a. 2, q. 2; Capreolus, *in III Sent.,* dist.,i,q. unie.,a. 1 ; Cajetanus, in h. art ; Joannes a S. Thoma, disp. III, a. 2; Gonet, disp. V, § I; Salmantic., disp. II., dub. 1; Vasquez, disp. X, c. 4; Valentia, disp. I, q. 1; Becanus, c. I, q. 8; Lugo, disp. I; Legrand, diss. VII, c. 3; Billuart, disp. III, a. 3; Stentrup, *Soteriol.,* th. 2; Petavius, l. II, c. 17, n. 7 sq.; Card. Billot, th. III; E. Hugon,

Verbum potuisse incarnari, Adamo non peccante ; sed de facto, motivum proximum adæquatum Incarnationis fuit Redemptio generis humani, ita ut, Adamo non peccante, reapse Verbum incarnatum non fuisset. En eorum argumentum generale : Quæ ex sola voluntate Dei pendent, nobis innotescere nequeunt nisi per Scripturam et Traditionem; atqui in Scriptura et Traditione unicum Incarnationis motivum assignatur, scilicet redemptio generis humani; ergo revera Incarnatio decreta fuit propter illud solum motivum.

(A) Quoties enim *Scriptura* loquitur de motivo Incarnationis, simpliciter asserit Christum venisse ad homines redimendos. "Venit Filius hominis *salvare quodperierat" 1;* " Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat " 2. 5. *Augustinus* hæc verba explicans, addit : " Si homo non periisset, Filius hominis non venisset " 3. S. Paulus docet pariter Jesum venisse in hunc mundum "peccatores salvos facere "4, et S. *Augustinus* ejus verba explicans, dicit non aliam esse causam Incarnationis nisi infusionem novæ vitæ et hominis salutem 5.

(B) *Tradit,* (a) Ex *Patribus,* quorum plerique thesim nostram propugnant, licet eam non proponant cum distinctionibus scholasticis; ita 5. *Irenceus*^ *:* "Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset ", *S. Athanasius i.* " Quod autem homo est factus, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam praebuisset ". (b) Ex *Symbolo,* in quo *unicum* motivum Incarnationis assignatur : " qui *propter nos* et *nostram salutem* descendit de cælis ". (c) Ex *Liturgia :* dicitur enim in benedictione cerei paschalis 6 " O certe necessarium Adæ peccatum quod Christi morte deletum est ! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem ! " Atqui, si Verbum incarnatum fuisset, etiam Adamo non peccante, Adæ peccatum non posset certo vocari necessarium, aut felix culpa, nec dici causa, etiam occasionalis, Christi adventus.

(C) *Ratione* suam opinionem ita confirmant. Hic non agitur de possibilitate, sed de facto. Jamvero volitio divina efficax fertur tantum in volitum quale est in concreto, et abstrahit a possibilibus et futuribilibus. Unde Deus voluit de facto id praecise quod revera effecit, Incarnationem scilicet cum passibilitate et dolorosa Redemptione, nihil autem decrevit simul circa hypothesim Adami permanenter innocentis.

' *Maith.,* XVIII, n. — a *Luc.,* XIX, io; *ci. Joan.,* III, 17.
3 Sermo 174, 2, 2, T'. *L.,* XXXVIII, 936. — 4 *I Tim.,* I, 15.
5 *De peccatorum meritis et remis.,* 1. I, c. 26, n. 39, *P. L.,* XLIV, 131.
6 *Adv. Hares.,* I. V, c. 14, η. I, *P. G.,* VII, 1161.
7 *Orat. 2 coni. Arian., P. G.,* XXVI, 268.

1220. 2° Hisce argumentis Scotistæ respondent : (a) Verba Scripturæ et Patrum intelligi debent eo sensu quod Verbum incarnatum sit in came *passibili* propter redemptionem nostram; sed hoc non impedit quin incarnatum fuisset in carne impassibili, Adamo non peccante. — Quod tamen responsum vix conciliatur cum textibus allatis, in quibus non dicitur Verbum in came passibili, sed *simpliciter,* absque ulla distinctione, Verbum venisse propter peccata nostra.

(b) Scriptura et Patres, addunt Scotistæ, indicant solum *unum* ex motivis Incarnationis, illud scilicet quod relate ad nos præcipuum esse videtur; sed ex hoc non sequitur nullum aliud esse motivum æque aut etiam magis principale. — *Resp.* Scriptura, quæ tota fere ordinatur circa explicationem Incarnationis, valde probabiliter non silet circa motivum principale hujus mysterii.

II. Systema Scotistarum*.

1227. i° Ex *Scriptura* duo præsertim citantur textus ad probandum Christum fuisse a Deo prius intentum quam redemptionem.

(A) " Deus possedit me *in initio viarum suarum,* antequam quidquam faceret a principio "[2]. Unde sic : hic agitur de Sapientia incarnata, seu de Christo ut homine; atqui Christus ut homo non est initium operum Dei ratione *temporis;* ergo est initium operum Dei ratione *intentionis,* seu fuit intentus a Deo ante omnem creaturam, ideoque ante prævisionem originalis peccati.

Respondent Thomistje : *Nego majorem,* nam hæc verba intelligenda sunt de *Sapientia increata,* ut patet ex toto contextu, in quo dicitur, "ab æterno ordinata sum,... cum eo eram cuncta componens ", etc. Circa hoc concordant omnes fere hodiemi interpretes; unde *Pius IX,* in Bulla *Ineffabilis,* eadem interpretatur de increata Sapientia et ejus sempiterna origine. — Insuper, etiamsi concederetur major, non exinde admittenda esset conclusio Scotistarum ; nam Christus vocatur initium viarum Domini, juxta Patres, non quia fuit intentus ante omnes alias creaturas, sed quia Incarnatio

* Cfr. Alexander Halensis, p. 3, q. 2, membr. 13; Albertus M., *in III Sent.,* dist. 20, a. 5; Scotus, *in HI Sent.,* dist. 7, q. 3. et dist. 9, q. unica; Suarez, disp. V; Mastrius, disp. IV, q. χ, n. 2; Hurtado, disp. XIII; sect. 2, S. Franciscus Salesius, *Traité de ΓAmour de Dieu,* I. II, ch. IV, anglice *Treatise on the lave of God;* Faber, *The B. Sacrament,* 1. IV, sect. I; *The Precious blo„d,* c. 3; Mgr Gay, *De la vie et des vertus chrêt.,* L I, p. 19 sq; F. Chrysostome, *Christus Alpha et Omega**, Lille, 1910; *Le vrai motif de ΓIncarnation,* 1911; *Le motif de l'IncarnnUoH et fa thomistes contemporains* Tours, 1921.

' *Prov.f* VIII, 22.

est initium reparationis seu redemptionis nostræ, et Deus, mundum decernendo ac creando, ad Christum respexit, quem ut futurum mundi Redemptorem jam videbat.

(B) Christus est *"primogenitus omnis creatura,* quoniam in ipso condita sunt universa in cælis et in terra; omnia per ipsum creata sunt"*. Unde sic : ex illo textu Christus ut homo est primogenitus omnis creaturæ; atqui non est primogenitus ratione temporis; ergo est primogenitus ratione intentionis. — *Respondent* multi Thomistæ : Hæc verba intelligenda sunt de Christo ut Deo, et significant Verbum fuisse genitum ante omnes creaturas et per ipsum omnia creata fuisse; aliunde, etiamsi de Christo homine audiantur, possunt intelligi ut verba *Proverbiorum* superius exposita.

1228. 20 *Trad.* Scotistæ innituntur præsertim auctoritate S. *Cyrilli*[3] ; Si, ut hæretici dicunt, *ut nos produceret* Deus, *Filium produxit,* erit ipse *propter nos factus, non nos propter ipsum;* cur ergo *nobis non aget gratias,* qui *propter nos* est ? Erit etiam *ipse* sic *gloria nostra,* ut *femina viri;* non enim vir creatus est propter feminam, sed femina propter virum... Si *propter nos Filius* factus &X,*primi nos* erimus apud Deum ;sic enim Deus *nos primo, deinde Filium propter nos intendisse* videtur. Porro hæc omnia censet S. Cyrillus absurda. — *Respondent* Thomistæ : S. Cyrillus loco citato probat contra Arianos divinitatem Verbi, et de æterna ejus generatione disputans, dicit *Verbum nonfuisse a tota ceternitate genitum propter nos :* quod quidem thesi nostræ non opponitur. Alibi autem S. Cyrillus clare et expresse thesim Thomisticam docet his verbis : "Nisi enim peccassemus, non factus fuisset nostri similis " 3.

1229. 30 *Ratione.* Scotistæ multa convenientiæ argumenta afferant ad opinionem suam suadendam. (A) Dicunt siquidem Incarnationem Verbi, antecedenter ad peccatum decretam, multum conferre ad potentiam et bonitatem Dei manifestandam, — ad gloriam ipsius Christi ejusque Matris, — ad honorem humani generis, necnon ad complementum totius universi. — *Resp.* non quidquid convenienter fieri potest, eo ipso fit; alioquin simili argumento probaretur fieri debuisse mundum nostro perfectiorem, atque optimismum tenendum esse.

(B) Addunt Scotistæ : Deus plus amat Christum quam ceteras creaturas ; atqui debet prius eligi quod plus diligitur ; ergo prius eligitur Christus quam creaturæ.

l *Colos.,* I, 15, 16.
* *TTusaur.,* assert. XV, P. *G.,* LXXV, 257.
› *Dial, j de Trinit., P. G.,* LXXV, 968.

Respondent Thomistæ : *concedo majorem; nego minorem,* nam aliquid potest plus diligi, et tamen eligi posterius; Deus enim liber est in omnibus operibus ad extra, et a fortiori in eorum ordinatione; potest igitur primum intendere ceteros homines, deinde autem Christum ad eos redimendos : nec in hoc minus diligit Filium, cum e contra redemptio ad ipsius gloriam valde conferat.

(C) *Instant :* Quod est perfectius non potest intendi propter id quod est imperfectius; atqui Christus est perfectior hominibus; ergo non potest intendi propter illos.

Respondent Thomistæ : Hoc argumentum, si aliquid probaret, demonstraret impossibilitatem Incarnationem ad homines redimendos ordinandi : quod tamen nemo admittere potest. Unde dici debet Christum non potuisse quidem ordinari ad nos tamquam ad finem *ultimum,* sed potuisse ordinari ad nos redimendos tamquam ad finem *intermedium.* Quamvis autem peccatum fuerit permissum prius Incarnatione, per modum causæ *occasionalis,* Christus prior omnino est in triplici ordine causæ *efficientis, formalis* et *finalis :* nam ipse est auctor salutis nostræ, exemplar nostræ justificationis, ac finis ad quem tendere debemus.

1230. *Conclusio.* Inspecta Scriptura, inspectis pariter Patribus, causa Incarnationis determinativa *probabilius* non videtur alia esse nisi Redemptio generis humani. Scotistarum igitur opinio est *probabilis hypothesis,* quæ rationibus convenientiæ suaderi potest, sed Thomistarum opinionem ut *probabiliorem* habemus. Putamus enim cum S. Thoma ea quæ a sola voluntate Dei pendent, nonnisi Scriptura et Traditione innotescere posse ; atqui Scriptura et Traditio, quamvis non diserte excludant scotisticam theoriam, ei parum favere videntur.

Corollarium pietatis.

1231. Cum Christus sit perfectissimus *religionis* ac *redemptionis* mediator, ei indesinenter atque ex intimo corde adhærendum est, ut *per ipsum* et *cum ipso* et *in ipso Deum glorificemus* et *vitam ceternam* consequamur.

i° Cum sit *mediator religionis,* Deumque per orationes et sacrificium perfecte honorificet, Ecclesia ipsa nos hortatur : (a) Ad *Trinitatem glorificandam* per Ipsum : " Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria Laudes enim nostræ, cum sint finiti valoris ac sæpe, ob infirmitatem nostram, valde imperfectae, parum *per se* ad gloriam Dei conferunt ; cum vero iis laudibus conjungun-

' *Missale,* Canon Missæ, in fine.

tur obsequia ipsius Christi Capitis nostri, nonne acceptabiles fiunt Deo propter dilectum Filium suum? Immo, cum simus membra corporis Christi, nonne jus nobis inest nostras faciendi et appropriandi Capitis nostri laudes quas ipse persolvit easque Deo offerendi?

(b) Ad *postulandas gratias* per D. N. Jesum Christum. Ipse enim semper vivit ad interpellandum pro nobis [1], et quodcumque petierimus *in nomine ejus',* id est, ejus meritis innixi, dabitur nobis; tunc enim ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus [3], et non potest non exaudiri pro sua reverentia·*. " Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno " [5].

1232. [20] Cum sit *mediator redemptionis,* ei pariter adhaereamus, ut redemptio nostra certa et copiosa fiat, (a) Quotidie peccantes, quotidie indigemus ejus mediatione ad abstergendas cordis nostri maculas : " advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris"[6], (b) Quotidie novis indigentes gratiis, quotidie ad Eum accedere debemus qui est " fons aquae salientis in vitam aeternam " [7], qui inter homines venit ut vitam habeant et abundantius habeant[8], qui est *via, veritas* et *vita*** : 1) *via* est quam sequi debemus, exempla imitando quae nobis praebuit omnium virtutum ; 2) *veritas* est quam amplecti debemus : verba enim vitae aeternae habet, et in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati ; quapropter eum tanquam unicum magistrum habebimus, veritates accipiendo quas sive *per se* sive per *magisterium Ecclesiæ* nobis proponit; 3) *vita* quam in Eo et in sacramentis ab Eo institutis, praecipue vero in sanctissima Eucharistia, haurire debemus. Ita Christo in omnibus adhaerentes, et una cum Eo bona opera peragentes, certam nostram vocationem et salutem facere satagemus[xo].

' *Hebr.*, VII, 25. — *'Joan.*, XVI, 23. — 3 *R0m.*, VIII, 26.
4 *Hebr.*, V, 7. — s *Hebr.*, IV, 16. — 6 *IJoan.*, II, 1.
7*Joan.*, IV, 14· — *'Joan.*, X, IO. — *'Joan.*, XIV, 6. — «° *II Petr.*, I, 10.

DE CONSECTARIIS UTRIUSQUE MYSTERII

Post ea quæ diximus circa Incarnationis et Redemptionis mysteria, remanet ut quædam consectaria ex hoc duplici mysterio fluentia exponamus : de *cultu SS. Cordis Jesu;* de *B. Mana Virgine,* matre Christi, tam intime ei connexa: necnon de *Sanctis,* qui cum eo regnant in cælo.

Praenotanda de cultu.

1233. i° Cultus *in genere* est actus quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam. Potest esse *civilis* vel *religiosus,* prout excellentia, quæ recognoscitur, est civilis vel religiosa.

2° Hic autem loquimur tantum de *cultu religioso,* quo Deo vel ejus sanctis debitum honorem et reverentiam exhibemus.

(A) Ex parte *excellentice* duplex distinguitur : (a) cultus *latriæ* (λατρεία, famulatus), qui est honor supremus soli Deo exhibendus propter illius supremum dominium, et infinitam ejus excellentiam ; (b) cultus *dulice* (δουλεία, servitus) qui est honor servis Dei exhibitus, ob supernaturales eorum dotes quas ab eo acceperunt ; talis vero cultus vocatur *hyperdulia* quando B. Mariæ exhibetur; sicut enim, propter singularem ejus excellentiam, præsertim ejus divinam matemitatem et sanctitatem huic præcelsæ maternitati consentaneam, alios sanctos supereminet, ita cultus ei delatus gradu superat cultum ipsis redditum.

(B) Ex parte *motivi* cultus est : (a) *absolutus* quando quis colitur propter excellentiam *ipsi propriam et inhcerentem ;* talis est cultus Deo vel sanctis ipsis delatus; (b) *relativus,* quando res colitur *propter aliam* cum qua specialem relationem habet : talis est cultus *imaginibus* et *reliquiis* exhibitus, quia veneratio nostra in iis non sistit, sed ad eum quem repraesentant transit. __

(C) Tandem in cultu duo sunt distinguenda : (a) objectum *materiale,* seu id quod colitur; (b) objectum *formale,* seu ratio propter quam aliquid colitur.

1234. 30 Ad tollendas æquivocationes Protestandum, duo sunt praenotanda : (a) Xroces *latria* et *dulia,* etymologice spectatae, eumdem sensum habent, scilicet *servitium, servitus,* et in primævis sæculis *promiscue* adhibebantur; proindeque sensus ex contextu determinandus est[1], (b) Iterum vocabula "*adoro* vel *adoratio*" aliquando significabant cultum soli Deo debitum, aliquando autem cultum inferiorem, hominibus et sanctis praestitum; vox autem "*veneratio* " ab aliquot Patribus de solo Deo prædicabatur; sensus itaque debet pariter ex contextu definiri.

1235. 4° *Devotio* latius patet quam cultus; complectitur enim, præter ipsum cultum, voluntatem prompte se tradendi alicujus servitio. Ita devotio erga cor Sacratissimum Jesu importat, præter cultum latriae, actus amoris, gratitudinis, compassionis, imitationis, etc.

Art. I. De devotione erga Sacratissimum Cor Jesu[2].

1236. De cultu adorationis Christo homini debito, propter unionem hypostaticam, jam supra, n. 1035, dictum est.

[1] Idem dicendum est de græcis vocibus προσκύνησι (adoratio), et θεραπεία (servitium), quæ promiscue sumebantur pro omni reverentiæ signo; hinc S. Joa. Damascenus ait : " Solum creatorem et rerum opificem Deum adoremus, cui latriæ cultum exhibeamus, tanquam Deo pro sua natura adorando. Sanctam quoque Dei genitricem adoremus, non tanquam Deum, sed tanquam Dei matrem secundum carnem. Ad hæc omnes sanctos, ceu electos Dei et amicos, quibus ad eum facilis patet aditus, adoremus " *{De imaginibus,* or. III, 41, *P. L.,* XCW, 1357; Journel, 2378). In Ecclesia autem Latina, jam a tempore S. Augustini distinctio facta est inter *latriam* et *duliam;* ait siquidem *{de Civit. Dei,* l. X, c. I, *P. L.,* XLI, 278) : " Λατρείαν quippe nostri, ubicumque S. Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine (δουλεία) grace nuncupari solet; *latria* vero, secundum consuetudinem, qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut pene semper, *ea dicitur servitus qu<i pertinet ad colendum Deum* ".

[2] Cf. *Revelationes Gertrudiana ac Mechthildianæ,* Tours (Marne); S. J. Eudes, *Le Cœur admirable de la mère de Dieu,* l. XII ; Mgr Gauthey, *Vie et œuvres de la Marguerite-Marie Alacoque;* Galliffet, *De Cultu SS. Cordis Dei ac D. N. J. C.,* Romæ, 1726, *gallice* versum sub titulo *de l'Excellence de la dévotion au Cœur Adorable de J. C.,* anglice *The Adorable Heart of Jesus ;* Schaueuburg, *Das liebenswürdigste Herz Jesu,* Ulm, 1760; Muzzarelli, *Sur*

Singulæ autem partes humanæ naturæ Christi cultu latriæ adorari possunt, quatenus omnes æque Verbo hypostatice uniuntur. Non tamen expedit ut singulis partibus specialis cultus exhibeatur, nisi *specialis adsit ratio.* Jamvero hæc ratio sane existit quoad *Sacratissimum Cor Jesu,* quatenus est *symbolum immensa caritatis* Christi.

Quapropter *naturam* et *legitimitatem* hujus *cultus* expendemus, simulque de *devotione* erga SS. Cor Jesu agemus, propter connexionem inter hæc duo.

I. Natura hujus devotionis.

Quo melius hæc natura intelligatur, *objectum* cultus declarabimus; postea vero *devotionis* erga SS. Cor Jesu præcipuos *actus* exponemus, et brevem hujus *devotionis* historicum conspectum delineabimus.

1237. i° Objectum cultus duplex est : *materiale,* quod est ipsum objectum adoratum ; *formale,* quod est ratio et causa adorationis. Insuper explicanda est *ratio specialis* cur specialiter adoretur cor Christi.

(A) Objectum *materiale :* (a) *remotum* est " *ipsa Incarnati Verbi persona* considerata in *corde suo,* necnon et in omnibus tum ad divinitatem tum ad humanitatem pertinentibus quæ in eodem corde symbolizantur " L (b) *Proximum* est *Cor* ipsum Christi *physicum* ut *vivum,* animæ ejus unitum, ac præsertim *hypostatice* Verbo conjunctum, quatenus est *symbolum amoris* quo Deum et nos prosequitur.

(B) Objectum *formale,* seu causa faciens Cor Christi dignum cultu, est infinita excellentia personæ Verbi.

la Dévotion et le aille dû au S. Coeur de Jésus ; **Nilles,** *De Dationibusfestorum SS. CordisJesu et puriss. Cordis Maria,* **CEniponte, 1S85; Bucceroni,** *Commentar, de Cultu SS. Cordis Jesu;* **Leroy,** *De SS. Corde Jesu,* **Leodi, 1882; Dalgairns,** *Devotion to the S. Heart ;* **Manning",** *Glories of the Sacred Heart;* **Stentrup,** *Chnstol.,* **th. 44-45; Sauvé,** *Le Culte du S. Caur,* **Paris, x9°5; J.-B. Terrien,** *La Dévotion au S. Caur,* **1893; Schmude,** *Die Andacht turn hl. HerzenJesu verlaütert; A.* **Vermeersch,** *Pratique et doctrine de la dévotion au S. Caur ;* **J. Nix,** *Cultus SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis B. V. Maria* **Friburgi, 1905; J. V. Bainvel,** *La Dévotion au S. Caur de Jésus,* **Paris, 4e éd. 1917; L. Garriguet,** *Le S. Caur deJésus,* **1920;** *Eucharistie et S. Caur,* **1925.**

(C) *Ratio specialis* autem cur Cor Christi præ ceteris partibus ejus corporis adoratur, est quia nobis *manifestat immensam ejus caritatem.*

Amor autem quem manifestat, juxta communem sententiam, non est tantum amor *creatus,* sed etiam amor *increatus,* cui subditur amor creatus tam spiritualis quam sensitivus. Concedi quidem potest cor physicum *directe* et *immediate* significare amorem creatum; sed quia hic ab increato amore procedit et regulatur, *uterque amorwviQ* eodemque actu colendus est; uno verbo, amor Christi, vi unionis hypostaticæ, est *theandricus,* ut ait *Card. Billot*[1], et complectitur amorem increatum Verbi et amorem creatum cordis humani.

Exinde etiam infertur amorem, a Corde Christi significatum, esse non tantum amorem erga homines, sed etiam amorem erga Deum; caritas enim erga homines non est vera nisi a caritate erga Deum procedat.

1238. 2° Devotio erga Cor SS. Jesu latius patet quam cultus; præter *adorationem,* complectitur omnes actus quibus amorem Christi recognoscimus, (a) Inter quos sane eminet *amor erga Christum,* quem postulat SS. Cordis benigna amabilitas : dum enim nobis exhibetur Cor illud amore nostri flagrans, efficaciter ad ejus amorem provocamur. "Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos" [2] Qui quidem amor *affectibus, verbis* et *operibus* manifestari debet, præsertim vero *imitatione virtutum* quarum SS. Cor Jesu symbolum est, *caritatis* videlicet, *humilitatis* et *mansuetudinis :* " discite a me quia mitis sum et humilis corde " [3]. (b) Ex amore sequitur *reparatio injuriarum* ipsi illatarum, præsertim in sacramento Eucharistiæ : non enim possumus Christum amare quin offensis ipsi allatis affective et effective compatiamur [4]. (e) Ex utroque actu oritur maxima in Christum *fiducia,* qua in ejus Corde tutum perfugium quærimus et invenimus [5]; ibi, una cum Christo,

[1] *Loc. cit.,* p. 362. —Nonnulli theologi, ut *P. Vermeersch, {Etudes,* 20 janv. 1906, p. 146-179), putant quidem *directe* significari tantum amorem *creatum,* non tamen exclusive, cum uterque amor, vi unionis hypostaticæ, inseparabilis sit. Cf. Bâinvel, *op. cit.,* p. 142-158. —[2] *1Joan.,* VI, 19. —[3] *Matlh.,* XI, 29.

[4] Pius XI,in encycl. *Miserentissimus* (maii 1928) hoc officium piissime declarat.

[5] Ad rem *Leo XIII,* in lit. apostolicis 28 junii 1889 : "Siquidem eam ob causam, sicut multi vitæ sanctitate clari testati sunt, cor Jesu mucrone in cruce transfixum est, nimirum ut christiani homines quemdam in eo quasi recessum quo confugerent, ubi requiescerent, haberent

Deum unum et trinum perfectiori modo adorare et laudare valemus, ibi efficaciter gratias postulare, ibi pace interiore frui.

1239. Corollarium (A) Ex dictis sequitur *discrimen* esse reale inter devotionem erga SS. Cor Jesu et devotionem erga SS. Sacramentum. Nam (a) objectum *materiale proximum* devotionis erga Eucharistiam est *totum corpus* Christi sub speciebus eucharisticis latens, dum objectum *materiale* proximum devotionis erga SS. Cor est *tantum cor physicum* Christi; (b) *ratio* autem *specialis* cur colitur SS. Sacramentum est quia continet vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem Christi, ideoque totum Christum, qui pro nobis sese offert ut victimam super altare, se ut cibum spiritualem ρπεΒεζ et manet absconditus in tabernaculo; dum ratio specialis devotionis erga Cor SS. Jesu est amor cujus cor est symbolum. Duæ sunt igitur devotiones distinctæ.

(B) Adest tamen *maxima affinitas* inter utramque devotionem, (a) In utroque casu *objectum remotum* est persona Christi, et *finis* est promovere amorem Christi, cum institutio Eucharistiæ sit præcipuum ejus amoris pignus, (b) Insuper Cor Christi vivum præsens invenitur in Eucharistia, ideoque invocari potest ut Cor eucharisticum; (c) devotio erga SS. Cor, quæ in amore præsertim consistit, nos suaviter impellit ad sacram Eucharistiam, quæ est sacramentum amoris; et vice versa devotio erga Eucharistiam nos ducit ad Cor Christi, ejus amoris symbolum.

1240. 30 Conspectus historicus hujus devotionis 1. (a) Per *decem priora sæcula via paratur* huic devotioni contemplando et colendo plagas Christi, præsertim ejus *lateris,* tanquam symbolum ejus amoris, piumque recessum in quo animæ devotæ gratiam, protectionem et pacem quærunt.

(b) Ab *undecimo* ad *sextum decimum* sæc., in *monasteriis religiosis,* jam fit transitus a plaga lateris ad *ipsum Cor Jesu,* quod contemplatur atque colitur tanquam symbolum et fornax immensæ ejus caritatis, locum refugii in quo pax et requies inveniuntur, religionis tabernaculum in quo devoti Deum adorant et laudant, exemplar non solum caritatis sed etiam omnium virtutum quæ ex ea fluunt. Ita, ex ordine 5. *Benedicti,* quidam discipuli S. Anselmi, S. Bernardi et præsertim *Cistercienses* moniales, ut S. Gertrudis, S. Mechtildis, postea Ludovicus Blosius; inter *Franciscanos,* S. Margarita Cortonensis, B. Angela Fulginatensis (Foligno), S. Francisca

1 Cf. L. Garriguet, *Eucharistie et Sacré-Cœur,* 3e partie.

' J.-V. Bainvel, *La dévotion au Sacré-Cœur,* 4e éd., 3e partie; L. Garriguet, *Iλ Sacré-Cœur de Jésus,* ire paît.

Romana, B. Johanna Valesia, S. Bemardinus Senensis; ex *Ordine* S. *Dominici,* S. Catharina Senensis, Taulerus, Suso; inter *Carthudanos,* Ludolphus a Saxonia, Lanspergius.

(c) *A saculo XVII»* devotio, quæ hucusque in monasteriis et a piis colebatur, jam *publico cultu* celebratur, auspicibus præsertim S. *Joanne Eudes* et S. *Maria Margarita Alacoque.* i) Prior cultum instituit SS. Cordium Jesu et Mariæ (an. 1646), et a *Pio X* dicitur hujus cultus publici *pater,* " quippe qui usque ab instituta sacerdotum Congregatione solemnia cordium inter suos filios celebranda curavit"; *doctor,* " nam propria officia et missam in eorum honorem composuit"; *apostolus* " toto enim est pectore nisus ut saluberrimus ipsorum cultus in quemcumque locum evulgaretur" r. Cor autem physicum Jesu considerat ut symbolum et exemplar non solum immensæ caritatis Christi hominis, sed etiam infiniti amoris Verbi erga Patrem et homines. Et quia ex amore profluunt ceteri interiores hominis affectus, cor Jesu habet ut symbolum et exemplar omnium interiorum ejus dispositionum, juxta illud : " Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu"a.

2) S. *Maria Margarita,* post plurimas apparitiones SS. Cordis Jesu 3, et, auspice *Beato de la Colombière,* jam ab anno 1675, devotionem hanc propagare cœpit, non obstantibus multorum contradictionibus. Jamvero cor Christi physicum contemplatur ut *amoris symbolum* præsertim *erga nos,* amoris autem vulnerati per ingratitudinem et peccata nostra, ideoque tanquam praecipuos hujus devotionis actus proponit *amorem* et *reparationem;* minime tamen excludit ceteros respectus sub quibus spectari potest Cor Jesu, nec ceteros actus quibus hæc devotio exprimitur : ex ejus enim scriptis constat eam Cor Jesu habuisse tanquam *recessum* in quo peramanter habitabat, exemplar omnium virtutum, religionis templum et tabernaculum, etc.

Adest igitur aliquod *accidentale discrimen* inter formam hujus devotionis et eam quam S. Joannes Eudes proposuerat, quia hic non in actu reparationis insistebat sicut et illa; sed *nullum est essentiale discrimen,* cum in utroque casu cor physicum Christi habeatur ut symbolum amoris Christi, et actus praecipui utriusque devotionis sint substantialiter iidem.

3) Patres Societatis Jesu hanc devotionem propagare feliciter studuerunt, præcipue Beatus de la Colombière, de Galliffet, Croiset; quorum, aliorumque religiosorum ope, mox devotio *popularis* evasit, festum SS. Cordis pro universa Ecclesia a *Clemente XIII,*

l *Decret, beatijcalionis,* 11 apr. 1909; Georges, 5. *Jean Eudes, père, docteur et apôtre du culte liturgique des Sacris-Cœurs,* Paris; Lebrun, *S. Jean Eudes et la dévotion au Sacré-Cœur,* Paris. — * *Philip.,* II, 5. — 3 Bainvel, *op. cit.,* 1«· part, ch. I; L. Garriguet, *op. cit.,* ire p., ch. VII-X; Hamon.

an. 1765, institutum est, et in dies crescit totius populi christiani erga Cor Jesu devotio, non sine maximo pietatis fructu, ut mox dicemus.

II. Legitimitas hujus devotionis.

1241. i° **Errores,** (a) *Jansénistes* contendebant hunc cultum esse *novum, erroneum* et valde *periculosum,* (b) Idem hodie docent plerique *Protestantes,* eo quod talis devotio *dividit* Christum ideoque opponitur decretis *Ephesini* ac *Chalcedonensis* Concilii, (c) *Increduli* et *Rationalistes* illum cultum ut *superstitiosum* pariter impugnant, et tamquam falso fundamento innixum; cor enim physicum, ut aiunt, non est sedes amoris, nec proinde specialem meretur honorem.

1242.2° *Thesis :* **Devotio erga SS. Cor Jesu rite intellecta est omnino legitima, pia et opportuna.**

Certum est ex *auctoritate Ecclesiæ* optimis *rationibus* innixa.

Dixi : *rite intellecta,* quatenus nempe cultus terminatur ad ipsam *personam Verbi Incarnati* in suo corde considerata, et quatenus *cor physicum* non adoratur nisi in quantum huic personæ est *hypostatice unitum,* et propter infinitam caritatem cujus est symbolum.

1243. *Thesis probatur :* (A) *Auctoritate Ecclesiæ :* (a) Juxta *Pium VI,* "doctrina, quæ devotionem erga SS. Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat *{synodus Pistoriensis'}* velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, falsa (est), temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa". Postea Pontifex, in sequenti propositione, explicat quo sensu hæc devotio a S. Sede approbata fuerit, quatenus videlicet SS. Cor adoratur " ut est *Cor Jesu,* cor *nempe personæ Verbi,* cui *inseparabiliter unitum est"* x; ergo illa devotio nec nova, nec erronea, neque periculosa censeri potest.

(b) Ex *institutione festi* SS. Cordis Jesu. Primum quidem concessa non fuerat sub Benedicto XIII institutio illius festi, quia postulator *J. de Galliffet* innitebatur *dubio* principio physiologico, cor

* **Constitutio** *"Auctorem fidei"* **contra errores Synodi Pistoriensis, D. B., 1562, 1563.**

scilicet organum seu sedem amoris esse, ut refert ipse *Benedictus XIV,* qui tunc temporis eratr *Promoterfidei :* "Addidi oretenus statui tanquam certum a Postulatoribus causae Cor esse, ut vocant, comprincipium sensibile omnium virtutum et affectionum, quasique centrum voluptatum et dolorum omnium internorum; sed id quæstionem philosophicam involvere, cum recentiores philosophi amorem, odium et reliquas animi affectiones non in corde tanquam sede sua, sed in cerebro collocent... Quamobrem... reverenter insinuavi non esse petitioni annuendum, innixæ potissimum antiquorum philosophorum sententiae cui recentiores adversantur"[1]. Re autem melius exposita, anno 1765, *Clemens XIII* hoc festum celebrari permisit; idem festum *Pius IX* ad universam extendit Ecclesiam (1856) *Leo XIII;* ad ritum duplicis primae classis evexit (1890), et die 25 Maii 1899 litteras encyclicas dedit "de hominibus Sacratissimo Cordi Jesu devovendis"[2]. Denique *Pius XI* (1928), in Encycl. *Miserentissimus Bedemptor,* festum SS. Cordis Jesu posuit inter Jesu Christi festa primaria duplicis primæ classis cum octava privilegiata. — Ergo Ecclesia semel et iterum hunc cultum approbavit.

(c) *Confirmatur* insuper ex mirabili diffusione hujus cultus per universam Ecclesiam, quæ nonnisi divina virtute fieri potuit, ut jam animadvertebant Episcopi Poloni in *Memoriali* S. C. Rit oblato, ad obtinendam concessionem festi in honorem S. Cordis. Ex hoc autem tempore diffusa est hæc devotio per universum orbem catholicum, et progressive pervasit familias Christianas, in quibus sæpe *inthronizatur imago SS. Cordis,* immo civitates et nationes quæ sese SS. Cordi consecraverunt. Exinde optimi fructus pietatis orti sunt, nempe fervens erga Christum amor, vera fraternitas, frequens communio, necnon praxis virtutum, praecipue humilitatis et mansuetudinis. Jamvero Spiritus Sanctus, qui Ecclesiam regit et gubernat, permittere nequit universam Ecclesiam in re tanti momenti, ad salutem conferente, per plura sæcula deceptam fuisse.

1244. (B) Hæc autem Ecclesiæ approbatio *optimis nititur- argumentis.*

(a) Rationes enim adesse cur *specialis* cultus SS. Cordi solvatur, paulo attendenti patent. 1) Cor *materiale* Christi certe una est ex *nobilissimis* sacræ ejus humanitatis partibus, ex quo erupit sanguis ille pretiosissimus, quo redempti sumus, et in quo vividiores animi sensus reverberantur et manifestantur : experientia enim

[1] *Dt Servorum Dei Beatif.,* 1. IV, p. 2, c. 31.

[3] SS. Leonis Papæ XIII, *Allocutiones,* etc., vol. VII, ed. Desclée,

compertum est cor vel subsilire laetitia, vel angi moerore, variisque commoveri motibus secundum varias affectiones et passiones quæ animam ipsam afficiunt. 2) Sed ratio *pracipua* cur specialis cultus SS. Cordi reddatur, est quia *vd symbolum ejus amoris* consideratur; certum est enim apud omnes gentes vocabulum *cor* adhiberi ad denotandum amorem, et merito quidem, cum amor ceteræque passiones, quæ ex eo procedunt, cum corde materiali connectantur. Quamobrem Cor Jesu aestimari debet *symbolum* illius *amoris* sive *humani* sive *divini* quem erga Deum et erga nos habet. Quæ ratio sufficiens est ut SS. Cor speciali modo colatur; nam quidquid Christus egit et passus est, id totum *ex amore* profluxisse constat ex his Apostoli verbis : " dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis " '. Amor Christi igitur est *fons omnium gratiarum* quæ nobis obveniunt ; ergo speciali cultu agnosci et coli debet, proindeque omnino legitima est devotio erga SS. Cor Jesu.

(b) *Veram devotionem fovet.* Nam hic cultus *sanctus* est in suo *objecto,* in suo*fine,* in *actibus* quibus exercetur, et in *effectibus* quos producit : 1) *in suo objecto,* nam objectum materiale est Cor Christi *hypostatice unitum Verbo,* objectum autem *formale* est infinita dignitas Verbi; ratio autem specialis cur colatur, est infinita caritas Verbi incarnati ejus Corde manifestata. Porro fieri nequit ut sanctissimum illud objectum frequenter contemplemur, quin recordemur immensi amoris Christi erga nos, et omnium beneficiorum ab eo acceptorum, simul et acerbissimorum dolorum quos pro nobis tam patienter toleravit; quo sane nihil aptius est ad fovendum amorem erga Christum, caritatem erga proximum, patientiam in adversis.

2) ***In suofine*** : nam finis est *amor Christi* et *reparatio injuriarum* ipsi illatarum : quo sane nil laudabilius ; sic enim promovetur gloria Christi, regnum ejus intra animas propagatur, jucunditas ejus Cordi affertur; sic animæ in sanctitate cito progrediuntur: nam Salvatorem nostrum amare nequimus, quin simul Deum et proximum diligamus.

3) ***In suis actibus*** : actus enim quibus ille cultus exercetur, adoratio, amor, reparatio et insuper imitatio ejus virtutum, sunt maxime apti ad fovendam pietatem a.

4) ***In suis effectibus*** : siquidem, experientia teste, per meditationem infinitæ caritatis Christi, cor caritate accenditur : peccatores, contritionem et delictorum detestationem suorum concipiunt, justi ad majorem fervorem incitantur, sacerdotes zelo animarum accenduntur et conversionem peccatorum efficacius promovent.

1 *Ephes.*, V, 2.

2 Cf. Galliffet, *op. at.*, l. II, c. 4.

(c) Hæc autem devotio est maxime *opportuna,* i) Florere enim incœpit tempore quo *janseniana hceresi* fideles nimio rigorismo ab amore Dei et frequenti communione arcebantur; atqui, experientia teste, nil sane isti rigorismo magis opponitur quam devotio erga SS. Cor Jesu, quæ in memoriam revocat nimiam caritatem qua dilexit nos, et ita nos ad amorem Dei provocat. 2) Hodie etiam fideles haud pauci inveniuntur qui, ceteris argumentis parum commoti, per devotionem SS. Cordis recte exposita, amore accendantur erga Deum. Immo non pauci increduli tanta exhibitione amoris ad veram religionem convertuntur.

1245. 30 *Solvuntur difficultates.* *Objiciunt* Jansenistæ (A) cultum SS. Cordis esse *novum,* ac proinde rejiciendum. — *Resp.* Hic cultus non est omnino novus ; sed, in suo objecto *spirituali,* quatenus cultus amoris divini et humani Jesu, jam a primis Ecclesiae sæculis viguit; insuper, in suo objecto *materiali,* quatenus cultus sive vulnerum Christi, sive præsertim Cordis physici, a lancea vulnerati, medio Ævo, jam a sæc. XI0, passim floruit in multis communitatibus, ut constat ex dictis in conspectu historico, n. 1240. Jamvero cultus, qui altas habet radices in antiquitate et observatus fuit ab eximiis sanctis, non potest rejici ut *novus,* præsertim cum nemo dubitet *progressum* admittendum esse in piis *devotionibus,* afflante et dirigente Spiritu Sancto

(B) Addunt hunc cultum esse *periculosum,* quia, si semel liceat colere specialem partem corporis Christi, pari jure colendae erunt omnes et singulæ partes corporis ejus. — *Resp. Nego consequentiam :* nam, ut pars corporis Christi specialiter adoretur, necesse est ut adsit *specialis ratio,* et insuper *accedat Ecclesia approbatio :* utrumque ex dictis, adest pro Corde Jesu colendo.

1246. (C) Objiciunt hodierni *increduli* cultum SS. Cordis Jesu inniti falso fundamento, cum cor non sit sedes amoris, sed potius cerebrum. — *Resp.* Cultus SS. Cordis est omnino independens a quaestione agitata inter physiologistas utrum cor sit sedes amoris, an non; immo libenter admittimus, saltem ut probabilius, ipsum cerebrum esse sedem affectionum sensibilium; sed cor est certo *symbolum amoris,* et insuper *sedes* ubi *manifestatur* amor sensibilis; statim enim ac vehementem affectionem sensibilem experimur, cor nostrum commovetur, ut constat experientia et omnes physiologi fatentur[1]. Jamvero hoc plane sufficit ut cultu speciali Cor

[1] Cf. Tract, *de Fide,* n. 308.

[2] Quod comparatione illustrari potest ex *galvanometro* desumpta, quod tribus partibus constat : pila electrica, filis et quadrantis acu. Cum in pila vis electrica gignitur, statim tum in pila tum in filis veræ modificationes, licet sensibus non obviæ, adsunt; in acu autem maxime apparent vel minimæ *currentis* varia-

Christi veneremur, nam omnes concedere debent hoc sacratissimum Cor esse symbolum amoris infiniti quo Christus nos prosequitur, et insuper sedem, ubi ejus amor manifestatus est modo sensibili. Ergo non valet difficultas.

Art. II. De B. Maria Virgine

Expletis iis quæ Christum spectant, ingratum non erit de *ejus Matre* agere, cum Ecclesia in sua liturgia Matrem a Filio non separet. Dicemus de B. Virgine i° *in se* spectata; 2° in suis *relationibus* cum hominibus ; 30 de *devotione* erga Mariam.

I. De Beata Virgine in se spectata.

Cum divina matemitas*fons* sit et *radix* omnium privilegiorum et munerum, quibus insignita fuit B. Virgo, i° hanc *dignitatem* exponemus ; 2° ejus *consectaria,* præsertim ejus *sanctitatem.*

tiones. Pila phœnomenorum principium et sedes evidenter est ; quadrantis vero acus est tantum horum manifestatio. Idem fit in sensibilitatis phcenomenis ; hic, cerebrum est veluti pila, nervi filorum, cor acus munere fungitur. (Riche, *Le Sacrè-Cceur,* Paris, 1879, c. I, p. 4). " Quod autem accidit in ordine naturali, hoc etiam *in Jactis supernaturalibus* accidere videmus, quod motus vehementer a Deo in anima excitati cor afficiunt, ut videre est in vitis S. Petri de Alcantara, S. Philippi Nerii, S. Stanislai, S. Aloysii". (Pesch, *De Verbo incarnato,* n. 216).

' Cf. S. Hieronymus, *De perpetua virginitate B. M. ad Helvidium;* S. Cyrillus Alex., *Encomium inS. Mariani;* S. Proclus, *Laudes sanctorum, Orationes duce in SS. Dei Genitricem ;* S. Joan, Damascenus, *homil. de B. Maria V. ;* Joannes Euboensis, *Serm. VIII in Conceptionem Deipara;* S. Germanus Const., *Sermo IX in SS. Deipara annuntiationem ;* S. Bernardus, *de Laudibus Virginis matris ; Serm. de 12prarogat. B. M., de aquceductu;* Albertus Magnus, *Mariale; Tr. de Laudibus B. Maria;* S. Thomas, *in Salut. Angel, expositio;* Suarez, *De Mysteriis Christi,* disp. I-XXIII ; Bourassé, *Summa Aurea de laudibus Maria* (ed. *Migne) ;* De Rhodes, *De Deipara Virgine Maria;* Contenson, *Marialogia;* d'Argentan, *Grandeurs de la S. Vierge;* Bossuet, *Sermons sur la S. Vierge;* Newman, *Anglican Difficulties* (II), *Letter to Pusey, Discourses to mixed Congregations* (17-18), Northcote, *Mary in the Gospels·,* Melia, *Mary, the object of veneration, confidence and imitation to all Christians;* Petitalot, *La Vierge Mère d'après la théologie;* Van den Berghe, *Marie et le Sacerdoce ;* P. Giraud, *De la Vie cC Union avec Marie; Prêtre et hostie,* vol. II, ed. 1885, p. 547 sq.; Terrien, *La Mère de Dieu et la Mère des hommes,* 4 vol., Paris, 1900 ; L. Garriguet, *Marie,* 1916; *Diet, d'Apol. (d'Alès),* voce *Marie,* 1919; L. Billot, th. XLVI; E. Hugon, p. 409-459 ; R.-M. de la Broise et J.-V. Bainvel, *Marie, mère de grâce;* E. Hugon, *La Mère de grâce;* Card. Pie, *Pages choisies (Vigui),* t. I, P- I93*2"°5 J· Bittremieux, *Doctrina Mariana Leonis XIII.*

L De maternltate divina Beatæ Mariæ.

1247. i° *Thesis :* B. Virgo Maria est vere Dei Genitrix, seu Dei Mater.

Defide est præsertim contra Nestorianos ex C. *Ephesino :* "Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei Genitricem sanctam Virginem, A. S."

Sensus autem thesis non est B. Virginem genuisse divinam Verbi naturam (quod hæreticum esset), sed ipsam genuisse Christum qui Deus est[2].

Probatur. (A) *Script.* Evangelia enim narrant B. Virginem concepisse et genuisse Christum ; atqui, ex dictis, n. 979, Christus vere Deus est. Unde Elisabeth, afflante Spiritu Sancto, B. Virginem vocat *matrem Dominii :* "Unde hoc mihi ut veniat *mater Domini* mei ad me?"; voce autem *Domini* significari Deum jam probavimus, n. 985.

(B) *Traditione* i° Ex *Patribus.* In dogmatis explicatione divinae matemitatis eadem *stadia* distinguuntur ac in dogmate unionis hypostaticæ in quo includitur, quatenus *progressive explicitais* ac*frequentius* proponitur.

(a) *Per tria priora sæcula,* Patres, contra Gnosticos, asserendo Christum esse vere Deum et hominem, inde deducunt Mariam, ejus matrem, secundum carnem hominem-Deum concepisse, ideoque divinam maternitatem *explicite* aut *cequivalenter* docent. Ita 5. *Ignatius* affirmat Christum in utero gestatum fuisse a Maria, ex Maria et ex Deo esse, et addit : " Deus parturiebatur a Maria " s. *S. Irenœus,* ad probandum duplicem naturam esse in Christo, scribit Jesum, ex Maria natum, esse simul Filium Dei; ideoque Verbum incarnatum exsistere ex Maria; Christum, ex Maria natum, esse Emmanuel seu Deum nobiscum[6]. Idem sæpe asserit *Tertullianus*[7] : " Concepit igitur virgo et peperit Emmanuelem, Nobiscum Deum... Deus natus est ". — Pariter *Origenes* vocat

[1] D. B., 113.

[3] " Mater *Christi,* Sancta *Dei* Genitrix " *{Litan. Laurei)* — *3 Lue.,* I, 43.

[4] Quoad Patres ante-nicænos, cfr. E. Neubert, *Marie dans ΓEglise anti-nidenne,* Paris, 1908; quoad post-nicænos, J. Tixeront, II, 31, 99, 100, 122, 193, 214, 219, 320-333; quoad utrosque, Petavius, 1. V, c. 15 sq.

[5] *Ad. Ephes.,* 7, 18, 20.

[6] *Adv. hares.,* III, 16, 6 sq.; III, 18, 7; ΠI, ai, io; *P. G.,* VII, 925, 937 sq.» 955· — [7] *De carne Chnstt, P· L.,* II, 781·

Mariam matrem Domini, matrem Salvatoris, quæ in utero gestavit Filium Dei et peperit Emmanuelem x.

(b) *Ab initio quarti sczculi,* jam *nomen ipsum* Θεοτόκο Mariæ tribuitur. Ita, inter alios, *Alexander Alex,* de Christo loquitur " qui carnem revera gestavit neque sola specie, sumptam ex *Maria deipara* " 3; 5. *Athanasius* docet Verbum ab ætemo modo ineffabili genitum, "in tempore inferius genitum esse ex virgine *deipara Maria* " 3. Ex quo tempore tam frequens evasit hujus appellationis usus, ut *Julianus apostata* christianos accusaret quod *Mariam deiparam* vocare non cessarent4, et *Joannes Antiochenus axxùcuxn* suum Nestorium monuerit ne, pertinaciter huic appellationi obsistendo, turbas commoveret 5.

(c) *Quinto sceculo,* Nestorio aperte negante divinam matemitatem B. Virginis, S. Cyrillus dogma catholicum strenue propugnavit.

2° Ex *Conciliis : C. Ephesinum definivit,* plaudente populo, B. Virginem esse Θεοτόκον. Constantinop. II et III hoc dogma docuerunt. (D. B., 113, 218, 290.)

(C) *Ratione theol.* Illa est mater Dei quæ concipit et generat personam quæ Deus est; atqui B. Virgo concepit et genuit personam quæ Deus est, scilicet Christum ; generatio enim terminatur non ad naturam, sed ad *personam* quæ subsistit in natura genita.

Ita mater Petri, licet corpus illius tantum generet, dicitur merito genuisse Petrum ipsum, seu personam Petri; quod jam animadverterat S. Cyrillus Alex.6 : " Licet illæ terrestrium duntaxat corporum matres fiant, non alteram tamen partem, sed totum, quod ex anima et corpore conflatur, parere dicuntur". — Ita et S. *Thomas l :* " Sicut igitur cujuslibet hominis mater aliqua femina dicitur, ex eo quod ab ea corpus assumitur, ita Dei mater B. Virgo Maria dici debet, si ex ea assumptum est corpus Dei ".

1248. 20 Excellentia hujus dignitatis.

Prænotamus maternitatem divinam considerari posse *abstracte,* abstrahendo scilicet a gratia sanctificante, et *concrete,* prout includit gratiam, virtutes et dona. Maternitas

l *In Luc.,* **homil. VIII;** *Cont. Celsum,* **I, 35;** *P. G.,* **XIII, 1817, 1818, 1821. — Immo Socrates** *{H. eccles.,* **VII, 32,** *P. G.,* **LXVII, 812) narrat Origenem voce Οεοτοκο usum esse.**

* *Epist. ad Alex. Constantino^.,* **I, 12,** *P. G.,* **XVIII, 568; Journel, 680.**

3 *De Incarnat. Dei Verbi et cont. Arianos,* **S,** *P. G.,* **XXVI, 996 : Journel, 788. — 4 Apud S. Cyril. Alex.,** *Contra Julian.,* **1. 8,** *P. G.,* **LXXVI, 901.**

s **Ap. Mansi, t. IV, 1066.**

5 *Epist. I, P. G.,* **LXXVII, 22.** —7 *Compend. theol.,* **cap. 222.**

divina priori modo spectata,/fr *se* non *formaliter* sanctificat Mariam, sed tantum *exigitive,* quatenus expostulat gratiæ sanctificantis effectus ideoque ipsam gratiam. Hic autem consideramus maternitatem divinam priori modo, postea exposituri sanctitatem exinde fluentem, n. 1252 sq.

(A) *In se* : (a) Dignitas Matris Dei longe *supereminet omnes alias dignitates, excepta unione hypostatica.* Etenim unio hypostatica superat omnes dignitates ordinis non solum *naturalis,* sed etiam *supernaturalis,* ut omnes fatentur. Atqui dignitas Matris Dei *proxime pertinet ad ordinem unionis hypostatica;* nam B. Virgo, praebendo materiam corporis Christi, illudque voluntarie concipiendo, parturiendo ac nutriendo, fuit veluti *causa instrumentalis* unionis hypostaticae, atque cooperatrix divinarum personarum in magno Incarnationis opere, ita ut unio hypostatica Verbi cum humana natura, *in* Maria et *per* Mariam, operante tamen Spiritu Sancto, completa fuerit; ergo, post unionem hypostaticam, maternitas divina superat omnes alias dignitates non solum humanas, sed et angelicas x.

(b) Immo dignitas Matris Dei potest dici *infinita moraliter.* Etenim dignitas moralis alicujus personæ desumitur ex operibus seu fructibus quos producit; atqui B. Virgo, ut Mater Dei, produxit fructum infiniti valoris, scilicet Christum ; ergo illius dignitas est infinita moraliter. " B. Virgo, ait S. *Thomas,* ex hoc quod est mater Dei, habet *quamdam dignitatem infinitam* ex bono infinito quod est Deus "2.

1249. (B) *In suis consectariis.* i°Beata Virgo, utpote Mater Dei, speciales et intimas *relationes contrahit cum tribus divinis personis* 3.

1 **Quod sic egregie exponit Basilius Seleuc.** *[serm. 39 in Dei/. Annunt.,* **n. 6) : " Quis non miretur quantopere superemineat quotquot honoramus Sanctos; Nam si Deus** *servis* **tantum impertitus est gratiæ, qualem** *matri* **virtutem inesse cogitabimus? An non majorem multo quam ei subjectis? Cuivis id notum est. Si Petrus beatus appellatus est clavesque regni cælorum concreditas habuit, cur non præ omnibus una beata prædicetur, cui datum est illum eniti, quem ille ore confessus est? Si Paulus vas electionis cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit illudque ubique terrarum evulgaverit, quale vas erit** *Dei mater? "*

* *Sum. theol.,* **X, q. 25, a. 6, ad 4.**

3 **Hinc in Bulla** *Ineffabilis* **de Maria dicitur : "Veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex, ac digna Dei Mater exstiterit, et ad**

(a) Aliquo modo participat *fecunditatem Patris;* nam illa fecunditas consistit in eo quod Pater de sua substantia Unigenitum suum generat; atqui B. Virgo aliquo modo huic fecunditati sociatur; nam ex sua substantia *eumdem Filium generat* in tempore, secundum naturam humanam, quem Pater ab æterno generat.

(b) Contrahit *affinitatem specialem cum Verbo;* nam fit *Mater Verbi Incarnati,* et tanta est unio inter Matrem et Filium, ut merito dici possit : " Caro Christi, caro est Mariae Revera infans quodammodo unum est cum matre, in cujus utero gestatur, sicut fructus cum arbore. Sed insuper Maria Filio conjuncta fuit *in toto vitee decursu per familiarem conversationem :* quem in utero gesserat, aluit, fovit, in præsepio reclinavit, vestivit, jugiter lateri ejus adhæsit, simul cum eo oravit, simul jejunavit, simul comedit, simul sanctis operibus vacavit. In *passione* ei adhaesit, eosdem dolores cum eo passa est; quod Filius in carne, hoc Mater in corde pertulit Hinc Ipsi conjuncta remanet in *gloria* per beatitudinem.

(c) Fit aliquo modo *Sponsa Spiritus Sancti;* nam formatio corporis Christi in utero B. Virginis tribuitur Spiritui Sancto : " Spiritus Sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi " '. Quare sensu morali et mystico, Maria vocatur a Patribus *Sponsa Spiritus Sancti**. Dicitur etiam speciali modo *templum* Spiritus Sancti, in quo habitare delectatur.

Hinc etiam dicitur aliquando *complementum* totius Trinitatis, in *operibus ad extra,* non quidem eo sensu quod Trinitas in se indigeat aliquo complemento, cum sit fons totius perfectionis, sed quia de facto Trinitas B. Virgine usa est, tamquam instrumento, ad perficiendum Incarnationis opus.

Deum ipsum pro ratione creature *quam proxime accedens,* omnibus qua humanis qua angelicis praeconiis celsior evaserit ".

l Luc., I, 35. — Formatio corporis Christi, utpote *opus ad extra,* communis est tribus divinis personis (D. B., 284), sed specialiter tribuitur Spiritui Sancto quia est opus *amoris.* Nec tamen Spiritus Sanctus dicitur *pater Christi,* quia ejus corpus non produxit ex propria substantia, neque in similitudinem ejusdem nature.

2 Quandoque etiam Maria vocatur a Patribus *Sponsa Patris,* quia videlicet ejus fecunditati consociatur, et in tempore generat Eum qui a Patre ab æterno generatur. Nec tamen exinde concludere licet eam Patri consociatam fuisse in ætema generatione Verbi; si quandoque pii auctores his aut similibus verbis usi sunt, intelligi debent eo sensu quod generatio Verbi, utpote ætema, nunquam praterita dici potest, sed semper presens ; proinde eo tempore quo Maria Christum concipiebat, Pater Filium generare non cessabat, ideoque B. Virgo eodem initanti consociabatur Patri Filium generanti. Quem etiam loquendi modum usurpat Bossuet, *Sermon four la Nativity* ed. Lebarq, 1890, I, p. 182, Leb.-Levesque, 1914, I» P- 181. Attamen in *conctonibus* fuse exponere non expedit hos titulos *Sponsa Patris aut Spiritus Sancti.*

1250. 2° Insuper B. Virgo, acquirit *specialia jura in Christum, suum filium,* (a) Videlicet jus strictum habet ad ejus *amorem* et *reverentiam,* cum lex naturalis præcipiat ut filii parentes ament ac revereantur; (b) non habet quideni jus strictum ut ab eo oboediatur, quia, stricte loquendo, Christus, vi unionis hypostaticæ, superior erat matri suæ, et potuisset ab illius potestate emancipari ; attamen, de facto, *voluntarie ei oboedivit,* juxta illud : "Erat subditus illis", et illa oboedientia fluebat ex naturali reverentia quam filius habere debet erga matrem

1251. Propter tantam dignitatem, Patres nonnulla Scripturæ testimonia ad matrem Dei sensu typico vel accommodatitio referunt : (a) ex *Psalmis* illa, in quibus celebratur splendor et sanctitas *tabernaculi, templi, civitatis* Dei[1][2], et merito quidem : fuit enim B. Virgo speciali ratione *tabernaculum* et *templum* Dei; (b) omnia quæ in laudem *Sponsæ* dicuntur in *Cantico Canticorum*[3] ; vera enim sponsa Christi est Ecclesia : porro inter Ecclesiæ membra certe eminet B. Virgo; (c) quæ in Ebris *Sapientialibus* de divina Sapientia praedicantur[*], quippe quæ B. Virginis puritatem, cum Deo intimam familiaritatem, et partes quas in mundi reparatione habuit, optime illustrent.

3° *Ex hac dignitate maternitatis Dei fluunt omnia privilegia B. Virgini concessa,* non solum ejus dignitas, sed ejus *sanctitas :* cum enim sit Filio *consanguinea* et duabus aliis personis *affinis,* omnino decet ut, præ ceteris creaturis, Dei naturæ particeps fiat per gratiam et eximia sanctitate præfulgeat, omnibusque virtutibus ornetur. Recte siquidem ait *Cornelius a Lapide*[5] : "Sicut enim humanitas Christi, quia Verbo unita, ab eo accipit dotes et privilegia tali unione et conjugio digna, ...sic pariter Deus B. Virgini largitus est omnia charismata et decora, quæ talem matrem Christi et sponsam Dei decebant. Unde sic conclude : B. Virgo est mater Dei; ergo ipsa longe excellentior est omnibus angelis, etiam seraphinis et cherubinis. Mater Dei est ; ergo purissima est et sanctissima, adeo ut sub Deo major puritas intelligi nequeat. Mater Dei est ; ergo quidquid ulli Sanc-

[1] Nonnunquam quærunt Protestantes cur de Mariæ dignitate Evangelia tam parce loquantur. Respondetur Evangelia, docendo Mariam esse *Matrem Jesu, Matrem Domini,* omnia complecti encomia quæ ipsi tribui possint. Quod intellexit ipse Lutherus, *Comment, ad B. V. M. Cant.,* op. IX, 85, ed. 1554.

[2] *Ps.* LXXXVI, 1-3; XLV, 5; CXXXI, 13; XVIII, 6.

[3] *Cantic.,* II, 2; IV, 7; VI, 9.

[*] *Prav.* VIII; *Ecdi.,* XXIV; *Sap.* VII. —[5] *In Matth.,* I, 6.

torum concessum est privilegii (in genere gratiae gratum facientis), hoc illa præ omnibusque obtinet".

4° Exinde etiam fluunt ejus *relationes cum creaturis;* mater Christi, capitis nostri, esse nequit quin eo ipso sit *mater membrorum ejus;* mater *Christi regis,* eo ipso fit *regina* hominum et angelorum; mater *divini mediatoris,* est et ipsa *mediatrix* ad mediatorem.

II. De sanctitate B. Mariæ Virginis.

Dicemus : i° de ejus sanctitate negativa et præsertirn de *immaculato conceptu;* 2° de ejus sanctitate positiva; 30 speciatim de ejus *virginitate.*

i° De Immaculato Conceptu

1252. i° Status quaestionis. (A) *germana* habeatur *notio* Immaculatae Conceptionis B. Mariæ, referre et breviter explicare satis erit verba quibus ***Pius IX*** hoc dogma definivita, declarans " doctrinam quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam, *in primo instanti suæ conceptionis, fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem,* esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ", In qua definitione tria præsertim notanda occurrunt :

(a) B. Virgo præservata fuit a labe seu *macula* originalis peccati; non fuit quidem exempta a *debito,* saltem *remoto* 3, originalis pec-

1 Cfr. S. Th., 3, q. 27, a. 2; *in I Sent.,* dist. 44, q. 1, a. 3, ad 3; buarez, *op. cit.,* disp. III; Petavius, l. XIV, c. *2;* Piazza, *Causa immac. concept. SS. Matris Dei;* Ballerini, *Sylloge monument, admyster. concept, immac. Deipara;* Passaglia, *De Immac. Deipara conceptu;* Malou, *L'Immac. Conception de la B. V. M.,* Bruxelles, 1857; D. Guéranger, *Mémoire sur la question de ΓImmac. Conception,* Paris, 1850; Palmieri, *De Deo Creante,* c. IV; Pesch, *De Deo Creante,* n. 297 sq. ; X. M. Le Bachelet, *L'Immaculée Conception,* Paris, 1903, et *D. T. C.,* t. VII, 845-1218, ubi erudite et fuse hoc dogma exponitur.

- Bulla *Ineffabilis,* 1854; D. B., 1502.

3 B. Virgo non immunis fuit a *debito proximo,* si in illa lege inclusa fuit qua omnes Adæ posteri, ipso peccante, peccatum contrahere debebant; immunis autem fuit ab eo, proindeque habuit solummodo *remotum debitum,* si ab ipsa lege inclusionis exempta fuerit, quamvis vi descendentiæ activæ ab Adamo 1E

cati, quia utpote naturaliter ab Adamo descendens, debuisset illud contrahere, nisi Deus speciali privilegio eam ab ista lege præservasset; et sic a Christo differt, qui a debito omnino immunis erat; sed immunis fuit ab *actuali infectione peccati originalis,* quia Deus impedivit ne lex generalis circa propagationem hujus peccati Mariæ applicaretur; proindeque a primo instanti *gratia sanctificante* ornata fuit, cum, in præsenti Providentiæ ordine, non detur medium inter statum peccati et statum gratiæ.

(b) Quod privilegium collatum fuit B. Virgini *primo instanti* ejus conceptionis, id est, eo instanti quo anima rationalis infusa fuit in ejus corpus, quæcumque admittatur scientifica opinio de tempore animationis.

(c) Collatum fuit B. Virgini *non jure proprio,* prout Christo collatum est, sed ex *gratuita* concessione Dei, *singulari* Dei gratia et privilegio, ideoque *soli* Mariæ, intuitu meritorum Christi. Quare vere redempta fuit redemptione non restaurativa, sed *preeseruativa.*

(B) *Errores T.* Hanc definitionem impugnarunt *Protestantes,* inter quos *Coquerel, de Pressensé, Wilberforce, Pusey; Jansenistce* in Hollandia; quidam catholici, sed omnino pauci, ut *Guettée, Dælhnger,* qui postea sectam *Veterum Catholicorum* constituerunt; tandem *Modernisiez.*

1253. 2° *Thesis :* B. Virgo, in primo instanti suæ conceptionis, intuitu meritorum Christi, fuit ab omni originalis culpæ labe præservata immunis. *De fide* ex bulla *Ineffabilis* superius citata.

Scriptura sola non probatur, sed *accedente Traditione.*

In *Protoevangelio'2* praenuntiatur Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa *(Jtebraice* ipsum) conteret caput tuum ".

Juxta Patres, *semen mulieris* est saltem *typice* Christus ipse, cujus virtute contritum est caput *serpentis,* id est *diaboli,* ac proinde *mulier* est B. Virgo 3. Quo posito, ex hoc textu sic argumentantur

ea includi debuisset. Cum hujusmodi quæstionis solutio a sola voluntate Dei pendeat, et nil certi hac de re manifestaverit, ab ea expendenda abstinemus. Unum certum est, scilicet, B. Virginem *Redemptione indiguisse,* cum nonnisi intuitu meritorum Christi ab originali labe præservata fuerit.

1 Cf. Le Bachelet, *D. T. C.,* 1209.

3 *Gen.,* III, 15. Hic locus *protoevangelium* vocatur, quia ut prima Messiae annuntiatio habetur.

3 Dixi *saltem typice,* quia controvertitur, etiam inter catholicos, num præfata verba *lilteraliter* de Christo et B. Virgine prædicata fuerint. Nonnulli *affir-*

theologi : declaratur specialem inimicitiam futuram esse inter diabolum seu peccatum, et mulierem seu B. Virginem; et eamdem, simul cum Filio suo, plenam victoriam reportaturam esse de diabolo ac peccato; licet enim pronomen "ipsum", in textu hebraico, directe referatur ad semen mulieris, scilicet Christum, debet etiam indirecte referri ad matrem ejus, ut antithesis, enuntiata in primo membro, sit completa. Atqui talis victoria plena non esset, si B. Virgo, primo suæ conceptionis instanti, peccato maculata fuisset ; ergo non fuit originali peccato maculata.

(B) In *Angelica salutatione,* qualis a *Traditione* intelligitur, *implicite* continetur : " Ave, gratia plena, Dominus tecum " 1 ; ibi tribuitur Mariae omnimoda plenitudo gratiæ, quæ in simplici creatura inveniri possit ; atqui illa plenitudo non esset perfecta, nisi sese extenderet ad *primum instans,* in quo Maria concepta fuit; ergo.

1254. Neque obstant textus Scripturæ quibus affirmatur omnes in Adamo peccavisse, v. g. : " in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt " 2. Nam admitti potest B. Virginem peccavisse in Adamo, eo sensu quod habuerit *debitum contrahendi*

mant, at Passaglia» Patrizi, Bade; et hæc interpretatio multis Patribus placuit; sic v. g., S. Irenæus ait *(Adv. Hær.,* L III, c. 23, *P. L.,* VII, 959) : "Serpente mordente et occidente et interpediente gressus hominis, quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput ejus, quod *i\x\t partus* Mariæ". Alii vero, præsertim moderni, *negant,* nam tota contexta oratio ostendit hic litterali sensu agi de Eva, et de semine justorum, cui opponitur semen serpentis seu collectio hominum nequam. Quia vero Eva fuit typus V. Mariæ, sicut Adam fuit aliquo sensu typus Christi — ut communiter tradunt Patres (apud Passaglia, n. 902 sq.) — prælaudata verba de B. Virgine et de Christo intelligi debent saltem typice, ut ex Bulla *Ineffabilis* patet — De hoc vaticinio, cf. Patrizi, *De immaculata Maria a Deo prcedicta;* Malou, *op. cit.,* I, 248 sq. ; Passaglia, n. 887 sq. ; Meignan, *Les Prophéties messianiques,* Prophet, du Pentat., 1856, p. 205 sq.; Corluy, vol. I, p. 347 sq. ; Maas, *Christ in type,* vol. I, p. 1S4 sq.

x *Luc.,* I, 28. In textu græco legitur κεχαριτωμένη (grata facta, Deo dilectissima); quam vocem Patres *gratia plenam* reddiderunt; et merito, nam gratia est quæ nos Deo gratos et dilectos reddit Traditionalem vero sensum hujus salutationis sic exponit Bulla *Ineffabilis :* " Hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam, adeo ut *nunquam maledicto obnoxia,* et una cum Filio perpetuæ benedictionis particeps, ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit : Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui" *(Luc.,* I, 42). De hoc textu cf. Passaglia, n. 1075 sq.; Palmieri, th. 88. De aliis autem textibus qui sensu sive *typico* sive *accommodatitio* de B. V. immaculato conceptu intelligi possunt, lege Passaglia, n. 451 sq. vel Bullam *Ineffabilis.*

▮ *Rom.,* V, 12.

originale peccatum, non autem eo sensu quod contraxerit *maculam* peccati. Lex enim universalis patitur exceptionem, et eo magis quod exceptio nullum adducit inconveniens. Conceptio autem immaculata Mariæ, nedum inconveniens sit, est convenientissima, et quidem ob rationem omnino singularem, matemitatis scilicet divinæ. Aliunde, hac de causa, Beatissima Virgo multarum exceptionum beneficium consecuta est per totum curriculum vitæ suae. Cur ergo in sola sua conceptione non fuisset privilegiata? Cur illam Deus, sicut Esther Assuerus, non ita allocutus fuisset ; " non morieris : non enim *pro te,* sed pro *omnibus* hæc lex constituta est? " [*— Objiciuntur insuper verba, quibus declaratur omnes homines redemptione indiguisse. Sed immerito; nam dogma catholicum de Conceptu Immaculato non excludit necessitatem redemptionis pro Maria, sed e contra asserit B. Virginem indiguisse *gratia redemptionis* non quidem *reparativa,* sed *prceservativa.*

1255. *Tradit, probatur.* (A) *Ex historia hujus dogmatis* 3# Siquidem triplex stadium agnosci potest : (a) in *primo,* nulla exorta controversia, Immaculata B. Virginis Conceptio in dogmate divinæ Maternitatis et perfectissimæ ejus Puritatis *implicite* proposita et credita fuit ; (b) in *secundo,* controversia orta est in Ecclesia *Latina,* et aliquamdiu veritas obnubilata fuit; (c) in *tertio* tandem, re maturius perpensa, dogma ut revelatum *clarius* apparuit, donec tandem solemniter definitum fuerit.

(a) *Ætate patristica, dogma implicite* propositum fuit.

1) Primum argumentum desumitur ex *comparatione* quam Patres *inter Mariam et Evam* instituunt. Hanc jam exponit S. *Justinus* 3. Eam vero sic declarat S. *Irenæus* 4 : " Quemadmodum Eva virum quidem habens Adam, virgo tamen existens, inoboediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria habens prædestinatum virum, et tamen virgo oboediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis Nec aliter *Tertullianus* 5. Similiter S. *Ephrcem*6 .· " Ambæ puræ, ambæ

[1] *Esth.,* XV, 13. Cf. Bossuet, *1er Sermon sur la Conception de la Sl' Vierge.*

[3] Inter auctores citatos, præsertim conferatur X. Le Bachelet, *L'ImmacuUe Conception, courte histoire d'un dogme,* et *D. T. C.,* 873 sq.

[3] *Dial, cum Tryph.,* n. 100; *P. L.,* VI, 710 sq.; Journel. 141.

[4] *Adv. Hcereses,* 1. III, c. 22; Journel, 224.

[5] *De came Christi,* 17, *P. L.,* II, 782; Journel, 358.

[*] *Serm. 4. in div. Scrip,'.,* Opera syriaca, II, 327; Cf. Journel, 715.

simplices, Maria et Eva sibi ex adverso respondent, altera mortis nostræ, altera vitæ causa fuit Alibi docent B. Virginem esse *novam Evam, priori perfectiorem, maj'orique. gratia* donatam. Atqui hæc omnia vera non essent si Maria fuisset originali peccato maculata ; nam *Eva* fuerat *ab initio gratia ornata,* nullam originalem maculam contraxerat; ergo pariter *secunda Eva ab omni originali* labe immunis fuit[x].

2) Multi Patres asserunt B. Virginem esse *purissimam, per omnia* et *funditus immaculatam, illibatam,* eam fuisse *omni tempore puram, peccatum nunquam dominatum* fuisse in eam ; immo *supersanctam, superinnocentem, undequaque* sive ex toto *sanctam, puram ab omni labe; sanctis sanctiorem, mundiorem ccelestibus mentibus; solam sanctam, solam innocentem, solam immaculatam, solam undequaque illibatam, solamque undequaque benedictam*[14] Atqui hujusmodi formulæ *implicite* Immaculatum B. Virginis conceptum continent ; ex his enim colligitur immunitas a quavis prorsus macula peccati[3], proindeque etiam ab originali labe; quomodo enim dici posset *undequaque, ex toto* sancta, si originali peccato infecta fuit ; *omni tempore* pura, si ab initio maculata est; *purior Angelis,* si instanti conceptionis immunda fuit? Iterum quando praedicatur *sola sancta, sola innocens,* necesse est ut gradum puritatis attigerit qui ipsi omnino singularis sit.

3) Eadem doctrina in dogmate *divina maternitalis* includebatur. Docent enim Patres B. Virginem puritate sua meruisse ut esset Dei mater; quod quidem non de merito proprio, sed de merito congruentiae intelligi debet; quod et Ecclesia in suis'precibus approbavit : " B. Virgo, cujus viscera meruerunt portare Christum Dominum... Quem meruisti portare, resurrexit Porro puritas, quæ talem meretur honorem, immunis esse debet ab omni prorsus labe, ut Patres ipsi arguunt. Ita S. *Augustinus* * : " Excepta itaque S. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum

1 Quod argumentum egregie exponit Newman, *Anglican difficulties,* vol. II, p. 31 sq.; cf. Livius, *op. cit.,* ch. I, p. 35 sq.

3 Patrum testimonia collegit Passaglia, *op. cit.,* sect. II et VI.

3 Ita, v. g., Maria dicitur a S. *Ambrosio* " per gratiam ab omni integra labe peccati" (Z« *Ps. CXPPII,* 22, 30, *P. L.,* XV, 1521; Journel, 1314); et 5. *Ephrcem* Christum sic alloquitur : " Non enim in te, Domine, labes est, nec ulla in matre tua macula" *{Carmina nisibena,* ed. Bickell, 122; Journel, 719).

4 *De natura et gratia,* c. 36, *P. L.,* XLIV, 267; Journel, 1794.

de peccatis agitur, haberi volo quæstionem : unde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum ?" — Quæ verba non solum de actuali, sed etiam de *originali* peccato intelligenda esse videntur, tum quia sunt universalia, tum quia ratio allata valet pro utroque; sed præsertim quia S. Augustinus alibi docet immunitatem a peccato actuali supponere immunitatem a peccato originali : "Nullus est hominum præter ipsum (Christum) qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu " [x].

(b) Fatendum est tamen, *a sæc.* ***XII ad XIV,*** hanc veritatem aliquamdiu *obnubilatam fuisse in Ecclesia Latina;* in Ecclesia autem Græca nullum dubium hac de re ortum est. Rationes autem cur in Occidente etiam optimi theologi de Immaculato Conceptu dubitarint aut eum negaverint, fuerunt tum doctrina de *universalitate originalis peccati* et *Redemptionis,* tum difficultas omnia Traditionis documenta perlustrandi, in quibus exceptio huic generali legi pro B. Virgine commemoratur, tum imperfectæ notiones de conceptione activa et passiva et controversiæ de tempore animationis.

1256. (c) His tamen non obstantibus[2], et licet integrae scholae ex adverso steterint : i) fides in Immaculatum Virginis conceptum in dies invaluit tum inter Pastores, tum inter Fideles; 2) festum Conceptionis per totam Ecclesiam propagatum fuit, ut mox dicetur; 3) Pontifices variis constitutionibus prohibuerunt ne contra hanc piam doctrinam quis loqui, concionari, tractare, disputare auderet; ita, v. g., *Sixtus IV, Alexander VII*[3]. 4) *Tridentinum,* cum de peccato originali ederet decretum, solemniter declaravit " non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, B. et Immaculatam V. Mariam, Dei Genitricem " [4]. 5) Tandem, cum jamdiu Antistites, Eccle-

[1] *Cont. Jul.,* 1. V, c. 15, η. 57, *P. L.* XLIV, 815.

[2] Mutatio» quæ in scholis paulatim obtinuit, maxime debetur Scoto; cum enim theologi, qui huic piæ opinioni obstabant, instantius assererent in hac opinione dignitatem Christi minui, quia B. Virgo redemptione non indigebat, Scotus ostendit dignitatem Christi non minui, sed augeri, si matrem tam perfecte redemerit ut meruerit eam a peccato originali præservari ; quod argumentum multis placuit etiam extra scholam franciscanam. Cfr. P. L. Péchenard, *L'Immaculée Conception et l'Ancienne Université de Paris,* in *Rev. du Clergé fr.* t XLI (1905). pp. 225, 383 sq.

[3] D. B., 734, 1100. — [4] D. B., 792.

siastici viri, Regulares Ordines, ac vel ipsi Imperatores et Reges a S. Sede enixe efflagitassent ut Immaculata Conceptio B. M. V. veluti fidei catholicæ dogma declararetur, *Pius* /A, postquam ab episcopis totius orbis catholici postulasset quid de hac definitione sentirent, pro suprema et infallibili qua pollebat auctoritate, rem solemniter definivit (8 dec. 1854).

Porro ex factis hucusque breviter expositis colligi potest veritatem quam tuemur, revelationis deposito contineri; quod constat non solum ex infallibili definitione Pontificis, sed etiam ex *communifidelium sensu ;* talis enim consensus moraliter *unanimis,* et simul *universalis,* cum in utraque Ecclesia Occidentali et Orientali viguerit, etiam apud schismaticos, saltem plerosque, — *de re ad fidem pertinente* et cum aliis fidei dogmatibus connexa, — *per multa sœcula* invalescens, — et, non obstante quorumdam doctorum temporanea oppositione, tandem aliquando *prævalens,* explicari nequit *sine assistentia et influxu Spiritus Sancti,* qui totam regit Ecclesiam, eam ab errore tuetur et in veritatis tramite dirigit

1257. (B) *Ex institutionefesti Conceptionis.* Quam antiquum sit hoc festum inferri potest ex eo quod etiam apud varias sectas orientales celebretur, quæ certe ab Ecclesia Romana illud non receperunt[1], (a) Jam enim sæc. VII, in Ecclesia *Græca,* celebrabatur, ut refert *Andreas Cretensis* in hymno quem pro die 9 Dec. composuit ; iterum sæc. VIII, *Joannes Euboensis* ait sua ætate festum hujusmodi jam in pluribus Ecclesiis celebrari[2][3]

(b) In Ecclesia *occidentali,* primum in Sicilia et Neapoli hoc fes.tum a Græcis receptum et celebratum est. Ita sæc. IX, *Petrus,* qui postea Argorum Episcopus fuit, orationem habuit in Sicilia pro hac festivitate[3] ; eamdem eodem tempore in Ecclesia Neapolitana fuisse habitam testatur vetus marmoreum Kalendarium. Eodem sæculo festum

[1] Mentio hujus festi invenitur in Rituali S. Sabbæ, sæculo V, sed cum hoc Rituale immutatum sit, dubitatur num in prima editione festum jam commemoratum fuerit.

[3] *Sermo in Concept. Deipara, P. G.,* XCVI, 1475.

[«] *Orat, in concept. S. Anna, P. G.,* CIV, 1351.

Conceptionis celebrabatur in Hibernia [1], et exinde in Angliam transiit, posteaque in Normanniam. *Rothomagi,* an. 1072, Academia Immac. Conceptionis ab Episcopo Joanne instituta fuit[2]. Sub initio s. XII, festum hujusmodi celebrabatur in Normannia et per totam fere Galliam; exinde in Germaniam invectum est, brevique in universalem Ecclesiam.

Porro objectum hujus festi fuit sanctificatio Mariae in utero, non quocumque instanti facta, sed *in ipsa infusione animæ,* ut constat tum ex diversis titulis festi (conceptio B. Annae, oraculum conceptionis Deiparae, etc.), tum ex homiliis Patrum, tum ex declaratione *Sixti IV* (1482), aliorumque Pontificum reprobantium assertionem in hoc festo non ipsam conceptionem Mariae sed ejus sanctificationem celebrari [3]. Atqui non celebratur festum nisi de re sancta, ut Patres et theologi ore unanimi proclamant. Ergo Conceptio B. Virginis *sancta* reputata fuit ab Ecclesia, sive græca, sive latina.

1258. *Solvuntur difficultates.* (A) Objiciuntur textus *Patrum* in quibus (a) asseritur *solum* Christum fuisse *peccati expertem.* — *Resp.* Ii textus, inspecto contextu, nil aliud significant nisi Christum solum fuisse *proprio jure* immunem a peccato; sed hoc non impedit quin B. Virgo, *per privilegium gratuitum,* a peccato immunis fuerit.

(b) Alii dicunt carnem Mariæ fuisse *carnem peccati.* — *Resp.* Patres asserunt etiam carnem Christi fuisse *carnem peccati,* ac proinde hæc verba emolliri debent, et nil aliud significant nisi carnem B. Virginis ex carne Adami, quæ infecta fuit per peccatum, derivatam esse, non autem Mariam ipsam fuisse peccato macula-

[1] A. Boudinhon, Zzr *origines irlandaises de la fête de la Conception de Marie,* in *Rev. du Cl.fr.,* t. XXXIX, 1904, p. 255-266, ubi contrahit articulum a *P. Thurston* editum in *The Month,* may 1904, p. 449 sq.

[2] Vacandard, *Les origines de la fête de la Conception dans le diocèse de Rouen,* in *Rev. des Quest, hist.,* janv. 1897.

[3] " Etenim clare aperteque docuere festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam, et ab Ecclesiæ mente alienissimam, proscripserunt illorum opinionem, qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem, ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immac. Virginis Conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant celebrari quidem Conceptionem sed non prime instanti atque momento". (Bulla *Ineffabilis}.*

tam. (c) Nonnulli asserunt Mariam fuisse *mundatam, sanctificatam;* ergo antea fuit peccatrix. *Besfi. :* Nego conclusionem; nam illa verba significare possunt solummodo B. Virginem in primo instanti accepisse gratiam, per quam præservata fuit ab originali peccato, et illam gratiam fuisse deinceps adauctam, ita ut B. Virgo *sanctior* in dies profecerit.

(B) Tandem contra illud dogma affertur 5. *Bernardi,* multorum scholasticorum ac præsertim S. *Thoma* auctoritas. — *Besfi.* Horum mens Doctorum, juxta multos, est dubia ' ; eorum verba de facto intellecta sunt in vero sensu, etiam ante definitionem illius dogmatis, et quidem a multis theologis. Fatemur tamen hanc interpretationem obvio sensui textus horum Doctorum contrariam videri, (a) S. *Bernardus,* ad canonicos Lugdunenses scribens (ep. 174), eos objurgat quod festum Conceptionis B. V. Mariæ in suam ecclesiam introduxerint, non solum quia nondum Romana Ecclesia
9 hoc festum approbaverat, sed etiam quia non in ipso conceptu, sed solum post conceptum sanctificata fuit;solo enim Christo excepto, unusquisque de seipso veraciter confitetur : In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. (b) 5. *Bonaventura* pariter docuit sanctificationem Virginis subsecutam esse originalis peccati contractionem 1 : " hic autem modus dicendi, ait, communior est et rationabilior et securior ". (c) S. *Thomas* in
*1 (quibusdam locis immaculatam conceptionem negare, in aliis autem affirmare videtur. Ita in S. theologica 3 scribit : " B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur... Si nunquam anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator ". Quod in duodecim circiter aliis locis repetit. In paucis vero aliis hæc aut similia habet : " Talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali et actuali immunis fuit " 4. Quare ejus discipuli de ejus mente disputaverunt ac etiam hodie disputant. Juxta *P. dei Prado,* mens 5. *Thomce* est B. Virginem incurrisse *debitum* peccati originalis; huc enim tantum ejus argumentatio tendit PP. vero *Synave* et *Pegues* declarant S. Thomam de hac re erravisse.

Hæc eximiorum Doctorum hæsitatio a recentioribus editoribus S. Bonaventuræ ita explicatur5 : " Habita ratione omnium circumstantiarum, hæc hæsitatio tunc erat laude digna et quasi necessaria. Assertio enim hujus privilegii in occidentalibus terris videbatur

1 De mente S. Thomæ, cf. Spada, *Esame critico sulla dottrina del angelico D. S. Tommaso... ;* Rouard de Card, *L'Ordre des Frères Prêcheurs et l'Immac. Concept. ; IL* Le Bachelet, in *Recherches de science religieuse,* 1910, p. 592-616; Rossi, 5*. *Thomce expositio Salutationis angelica,* 1931 ; J, de Blic, •S'. *Thomas et l'Immacutte-Conception* in *Rev. Apol.,* Juillet 1933.

* *In III Sent.,* dist. 3, a. 1, q. 2. — 3 3 p., q. 27, a. *2.*

4 *In I Sent.,* disp. 44, q. I, a. 3. — s Schol. *in III Sent.,* d. 3, a. I, q. 1.

nova; Ecclesia nondum aliquid determinaverat de hac quaestione; eadem festum Conceptionis B. Virginis potius videbatur tolerare in aliquibus locis quam approbare; praxis Ecclesiæ Græcæ et plures Patrum græcorum sententiæ in Occidente tunc non innotuerant; nondum eliquatæ erant graves difficultates, quæ ex universalitate tum peccati originalis tum redemptionis petitae objiciebantur; denique (et hoc summopere dignum est observatione) primi fautores festi Conceptionis et defensores hujus privilegii ita male hoc mysterium explicabant, veris falsa immiscebant, et invalidis vel falsis rationibus confirmabant, ut eorum positionibus et piæ sententiæ sic intellectae jure contradicendum esset". Quibus positis, ac data hæsitatione eximiorum Mediae Ætatis Doctorum, magis ac magis patet doctrinam de Immaculato Conceptu, nonnisi adjuvante ac dirigente Spiritu Sancto, in Ecclesia universalem fieri potuisse.

1259. *Ratione suadetur*x. Ratio hoc mysterium demonstrare nequit, sed solum ejus convenientiam ostendere potest : (A) *Ex parte Christi,* (a) Decebat Christum eligere matrem sibi dignam, in quantum fieri posset; atqui, si Maria fuisset concepta in peccato originali, non fuisset digna fieri mater ipsius sanctitatis, cum ejus ignominia in Filium redundasset, juxta illud : " gloria filiorum patres eorum " 2. (b) Immo prorsus " decebat ut sicut Unigenitus in cælis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quæ nitore sanctitatis nunquam caruerit " 3. (c) Decebat<etiam Salvatorem redemptionis e^ victoriæ quam de peccato reportavit perfectionem ostendere, unam saltem animam ab omni actuali et originali labe immunem praeservando; et hanc esse animam suæ matris, præsertim cum hæc ejus *cooperatrix* in opere redemptionis futura esset.

(B) *Ex parte SS. Trinitatis.* B. Virgo, utpote Mater Dei, speciales relationes habet cum tribus divinis personis ; est siquidem Filia primogenita Patris, Mater Filii, Sponsa et templum Spiritus Sancti; atqui non convenit ut persona, Deo tam intime conjuncta, sit ab initio infecta originali peccato domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum " 3. Ait siquidem S. *Cyrillus Alex,* laudibus cele-

* **Cf. Bossuet,** *Serm. pour la flte de la Conception ;* **Monsabré,** *Car. 18yy,* **30e Conf.**

2 *Prov.,* **XVII, 6. — 3 Bulla** *Ineffabilis.* — *4 Ps.* **XCII, 5.**

brandam esse " Mariam semper virginem, *sanctum* videlicet *Dei templum* " x.

1200. 3° Corollaria. (A) *B. Virgo nullum experta fuit concupiscentia motum;* nam concupiscentia est consectarium originalis peccati; atqui B. Virgo immunis fuit ab originali peccato; ergo etiam a concupiscentia. Olim *disputabatur* inter theologos utrum in Maria *fomes peccati* fuerit *ab initio plene exstinctus* an tantum *ligatus :* juxta 5. *Thomam* ', ab initio fuit tantum ligatus nec penitus exstinctus nisi tempore conceptionis Christi. Sed hodie, definito immaculato conceptu, dicendum est fomitem ab initio exstinctum esse seu potius nunquam exstitisse.

(B) *B. Virgo nullum commisitpeccatum actuale, sive mortale, sive veniale.* Hoc enim aperte constat ex *Tridentino* definiente 3 : "Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse... aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de 2?. *Virgine tenet Ecclesia,* A. S." Et sane decebat, ut Ea, quæ in suo utero sanctitatis auctorem gestare debebat, nullo unquam peccato inquinaretur «.

Objiciuntur quidem verba S. Basilii, S. Chrysostomi et S. Cyrilli Alex., in quibus asseritur B. Virginem aliquot peccata venialia commisisse; sed ex contextu apparet S. Cyrillum nihil aliud docere nisi Mariam fuisse tentatam, duos autem alios non ut testes Ecclesiæ, sed ut doctores privatos, locutos esse, et quidem falso principio innixos quod, nisi Maria peccasset, Redemptione non eguisset5.

(C) *Communius* docetur B. Mariam fuisse *impeccabilem* ex superabundantia gratiæ et donorum supematuralium eidem collata.

2° De sanctitate positiva B. Virginis6.

Ut aliquo modo noscere possimus quanta fuerit Mariæ sanctitas, expendendum est quanta mensura *primo instanti*

1 *Homil. 4, P. G.,* LXXVII, 995. — Qaod argumentum sic præclare exponit *Pius IX* (Bulla *Ineffabilis} :* " Et quidem decebat omnino ut perfectissime sanctitatis splendoribus semper ornata fulgereL.. tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus S. voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit

3 *Sum. theol.,* 3, q. 27, a. 3. — 3 Sess. VI, c. 23. — ‹ S. Th., 3, q. 27, a. 4.

5 Quam difficultatem dilucide expositam et confutatam videre est apud Newman, *Ang. Diff.,* II, 128-152.

6 Cf. S. Th,, q. 27 ; Suarez, *de Mysteriis,* disp. IV, XVIII-XX; Petavius, 1. XIV, c. 1; de Rhodes, q. IV ; Contenson, L X, diss. VI, c. 1, spec. 2;

gratiam acceperit, et quomodo *decursu vitæ* eamdem auxerit.

1261. i° *In primo instanti suce conceptionis, B. Virgo majorem accepit gratiam quam singuli homines aut Angeli in sua prima sanctificatione.* Certum est. (A) *Rat. theol.* (a) Nam gratia cuique a Deo collata proportionatur dignitati et muneri uniuscujusque; atqui munus Mariae, quae jam destinabatur ut esset Mater Dei, superat quamlibet dignitatem ; ergo majorem gratiam quam ceteri accepit. (b) Quanto aliquid magis appropinquat principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii ; hinc Angeli qui sunt Deo propinquiores magis participant Dei bonitatem. Atqui B. Virgo propinquissima fuit Christo, gratiæ fonti, qui ex ea naturam humanam accepturus erat ; ergo majorem quam ceteri gratiæ plenitudinem habuit[x].

Hinc in Bulla *Ineffabilis* hæc leguntur : " Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit ".

(B) Insuper *valde probabile* est B. Virginem accepisse ab initio *majorem gratiæ. gradum quam acceperint omnes puræ creaturæ simul sumpta.* Nam ab initio magis dilecta fuit quam omnes simul creaturæ, quia jam diligebatur ut Mater Dei; atqui gradus gratiæ proportionatur amori quem Deus habet erga aliquam creaturam.

1262. 2° *Gratia, B. Marite collata, augmentum suscepit in vita, triplici præsertim modo : —*

(a) Per *actus meritorios.* Certum est hos actus fuisse prope *innumeros,* quia, saltem per vigiliam, non fuerunt interrupti ; et *ferventissimos,* propter perfectissimam caritatem, qua informabantur, et intimam atque indesinentem unionem cum Christo; ac proinde B. Virgo meruit immensum gratiæ augmentum, quotidie magis ac magis accrescens'.

(b) Per *Incarnationem Verbi* in ejus sinu, quæ, ut communiter admittunt theologi, immensum gradum gratiæ contulit B. Virgini. Si enim sola præsentia Christi Joannem Baptistam sanctificavit, in die Visitationis, nosque sanctificat in sacramento Eucharistiæ.

Depoix, *Tr. Theol. de B. M.* **K, p. II, c. 3, a. 2; Petitalot, c. 16; Livius,** *op. cit.,* **p. 208 sq.; Hugon, O. P.,** *La Mère de grâce,* **Paris, 1904.**

1 **S. Thom., 3, q. 27, a. 5. Quanta vero fuerit hæc gratiæ plenitudo fusius declarat Angelicus Doctor in** *Exposit. in salut, angel.*

quanto magis idem praestitit Incarnatio Verbi in sinu Mariæ et ejus commoratio per novem menses?

(c) Per *Passionem Christi,* cujus particeps fuit, cum dilecto Filio patiendo et in corde suo experiendo omnia Christi tormenta ac internos dolores. Ex Apostolo enim gratia et gloria proportionantur gradui dolorum quos cum Christo et propter Christum patienter toleramus. Atqui B. Virgo plus quam omnes sancti particeps fuit dolorum Filii sui. Ergo plus quam ceteri homines particeps fuit gratiarum e Passione fluentium.

(d) Per *Sacramenta* quæ recepit; videlicet *Baptismum* probabiliter suscepit, non quidem ut remedium originalis peccati, sed tanquam *signum* quo *signantur membra Ecclesiæ* et fiunt apta ad recipienda cetera Sacramenta. Insuper recepit *Eucharistiam,* quæ ipsi ministrata fuit post Pentecosten, ut fertur, per Apostolum Joannem. Accepit etiam *plenitudinem donorum Spiritus Sancti* in die Pentecostes.

12Ô3. Ex his omnibus apparet B. Virginem merito a Patribus vocari *gratice abyssum, mare omnium gratiarum.* Ejus virtutes praeclare descripsit 5. *Ambrosius* [1] : "Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quam Splendor elegit? Quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generavit? Nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum; corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior : non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens : intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere : nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem... Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum : non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis

1264. *Corollarium : de Assumptione B. Virginis.* (A) In perfectione *beatitudinis,* sicut in virtutum perfectione, Maria homines et Angelos superat, juxta id quod canit Ecclesia : "Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna

(B) Insuper *communis* ac *vera* est sententia, utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ consensu firmata, et festi Assumptionis institutioni innixa, B. Virginem, post mor-

[1] *De Virginii.,* 1. 2, c. 2, n. 7, *P. L.,* XVI, 209.

tem, non solum secundum animam, sed etiam *secundum corpus, in ccelum assumptam fuisse.*

(a) Hæc veritas *historice* probari nequit Scriptura, nec antiquorum Patrum explicitis testimoniis. i° Per quatuor enim priora sæcula nihil explicite traditum est de corporea B. Virginis Assumptione in operibus Patrum genuinis quae supersunt' sed nonnulla inveniuntur testimonia de gloria ejus cælesti in genere, et de ea intelliguntur verba Apocalypsis : " Et signum magnum apparuit in cælo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim " *.

20 *Quinto* jam saeculo, pauca inveniuntur testimonia de ejus corporali assumptione, v. g., in operibus *Pseudo-Dionysii.* A *sexto* autem saeculo, res *diserte* traditur non solum in operibus Patrum, sed etiam in liturgiis tum graecis, tum latinis; et, quamvis nonnulli quandoque hac de re dubitaverint, hujus veritatis persuasio tam communis evasit, ut hodie vix ullus inveniri possit qui ei contradicat.

(b) Argumentum vero *praecipuum* desumitur ex *festo Assumptionis.* Hujusmodi festum est valde antiquum, cum ad sæc. Vum ascendat, et in utraque Ecclesia orientali et occidentali invenitur, immo apud Eutychianos et Nestorianos, ideoque anterius concilio *Ephesino;* et aliunde in hujus festi precibus expresse affirmatur *corporalis assumptio* B. M. Virginis. Atqui cultus tam antiquus et universalis, tam intime cum dogmate connexus, est indubium veritatis testimonium. Ergo ut certa admittenda est hæc corporalis assumptio.

(c) Immo ut prope *definibilis* dici potest. Nam hæc traditio adeo certa videtur, ut ducenti circiter Episcopi a C. *Vaticano* postulaverint eamdem tamquam *fidei doctrinam* definiri; *citra errorem* igitur rejici nequit 3.

(d) Nec desunt *convenientia* argumenta pro tanto privilegio. 1) Sicut enim Christus triplicem reportaverat victoriam de peccato per impeccabilitatem, de concupiscentia per absolutam integritatem, de morte per gloriosam resurrectionem et ascensionem, ita pariter decebat B. Virginem, quæ tam intime Filio suo consociata est, triplicis hujus triumphi participem esse, videlicet victoriam reportare de peccato per immaculatam conceptionem, de concu-

1 A/*-., XII, i.

' Cfr. D. Renaudin, *Assumptio B. Maria Virginis matris Dei,* Turin, 1933; A. Noyon, *D. A.,* t. III, 275-285; G. Mattiussi. *Utrum corporea Virginis Assumptio adfidei catholica depositum spectet?* Ibi auctor asserit assumptionem corpoream *formaliter implicite* revelari in iisdem textibus in quibus revelatur immaculatus conceptus.

piscentia per virginalem maternitatem, de morte per acceleratam resurrectionem et in cælum assumptionem. 2) Decebat pariter carnem B. Virginis, quæ sine corruptione corpus Christi conceperat, nec ullam maculam contraxerat, incorruptibilitatem ejus participare

3° De perpetua virginitate Mariæ[3].

Inter virtutes Mariæ ejus *virginitas* eminet.

1265. *Errores.* Hoc privilegium B. Mariæ impugnarunt *Ebionite* et *Cerinthiani,* qui dixerunt Christum ex Maria et Joseph secundum leges naturæ fuisse conceptum; quibus nostra ætate se adjunxerunt *Rationaliste,* ut *Paulus, Strauss, Renan,* et quidam *Moderniste* λ Alii autem contenderunt B. Virginem, post natum Salvatorem, alios ex Joseph genuisse filios; ita multi *Apollinariste, Helvidius, fovinianus,* et nostra ætate *Protestantes* nonnulli, v. g., *Neander, Meyer, Alford, Farrar,* qui virginitatem matrimonio præstantiorem esse agnoscere nolunt ♦.

1266. *Thesis :* B. Maria semper virgo fuit, ante partum, in partu et post partum.

De fide est ex ordinario et universali Ecclesiae magisterio; ex *Symbolis* declarantibus Christum *e Virgine* natum esse; ex declarationibus Pontificum qui, cum S. *Siricio,* contrarium errorem abhorrent[5]; ex unanimi fidelium sensu qui Mariam appellant *Virginem* per antonomasium; et ex C. *Lateranensi* (a. 649), sub Martino I habito et ab Agathone recognito : " Si quis secundum SS. Patres non confi-

1 Renaudin, O. S. B., *De la définition dogmatique de l'Assomption de la Tris Sainte Vierge,* Anvers, 1900; *La définibilité de l'Assomption delà Très Sainte Vierge,* in *Revue thomiste,* 1900, p. 660 sq.

2 Cf. S. Hieronymus, *Adversus Helvidium, P. L.,* XXIII, 183; S. Th., 3, q. 28; Suarez, *De Mysteriis,* disp. V-VI; Petavius, l. XIV, c. 3-6; Franzelin, th. 15; Stentrup, th. 11; Vigouroux, *Livres Saints et Critique ration.,* t. IV; Fillion, *Comment, sur S. Matt.,* p. 283 sq.; Lightfoot*, *Galatians,* diss. II "The brethren of the Lord"; Andrews, *The life of O. Lord,* p. in sq.; Fouard, *The Christ,* vol. I, Append. V; A. Durand, *Frères du Seigneur,* in *D. A., (d'Alls),* t. II, 131-147; *L'Evangile de Tenfance,* Appendice.

3 Inter quos Pseudo-G. Herzog, qui, in *Rev. d'Hist. et de Lit. relig.,* t XII, 19^7, PP· 117» 320› 485, antiquorum et modernorum haereticorum de B. Virgine calumnias renovans, contendit doctrinam catholicam de virginitate et sanctitate Deipane nihil aliud esse nisi hellenicam adulterationem primaevi Evangelii secundum quod Christus naturali modo conceptus erat.

4 Farrar, *The Early days of Christianity,* c. XIX. — 5 D. B., 91.

tetur proprie et secundum veritatem Dei Genitricem Sanctam *semperque Virginem* immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter... *absque semine concepisse* ex Spiritu Sancto, et *incorruptibiliter eam genuisse*, indissolubili *permanente et post partum ejusdem virginitate*, condemnatus sit " [x].

1° *Scriptura* clare docet Mariam *concepisse* Christum *modo virginali*. Narrat enim S. *Lucas*[1] B. Virginem Angelo nuntianti eam Filium Altissimi parituram esse ita respondisse : " Quomodo fiet istud, quoniam *virum non cognosco?* "; angelum vero dixisse : "Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ". — S. *Matthaus* autem refert Angelum dixisse Joseph, qui sponsam prægnantem dimittere volebat Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, *de Spiritu Sancto est"* [3]. Jesus itaque non erat, sed "*putabatur* filius Joseph "[4]. Ex quibus patet corpus Christi miraculose formatum esse in utero Virginis solo operante Spiritu Sancto [5]. — Nil *explicite* dicitur de virginitate Mariæ in partu et post partum ; sed ex verbis " *virum non cognosco* " Patres merito inferunt ipsi propositum fuisse perpetuam virginitatem servandi.

Objiciunt quidam in vetere versione syriaca hæc legi : " Joseph, cui desponsata erat Maria virgo, *genuit* Jesum ", et exinde inferunt Joseph esse patrem Domini secundum carnem. — *Resp. :* in eadem versione statim narratur quomodo Maria non ex Joseph conceperit, sed per virtutem Spiritus Sancti. Nisi igitur manifesta admittatur contradictio in hac versione, dicendum est vocem *genuit* aut esse lapsum calami aut sumendam esse sensu *legali,* quatenus nempe Joseph *juridice* erat pater Christi. Ceterum *unus* codex contra *omnes* alios valere nequit.

1267. 2° *Traditione* constat Mariam fuisse semper virginem [6].

3 *Matt.,* I, 18 sq. — 4 *Luc.,* III, 23.

5 Ad hanc conclusionem elidendam, *Liberales* et *Modernistes* contendunt narrationem priorum Evangelii capitum non esse authenticam, aut saltem a primis generationibus christianis adulteratam esse. Quam assertionem confutant : Lagrange, *Lericit de l'Enfance dans S. Luc.,* in *Rev. biblique,* 1895, p. 160-185; A. Durand, *L'Evangile de l'Enfance,* in *R. P. A.,* III (1907), pp. I, 65, 135, 257, 321 sq. ; cf. *Etudes,* 20 mai 1907.

6 E. Neubert, *op. at.,* pp. 57-120, 159-208.

(A) Omnes Patres, etiam antiquissimi, affirmando Christum esse Deum, simul docent Christum *e virgine* natum esse, quasi nempe repugnaret Deum nasci ex non virgine.

Ita *Aristides* asserit Mariam *sine semine* Filium concepisse'; *S. Justinus* sæpe repetit Christum *ex virgine* natum esse*; 5. *Irenaus* non solum idem asserit, sed etiam affirmat hanc veritatem esse unam ex iis quæ in *regula fidei* ab omnibus credenda continetur 3; S. *Hippolytus* testatur hanc esse traditionem apostolorum* Quare hæc veritas in omnibus *symbolis* affirmatur, in quibus asseritur Christum ex Maria *Virgine* natum esse.

(B) Jam a *tertio* sæculo, sæpe asseritur Mariam fuisse *virginem in partu,* seu Filium peperisse absque ulla læsione sigilli virginalis 5.

(a) Contrarium quidem docuit *Tertullianus,* dicens eam esse virginem "quantum a viro, non autem quantum a partu", ut ita melius errorem docetarum refelleret6§ et *Origenes* in uno loco virginitatem in partu docet, in alio autem negare videtur *t*. (b) Sed alii Patres *communiter* declarant Mariam in partu virginem remansisse, præsertim a tempore S. Hieronymi qui Helvidii errorem invicte confutavit3. Ita, inter alios, 5. *Gregorius Thaumaturgies** Origenis discipulus 9; S. *Ambrosius,* qui, postquam hæresim Joviniani in synodo damnaverat, Siricio papæ scribit10*: " Hæc est virgo quæ in utero concepit, virgo quæ peperit filium. Sic enim scriptum est : *Ecce virgo in utero accipiet etparietfilium;* non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit "; 5. *Ephræm* " : " Hæc virgo facta est mater, servata virginitate et sigillis non solutis"; *S. Augustinus13* : "Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravida, virgo feta, virgo perpetua"; si enim Christi nativitate, inquit, "corrumperetur ejus (Mariæ) integritas,

l Apol., P. G., XCVI, II2I; JourneI, 112.

3 Apol., I, 22, 32, 33; *Dial, cum Tryph.,* 66, 75, 76, 100; *P. G.,* VI, 363, 380, 627, 651, 710.

3 Adv. hares., HI, 19, 1-3; *p. G.,* VII, 938, 941, 953; JourneI, 191,

5 Ita. v. g., in apocrypho *Protoeroangelio Jacobi,* ap. Neubert, *op. cit.,* p. 160-171. — 4 *De carni Christi, c.* 23; *P. L.,* II, 790.

7 Homil. 14 in Luc., P. G., XIII, 1834; cf. *homil. 8 in Levit., P. G.,* XII, 493.

§ *De perpetua virginitate B. Maria adv. Helvidium, P. L.,* XXIII.

' Sermo in Nativ. Christi, lyiS'· X» 39I*392-

"ɨ *Epist.* 42, n. 3 sq., *P. L.,* XVI, 1124; cf. JourneI, 1289.

" Hymni de B. Maria, 18, 12, ed. Lamy, II, 608; JourneI, n. 711; cf. n- 730, 745·

*' *Sermo3 in Natali Domini,* ɳ. I, *P. L.,* XXXVIII, 995.

non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus et virgo est" — Quam doctrinam *comparationibus* illustrant : sicut obsignato sepulcbro Christus resurrexit, et, januis clausis, ad discipulos ingressus est, ita nascendo, inviolato virginitatis sigillo, foras prosiluit; sicut solis radius crystallum penetrat, sine quavis ejus læsione, ita Jesus ex utero matris ilkesa ejus virginitate prodiit.

(C) *B. Maria virgo remansit etiam post partum.*

(a) Revera *Patres* oppositam sententiam rejiciunt ut *insaniam* et *blasphemiam, sacrilegium, impietatem, perfidiam, haresim.* Ita, v. g., inter *Latinos, S. Ambrosius**. "Fuerunt qui eam (Mariam) negarent virginem perseverasse. Hoc *tantum sacrilegium* silere jamdudum maluimus"... Ibidem rationem hujus rei affert : " Non deficit Maria, non deficit virginitatis magistra; nec fieri poterat ut quæ Deum portaverat portandum hominem arbitraretur. Nec Joseph vir justus in hanc proruisset amentiam ut matri Domini corporeo concubitu misceretur". Inter *Gracos, Origenes :* " In tantam nescio quis proruit *insaniam,* ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph "[3]. Eodem modo loquuntur 5. *Hieronymus, Gennadius, Epiphanius,* aliique permulti *. Hinc Maria vocatur a Patribus αειπάρθενο , seu semper Virgo, virgo per excellentiam [s].

(b) Nec hanc doctrinam ut privatam opinionem, sed ut *Ecclesia fidem* tradunt ; provocant enim ad *sensum fiofiuli christiani :* " Quis aut quo tempore umquam exstitit, qui ausus sit vocare nomen sanctæ Mariæ, et rogatus non statim addiderit : *virginis l*... Sic sanctæ Mariæ nomen virginis datum est nec umquam mutabitur; sancta enim illa incorrupta permansit "[6]. *Allegant verba Maria :* "Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco"? et exinde colligunt eam vovisse illibatam servare virginitatem; et merito quidem, his enim verbis pudice declarabat se virum camaliter non cognovisse, nec cognoscere velle. Citant pariter eum Evangelii locum, ubi refertur Christum, in cruce pendentem, matrem S. Joanni commendasse, et exinde concludunt B. Virginis neque filios neque filias fuisse : secus, eis non Joanni eam commendasset. Pariter multi censent hanc virginitatem ab Ezechiele fuisse prædictam his

[1] *Enchiridion,* c. 34, *P. L.,* XL, 249.

[3] *De instit. virgin.,* c. 5-6, *P. L.,* XVI, 314, 317.

[3] *Homil. 7 in Luc., P. G.,* XIII, 1818.

* Petav., 1. XIV, c. 13; cf. Journel, nn. 745, [1073] Ini» 1361, 1518, 1643, 2133, 2177, 2194, 2217, 2289.

[5] Didymus, *De Trinit.,* III, 4, *P. G.,* XXXIX, 832.

[6] S. Epiphanius, *ddv. hares.,* 78, 6, *P. G.,* XLII, 705; Journel, mi.

verbis [1] : " Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est peream, eritque clausa Principi ", Quæ quidem omnia adeo clara sunt ut multi Protestantes hanc fuisse primævæ Ecclesiæ fidem agnoscere non dubitent

1268. 3° *Ratio* ostendit maxime *conveniens* esse : (A) Christum *concipi et nasci ex virgine :* (a) ex *dignitate Patris :* ex dictis enim, prima persona SS. Trinitatis est pater Christi ; atqui non conveniebat hanc dignitatem transferri ad aliquem virum, (b) Ex *impeccabilitate* Christi : omnes homines naturaliter ex Adamo geniti peccato originali sunt obnoxii : atqui non decebat Christum obnoxium esse originali peccato, (c) Ex *dignitate ipsius Christi:* nam maxime decebat eum qui in sinu Patris absque ulla imperfectione generatur, in tempore modo virginali nasci [3].

(B) Mariam *perpetuo virginitatem servare* [4]. Contrarium enim (a)*perfectioni Christi* derogat;sicut enim est *Unigenitus Patris,* ita decuit eum esse *unigenitum matris,* tanquam perfectissimum germen ejus; (b) injuriam facit *Spiritui Sancto ;* cum enim uterus virginalis, in quo Christi carnem formavit, ejus sanctuarium fuerit, non decebat eum per commixtionem virilem violari; (c) derogat *dignitati et sanctitati matris Dei,* quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et virginitatem miraculose servatam

[1] *Ezech.,* XLIV, 2; cf. Livius, *op. cit.,* p. 114.

[2] Hæc enim habet Anglicanus Episcopus Bull *(On the due praise and kon. ofthe Virgin,* Oath. Safeguards, vol. II, p. 2S8, London, 1851) : " Ex Beatissimæ Virginis dignitate necessario consequitur ipsam semper Virginem mansisse, sicut constanter tenuit ac defendit Catholica Ecclesia. Hoc vas adeo purum, ad Divinitatis sanctuarium apposite consecratum, potuisse in posterum ab homine profanari, fingere indecorum est". Quod non impedivit quominus Farrar assereret : " Fides in perpetuam Virginitatem, cujus in Ecclesia per plura sæcula (?) vestigium desideratur, ex duplici principio pernicioso et parum in Scripturis fundato originem duxit. Primum, quod Virgini supra-humanam dignitatem adscribit, nullum habet fundamentum et insuper a Scriptura rejicitur. Alterum, quod matrimonium damnat et coelibatum in perfectionis consilium evangelicum convertit, non solum a Scriptura damnatur, sed insuper in perniciosis hæresibus radicitus fixum est, et apertis sæpiusque repetitis Sacrorum Librorum documentis contradicit ". Ad quod ultimum confutandum attente legere sufficiat ea quæ de virginitatis excellentia scribit S. *Paulus* (Z *Cor.,* VII, 25-40), ubi certo certius docet virginitatem matrimonio perfectiorem esse.

[3] S. Thom., 3, q. 28, a. 1.

[4] */bid.,* a. 3.

spontejimisjsset; (d) derogat *sanctitati ipsius Joseph*\jjui maximae praesumptionis reus esset, si cum ea, quæ de Spiritu Sancto conceperat, commercium carnale habere voluisset.

1269. Nec objici possunt S. Matthæi a verba : " *Antequam* convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto... Et non cognoscebat eam, *donec* peperit filium suum *primogenitum* particulas enim *antequam* et *donec* quid non sit factum ante Christi conceptum et partum inculcant, ut omnibus sit evidens S. Joseph non esse patrem Christi; quid autem postea factum sit, ab Evangelista praetermittitur, quippe quod ad ejus scopum non spectaret λ Tandem vox "*primogenitus n* alios fuisse filios minime probat, cum apud Judaeos primogenitus appellaretur is filius, ante quem nullus alius natus fuerat, sive alii post ipsum nati sint sive non.

1270. Neque huic veritati obstant textus, in quibus agitur de *fratribus* Domini, v. g. : " Nonne mater ejus dicitur Maria? et*fratres* ejus Jacobus et Joseph et Simon et Judas? Et *sorores* ejus nonne omnes apud nos sunt"*? Nam (a) quidam inter Patres, præsertim Græcos, putarunt hos fratres filios esse S. Joseph quos ex alia uxore antea ducta habuisset : quæ quidem opinio nunc antiquata est in Ecclesia latina, necnon sensui fidelium opposita de virginitate S. Joseph, (b) Sed communis sententia, a 5. *Hieronymo* advocata, est fratres illos fuisse *consobrinos Christi;* vox enim *frater,* lato sensu sumpta, talem interpretationem patitur 5; aliunde

1 Cf. C. Sauvé, *Le Culte de S. Joseph,* Paris, 1910. — 2 *Matth.,* I, 18, 25.

3 Quod egregie exponit S. Hieronymus, *Adv. Helvid.,* n. 4 : "Quasi si quis dixerit : antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit ; aut si velimus dicere : Paulus apostolus, antequam ad Hispanias pergeret, Romæ in vincula conjectus est; aut certe illud : Helvidius, antequam poenitentiam ageret, morte præventus est;statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum : aut Helvidio poenitentia agenda post mortem "...

4 *Matth.,* XIII, 55-56.

5 Quod iterum egregie illustrat S. Hieronymus, *op. cit.,* n. 14 : "Jam nunc doceberis quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici *natura, gente, cognatione, affectu. Natura* Esau, Jacob; duodecim patriarchæ; Andreas et Petrus; Jacobus et Joannes. *Gente,* qua omnes Judæi inter se fratres vocantur, ut in Deuteronomio : " Si autem emeris*fratrem* tuum, qui est hebræus " (XV, 12)...; et Ap. Paulus : " Optabam, inquit, ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israelite" *(Rom.,* IX, 3-4). Porro *cognatione* fratres vocantur, qui sunt de una familia..." Quod illustrat exemplo Abraham et Lot, de quibus dicitur : " discesserunt unusquisque a fratre suo" *(Gen.,* XIII, 8sq.), quamvis Lot non esset frater Abrahæ, sed filius fratris ejus; exemplo Laban et Jacob : dixit enim Laban ad Jacob : "num *frater* meus es tu, gratis servies mihi"? *(Gen.,* XXIX, 15). Jamvero Jacob erat filius sororis Laban.

quatuor fratres, supra enumerati, probabiliter erant filii Cleophæ,

^~fum ex variis Scripture locis simul collatis ‘, turn ex auctoritate *JBegesippi,* qui declarat Cleopham, patrem Simonis, fuisse Christi patruum. Nihil ergo ex his contra perpetuam B. Mariæ virginitatem deduci potesta.

1271. Corollarium. *B. Maria virginitatem Deo vovit.* Ita communiter.

(A) Hoc enim Patres colligunt ex verbis Mariæ : “ Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco”? ‘‘Quod profecto non diceret, ait *Augustinus*3, nisi Deo virginem se ante vovisset”; si nullum enim emisisset votum, Joseph *cognoscere* potuisset et ex eo prolem habere.

(B) Animadvertit autem S. *Thomas** B. Mariam, antequam Joseph desponsaretur, non simpliciter, sed *sub conditione* virginitatem vovisse; nam, cum tempore legis cultus Dei per generationem presertim propagaretur, Maria, licet in desiderio virginitatem habuerit, eam non vovit absolute, sed sub conditione si Deo placeret. Potuit igitur desponsari, divino auxilio confidens quod nunquam matrimonium consummaret. Postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo virginitatis votum absolute emisit.

§ II. De relationibus B. Mariæ cum creaturis.

Hujusmodi relationes fluunt ex dignitate Matris Dei. Cum enim sit mater Christi, eo ipso est *mater omnium membrorum* ejus, ejus *cooperatrix* in opere redemptionis, *regina* omnium creaturarum et universalis *mediatrix* gratiae.

1272. I. Maria mater spiritualis hominum 5. Sensus est B. Virginem esse *secundario,* et *dependenter a Christo,* causam *meritoriam (de congruo)* et *exemplarem* vitae nostræ spiritualis, non solum *remote,* eo sensu quod dedit nobis Christum, fontem et exemplar nostræ sanctificationis, sed etiam *proxime,* quia est *mater* Christi capitis corporis mys-

l *Matth.*, XXVII, 56; *Marc.*, XV, 40, 47; XVI, 1 ;*Joan,,* XIX, 25,

’ Cf. A. Durand, *Frères du Seigneur, 'raDictA/ol.,* II, 131-147.

’ *De Virginit.*, c. 4, *P. L.*, XL, 398 ; cf. Journel, 1643.

♦*Sum. theol.*, 3, q. 18, a. 4.

5 Cfr. J.-B. Terrien, φ. *cit.*, 2e p La Mère des hommes; A. Lutz, *La maternité mystique de la F. Marie,* 1923.

tici cujus membra sumus, et*a Christo nobis in cruce tanquam mater *donata* est.

i° Fundamentum hujus doctrinæ desumitur : (A) Ex *divina matemitate*. Maria enim est Mater Christi, *capitis* corporis mystici, cujus omnes homines sunt membra, n. 1191; atqui mater capitis eo ipso est mater membrorum ejus; ergo cum S. *Augustino* dici debet : " Plane *mater membrorum ejus,* quod nos sumus, quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius capitis membra sunt, corpore vero ipsius capitis mater" *; seu brevius,ut a multis contrahitur : *carne mater capitis nostri, spiritu mater membrorum ejus.*

(B) Titulo *donationis,* cum Christus in cruce moriens nos in filios ipsi dederit, Joanni (et per extensionem, omnibus christianis) dicens : " Ecce mater tua ". Unde S. *Antoninus* scribit 1 : " Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale in cruce patiendo, ita B. Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus Filio compatiendo ",

1273. 2° Modus quo Maria est mater spiritualis. Ea sane est mater spiritualis quæ *vere,* etsi *secundarie,* nos spiritualiter gignit et ad augmentum vitæ spiritualis concurrit. Atqui Maria secundarie, et dependenter a Christo, nos spiritualiter generat et vitam nostram spiritualem auget; nam, si Christus est causa meritoria principalis et *de condigno* nostræ justificationis, B. Virgo est causa meritoria *secundaria* et *de congruo* ejusdem justificationis; nam, ut ait *Pi'us X,* post multos theologos, *B. Virgo de congruo promeret nobis quod Christus de condigno promeruit* 3.

Potiori igitur jure quam Eva dicitur *mater viventium,* nos iterum parturiens donec Christus formetur in nobis, id est, nos juvando ut ejus virtutes imitemur.

1274. II. Maria cooperatrix Christi in redemptione seu co-redemptrix 4. i° *Declaratur.* Sensus est B. Vir-

1 *De'sancta virginitate , c.* VI, η. *6;* Journel, 1644.

3 *Summa,* IV p., XIII, c. 10.

3 Encycl. *Ad illum diem,* 2. febr. 1904, p. 80 ed. B. Presse.

4 Quidam theologi ab hoc nomine se abstinent ne scandalizentur Protestantes ; adhiberi tamen potest si recte explicetur. Cfr. E. Hugon, p. 477.

ginem saluti hominum cooperatam esse *secundario* et *dependentur* a Christo, consensum præbendo Incarnationi Verbi ejusque morti pro hominum salute.

1275. 2° *Probatur :* (A) *Script.* In mysterio Incarnationis, Angelus, nomine ipsius Dei, Mariæ annuntiat eam de Spiritu Sancto concepturam esse Filium Dei, qui vocabitur *Jesus* seu Salvator mundi. Atqui Maria humillime consentit : " Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum " [1]. Ergo eo ipso fit mater Filii Dei quatenus *Salvatoris; ergo* ipsi sociatur in *opere salutis nostræ.* (b) Insuper directe sociatur Christo in opere *passionis* ideoque redemptionis; nam, ut ait Simeon, " Et tuam ipsius animam pertransibit gladius "[2]; et revera stabat mater juxta crucem Jesu [3], Christo patienti compatiens, et in suo corde libemer sustinens omnes cruciatus dilectissimi Filii, simulque seipsam ut victimam cum Christo offerebat ad cooperandum cum illo, et dependenter ab eo, nostræ saluti. Quapropter tanquam *mater spiritualis* eo ipso instanti nobis datur, quia vere nostræ spirituali generationi cooperatur.

(B) *Tradit.* Ex comparatione quam Patres instituunt inter Evam et Mariam, asserentes Mariam hominum saluti cooperatam esse sicut Eva eorum perditioni : " Quemadmodum illa (Eva), inquit S. *Irenæus**, ... inobcediens facta, et sibi et universo generi humano *causa* facta est *mortis,* sic et Maria... *oboediens* et sibi et *universo generi humano causa facta est salutis* ". Præsertim munus B. Mariæ in Redemptione evolvit S. *Augustinus* [5] : " Huc accedit magnum sacramentum, ut, quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur; ut de utraque natura, idest femina et masculina, victus diabolus cruciaretur". Quam doctrinam sua auctoritate confirmat *Pius X* [6], docens Deiparæ sanctissimæ officium fuisse "ejusdem *hostice* (Christi) *custodiendæ nutriendœque,* atque adeo, stato tempore, *sistendee ad aram* " ; et addit : " A Christo ascita in humanæ salutis opus, *de congruo,* ut aiunt, promeret nobis

[1] Zwr., I, 38. — [2] *Luc.,* II, 35. — [3] *Joan^* XIX, 25.

* S. Iren., *Adv. hares.,* III, 22, 4, Λ *G.,* VII, 759; Journel, 224.

[5] *De agone christiano,* CXXII, 24, *P. L.,* XL, 302; Journel, 1578; cf. Protin, *La manalogie de S. August.,* in *Rev. Aug.,* 1902, p. 375-396.

[6] Encycl. *Ad illuni diem,* 2 febr. 1904, pp. 78, 80, cd. *B. Presse.*

quod Christus de condigno promeruit". Lucidius etiam *Benedicius XV*l *:* " Quantum ad se pertinebat, *Filium immolavit,* ut dici merito queat *Ipsam cum Christo humanum genus redemisse* ".

1276. III. Maria regina hominum et omnium creaturarum. Nam, ut diximus, n. 1130, Christus est Rex omnium creaturarum; atqui B. Virgo est Mater Christi; ergo eo ipso est Regina omnium creaturarum.

Sicut enim mater alicujus regis aliquam in regno exercet jurisdictionem benevolentiæ et caritatis, ita pariter Mater Christi Regis potestatem quamdam *benevolentiæ* et *misericordiæ* exercet in ejus regno. Hinc a 5. *Bern. Sen.* * merito dictum est : "Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati"; hinc exclamat Ecclesia : "Salve, *Regina,* mater misericordiæ"!.. .Hinc etiam in Litaniis Lauretanis dicimus : *Regi?ia angelorum, regina patriarcharum, regina sanctorum omnium.*

1277. IV. Maria universalis mediatrix gratiæ [3]. i° *Declaratur.* Christus sane est *unicus mediator principalis et necessarius,* n. 1125; sed B. Virgo, ejus Mater, est *mediatrix secundaria* et *dependenter a Christo, universalis* tamen, quatenus *nulla gratia sine ejus interventu* hominibus dispensetur. — Necesse tamen non est ut omnes gratiæ per Mariam *petantur :* hæc enim pro nobis intercedere potest quin ad eam recurramus. Ita *communiter* et *certum.*

1278. 2° *Probatur.* (A) *Script,* (a) B. Virgo nobis dedit Christum, omnis gratiæ fontem et causam meritoriam; atqui non potuit dare fontem quin eo ipso daret rivulos ex fonte manantes, id est, omnes et singulas gratias quas Christus pro nobis meruit. Ergo *indirecte saltem* et *in causa* B. Virgo nobis præbet omnes quas accipimus gratias, (b) Insuper directe et efficaciter pro nobis *intercedit* in cælo ad obtinendas omnes quibus indigemus gratias ; id constat ex supra dictis de ejus cooperatione ad redemptionem : si enim *de congruo* meruit quidquid Christus de condigno, intervenire etiam debet in horum meritorum distributione.

1 Sodalitati N. D. a bona morte, 22 mart. 1918, *A. A.* 5., X, 182.

2 *Summa,* 4a p., XIII, 10. — 3 Præter opera generalia, cf. Terrien, *Marie mère des hommes,* l. VII ; Bover, *Maria mediatrix gratice.*

Quod verisimiliter colligitur ex modo quo, adhuc vivens in terra, pro hominibus intervenire solebat, v. g., quando ejus præsentia Elisabeth et Joannes Baptista sanctificari fuerunt, quando, ea rogante, Christus primum miraculum patravit, aut Apostoli in die Pentecostes dona Spiritus Sancti acceperunt; nam, si tanta potestas ipsi data fuerit in terra, non minori certe gaudet in cælo.

1279. (B) *Tradit.* (a) Ex Patribus qui non solum asserunt eam esse mediatricem, sed omnes gratias per eam dari, immo etiam nullam sine ejus interventu concedi.

Inter alios, S. *Ephram* ita Virginem alloquitur: "Post Mediatorem Mediatrix totius mundi... tu creaturam replesti omni genere beneficii, cælestibus lætitiam attulisti, terrestria salvasti" *. Explicitius 5. *Germanus*: "Nullus enim nisi per te, o sanctissima, salutem consequitur. Nullus nisi per te, o immaculatissima, qui a malis liberetur... Nullus nisi per te, o honoratissima, cui gratiæ munus misericordia præstetur" [1]. Nec aliter S. *Bernardus* [2]; "Sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam

(b) E declarationibus recentiorum *Pontificum*: ita *Leo XIII*: "Affirmare licet nihil prorsus de permagno illo omnis gratiæ thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri, ut, quomodo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per matrem accedere nemo possit ad Christum" [4]. *Pius X* [5]: "Ex hac Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit illa ut fieret *universorum munerum dispensatrix* quæ nobis Jesus nece et sanguine comparavit".

(c) *E liturgia.* In litaniis Lauretanis salutatur Mater divinæ gratiæ, Refugium peccatorum, Consolatrix afflictorum, Auxilium Christianorum. In postcommunione Missæ B. V. M. Immaculatæ a Sacro Numismate, 27 nov., dicitur: "Domine... qui per Immaculatam Genitricem Filii tui *omnia* nos habere voluisti",

(d) Sed præsertim ex concessione pro Belgio et dioecesibus quæ id petent (a *Benedicto XV*, postulante *Card. D. Mercier*} festi *B. M. V. omnium gratiarum mediatricis.* Ibi enim, per totum officium et missam hæc *universalis mediatio aperte declaratur;* atqui lex orandi est *lex credendi.*

1 *Orat, ad sanctisy. Dei Matrem.* — 2 *Orat.,* 9.

2 *Sermo de aquaductu,* n. 6. Tres illi textus merito allegantur in lect. IV. V et VI officii B. M. V. omnium gratiarum mediatricis.

4 Encycl. *De Rosario, 22* sept. 1891. — 5 Encycl. *Ad illum diem.*

Ita in Invitatorio : "Christum Redemptorem, qui *bona omnia nos habere voluit per Mariam ...*" In hymno ad Mat. : "Cuncta quæ nobis meruit Redemptor, Dona partitur genitrix Maria". In collecta Missæ : "Domine... qui Beatissimam Virginem matrem tuam, matrem quoque nostram, et apud te mediatricem constituere dignatus es, concede ut quisquis ad te beneficia petiturus accesserit, *cuncta se per eam impetrasse latetur.*

1280. (C) *Rat. theol.* (a) Deus, fontem ipsum seu principium universale gratiæ, nempe Christum, nobis per Mariam dedit; atqui consilia sua mutare non solet in gratiarum dispensatione ; ergo etiam singulares gratias singulis hominibus per eamdem Virginem concedet *. (b) B. Virgo, Christum concipiendo, nutriendo, tanquam victimam præparando, ipsi praebuerat potestatem merendi, simulque de congruo meruerat quidquid Christus de condigno. Atqui omnino decebat ut Ea quæ tam efficaciter ad merita Christi contulerat ejusque meritis propria merita conjunxerat, ipsi pariter consociata esset in distributione gratiarum quæ vi meritorum Christi conceduntur. Ergo omnino decebat B. Virginem esse universalem mediatricem gratiæ.

Nec dicatur hac mediatione minui officium Christi mediatoris aut Dei potentiam. Tres enim voluntates simul ad gratiarum distributionem harmonice concurrunt[1]3: *voluntas Dei,* quæ est primaria, suprema et independens causa dispensatrix gratiarum; *voluntas Christi,* qui, utpote primarius ac necessarius mediator, *jure stricto* et per seipsum eas meretur et earum dispensationem obtinet; *voluntas Mariæ,* quæ, utpote mediatrix secundaria, eas meretur de congruo, dependenter a Christo, easque ab eo obtinet : est igitur *mediatrix ad Mediatorem.*

§ III. De Devotione erga B. Virginem Maria[3].

1281. Status quaestionis. (A) *Errores. Protestantes* acriter impugnant cultum, quem Catholici B. Virgini per-

[1] **Quod argumentum præclare exponit Bossuet,** *Sermon four la fete de la Conception,* **ed. Lebarcq, t. V, p. 609.**

[2] **P. de la Broise,** *Marie mère de grâce,* **p. 23-24.**

[3] **Cfr. Suarez,** *of. ciL,* **disp. XXII; Petavius, 1. XIV, c. 8; Petitalot, c. XXI; Newman,** *Angl. diff,* **vol. II, p. 68 sq.;** *Discourses to Mixed Congreg.,* **p. 342 sq.; Grignion de Montfort,** *Traité de la Vraie dévotion à la S. V., anglice* **redditum cura** *F. IV. Faber;* **Haine,** *De hyperdulia,* **Lovanii, 1864; Terrien,** *La Mère des hommes,* **II, 1. XL**

solvunt, ut *superstitiosum, illusorium,* immo omnino *idololatncum '.* Quod quidem verum esset si cultum *latriæ* ipsi redderemus, sed res ita non se habet, ut patebit ex simplici expositione fidei catholicæ.

(B) *Doctrina catholica.* (a) *Cultus,* B. Virgini redditus, *non* est quidem cultus *latriæ* soli Deo debitus, nec *simplex* cultus *duliæ* sanctis debitus, propter supernaturalem excellentiam qua, Deo donante, praefulgent; sed *hyperduliæ* propter *singularem excellentiam* ipsi divinitus collatam, præsertim divinam maternitatem et sanctitatem, quibus ceteros sanctos omnino transcendit.

(b) Devotio autem complectitur, præter venerationem et reverentiam : i) *invocationem* et *fiduciam,* quia est potens simul et misericors mediatrix ad Christum ; 2) *amorem filialem,* quia est Mater nostra spiritualis; 3) *imitationem,* cum amor ad illius virtutum *imitationem* nos incitet.

1282. *Thesis :* Devotio erga B. Mariam Virginem est omnino legitima atque utilis. *De fide* est ex ordinario et universali Ecclesiæ magisterio.

Probatur i° *Scriptura,* (a) Deus nos edocet quanta *veneratione* habenda sit Maria, dum ipse, per Angelum Gabrielem, eam sic alloquitur Ave, gratia plena"2...; pariter, dum per os Elisabeth B. Virgini dicit : " Benedicta tu inter mulieres " 3... (b) Christus nos edocet quantam *fiduciam* in Maria habere debeamus, dum ipse primum miraculum efficit, rogante B. Virgine, quamvis hora quam intenderat pro manifestatione suæ potentiæ, nondum advenisset 4; (c) Tandem Christus, in cruce moriens, nos edocet *quanto amore* B. Virginem diligere debeamus, dum dicit Joanni et omnibus Christianis : " Ecce mater tua " 5.

1283. 20 *Tradit,* (a) *Ex Monumentis.* 1) Jam enim in Catacumbis inveniebantur *imagines* sive pictæ, sive sculptæ B. Virginis, quarum nonnullae hanc repræsentabant cum puero Jesu nimbo coronatam, quo Christianorum veneratio significabatur6. 2) Insu-

4 i Ii

1 Ita Hodge *, *Systematic theology^* vol. **Ill,** p. 284-287.

2 *Luc.'* I, 28. — 3 *Luc.'* I, 42. — 4 *Joa.'* II, 3-10. — 5 *Joa.,* XIX, 27.

6 Cf. de Rossi, *Imagini scelte della B. Maria Vergine traite dalle Calacombe Romane Romah* 1863; Lehner, *Die Marienverehrung in den ersten*

per statim ac pax Ecclesiæ reddita fuit, *templa* non pauca *in honorem* B. Mariæ ædificata sunt, sive Romæ, sive Byzantii, sive in Judæa, ac deinde per totum orbem terrarum, ita ut plene adimpleta fuerint quæ Maria, spiritu prophetico, dixerat : " Beatam me dicent omnes generationes" *.

(b) Ex *Patribus.* Fundamenta hujus cultus jam invenimus apud Patres, qui Mariam cum Eva comparantes, dicunt per Mariæ obœdientiam nos salvari, eamque esse advocatam nostram2. Unde quando *Collyridiani,* nimio et ignorante zelo decepti, Virgini sacrificia obtulerunt, S. *Epiphanias* eos reprehendit, quia, inquit, Mariæ non adoratio sed *honor* et *veneratio* reddi debet 3. Hunc autem cultum fuisse *hyperduliæ* testatur S. *Germanus,* ep. Constantinop. 4 : " Nam et ipsam proprie vereque matrem veri Dei *colimus,* et magnificamus, et universa visibili et invisibili creatura *superiorem* arbitramur ",

(c) Quare in omnibus *Liturgiis,* etiam antiquissimis, invenire est *invocationes* quibus intercessio Deiparæ petitur. Ex his omnibus argumentis constat cultum B. Virginis viguisse a primis temporibus, tum in Ecclesia Latina, tum in Ecclesia græca; atqui impossibile est universalem Ecclesiam, ab initio, cultum superstitiosum et idololatricum fovisse; ergo cultus B. Mariæ minime superstitiosus est, sed e contra omnino legitimus.

1284. 3° *Rat. theologica.* Ea enim devotio est legitima, quæ nullum detrimentum cultui divino affert, sed solido nititur fundamento, et valde utilis est ad salutem ; atqui talis est devotio erga B. Mariam : (a) *nullum detrimentum* affert cultui divino; non est enim cultus supremus latriæ, sed cultus inferior, non quidem simplicis duliæ, quæ convenit reliquis Sanctis ut servis Dei; sed *hyperduliæ* quam exposcit dignitas quasi infinita Matris Dei et illius præ ceterorum Sanctorum meritis eximia sanctitas, Atqui talis veneratio, nedum Deum offendat, ad Deum potius ultimo refertur, auctorem omnium donorum quæ in Maria veneramur. Quis enim negabit Matris honorem in Filium redundare? Reapse Christus magis colitur, et ejus

[ahrhunderteny Stuttgard, 1881; Shahan, *The B. in the Catacombs^*

' *Luc.,* I, 48. Quod ipsi Protestantes agnoscere coguntur, ut videre est apud Schaff*, *History of the Church,* vol. Ill, § 81-83; P· Delattre, *La Vierge Marie chez les Protest. d'Allemagne,* in *R. A.,* sept. 1932, p. 323-340.

9 Ita S. Justinus, S. Irenaeus, Tertull., S. Ephr., loc. jam cit.

3 *Adv. Hær.,* 79, *P. G.,* XLII, 739. — 4 *Ep. dogm. 2°, P. G.,* XCVIII, 159.

divinitas melius agnoscitur, ubi viget devotio erga ejus Matrem x.

(b) *Solido nititurfundamento.* Cultus exhibetur in testimonium excellentiae quæ est in honorato. Atqui B. Maria supernatural! excellentia gaudet ratione inatemitatis divinæ, sanctitatis eximiæ in cælo coronatæ. Ergo.

Præterea Deum ipsum imitari licet; atqui Verbum ad nos per Mariam venit, et ex ea corpus et sanguinem accepit quibus nos redemit; ergo et nos Jesum per Mariam adire decet, et veluti ex ejus manibus nostræ redemptionis pretium accipere.

Quod expresse a S. Bernardo declaratur[1].

(C) Est valde *utilis,* i) Hoc enim cultu obtinemus a Deo, per intercessionem B. Mariæ, *multas gratias* ad salutem valde utiles, quas propriis orationibus non tam facile consequeremur, sicut in rebus humanis a Rege, mediante Regina, multi favores obtinentur qui secus vix obtineri possent ; simulque nos suaviter et efficaciter allicit ad imitandas virtutes quas ipsa coluit, et ad perfectam donationem Deo, mediante Maria, faciendam[3]. 2) Aliunde cultus B. Virgini exhibitus, ad augendam reverentiam quæ muliebri sexui debetur, non parum contulit, ut rationalistæ nonnulli libenter agnoscunt[4], et historice constat ex discrimine

1 Quod diserte ostendit Card. Newman, *Discourses to mixed Cong., The Glories ofMaryfor the sake ofher Son,* ubi hæc inter alia leguntur (p. 347 sq.) : " Fides quæ docet Mariam esse *Deiparam,* seu matrem Dei, est firmum subsidium quo S. Pauli doctrinam confirmamus, eamque ab omni æquivocatione servamus immunem;est testimonium quo malorum spirituum " Antichristi qui exierunt in mundum ", sophismata detegere possumus. Hæc fides Jesum Deum esse declarat; eum hominem esse supponit; nobis ideam suggerit eum esse Deum, licet factus sit homo; et quamvis Deus sit, tamen verum esse hominem. Sicut degens in terris suum divinum Filium Maria per se custodivit, in utero gestavit, suis amplexibus recepit, suo lacte nutrivit, ita modo et ad ultimum usque Ecclesiæ tempus, ejus gloria et cultus nostram veram fidem in Jesum Hominem et simul Deum proclamant et definiunt — Monet tamen *excessus* in modo loquendi aut orandi vitandos esse, ne forte scandalizentur Protestantes et ab Ecclesia catholica arceantur *{Diffie. ofAngi.,* t. II, p. 89-118.)

2 *In adventu serm. 2,* n. 5.

3 De qua perfecta suiipsius donatione pie scribit Grignion de Montfort, et, post eum, A. Lhoumeau, *La vie spirituelle,* 1920, p. 240-427; cf. nostrum opus *Précis de Thiol, ascétique,* η. 163-176.

4 ""Mundus per ideas quas sibi efformat regitur; ast raro, immo nunquam

maximo quod hac in re existit inter Christianas et paganas nationes.

1285. Corollarium. *Devotio erga purissimum Cor Mariæ est legitima et utilis*[1]. Objectum *materiale remotum* hujus devotionis est *ipsa persona* B. Mariæ Virg., quæ, propter ejus supereminentem excellentiam, cultu hyperduliæ veneratur, ut jam dictum est. Objectum *materiale proximum* est *Cor physicum* B. Virg., quatenus est pars nobilissima corporis et symbolum ejus ferventis amoris erga Deum, Christum et homines; objectum autem *formale* est *ipse amor* B. Virg.; utrumque autem objectum, materiale et formale, simul complectimur in nostra devotione. Jamvero veneratio exhibita Cordi purissimo B. Mariæ, sensu exposito, est omnino *legitima,* tum quia est pars nobilissima ejus corporis, tum præsertim quia nobis repræsentat ejus ferventissimum amorem erga Deum et homines. Est etiam *pia* et *utilis,* cum nos urgeat ad imitandum hunc amorem, ideoque omnes virtutes ex eo fluentes.

Conclusio. Devotio erga B. Mariam Virginem, etsi absolute non sit necessaria, est tamen via *brevis, prompta* et *secura* ad salutem, meritoque ut *signum prædestinationis* assignatur. "Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam veneremur"[2]

Scholion de S. Josephs.

1286. Cum Beatus Joseph intime fuerit B. Virgini et Christo unitus, immo *caput* S. *Families,* de ejus *dignitate, sanctitate* et *patrocinio* pauca dicere juvabit.

alia idea majorem simulque salubriorem exercuit vim, quam quæ de Maria in medio-ævo concepta fuit. Prima vice tunc mulier ad dignitatem quæ ipsi naturaliter pertinet evecta fuit; infirmitas æque ac dolor tanquam aliquid sancti habita sunt. Non amplius hominis serva aut ejus ludibrium, nec amplius despectionis et sensualitatis ideis sociata, mulier in Maria Virgine ad inauditas celsitudines sese extulit, et reverentis observantiæ objectum facta est, cujus nec minimam ideam veteres habuere". (Lecky, *History of Rational.,* v. I, p. 226).

[1] S. Jean Eudes, *Cœur admirable;* Le Doré, *Les Sacrés-Cœurs et le Vén. Jean Eudes,* 1891; Sauvé, *Le culte du Cœur de Marie,* 1909; Ch. Lebrun *La dévotion au Cœur de Marie, étude historique et doctrinale,* 1917; Bainvel, *Le saint Cœur de Marie,* 1918.

[2] S. Bernardus, *Sermo in Nativ. B. V.,* n. 7.

[3] S. Bernardus, *homil. II sup. Missus est,* n. 12-16; J. Gerson, *Sermo de Nativ. B.. M. V.;* S. Bernardinus Sen., *Sermo de S. Joseph;* S. Fr. de Sales,

i° Ejus dignitas oritur ex missione ipsi collata; hæc autem dignitas est *maxima* post divinam maternitatem.

Etenim (a) *Sancta Familia praest, vices gerens modo visibili Dei Patris,* qui est invisibilis præses, ideoque eximiam participationem habet ejus auctoritatis, — paterni affectus ad Filium, — sapientiæ ut Patris mandata Filio nota faciat, et ex hoc triplici capite longe transcendit ceteros sanctos, excepta B. Virgine.

(b) *Sponsus* et *conjux* fuit *Maria,* ut constat ex Scriptura quæ eum vocat *virum* Mariæ et B. Virginem *conjugem, uxorem* ejus *. Verum enim fuit matrimonium inter B. Virginem et S. Joseph, non obstante prioris voto; nam, ut ait 5. *Thomas* "mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed licet eam desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio; postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit". Jamvero is qui fuit conjux Matris Dei, ad hanc dignitatem divinæ matemitatis proxime accedit, ut ait *Leo XIII*3 ; " Quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinclum, ad illam præstantissimam dignitatem... non est dubium quin accesserit ipse ".

(c) *PaterJesu* a populo, evangelista, B. Maria et ipso Jesu vocatur, non quidem eo sensu quod eum carnaliter genuerit, sed quia fuit : i) *legalis* pater, cum ex lege is pater censeatur quem nuptiae demonstrant; 2) *nutritius,* quatenus per assiduum laborem Sanctæ Familiae victum emeruit; 3) *altiori modo,* in quantum *vir* erat *legitimus matris* quæ Jesum concepit et genuit : ita Jesus est *fructusfundi,* qui ad Joseph *jure nuptialis dominii spectabat;* et hæc est ratio cur Maria et Joseph merito vocantur parentes ejus, — cur Maria Filio dicere potuerit : "Ecce ego et *pater tuus* dolentes quærebamus te"4; 4) quatenus Deus cordi ejus *affectum vere paternum* indidit, ut constat ex verbo *dolentes* in textu allegato; non solum affectum sed et *paternam auctoritatem,* in quantum cælestis Patris vices gerebat : "qua ex re, ait *Leo XIII*5 consequens erat ut Verbum Dei modeste subesset, dictoque esset obediens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est".

Entretiens spirituels, XIX; Bossuet, *Sermons,* Panégyrique de S. Joseph; M. Meschler, S. J., *Der heilige Joseph in dem Leben Christi und der Kirche;* Rinane, *St Joseph, his life, his virtues, his privileges, his power,* Dublin, 1885; Piccirelli, S. J., 3". *Giuseppe, neti' ordine presente della Providenza,* 1897; A. Lépicier, *Tr. de S. Joseph,* 1908; Card. Dubois, *S. Joseph ;* Dom Maréchaux, *Elévations sur S. Joseph·,* Ch. Sauvé, 3". *Joseph intime,* 1920; L. Gamguet, *Mois de S. Joseph ;* A. Michel, *D. T. C., S. Joseph ; Ami du Clergé,* 1921, p. 98-109.

' *Matth.,* I, 16, 19, 20; *Luc.,* II, 5. — ' *Sum. tkeol.,* 3, q. 28, a. 4.

3 Encycl. *Quanquam pluries,* 5 aug. 1889. — ‹ Zwr., n, _ 5 Encycl. cit.

Conclusio. Ex his omnibus merito infertur S. Joseph *inter omnes sanctos eminere;* cum Christo enim et B. Virgine a Deo electus est ut partem activam haberet in præstantissimo opere unionis hypostaticæ, ut constat ex eo quod conjux Mariæ et pater Verbi incarnati merito appellatur

Objicitur J. Baptistam, teste Christo, majorem esse inter natos mulierum '. — *Besp. :* ex contextu et communi interpretatione, ita significatur J. Baptistam majorem esse *respective ad munus propheta,* quatenus ipse agnovit et manifestavit quem ceteri prophetae *a longe* futurum annuntiabant, — non autem necessario sub aliis respectibus.

1287. 2° Ejus *sanctitas* ex ejus dignitate fluit, (a) Nam, juxta S. *Thomam,* Deus gratias dispensare solet secundum magnitudinem muneris commissi 2 Atqui, ex dictis, munus B. Joseph creditum, maximum erat post divinam maternitatem, cum esset vices gerens Patris, Mariæ conjux, pater Christi sensu exposito, ideoque ad unionem hypostaticam aliquam activam partem habuerit. Ergo a Deo accepit, immediate post Virginem, plenitudinem gratiæ qua *ceteris sanctis præemineret.*

(b) Revera, etsi pauca de Joseph in Evangeliis dicuntur, ut exemplar apparet praecipuarum virtutum. Ita : i) ejus *fides,* quando credit Angelo altissimum mysterium conceptionis Christi annuntianti : " Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est " 3; 2) ejus *caca obedientia,* dum Angelo praecipienti statim, ipsa nocte, secessit in Ægyptum*; 3) *profunda humilitas,* qua thesaurum sibi creditum, Jesum nempe et Mariam, ita abscondit ut nemini hoc secretum revelaverit, proptereaque in profunda obscuritate per totam vitam vixerit, et tanquam vulgaris artifex habitus fuerit; *4) virginitas perfecta,* s in sancto matrimonio servata, ita ut *virginum custos et pater* merito dicatur; 5) sed præsertim *fervens caritas* erga Deum *Patrem,* cujus vices gerebat tam humiliter et devote; erga *Christum* quem ut filium unicum et dilectissimum affectu paterno, e corde Dei Patris manante, diligebat ; erga *B. Mariam,* quam virginali amore prosequebatur ac tuebatur, pro ea ejusque Filio labores et ærumnas libenter sustinens.

1288. 30 Propter ejus *dignitatem* et *sanctitatem* B. Joseph merito *tanquam universalis Ecclesiæ patronus a Pio IX*

l *Matth.*, XI, Ir. — a *Sum. theol.*, 3, q. 27, a. 4.
3 *Matth.*, I, 20. — * *Matth.*, II, 14. — s D. R, 993.

declaratus est. Per multa sæcula *absconditus* quidem mansit, ut ita alte fidelium animis insideret persuasio virginalis conceptionis Christi per Mariam, solo operante Spiritu Sancto.

Non omnino tamen ignotus fuit, ut constat ex cultu ipsi reddito a S. Bernardo, Gersonio, S. Theresia, S. Francisco Salesio aliisque. Sed, anno 1729, *Benedictus XIII* nomen S. Josephi Litaniis majoribus inserendum praescripsit; an. 1621, *Gregorius XV* festum ejus ubique celebrandum jussit; S dec. 1870, *Pius IX,* eum tanquam universalem Ecclesiæ patronum declaravit.

1289. *Ratio* autem praecipua hujus declarationis desumitur ex eo quod tam devote et efficaciter sanctam Familiam, cujus caput erat, omnibus necessariis providit, et contra ejus persecutores protexit.

"Est igitur consentaneum, ait *Leo XIII',* et beato Josepho apprime dignum ut, sicut olim Nazarethanam familiam quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio cælesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat".

Altera ratio est quia est omnium Christianorum exemplar :

" Habent in Josepho *patresfamilias* vigilantiæ providentiæque patemæ præstantissimam formam ; habent *conjuges* amoris, unanimitatis, fidei conjugalis perfectum specimen ; habent *virgines* integritatis virginalis exemplar eumdem ac tutorem. *Nobili genere nati,* proposita sibi Josephi imagine, discant retinere etiam in afflicta fortuna dignitatem ; *locupletes* intelligant, quæ maxime appetere totisque viribus colligere bona necesse sit. Sed *proletarii, opifices,* quotquot sunt *inferiore fortuna,* debent suo quodam proprio jure ad Josephum confugere, ab eoque quod imitentur capere "

1290. 40 Exinde intelligi datur quisnam *cultus* sit ei reddendus : non est cultus latriæ soli Deo debitus, nec hyperduliæ soli Virgini redditus; sed *duliæ,* et juxta quosdam, si ita Ecclesiæ placuerit, *protoduliæ,* in quantum præ omnibus sanctis eminet 3.

Devotio, præter hunc cultum, complectitur : 1) *fiduciam,* cum S. Joseph sit intercessor Deo acceptissimus, ob ejus munera et sanctitatem; ab eo igitur fiducialiter postulentur virtutes quas

* Encycl. *Qiianquam pluries.* — 3 *Do XIII,* cit. encycl. — 3 *Ami du Clergé,* 3 mart. 1921, p. 98-109.

coluit, præsertim fides, obedientia, humilitas, castitas, caritas (η. 1287), necnon gratia bonæ mortis, cum ipse, ut pie creditur, in ultimo agone a B. Virgine et Christo adjutus fuerit; i.) *amorem,* cum, propter ejus benignitatem, valde amabilis sit, et nos paterno affectu diligat sicut membra Christi quem toto amore dilexit; 3) *imitationem,* cum genuinus amor nos trahat ad imitandos eos quos diligimus.

Art. III. De cultu sanctorum in cælo regnantium[x].

1291. **Status quæstionis.** (A) Sancti in caelo regnantes, cum sint *membra Christi,* ei *inseparabiliter conjuncti,* ejus gloriæ participes, simulque de nostra sanctificatione et salute solliciti, pie atque utiliter coluntur atque invocantur. Cultus eis redditus est cultus *duliæ,* juxta *Codicem* [2]3. "Sanctissimæ Trinitati, singulis ejusdem personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus, debetur cultus *latriæ;* Beatæ Mariæ Virgini cultus *hyperduliæ;* aliis cum Christo in cælo regnantibus cultus *duliæ*". Quod de Sanctis dicitur, pari jure de *Angelis* dici potest.

(B) **Errores,** (a) Olim *Vigilantius* et *Faustus,* manichæi, jam cultum sanctorum ut superstitiosum impugnaverant, (b) *Protestantes* plerique et *Modernisiez* eumdem ut impium et idololatricum rejiciunt.

(C) **Doctrina catholica,** a Tridentino[3] proposita, est: "Sanctos una cum Christo regnantes, *orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile* esse suppliciter eos *invocare:* et ob beneficia impetranda *a Deo per Filium ejus Jesum Christum* Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos esse... impie

[1] **Suarez,** *De Incar.,* **disp. LU; Salmant., disp. XXXVI; Petavium,** 1. **XV, c. 5-6; Bellarminum,** *Controvers.,* **de Ecclesia Triumph., 1. I, c. 11-20; Trombelli,** *De Cultu Sanctorum;* **Perrone,** *De Cultu Sanctorum;* **c. 1-3; Waterworth,** *The Faith of Catholics,* **vol. III; Milner,** *End of Rel. Contrσv.,* **let. 31-35, opus gallice versum ap.** *Migne, Dimonst. Ev.,* **t XVII, p. 817 sq.; Card. Gibbons,** *Faith of our Fathers,* **XIII-XIV, etc.**

[2] **Can. 1255, § I.**

[3] **Sess. XXV, De invocat et veneratione, etc., D. B., 984.**

sentire Ex quibus verbis constat : (a) invocationem Sanctorum esse quidem *bonam ac utilem;* (b) gratias non a sanctis ipsis sed *a Deo* exspectandas esse;(cj sanctorum intercessionem *inniti meritis Christi,* qui solus est Salvator noster et Mediator proprie dictus, dum Sancti sunt tantum improprie mediatores et quidem secundarii; (d) *impie sentire* eos qui *negant* sanctos invocandos esse. Igitur cultus ipsis redditus est solum cultus *dulice,* quo i) eorum excellentiam et supernaturales dotes *agnoscimus* et *veneramur,* 2) eorum opem *invocamus,* et 3) exempla *imitari* intendimus x.

1292. *Thesis :* Cultus duliæ quo Sanctos veneramur, invocamus et imitamur pius est et utilis. *De fide* est ex *Tridentino* jam citato.

H

i° *Script.* (A) Scriptura enim ostenditur *cultum religiosum Angelis* redditum fuisse. Id enim peregit Abraham, cum tres Angelos videns sibi occurrentes, adoravit in terram[2] id pariter Josue quando conspexit Angelum qui se vocabat Principem exercitus Domini 3. Atqui si Angelos, utpote Dei nuntios et amicos, colere licet, cur Sanctos Angelorum in cælo concives Deique amicos cultu duliæ honorare non liceat?

(B) Scriptura pariter testatur : (a) *Justos viventes* pro vivis *intercedere* posse, immo talem intercessionem ab ipso Deo commendari : "Ite ad servum meum Job... orabit pro vobis "4; "Fratres, orate pro nobis "5; "Adjuvetis me in orationibus vestris"6; revera S. Stephanus pro persecutoribus oravit 7, et juxta Patres, Pauli conversionem obtinuit; de oratione *pro aliis* facta dicit S. Jacobus : " multum enim

r

Γ
i H
ι

1 Hoc ultimum legitimum esse ultro fatentur Protestantes : " De cultu sanctorum docent quod memoria sanctorum proponi potest ut imitemur fidem eorum et bona opera, juxta vocationem... Sed Scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium a Sanctis; quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, pontificem et intercessorem " *{Confess. Augustana,* a. 21, apud Schaff *, *Creeds of Christendom,* vol. III, p. 26; cf. p. 243 sq.).

3 *Gen.,* XVIII, 2.

3./ar., V, 13. Nonnulli Patres antiquissimi Angelum Domini, de quo in his apparitionibus agitur, Verbum divinum esse putaverant, sed a tempore S. Augustini communis evasit opinio eum esse Angelum creatum, a Deo missum, tanquam præconem (Cf. Liddon *, *op. dt.,* lect. II).

4 *Job.,* XLII, 8. — s *IThess.,* V, 25.

' *Rom.,* XV, 30. — *1 Act.,* VIII, 60.

valet deprecatio justi assidua " x. Atqui, si Sanctorum precibus in terra degentium sese commendare licet, cur ad preces Sanctorum qui in cælo sunt, confugere non liceat? Nonne ad Deum propius accedunt, ac proinde nonne *efficacius* nobis succurrere possunt 2?

(b) *Sanctos in cælo pro nobis intercedere;* nam Angelus pro Israelitico populo deprecans exhibetur 3, et de Jeremia propheta, jam defuncto, dicitur : " Hic est fratrum amator et populi ; hic est qui multum *orat* pro populo " 4. Atqui, si Angeli et Sancti pro nobis orant, et gratias nobis obtinent, nonne licet et expedit eos invocare? Nonne prudentia supernaturalis id suadet?

Nec dicatur Sanctos preces nostras audire non posse : si enim Angeli nostras cognoscunt orationes Deoque offerunt 5; si super peccatoris poenitentiam gaudent 6, nonne pari jure Sancti preces nostras cognoscere possunt? In Deo vident quidquid eorum interest, ideoque quidquid a Deo per eorum intercessionem postulamus 7.

1293. *Objiciunt* Protestantes Paulum et Bamabam cultum respuisse sibi a Lystrensibus oblatum8; ergo cultus Sanctis redditus omnino illegitimus est. — *Resp.* Paulus et Barnabas respuerunt cultum *latriæ* sibi oblatum, post miraculum quod patraverant; dicebant enim Lystrenses eos *deos* esse, volebantque eis *sacrificium* offerre. Unde ex hoc colligi potest tantummodo cultum *latrice* Sanctis denegandum esse; quod libenter concedimus.

1294.2° *Traditione^* enim certo constat primum quidem *martyres,* postea ceteros sanctos aliquem cultum accepisse.

1 *Jac.,* V, 16.

2 Quod strenue urget S. Hieronymus, *(ad Vig.,* n. 6) : "Si Apostoli et Martyres g.dhuc in carne constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti ; quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus *Moyses* sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam... et, postquam cum Christo esse coeperunt, minus valebunt? *Paulus* ap. ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas *(Act.,* XXVII, 24); et postquam resolutus esse coeperit, tunc ora clausurus est, et pro his, qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit?"

3 *Zach.,* I, 12. — 4 *IIMach.*± XV, 14. — 5 *Tob^,* XII, 12. — 6 *Luc.,* XV, 17.

7 Card. Newman, *Diffie, ofAnglicans,* II, p. 84.

8 *Act.,* XIV, 7-17.

9 E. Vacandard, *Origines du culte des Saints,* in *Pev. du Cl.fr.,* t. LXIV, 1910, p. 293-315; LXVI, 191 r, p 418; LXVII, p. 180; LXVIII, p. 158; *Etudes de critique et d'histoire religieuse,* 3e série, 1912; P. Delehaye, *Les*

(A) TVr *tria priora scrcula,* (a) *cultus martyribus* persolvitur. Jam mediante sæc. 11°, *Smymenses,* martyrium S. Polycarpi descri· bentes, referunt natalem ejus martyrii diem cum gaudio celebrari, simulque declarant quo sensu martyres colanturl : " Illum (Christum) utpote Filium Dei adoramus, *martyres* vero tanquam *Domini discipulos* et *imitatores* merito diligimus propter eximiam ipsorum erga regem ac magistrum benevolentiam ". — 5. *Cyprianus* pariter expresse loquitur de *anniversaria commemoratione martyrum2·, et S. Optatus* testatur non omnes martyres ita coli, sed eos quorum martyrium fuerat ab auctoritate ecclesiastica recognitum et *vindicatum*^. Sacra mysteria super martyrum corpora celebrabantur, " ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet "4 ; et statim ac pax Ecclesiæ reddita est, in eorum honorem ædificatæ sunt ecclesiæ. — Ratio autem cur martyres ita glorificantur a S. *Augustino* exponitur : " Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad *excitandam imitationem,* et ut *meritis consocietur,* atque *orationibus adjuvetur,* ita tamen ut nulli martyrum, sed *ipsi Deo martyrum,* quamvis in memoriam martyrum, constituamus altaria "s.

(b) Quibus verbis ostenditur etiam a Patribus tanquam legitimam et utilem agnosci martyrum *invocationem.* Revera : i) in *Catacumbis* inveniuntur hæ aut similes *invocationes6 :* " In pace petas pro nobis. — In orationibus tuis roges pro nobis quia scimus te in Christo. — Attice, dormi in pace, de tua incolumitate securus et pro nostris peccatis sollicitus. — Ora pro nobis cum sanctis. — Mementote nostrum quoque in sanctis orationibus vestris, et scriptoris et sculptoris ", etc. ; 2) ex *Actis Martyrum* constat fidelibus persuasum esse *martyres pro eis intercedere i* : ita, v. g., in passione martyrum *Scillitanorum* (an. 200) legitur : " Consummati sunt Christi martyres... et *intercedunt* pro nobis ad D. Jesum Christum 3) *Patres* hanc intercessionem approbant : 5. *Cyprianus* librum de *Habitu Virginum* sic concludit : " Mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari (per martyrium) " 8; *Eusebius*

légendes hagiographiques, **Bruxelles, 1905; Dom Cabrol,** *Les origines liturgiques,* **Paris, 1906, p. 47-69;** *Rev. prat, d'Apolog.,* **t. III, p. 209-223.**

* *Martyr. S. Polycarpi, P. G.,* **V, 1041; Journel, 81.**

' *Ep.* **34,** *P- L.,* **IV, 320; Journel, 572.**

3 *De schismate Donatistarum,* **I, 16,** *P. L.,* **XI, 916-917.**

4 **S. Maximus Taurin.,** *Sermo* **88,** *P. L.,* **LVII, 690.**

5 *Coni. Faustum,* **1. XX, c. 21,** *P. L.,* **XLII, 384.**

6 **de Rossi,** *Roma sotterranea,* **t. II, p. 17 sq. ;** *II museo epigrafico; Bulletin archeol.,* **1863, p. 3; 1864, p. 34. etc. ; J. P. Kirsch,** *Die Lehre von der Gemeinsch. d. Heiligen,* **55, 97, 173 sq.**

i **Cf. Ruinart,** *Acta Martyrum,* **loc. in** *Indice* **relatis sub vocibus** *sanctorum suffragia, invocatio.* — *P. L.,* **IV, 464.**

testatur inorem fuisse Christianorum ad sanctorum sepulcra *preces offerre*[1]; 5. *Augustinus* rem ita declarat : "Pro martyribus non oratur; tam enim perfecti exierunt, ut non sint suscepti nostri, sed *advocati*"[3]; et alibi : "Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus *orationibus commendari*"[3].

1295. (B) *quarto sæculo,* non solum martyres, sed etiam *episcopi* qui pie in Domino decesserunt, moxque *anachoreta,* et *alii* qui Christiana mortificatione aliisque virtutibus corpus suum crucifixerunt et martyrum labores imitati sunt, commemorantur sicut et ipsi martyres, eisque preces offeruntur. Quod jam testatur *S. Epiphanius*[4] : "Nam justorum mentionem facimus... justorum autem et patrum et patriarcharum, prophetarum et apostolorum et evangelistarum et martyrum et confessorum, et episcoporum et anachoretarum et cœtus illius universi, ut D. Jesum Christum singulari honore ab hominum ordine segregemus, debitumque cultum illi tribuamus"... Revera, a sæculo quarto, inveniuntur *Kalendaria,* in quibus recensentur *dies natalitii martyrum* et *depositiones episcoporum*[5]. — Rationem hujus cultus sic exponit *Sulpicius Severus,* de S. Martino scribens[6] : "Implevit sine cruore martyrium, nam quas ille pro spe aeternitatis humanorum dolorum non pertulit passiones, fame, vigiliis, nuditate, jejuniis"?

1296. *Objiciunt* adversarii sanctorum festa paganis festis substituta esse, iisdemque abusibus ansam praebuisse. — *Eesp.* (a) Pauca hujusmodi festa instituta esse ut paganis sollemnitatibus substituerentur, libenter concedimus[7], et in hoc apparet *Ecclesia sapientia,* quæ, ut fideles a paganis superstitionibus efficaciter arceret, eis legitimum celebrationis objectum præbuit, et curavit ne hujusmodi festa in *lupercalia* verterentur, (b) Fatemur pariter non omnes abusus, præsertim comessationes et potationes, statim abolitos esse (tanta est enim humana fragilitas!); sed eos reprobavit ac paulatim temperavit Ecclesia. Ita 5. *Augustinus,* post descriptas hujusmodi comessationes, eas ut flagitiosas et sacrilegas condemnat, et Aurelium episcopum hortatur ut omnino deleat[8] : "Hæc si prima Africa tentaret auferre a ceteris terris, imitatione digna esse deberet : cum vero et per Italiæ maximam partem, et in aliis omnibus

[1] *Depraparat. evangelica,* 1. XIII, c. II, *P. G.,* XXI, 1096.

[2] *Sernio* 286, n. 5, *P. L.,* XXXVIII, 1299.

[3] *De verbis apost.,* sermo 159, *P. L.,* XXXVIII, 868.

[4] *Adv. hares.,* 75, 8, *P. G.,* XLII, 513; Journel, 1109.

[5] *P. G.,* XLVI, 821; *cf.* Vacandard, in *Rev. Cl.fr.,* mai 1911, p. 421-425.

[6] *Epist.,* II, *P. L.,* XX, 180.

[7] Delehaye, *op. cit.,* p. 203 sq.; Vacandard, in *Rev. du Cl.fr.,* oct 1911,

[8] *Epist.,* XXII, *P. L.,* XXXIII, 90-92.

aut prope omnibus transmarinis ecclesiis, partim quia nunquam facta sunt, partim quia vel orta vel inveterata, sanctorum... episcoporum diligentia et animadversione extincta atque deleta sint, dubitamus quomodo possumus tantam morum labem, vel proposito tam late exemplo emendare? ”

(C) *E Conciliis.* Hoc dogma jam *implicite* contentum in Symboli articulo de *communione Sanctorum,* explicite declaratum est in *C. Romano,* sub Stephano III, a. 769, in quo asseritur, in *honore sanctorum* eorum reliquias venerandas esse; in *Nicceno II,* oecum. VII0, in quo idem asseritur x. — Confirmatur ex *antiqua, constanti* ac *universali Ecclesia praxi* quæ certe vim dogmatic» definitionis habet. Et declaratur in *Codice,* c. 1276, 1277.

1297. 30 *Rat. theol.* (A) Sanctis *cultus religiosus dulice* debetur. Ii enim specialem merentur venerationem qui supernaturali excellentia manifesto gaudent. Atqui ita est de sanctis in cælo regnantibus ; nam, ob *gratias* quibus a Deo donati sunt, *actus heroicos virtutum* quibus in terra eminuerunt, et *gloriam cujus participes* sunt in cælo, supernaturalem excellentiam certe præ se ferunt, quæ speciali reverentia agnosci debet; si enim magnis viris, post mortem, honores redduntur, cur non christianis heroibus? — Cetero-

1 1

quin cultus eis redditus in *honorem Dei* redundat, nedum ei detrimentum afferat, cum dotes propter quas coluntur ex Deo promanent, ideoque Deum ipsum in sanctis mirifice operantem honoremur.

Unde et Deus ipse sanctos suos multis *miraculis* glorificat, ita ostendens sibi eorum cultum acceptum esse 1.

(B) Utilis est pariter et pia *sanctorum invocatio,* quippe quæ solido innitatur fundamento, et aliunde Christo Mediatori injuriam nullo modo faciat, (a) *Innititur solido fundamento ;* nam Sanctis nos juvandi nec voluntas nec potestas deest; *non voluntas* si enim, cum in terris degebant, de salute proximi solliciti erant, pro eis deprecando, laborando et patiendo, numquid caritas eorum morte subito exstinguitur, vel in cælo fit otiosa et sterilis? Respondet S. *Bernardus* 3 : “ Numquid cælestis habitatio animas quas admittit indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Fratres, latitudo

1 **Cavallera,** *Thesaurus.* **n. 827-830.**

1 **Cfr.** *Caiech. Romanus,* **p. III, c. 2, n. 9.** — 3 *Serm. 2 de S. Victore.*

caeli dilatat corda, non arctat ; exhilarat mentes, non alienat; affectiones non contrahit, sed extendit ". *Nec potestas :* sunt enim Dei amici, et quia pro gloria ejus multum laborave-runt, multa beneficia pro nobis obtinere valent, cum poten-tiores sint in caelis quam super terram.

(b) Sanctorum invocatio *nullam Christo mediatori inju-riam facit;* nam quando sanctos invocamus, ut amicos et membra Christi, talis agendi modus, nedum Ei injuriam faciat, ad ejus gloriam valde confert, cum ita agnoscamus nullam gratiam obtineri posse nisi *ejus meritorum virtute.* Hinc Ecclesia a Sanctis gratias directe non postulat, sed ut pro nobis orent precatur. Si quae formulae adhibeantur, qui-bus *directe* a Sanctis gratiae postulantur, *subintelligitur eas,* mediante Sanctorum intercessione, a Deo ipso expostulari.

Et ita solvitur objectio Protestantium ex verbis Apostoli de-sumpta : " Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus " [1]; hic enim Apostolus loquitur de Mediatore *principali,* nec excludit intercessores *secundarios,* cum ibidem obsecret fideles pro aliis hominibus orare.

1298. **Conclusio.** Exinde intelligitur quid de iis censendum sit qui Sanctorum invocationem respuerent utpote non necessa-riam. Si absolute negarent sanctos esse invocandos aut conten-derent cultum eis præstitum esse idololatricum vel pugnare cum Verbo Dei aut adversari honori Christi mediatoris, impie sentirent ex *Tridentino,* n. 1291; si Vero intenderent tantum Christum esse unum mediatorem necessarium, et agnoscerent cultum Sanctorum esse quidem legitimum et pium, sed ab eo abstinerent *utpote ad salutem non necessarium,* fidei directe non contradicerent, sed non satis obedientes essent Ecclesiæ hunc cultum tam strenue verbis et praxi commendanti; nec de sua salute satis solliciti essent, negli-gendo medium ad salutem tam utile.

Art. IV. De Cultu Reliquiarum et Imaginum[3].

I. De Cultu Reliquiarum.

1299. *Status quæstionis.* Reliquiarum nomine veniunt, non tantum Sanctorum *corpora* aut eorum *partes* vel *cineres,*

[1] *I Tim.,* II, 5.

[3] Cfr. S. Th., q. 25, a. 6; Suarez, *De Incarnat.,* disp. LIV-LV; Petav., l. XV, c. 11-18; Bellarminus, *op. cit.,* l. III; Salmantic., disp. XXVIII; Trombellius, *De Cultu Sanctorum ;* Perrone, *op. cit.,* c. IV-V ; Waterworth,

sed quidquid in eorum usu fuit, ut vestes, aliaque hujusmodi quibus usi sunt, aut ea quæ eorum corpora vel sepulchra tetigerunt, et quæ apta sunt ad piam eorum excitandam memoriam. Cultus qui reliquiis redditur, non est cultus *absolutus,* sed tantum *relativus;* eas enim non propter earum intrinsecam excellentiam veneramur, sed propter excellentiam Sanctorum ad quos olim pertinuerunt.

Protestantes vero, *Vigilantium* imitantes, qui jam sæculo IV a S. Hieronymo confutatus est, contendunt talem cultum esse superstitiosum, omnibusque fraudibus obnoxium.

Contra quos *Tridentinum* [1] declaravit : " Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ *viva membra* fuerunt *Christi* et *templum Spiritus Sancti,* ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus *veneranda* esse; per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur, ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi... omnino damnandos esse ",

1300. *Thesis :* Sanctorum reliquias honorare licet et expedit. *Defide est,* utpote a *Tridentino* definitum.

(A) *Script.* Quædam miracula a Sanctorum reliquiis patrata fuisse Scriptura refert : sic Eliæ pallium Jordanis aquas divisit [2] ; Elisei cadaver vitam mortuo restituit [3]; umbra Petri infirmitates sanabat [4] ; S. Pauli sudaria ægrotos curabant [5]; in Evangelio [6] refertur mulierem a Christi vestimenti fimbria sanatam fuisse ; atqui, si Deus, mediantibus Sanctorum vestimentis ac reliquiis miracula patravit, nonne illas reliquias venerari licet?

(B) *Praxi Ecclesiai.* Historice constat, primos Christianos in martyrum reliquiis colligendis sollicitos fuisse, ut eas decenti loco collocarent ac colerent ; prope martyrum tumu-

op. cit., **vol. III; Rock,** *Hierurgia,* **vol. II, pp. 371 sq.; 535 sq.; Card. Gibbons,** *op. cit., c.* **XV; Milner,** *op. cit.; N.* **Grumel,** *D. T. C.,* **t. VII, 766-844.**

* **Sess. XXV, D. B., 985. —** ' *IV Reg.,* **II, 14.**

3 *IV Reg,* **XIII, 21. —** ♦ *Act.,* **V, 15. —** s *Act.,* **XIX, 12.**

6 *Matth.,* **IX, 20.**

7 **Vacandard, in** *Rev. du Cl.fr.,* **nov. 1910, p. 303-315; Dom Leclercq, art.** *Ad Sanctos,* **in** *Diet.* ‹Γ*Archiol. chrél.,* **t. I, 488 sq.**

los sepulturam quæsiisse ; altaria super Sanctorum reliquiis erecta fuisse, præsertim vero martyrum, superque martyrum sepulcris, in eorum honorem, sacrificium oblatum fuisse; eorumdem reliquias ut thesaurum inæstimabilem, gemmis pretiosissimis cariorem, habitas fuisse. Atqui hæc omnia probant primos Christianos reliquias Sanctorum magna veneratione prosecutos fuisse; ergo cultus eisdem redditus est legitimus, nisi forte dicatur universalem Ecclesiam nefandæ idololatriæ induisisse. — Hanc prakim confirmat *Codex,* c. 1276-1289.

Quod argumentum jam urgebat 5. *Hieronymus* 1 ; " Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi sunt, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt!"

(C) *Rat. theol. 23* (a) Quodcumque Deo consecratur et sanctitatis est instrumentum, merito honoratur. Atqui corpora Sanctorum fuerunt templa Spiritus Sancti, et instrumenta heroicarum virtutum. Quod sic optime declarat S. *Augustinus'S.* " Nec ideo tamen contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera sancte usus est Spiritus

(b) *Comparatione* illustratur. In rebus humanis, ea omnia quæ ad notos viros spectarunt, magno cum honore servantur; itemque magno cum amore, omnia quæ parentum, aut amicorum memoriam excitare valent, custodiuntur; atqui Sancti vere sunt heroes, simulque parentes nostri in fide et amici. Ergo eorum reliquiæ cum honore et amore servandæ sunt, ut sic ardens desiderium, vehemensque studium eorum virtutes imitandi, crescat in nobis. Nonne et ipsi Protestantes, ea omnia quæ ad Lutherum, aut Calvinum aut quemcumque alium præstantem virum pertinuerunt, honorifice custodiunt?

1301. *Solvuntur difficultates.* (A) Multæ sunt falsae, vel dubiæ reliquiæ; ergo reliquiarum cultus minime legitimus est. — *Resp. :* (a) Talis assertio omnino est exaggerata; Ecclesia enim in reliquiis asservandis, plerumque caut4 fuit ; et *Tridentinum* decrevit non esse novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente ac approbante Episcopo, (b) Cultus de quo agitur, cultus est *relativus,* et diri-

1 *Contra Vigil.,* n. 5, *P. L.,* XXIII, 343. — Hunc brevem tractatum integre legere haud ingratum erit. — Alios textus lege ap. Petavium, 1. XIV, 13.

2 S. Thom., 3, q. 25, a. 6.

3 *De Civit. Dei,* 1. I, c. 13, *P. L.,* XLI, 27 ; Journel, 1738.

gitur *ad Sanctum ipsum* cujus reliquiæ venerantur, iliumque attingit, etiamsi forte reliquiæ sint suppositæ [x].

(B) Miracula ascribere reliquiis, quæ inanimes sunt, nefanda est superstitio. — *Besp. :* hoc verum esset, si ipsis reliquiis ascriberentur miracula; sed *soli Deo,* qui per illa miracula Sanctorum exuvias glorificare intendit, assignatur. Insuper, si Protestandum objectio aliquid valeret, probaret Scripturam ipsam idololatriæ favisse; nam, ut diximus, plurima refert miracula per reliquias,seu potius per Deum, reliquiarum occasione, patrata.

N. B. De sacris reliquiis *Codex* regulas tradit quas in *Syn. Theol. Moralis* exponimus.

II. De Cultu Imaginum.

1302. Status quæstionis. (A) Juxta *Tridentinum*[2], imagines Domini, B. Mariæ et Sanctorum *cultu relativo* colendæ sunt : " non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam *honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant*".

Imagines ad duo inserviunt : populum circa præcipua fidei mysteria *instruunt,* eumque ad *devotionem* incitant.

(B) Imaginum cultum impugnaverunt olim *Iconoclaste,* præsertim vero *Leo Isauricus* Imperator qui, sæc. VIII°, imagines e templis submoveri jussit [3]. Inter hodiernos Protestantes, alii, præsertim *Presbyteriani* [*], imagines, etiam tanquam ornamentum, omnino prohibent ; alii vero, ut ornamentum, non autem ut cultus objectum, eas admittunt.

1303. *Thesis :* Pia est et licita imaginum veneratio.

De fide est, ex Cone. Tridentino supra citato.

[1] Cf. Encycl. *Pascendi,* 8 sept 1907, § VI in fine.

[2] Sess. XXV, D. B., n. 986.

[3] De Iconoclastis vide Petavium, l. XV, c. 11 ; Hefele-Leclercq, *Hist, des Conciles,* t. III, § 332.

[4] " Quoniam vero Deus Spiritus est invisibilis et immensa essentia, non potest sane ulla arte aut imagine exprimi; unde non veremur, cum Scriptura, simulacra Dei mera nuncupare mendacia. Rejicimus itaque non modo gentium idola, sed et Christianorum simulacra. Tametsi enim Christus humanam assumpserit naturam, non ideo tamen assumpsit ut typum pneferret statuariis atque pictoribus ". *{Confessio Helvetica posterior,* 1506, apud Schaff*, *Creeds,* P· 241).

i° *Script.* Quamvis lex mosaica usum simulacrorum in cultu divino prohibuerit, ne quid indignum de Domino Judaei cogitarent, aderant tamen quædam imagines aut signa sensibilia, ad significandam Dei præsentiam et opem ab Eo genti suæ allatam, v. g., arca testimonii cum duobus cherubim x, et serpens æneus[2][3] Itaque non omnis imaginum usus censebatur *idololatricus.*

1304. 20 *Tradit.* Duo tempora distinguuntur : (A) Ante controversiam *Iconoclastarum,* imagines pie a fidelibus honorantur, paucis tantum contradicentibus, (a) In *Catacumbis* inveniuntur imagines Christi, B. Mariæ et quorumdam Sanctorum, præsertim Apostolorum et Martyrum, quæ antiquissimæ sunt, et aliquo pio cultu colebantur; nam quædam exiliis inveniuntur in cryptis, in quibus Missæ Sacrificium offerebatur; insuper imagines non paucæ nimbis seu aureolis redimuntur, quibus peculiaris veneratio significatur qua prototypa honorabantur 3. (b) *Eusebius* etiam *statuam aneam* commemorat in honorem Christi erectam, a muliere quæ a sanguinis profluvio liberata fuerat; item etiam hodie in Lateranensi Museo, antiquissima S. Hippolyti statua servatur, (c) *Rationem* cur imagines pingantur exponit 5. *Cyrillus Alex. :* " Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut, iis inspectis, ad ipsorum æmulationem impellamur; ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur" ♦. (d) Hæc praxis imagines colendi ita communis erat ut *Julianus* Christianos accusaret quod cruces adorarent 5 : " Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, et postibus ædium insculpitis Ex his omnibus constat primos Christianos imagines coluisse, et si Catholici idololatræ sunt, ut Protestantes asserunt, idem vitio primis Christianis vertendum est. (e) Quidam tamen inter episcopos, ut *Serenus,* Massiliensis episcopus, timentes ne imagines a simplicibus adorarentur, eas prohibuerunt; sed 5. *Gregorius Magnus* severe Serenum reprehendit, simul asserens imagines esse ignorantium librum, ubi discunt quid imitari debeant 6.

(B) *Iconoclastarum haresis* sæculo VIII° orta est ex duplici præsertim causa : ex una parte, quidam fideles, præsertim in Oriente,

‘ *Exod.,* XXV, 18;/^., III, 6 ; *II Peg.,* VI, 2-19.

2 *Num.,* XXI, S ; *Joan.,* III, 14.

3 H. Leclercq, *Manuel d'Archiol. chrétienne,* Paris, Letouzey, 1907, t II, p. 133-653 ; Kaufmann, *Handbuch der christlichen Archàologie; A.* Fortescue, *Images,* in *The Catholic Encycl.,* New York, VII, 664-672.

* *In Psalm.* CXIII, 16, *P. G.,* LXIX, 1268; Journel, 2095.

s Apud S. Cyril., *Cont. Jul.,* 1. VI, *P. G.,* LXXVJ, 795.

6 *Epist.,* 1. IX, 105; *P. L.,* LXXVII, 1027 ; Cavallera, *Thés.,* n. 826.

sacras *icones* nimio forsan honore colebant; et, ex altera, hic cultus Judæis et Mahumetanis occasio erat scandali, et conversionis impedimentum. Quare, rogantibus, ut fertur, nonnullis episcopis, *Leo* ***III*** *Isauricus,* imperator, cultum imaginum prohibuit tanquam *idololatria* speciem ; cujus successor, *Constantinus Copronymus* K, pseudo-synodum coegit Constantinopoli, in qua cultus imaginum condemnatus est ut opus diaboli. Sed, regnante imperatrice Irene, synodus œcumenica VII», Nicæna **II**a (787), litteras *Adriani 1 Papa* approbans, definivit imaginibus " honorariam adorationem tribuendam (esse), non tamen ad veram latriam... : imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam " Pax ad tempus restituta, et novis persecutionibus turbata, demum ab imperatrice Theodora circa medium sæc. IX[1] omnino firmata est.

In Gallia vero decreta C. Nicæni II primum recepta non fuerunt, præsertim quia nonnisi ex valde imperfecta versione innotuerunt, in qua dicebatur imagines eodem cultu ac SS. Trinitatem honorandas esse. Quare Cone. *Francofordense* Græcos reprehendit quod imagines nimio honore colerent, et declaravit imagines prodesse quidem ad ornandas ecclesias, sed stultum esse eas honorare luminibus accensis et thure. Attamen, Adriani Papæ, necnon Hincmari Rhemensis et Walafridi Strabonis auctoritate, mox decreta Nicæna recte intellecta recepta sunt. — In *Codice,* c. 1276-1289, cultus imaginum comprobatur.

1305. 30 *Rat. theol.* (a) Id sane honore dignum est quod personam honore dignam repræsentat : honor enim non imagini sed personæ redditur. Atqui imagines Christi et Sanctorum personas maxima veneratione dignas représentant. Ergo.

Comparatione declaratur. Apud omnes populos, imagines, sive parentum, sive carorum, sive illustrium virorum honore dignæ judicantur, ob personas quas repræsentant; atqui si hujusmodi honorantur imagines, cur Christi, B. Virginis ac Sanctorum pariter non honorentur? " Si regum laureata et iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes; quanto magis oportet in Ecclesiis Christi Domini iconem depingi Salvatoris Dei nostri, et intemeratæ matris ejus, omniumque SS. et Beatorum Patrum"[2]?

(b) Insuper imagines ad *instruendos* præsertim illiterates, ad augendam nostram erga ipsos Sanctos *devotionem,* ad eorum *imitandas virtutes* multum conferunt[3] : " Ut enim

[*] D. B., 302. — [1] *Condi. acumen. VII (Nicanum II),* act I.

[3] Quod sic egregie exponit Card. Gibbons, *I. cit. :* " Religiosæ imagines tamquam rudium *catechismus* considerari possunt... Quot hominum millia in

per syllabas in Evangeliis descriptas salutem consequuntur omnes, ita per imagines arte coloribusque pictas et expressas docti et indocti ex objecta re utilitatem capiunt"[1].

130ò. *Solvuntur difficultates.* (A) In *Exodo* dicitur[2] : "Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem"; atqui per hæc verba, cultus imaginum reprobatur; ergo.

Resp. (a) omnino hic prohibentur imagines quæ ut *idola* adorari possunt; (b) specialis aderat et strictior prohibitio, vi legis positivæ pro Judæis qui ad idololatriam proni erant; (c) sed non prohibetur omnis usus imaginum \ cum Deus ipse, etiam in Veteri Testamento, quasdam effingi imagines praeceperit.

(B) Cultus imaginum est *idololatricus/*

Resp. Esset quidem idololatricus, si imagines cultu *absoluto* veneraremur; sed eis exhibemus tantummodo cultum *relativum,* id est, qui ad ipsum Deum vel Sanctos refertur; nec abusus, si qui sint, vitio Ecclesiæ vertendi sunt, quippe quæ non semel publice eos condemnaverit.

(C) Talis cultus mentes Christianorum *a vero Dei cultu avertit!*

Resp. Minime, nam per imagines ad cogitandum de Deo, Christo et Sanctis provocamur, et sic vera pietas maxime fovetur.

(D) Objicitur canon Cone. *Elvirensis* in Hispania (300) in quo dicitur : "Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur".

Resp. Eruditi adhuc disputant de vera interpretatione hujus canonis; nonnulli dicunt hanc prohibitionem ortum duxisse non ex imaginum contemptu, sed ex periculo profanationis, si publice in parietibus pingerentur tempore persecutionis; alii putant hic vere interdici Dei et Sanctorum imagines, ne praebeatur, praecipue neoconversis, occasio in idololatriam incidendi. Quidquid est, hoc decretum a Cone, particulari pro specialibus circumstantiis editum, non fuit ab Ecclesia recognitum, cum post, sicut ante ejus promulgationem, imagines in ecclesiis depictae fuerint, etiam in Hispania

fidei ignorantia decessissent, si ab his imaginibus nihil institutionis accepissent! Cum Augustinus, Anglorum apostolus, in conspectu regis Ethelberti Evangelium prædicaturus prima vice constitit, argentei Christi e cruce pendentis, et nostri Salvatoris imagines coram concionatore positæ sunt; quæ auditorum oculis eloquentiores quam auribus verba fuerunt".

1 *Synod. acum. VIII.* D. B., 337. — 2 *Exod.*. XX, 4.

3 Distinctio certe facienda est inter *idola* (εἴδωλον) et *imagines* (εικών) : prius vocabulum in V. et N. Test, falsorum numinum repræsentationes, vel ipsa falsa numina plerumque designat; posterius tantummodo similitudinem alicujus rei. Cf. Thayer, *Greek-english Lexicon.*

4 Hefele-Leclercq., *Hist, des Conciles,* t. I, § 13, p. 240.

III. De cultu Crucis*.

1307. Sub nomine *Crucis* tria complectimur : *veram crucem,* cui Christus affixus est, et quæ sub hoc respectu est *reliquiarum* præstantissima; crucis *imaginem,* quæ inter sacras *imagines* præcipuum locum tenet ; *signum* crucis, quod in actione transeunte consistit, et est pia devotionis praxis.

1° *Cultus verce crucis pius est et utilis,* cum crux sit omnium *reliquiarum* pretiosissima. *Defide* est ex ordinario et universali Ecclesiæ magisterio. — Constat :

(a) *Exfiraxi Ecclesia;* nam statim ac vera crux inventa fuit a S. Helena, ut communiter creditur', fideles magna pietate eam coluerunt, et ecclesia a 5. *Sepulcro* dicta in ejus honorem in Calvariae monte exstructa est; quotannis, in die Parasceve, pars crucis in hac ecclesia reposita adoranda populo offerebatur 3; particulæ verae crucis in omnibus Ecclesiæ partibus magno cum honore receptae sunt, teste S. Cyrillo 4 ; et Ecclesia, in Crucis honorem, duplex festum, scilicet S. Crucis Inventionis ac Exaltationis, instituit; in Jerusalem jam circa finem sæc. IV celebrabatur dies commemorativa hujus inventionis: in Romana Ecclesia festum'Inventionis sæc. VII institutum est*. Porro, hæc omnia crucis cultum, antiquitus ut legitimum ac pium agnitum fuisse ostendunt.

(b) *Rat. theol.* Id sane colendum est quod Redemptionis instrumentum fuit atque victoriæ christianæ signum. Atqui

1 Cfr. Petavius, l. XV, 7-10; Gretser, *De Cruce libri V;* Bellarminus, *op. cit.,* L II, c. 26-30; S. Franciscus Salesius, *Defense de ΓEstendart de la Sainte Croix;* Bossuet, *Lettre sur Γadoration de la croix; Amer. Cath. Quarterly Review,* October 1877, p. 726 sq.; Chaffangon, *Le Crucifix,* Lyon; Rock, *Hierurgia,* vol. II, p. 501 sq.; J. Hoppenot, *Le Crucifix dans ΓHistoire et dans ΓArt;* DD. H. Quilliet, *Adoration de la croix,* in *D. T. C.,* t III, 2339-63.

' Multi Protestantes veram crucem inventam fuisse negant (vide Hodge, vol. III, p. 459); confutantur in optima disputatione a Newman scripta cum adhuc Protestons esset *(Essays on Miracles,* p. 287 sq.). Factum hujus inventionis certum est; licet enim de eo Eusebius taceat, refertur S. Cyrillo Hierosol. *(P. G.,* XXXIII, 52, 686-687, 1167), S. Ambrosio *(P. L.,* XVI, 1399), Rufino *(H. E.,* I, 7, 8), Paulino (ep. 31), Sulpit Sev. *(Chron.,* II, 34), Socrate (I, 17), Sozomen. (II, 1), Theodoreto *(H. E.,* I, 18), etc. Pauca tomen in narratione hujus inventionis apud quosdam auctores reperiuntur, quæ ut fabulosa a multis criticis habentur. Cf. Duchesne, *Liber Pontificalis* t. I, p. CVII, n. 44 sq.

' S. Paulinus Nolanus, *ep. ad Sulpit. Severum, P. L.,* LXI, 325.

4 *Cateches.,* IV, 10; X, 9.

5 Duchesne, *Origines du culte chrlt.,* p. 280 ed. 1909.

vera Crux Christi ara fuit in qua seipsum immolans nos redemit et nostrae victoriae signum manet

Comparatione declaratur. Omnis enim natio magno cum honore servat arma regis qui populum suum ab hostium servitute liberavit, et vexillum quod victoria insignis insigne fecit; ergo a fortiori dignum est a Christiana gente coli vivificam crucem Redemptoris, quæ nostræ salutis instrumentum fuit, et victoriae manet signum *.

1308. 2° *Cultus imaginum crucis pariter legitimus est. Defide* est ex *C. Nicæno ID,* definiente figurae pretiosae ac vivificae crucis debitum honorem reddendum esse[2].* Hic autem cultus est *relativus* seu ad Christum crucifixum refertur.

(a) *Ex praxi Ecclesia;* nam crucis effigiem in altaribus antiquitus collocatam, et a fidelibus magno cum honore habitam fuisse, ex multis documentis constata. *Tertullianus* Christianos vocat *eruas religiosos*[4]. Revera furentibus persecutionibus, crux saepe pingebatur sub forma *anchora, tridentis* aut græcæ litteræ T. Sed, post conversionem Constantini, publice expositae sunt cruces, posteaque imagines Christi crucifixi[5]. 5. *Chrysostomus*[6] ait : " Quippe reges, deposito diademate, crucem suscipiunt... in purpureis vestibus crux inest : in diadematibus crux : in orationibus crux... et ubique terrarum crux sole ipso clarius refulget ". Res tam longe processit, ut Concil. *in Trullo* prohibuerit ne crucis figurae in solo ac pavimento construerentur, ne incedentium conculcatione victoriae tropaeum injuria afficeretur[7].

(b) *Rat. theol.* Pius est et legitimus cultus qui ad Ipsum Christum dirigitur, nosque ad Christi patientis vestigia sequendum adjuvat; atqui crucis imagines sunt Domini Passionis memoriale; mentique nostræ Ipsum Christum pro nobis patientem exhibent; nosque ad ejus patientiam imitandam provocant : crux enim non est solum *ara immolantis,* sed etiam *docentis cathedra,* ubi vividius etiam quam in Evangelio crucis amorem prædicat.

l Coloss., **II,** 14. — a **D. B.,** 302.

3 **Cfr. Petav., I. XV, g; Martigny,** *Diet, des Antiq. chrtt.,* **vocibus** *croix, crucifix;* **Cabrol,** *Diet. Arch, chrit., croix et crucifix.*

* *Apologet.,* **XVI,** *P. L.,* **I, 365.**

s **DD. H. Quilliet,** *D. T. C.,* **t. III,** 2347 sq.

6 Quod Christus sit Deus, P. G., **XLVIII,** S24 sq. **Integrum locum legas.**

7 **Can. 75, ap. Labbe, VII,** 1176.

1309. 3° *Natura cultus imagini crucis debiti.* (A) Certum est et ab omnibus admissum crucis cultum esse *relativum,* non autem *absolutum;* crux enim, sicut quaelibet imago, est res inanima et irrationalis, nec propter propriam excellentiam, sed propter Christum in cruce affixum honoratur.

(B) Disputant autem theologi utrum hic cultus relativus sit cultus *latriæ,* an cultus *inferior* seu *duliæ.* (a) Juxta S. *Thomam,* cultus ille est cultus latriæ, quia ad Christum in cruce pendentem dirigitur; atqui Christus est cultu latriæ adorandus; ergo', (b) Juxta S. *Bellarminum* et alios, cultus ille est tantum cultus *duliæ,* quia non idem honor imagini ac exemplari debetur; exemplari seu Christo cultus quidem latriæ debetur, sed imagini inferior solum cultus seu simplex veneratio debetur.

Magis nobis arridet sententia S. Thomæ, nam non debetur cultus imagini, nisi quatenus personam repræsentat; ideoque cultus imaginibus Christi exhibitus, ad latriam reducitur, dum cultus imaginibus B. Virginis ac Sanctorum redditus, ad duliam pertinet.

1310.4° *Usus signi crucis pius est et laudabilis.* Certum est.

Nam pium est et laudabile quod ab initio ab Ecclesia approbatum est, miraculis confirmatum, et ob pia motiva usurpatur; atqui tale est crucis signum : (a) A multis Ecclesiæ Patribus approbatum fuit. "Ad omnem progressum, ait *Tertullianus*,* ad omnem aditum et exitum, ac vestitum et calceatum, ad lavacra et mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus". (b) Item confirmatum fuit a multis miraculis quæ a Patribus narrantur, et in Actis genuinis Martyrum et Sanctorum leguntur, (c) Tandem adhibetur ob pia motiva, videlicet ut Christi passionis memoria servetur, publiceque appareat nostram fiduciam in Christo positam esse, nosque in ejus Cruce gloriari.

Quidquid est, præ oculis hæc *Tridentini* verba semper habeantur : " Honos qui eis (imaginibus) exhibetur, *refertur ad prototypa* quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, *Christum* adoremus et *Sanctos,* quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur".

Post dicta de Verbo Incarnato et Redemptore, cordibus nostris inseramus quæ Salvator Apostolis in ultima Ccena

dixit : " Ego sum via, et veritas et vita " x; videlicet : " Ego sum via, quam sequi debes; veritas cui credere debes; vita quam sperare debes"2. Jesum igitur pro nobis passum sequamur, Jesum docentem attento docilique animo audiamus, Jesum fontem vitæ amplectamur, ut vita ejus viventes, auspice Maria, Sanctorumque vestigiis inhaerentes, cum Jesu Christo in æternum regnare, atque Deum unum et trinum

'*Joan.*, XIV, 6. — * *Imit.*, l. III, c. 56.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Abælardus, de Trinitate, 679.

Abstracta nomina quoad communicationem idiomatum, 1041.

Acta martyrum ut fons theologicus, 354.

Adamus totius generis humani parens, 834; in gratia constitAus, 855; immunis ab ignorantia, 867 ; a concupiscentia, 866 ; a morte, 868 ; a dolore, 870; nec proinde in statu barbariæ conditus, 879; peccavit graviter, 882; bona supernaturalia ac præternaturalia amisit, 884 ; pænitentiam egit ac veniam obtinuit, 888.

Adonai, unum e divinis nominibus, 416.

Adoptiani, 1029 ; confutantur, 1030.

Adoratio Christo debita, 1035.

Æternitas Dei, 439.

Agnoetæ de ignorantia Christi, 1088.

Agnostici, 392.

Ambrosius (S.), de peccato originali, 898 ; de redemptione, 1155; de virtutibus B. Virginis, 1263.

Amor erga Christum colendus, 1123.

Amor sensitivus in Christo, 1115.

Analogice Deum cognoscimus, 402.

Analysis fidei, 256.

Angelorum notio, 775; existentia, 777 ; creatio, 466; dotes naturales, 786 ; elevatio ad statum supematuralem, 790; lapsus, 794; hierarchia, 798. — Angelorum *custodum* existentia quoad homines, 800 ; et communitates, 805; eorum erga nos obsequia, 806; nostra erga eosdem officia, 808. — Angelorum *malorum* impugnationes, 811,

Animæ humanæ origo, 829, 841 ; spiritualitas et immortalitas, 836 ; anima est forma substantialis corporis humani, 837.

Anselmus (S.) de existentia Dei, 391, 394; de originali peccato, 921; de necessitate Incarnationis, 1217.

Apollinaristæ, 973, 1009.

Appropriata nomina divinarum per-, sonarum, 726, 728, 729.

Arausicanum 11 de originali peccato, 735.

Arbor vitæ, 869.

Archæologiæ usus in theologia, 355.

Ariani, 637.

Ars magica reprobanda, 819.

Ascensio Christi, 783.

Aseitas divina, 424.

Assumptio Beatæ Mariæ Virginis, 1264.

Athanasianum symbolum, 560, 954.

Athanasius (S.), de SS. Trinitate, 636 ; de Verbi generatione, 649 ; de Verbo imagine Patris, 651 ; de processione Spiritus S., 659; de Incarnatione, 1010; de redemptione, 1153.

Athei, 391, 413; confutantur, 407 sq.

Attributa *divina* definiuntur, 426 ; quomodo ab essentia distinguuntur, 427 ; eorum species, 426, 428.

Augustinus (S.), de conciliatione mali cum Providentia, 521 ; de prædestinatione, 531; de SS. Trinitate, 703 ; de peccato originali, 901 ; de poena parvulorum, 916; de redemptione, 1156; et alibi passim.

Augustinianorum systema de prædestinatione, 542; de possibilitate status naturæ puræ, 854, 876.

Baii errores de justitia originali exponuntur, 853 ; confutantur, 876.

Baltimorense Concilium II de spiritismo, 823.

Bernardus (S.), de immaculato conceptu, 1258; de Maria mediatrice, 1279 ; de recursu ad eam, 1285.

Billot (Card.), de fide, 159, 276; de peccato originali, 931-935; de unione hypostatica, 1022.

Boetius, de æternitate, 439 ; de persona, 569.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numeros marginales.

Bonaventura (S.), de SS. Trinitate, 707.

Bonitas *Dei* in se, 264 ; in Incarnatione, 1049; in redemptione, 1165.

Cajetanus, de peccato originali, 936 ; de unione hypostatica, 1022.

Calvinistæ de praedestinatione, 525; de statu primi hominis, 853 ; de natura originalis peccati, 923; de Redemptione, 1137, 1175.

Canus de objecto materiali fidei, 190; de visione beatifica animæ Christi, 1091.

Catharinus, de natura originalis peccati, 927.

Censura theologica, 198; ejus auctoritas, 198; praecipuæ censurae, 199.

Certitudo fidei, qualis sit, 166 ; quo sensu firmior certitudine naturali, 168; num requiratur *absoluta* an sufficiat *relativa,* 167?

Chalcedonense conc. de unione hypostatica, 958.

Christus, *vere Deus* ex Synopticis, 980; ex fide apostolîcæ Ecclesiæ, 983 ; e testimonio S. Pauli, 986 ; e testimonio S. Joannis, 989 ; — verus et integer *homo, ggg ; — Deus-homo,* ex Scriptura, 1002; ex Traditione, 1005.

Christus *duplicem* habet *naturam,* 1011 ; *duplicem voluntatem* ac *operationem,* 1025; *unicam filiationem,* 1030 ; animam vere rationalem, 999 ; corpus passibile, 1119; perfectum, 1121 ; est filius Dei naturalis, non adoptivus, 1030 ; quo sensu creatura et servus, 1032 ; persona composita,

Christi gratia, 1069; scientia, 1085; impeccabilitas, 1083 ; libertas, 1106; potentia, 1110 ; appetitus sensitivus, 1115; pulchritudo, 1122.

Christi redemptio, 1134, 1138 sq.; satisfactio vicaria, 1167; æquivalens ac superabundans, 1187; universalis, 1176; ejus meritum pro nobis, 1182 ; pro seipso, 1184; pro angelis, 1185.

Christus caput hominum et Angelorum, 1191, 1194; rex spiritualis, 1130; propheta ac magister, 1129; sacerdos in ætemum, 1197.

Christo debetur latriæ cultus, 1035; amor et imitatio, 1123.

Chrysostomus (S.) de originali peccato, 899; et alibi passim.

Circumincessio in divinis personis, 604.

Clemens Rom. (S.), de Trinitate, 623; de Christo Deo et homine, 1006 ; de redemptione, 1150.

Clemens VI de infinita satisfactione Christi, 1187.

Clifford de diebus genesiacis, 76α

Cognitio Dei naturalis triplici modo acquiritur, 400.

Comma Johanneum, 350.

Communicatio idiomatum in Christo, 606-607.

Conceptio Immaculata B. Virginis, 1252-1260.

Conclusio theologica, quid? 188; estne objectum fidei? 189.

Concreta nomina quomodo de Christo prædicantur? 1041.

Concupiscentia non fuit in Adamo innocente, 866; est tamen homini naturalis, 874 ; non constituit essentiam originalis peccati, 924 ; sed est ejus elementum *materiale.,* 921, 931; non fuit in Christo, 1082 ; neque in B. Virgine, 1260.

Condren (P. de) de sacrificio Christi, 1210.

Constantinopolitanum I de Spiritu Sancto, 641.

Constantinopolitanum III contra Monothelitas, 961.

Consubstantialitas Verbi cum Patre, 609, 611, 637; Spiritus Sancti cum Patre et Filio, 613, 614, 615, 641.

Convenientia Incarnationis ex parte Dei, 1049; ex parte hominis, 1050; ex parte temporis, 1051. Convenientia redemptionis, 1165.

Cordis Jesu (SS.) cultus natura, legitimitas, 1237, 1242; hujus devotionis historia, 1240.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numéros marginales.

Corpus Christi verum ac reale, 999; passibile, 1119; integrum, 1121; pulchrum, 1122.
Cosmogonia mosaica, 740; quid de ea certo declaretur? 741, 752; quid libere disputetur? 756.
Credibilitatis motiva seu signa, 161; generatim externa requiruntur, 162; certitudo quam praebere debent, 167.
Crucis cultus, 1307; signum crucis, 1310.
Cultus notio, species, 1233; cultus humanitatis Christi, 1035; SS. Cordis, 1236; B. Virginis, 1281; S. Joseph, 1286; Sanctorum, 1291; Reliquiarum, 1299; Imaginum, 1302; crucis, 1307.
Custodes angeli, 800; vide Angeli.
Cyprianus (S.), de peccato originali, 895. 897.
Cyrillus Alex. (S.), de unione hypostatica, 1011.

Daemonum peccatum ac pœna, 794; daemones hominem tentant, 811; dæmoniacæ possessiones, 815; non omnia hypnotismi phænomena dæmoni tribuenda sunt, 825.
Darwin, de evolutione, 764.
Defectus in Christo, 1118, 1120.
Dei existentia demonstratione indiget, 393; certo demonstratur, 397; argumenta quibus demonstratur, 405; Dei varia nomina, 414; ejus natura, 418; attributa, 426; Dei operationes, 455; ejus scientia, 459; vita, 457; voluntas, 484; providentia, 509; voluntas salvifica quoad omnes homines, 526.
Descensus Christi ad inferos, 1212.
Divinitas Verbi, 609, 611, 623, 637; Spiritus Sancti, 613, 629, 641; Christi, 979 sq.; 1006 sq.
Docetæ, 973.
Doctrina fidei catholicæ, quid? 196.
Dogma, quid? 210; de natura dogmatum errores, 211; thesis catholica, 213; errorum confutatio, 219.
Dogmatum stabilitas, 232; incrementum seu progressus, 238, 239; modus quo fit, 242; triplex stadium, 246; causæ et occasiones hujus profectus, 247.
Dona Spiritus S. in Christo, 1076.
Dona praeternaturalia Adamo concessa, 865 sq.
Duliae cultus, 1233.
Durandus, de filiatione adoptiva Christi, 1031.

El, nomen Dei, 414.
Elevatio hominis ad statum supernaturalem, 855.
Elipandus, de filiatione adoptiva Christi, 1029.
Ephesinum, de unione hypostatica, de divina maternitate Mariæ, 956.
Essentia Dei est ipsum esse subsistens, 240.
Eunomiani de processione Spiritus Sancti, 381.
Eusebius Arianismo favet, 369.
Eutychiani, 617, 658, 1011.
Evæ formatio, 501; peccatum, 554.
Evolutionismus, 454; absolutus, 456; mitigatus, 459.

Faber, de numero electorum, 309, not. 4.
Farrar anglicanus, de impeccabilitate Christi, 696; de virginitate B. Mariae, 803.
Felix, de filiatione adoptiva Christi, 1029.
Fides definitur, 132; fidei praestantia, 127; species, 138; falsæ notiones, 140.
Fidei objectum *formale*, seu motivum, 146. Objectum *materiale* fidei, 174; *formaliter* revelatum, 178; num virtualiter revelatum est fidei catholicae objectum? 189. Fides præsupponit motiva credibilitatis, 161.
siclus fidei productio, 259; actus fidei elicitur ab intellectu, sub imperio voluntatis, juvante gratia, 260; actus fidei quomodo elicitur a doctis, 297; a rudibus, 298; modo extraordinario, 299 Fidei ultima resolutio, 290. — Fidei certitudo, 302; obscuritas, 309; libertas, 270, 274.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numéros marginales.

In quibus fides residet ? 32α
Fides a theologia distinguitur, 338 ; rationi non adversatur, 348; eidem opem præstat, 347.
Fides ecclesiastica, 192.
Filioque recte Symbolo additum, 661.
Filius Dei, secunda persona SS. Trinitatis, est Patri æqualis seu consubstantialis, 609, 611, 623; vere genitus a Patre, 647 ; per intellectum, 651 ; ab æterno, 650; Patrum hac de re locutiones explicantur, 625.
Filium Dei incarnari decebat potius quam Patrem vel Spiritum S., 1053. V. Christus.
Finis Dei in creatione, 749.
Floreûtinum conc., de poena decedentium cum originali peccato, 914.
Fomes peccati non fuit in *Christo,* 1082; nec in *B. Virgine,* 1260.
Fontes theologici, 339.
Forma corporis humani est anima intellectiva, 837.
Fratres Christi, 1270.
Futura libera Deus cognoscit, 462 ; etiam conditionata, 463 ; quomodo? 479-

Generatio Verbi vera, 647 ; per intellectum, 651 ; distinctio a processione Spiritus S., 662.
Genesis tria priora capita quomodo intelligenda, 740.
Gratia, quid? 849. Gratia *Adamo* collata, 855, vere supematuralis, 533-
Gratia *Christo* collata, 1068 ; gratia unionis, 1069; gratia sanctificans, 1071.
Gratia actualis in Christo, 1077.
Gratiæ gratis datæ Christo collate, 1078.
Giintheri errores de fide, 142 ; de Trinitate, 679; de unione hypostatica, 1018.

Hæresis notio, 198, 199; hæresis materialis aut formalis, 323, 324.
Hermesius, de natura fidei, 142.
Hierarchia angelica, 799.
Hilarius (S.), de redemptione, 1155.
Historiae usus in theologia, 351.
Holocaustum, 1203.
Homo a Deo creatus, 829 ; corpore et anima constat, 836; fuit in gratia constitutus, 855 ; immunis a concupiscentia, ignorantia, dolore ac morte, 865 ; non in statu barbariæ, 879; v. Adamus.
Honorii doctrina de duplici voluntate Christi, 1024.
Humanum genus ab Adamo propagatum, 834.
Hyperduliæ cultus, 1233.
Hypostasis seu persona, quid ? 573 ; quomodo distinguitur a natura, 574.
Hypnotismi phænomena exponuntur, 822; de eisdem judicium fertur, 825.

Iconoclastæ, 1302.
Idiomatum communicatio, 1038.
Ignis inferni num cruciat decedentes cum solo originali peccato? 916.
Ignorantia homini naturalis est, 873; non fuit in Adamo innocente, 867 ; non fuit in Christo, 1085.
Immaculata Conceptio B. Mariæ, 1252.
Immensitas divina, 442.
Immortalitas corporis fuit Adamo collata, 868 ; est donum prætematurale, 875; amissa fuit per peccatum originale, 907.
Immunitas ab ignorantia, concupiscentia, dolore ac morte Adamo collata, 865; est quid prætematurale, 872; amissa per peccatum, 884, 907.
Immutabilitas Dei, 437; quomodo conciliatur cum libertate, 437.
Incarnationis notio, 967, 972; existentia, 978; philosophica expolitio, 1013; possibilitas, 1044; convenientia, 1049; perpetuitas, 1060; motivum determinativum, 1224. Vide Christus, unio hypostatica.
Increduli quomodo ad fidem reducendi, 300.
Innascibilitas propria Patri, 727.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numéros marginales.

Infantes peccatum originale contrahunt, 913; sine baptismo decedentes privantur visione beatifica, 914; non autem omni felicitate naturali, 917; a Christo redempti, 1178.
Infidelitate amittitur fides, 323.
Infinitas Dei, 448.
Infralapsarii de praedestinatione, 525.
Innata idea Dei non datur, 395.
Innocentiæ status in quo Adamus conditus est, 855; vere supematuralis, 860.
Integritatis status, 864; protoparentes in eo conditi, 865 ; vere indebitus, S72.
Invocatio Sanctorum, 1292.
Irenæus (S.), de Trinitate, 626; de Verbo incarnato, 1007 ; de redemptione, 1150.

Jacobitæ monophysismo favent, 1011.
Jansenistæ supematurale adulterant, 853. 1175, 1241.
Jehovah, nomen divinum, 415.
Jesus Christus, v. Christus.
Joseph (S.) Mariæ sponsus, 1286.
Judiciaria potestas Christi, 1216.
Justinus (S.), de Trinitate, 624; de redemptione, 1150.
Justitia Dei, 505; in Incarnatione manifestata, 1049, 1165.
Justitia originalis describitur, 851; protoparentibus collata, 855; vere supematuralis, 860 ; quomodo intelligitur a S. Thoma, 878.

Kenotica theoria de Incarnatione exponitur et confutatur, 1055.

Lamentabili decretum contra Modernistas, 962 ; v. Modernistæ.
Lateranense IV, de Trinitate, 562; de creatione, 736.
Latriæ cultus Christo debitus, 1035.
Lecky, ralionalista, de cultu B. Virginis, 1284, not. 4, p. 840.
Leo Magnus (S.), de duplici natura in Christo, 957.
Leo XIII de utilitate philosophiæ in theologia, 342, 349; de S. Thoma, 349 ; de historiæ recto usu, 352 ; de biblicis argumentis, 363; de zelo in studiis adhibendo, 377 ; de B. Virgine, 1278; de S. Joseph, 1289.
Libera futura a Deo cognoscuntur, 271 ; quonam medio? 277.
Liberales, de notione fidei, 143; de Trinitate, 597 ; de divinitate Christi, 976; de redemptione, 1137.
Libertatis notio, 1105. — Libertas in Deo, 494; in Christo, 1106; ejus objectum, 1107; conciliatio cum impeccabilitate et visione beatifica, 1108, 1109.
Lutherus, de fide, 140; de primigenio statu hominis, 853 ; de natura originalis peccati, 923; de B. Virgine, 1250, not. I.

Macedonian!, 940.
Magiæ crimen, ars et factum, 819.
Magnetismi phænomena, 820; judicium de eis ferendum, 823.
Mali conciliatio cum Providentia, 518.
Maria Dei Genitrix, 1247; excellentia hujus dignitatis, 1248; immaculata conceptio B. Virginis, 1252; ejus perpetua virginitas, 1266; gratia ei collata, 1261 ; ejusdem incrementum, 1262: Assumptio Mariæ, 1264; B. Virgo mediatrix universalis, 1277; mater Christianorum, 1272; regina, 1276; co-redemptrix, 1274; cultus hyperduliæ ei reddendus, 1281; devotio erga B. Virginem, 1282; erga cor ejus purissimum, 1285.
Mediatio Christi, 1125; B. Mariæ, 1277; Sanctorum, 1297.
Medium scientiæ divinæ, 478.
Meritum *Christi,* 1172;quid meruit nobis, 1182; sibi, 1184; Angelis, 1185.
Methodus theologica in exponendis et probandis dogmatibus, 361 ;quoad conclusiones theologicas, 368; in systematibus exponendis, 372.
Milevitanum II conc. de peccato originali, 734.
Miracula Christi, quatenus ejus divinitatem ostendunt, 982.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numeros marginales.

Miseriæ hujus mundi quo sensu arguant existentiam originalis peccati, 946.
Misericordia Dei, 502.
Missio in divinis, 66S; missio invisibilis, 672; visibilis, 676.
Modemistæ, de fide, 144; de natura et evolutione dogmatum, 211 ; de cognoscibilitate Dei, 392; de Trinitate, 59S; de divinitate Christi, 976, de redemptione, 1137 ; de virginitate Mariæ, 1265; de cultu Sanctorum, 1291.
Molinismus, de scientia divina, 4S1; de pradestinatione, 539.
Monophysitæ seu Eutychiani, 975.
Monothelitæ, 973, 1024.
Mors Christi verum fuit sacrificium, 1208.
Mors corporis est poena peccati, 884, 907.
Mosaica cosmogonia, 740.
Mundus a Deo creatus ex nihilo, 741 ; in tempore, 742; bonus, 745; propter Deum ut finem ultimum, 749; propter bonum creaturarum, ut finem secundarium, 750. Mundi causa exemplaris est Deus, 748.

Natura, quid significat, 572 ;quomodo ab essentia distinguitur, 572 ; a persona, 574, 1020.
Natura humana a Verbo assumpta, 1067; duplex in Christo natura, 1001.
Naturæ puræ *status,* 851.
Naturale prout a supernatural! distinguitur, 846; — *Naturalisnius,* 852.
Neo-Platonici, de Trinitate, 594.
Nestoriani, 975, ion.
Newman (J. H.), de Dei aeternitate, 440, not. 6 ; de Dei infinitate, 449, not. 3 ; de devotione erga B. Virginem, 1284, not. i, p. 840.
Nicænum, de consubstantialitate Verbi, 637.
Nomina Dei, 414; nomina propria et appropriata divinarum personarum, 726.
Notiones in divinis, 725.

Obscuritas fidei, 309; obscuratio fidei,
Obsessio dæmonum, 814.
Omnipotentia Dei, 550; manifestatur in Incarnatione, 1049.
Omnipræsentia Dei, 442.
Ontologismus confutatur, 396.
Operatio Christi duplex, 1027; operatio theandrica, 1028.
Operatio Dei ad intra, 455.
Optimismus, 493.
Ordo naturalis et supernaturalis, 850; ordo gratiæ et gloriæ vere supernaturalis, S60.
Originalis justitia, 851 ; vide Justitia; originale peccatum, 881, vide Peccatum.
Origo generis humani, 829.

Paradisus terrestris, S70.
Passiones recte ordinatæ in Christo n 16.
Pater quo sensu major Filio, 994 ; cur frequentius vocatur Deus, 993 ; vere generat Filium, 647; per intellectum, 651; non distinguitur a Filio nisi ratione originis, 655 ; mittit Filium et Spiritum S., nec ipse mittitur, 670; nomina Patri propria, 727.
Peccatum a Deo non intenditur, sed permittitur, 490.
Peccatum *originale originans,* 881 ; ejus effectus, 884 ; natura, 885.
Peccatum originale originatum, 889; ejus existentia, 890; natura, 919; effectus, 905 ; errores de ejus natura, 923 ; variæ opiniones, 927 ; sententia Suarezii, 929; thomistarum, 930; modus quo transmittitur, 938; concordia cum ratione, 941.
Pelagiani, de statu primigenio hominis et originali peccato, 852, 900.
Perfectiones divinæ, 426.
Personæ notio, historice, 569; philosophice, 572; distinctio a natura, 574; persona in Deo, 575; tres personæ in Deo, perfecte æquales, 600; personarum circumincessio, 664; quomodo divinæ personæ constituuntur, 720.
Philonis doctrina de Trinitate, 595.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numeros marginales.

Philoponus, de Trinitate, 642.
Philosophiae usus in theologia, 340; regulæ quibus hic usus moderatur, 347.
Pius IX damnat Froschammer de origine animæ, 841 ; de cultu SS. Cordis, 1243 ; de Immaculato Conceptu, 1252; de sanctitate B. Mariæ Virginis, 1261.
Pius X de demonstrabilitate Dei, 397 ; de Maria Christi cooperatrice, 1275.
Pœnalitates vitæ cur non tollantur per redemptionem, 1183.
Photius, de processione Spiritus Sancti, 660.
Polygenistæ, 833.
Possessio dæmoniaca, 814.
Potentia Dei, 550.
Præadamitæ, 833.
Prædestinatianismus, 525.
Prædestinatio ad gratiam et gloriam, 522; errores protestantium exponuntur, 525 ; confutantur, 526; theologorum systemata, 538; prædèstinationis signa 549.
Prædestinatorum numerus, 545.
Præscientia Dei circa futura, 462 ; ejus conciliatio cum libertate, 466.
Præscriptionis argumento quomodo utendum in theologia, 366.
Praesentia Dei in omnibus rebus, 550; in anima justi per gratiam, 672.
Præternaturale, quid? 849. Præternaturalia dona Adamo collata, 864.
Pragmatismus exponitur, 212; confutatur, 219.
Processiones *divina,* 645; processio Verbi a Patre per veram generationem, 647; Spiritus S. a Patre Filioque, 657. — Processionum philosophica expolitio, 709.
Profectus dogmaticus, 238.
Propositio veritatis ab *Ecclesia* necessaria ad fidem catholicam, non autem ad fidem divinam, 157.
Proprietates personarum divinarum earum aequalitati non obstant, 692, 723.
Protestantes, v. Calvinistæ, Lutherani, Unitarii, etc.
Protoparentes a Deo creati quoad corpus et animam, 829; gratia ornati, 855 ; immunes ab ignorantia, concupiscentia, dolore ac morte, 865; non in statu barbariæ, 879 ; graviter peccaverant, 882; ideoque amiserunt gratiam ac dona prætematuralia, 884; pænitentiam egerunt, 888.
Providentia Dei, 509 ; ejus existentia, 510; providentiæ leges, 513; providentiae non obstat malorum existentia, 518.
Pueri quomodo actum fidei elicere valent, 298.

Ratio fidei opem præstat, 343 ; fidem inter et rationem nulla vera dissensio, sed tantum apparens, 348.
Raymundus Lullus, de demonstrabilitate Trinitatis, 679.
Redemptio generis humani, 1134; opus amoris et justitiae, 1135 ; Christus redemit homines morte sua piaculari, 1139; satisfactione vicaria, 1167; et merito, 1172; hujus redemptionis universalitas, 1175; perfectio, 1186; medium redemptionis præcipuum fuit sacrificium Christi in cruce, 1208. V. Christus, meritum, satisfactio.
Regulæ ad recte loquendum de Trinitate, 780.
Relatio in genere, 577. Relationes divinæ, 578, 712.
Reliquiarum cultus, 1299.
Reparatio generis humani sine Incarnatione possibilis, 1218.
Reprobatio non fit ante prævisa demerita, 522, 526.
Resolutio fidei ultima, 290.
Revelatio quo sensu necessaria ad fidem, 176; de veritatibus formaliter revelatis, 178; de veritatibus virtualiter revelatis, 188; de revelationibus privatis, 203.
Ripalda, de supernaturalitate relativa gratiæ, 860, 862.
Rousselot, de fide, 168, 295.
Rosmini, de demonstrabilitate Trinitatis, 399, 401 ; de unione hypostatica, 1019.

Id hoc Indice lectorem remittimus ad numéros marginalks.

Sabelliani unam in Deo personam admittunt, Ô27.
Sacerdos supremus N. Legis est Christus, 1197.
Sacrificii notio, 1202 ; species, 1207 ; historia, 1202 ; significatio, 1204.
Sacrificium Christi in cruce, 120S; ejus perfectio, 1209; ejus essentia, 1210.
Salutem omnium hominum Deus vult sincere, 526.
Sanctitas Dei, 498.
Sanctitas *Christi,* 106S.
Sanctitas *Maria* negativa, 1253 ; positiva, 1261.
Sanctorum cultus, 1291.
Sapientia *Dei,* 476; in Incarnatione, 1049.
Sapientia aeterna seu Verbum, 585, 728.
Satisfactio *Christi* vicaria, 1107 ;ejus superabundantia, 1187 ; perfectio ad strictos juris apices, 1189; universalitas quoad homines, 1176; quoad peccata, 1179; obligatio satisfaciendi cum Christo, x 181.
Scholastica philosophia theologo valde utilis, 349.
Scientia *Adami* innocentis, 867.
Scientia *Christi,* 687.
Scientia *Dei,* 459; ejus objectum, 460; conciliatio cum libertate, 466 ; ejus dotes, 470; species ac medium scientiæ, 477 ; thomistarum systema, 479; molinistarum, 481.
Scotus (J. Duns), de revelatione ut conditione sine qua non fidei, 154; de distinctione inter essentiam et attributa divina, 428; de conciliatione divinæ libertatis cum immutabilitate, 495 ; de unione hypostatica, 1020; de Incarnationis motivo finali, 1227; de Immaculato conceptu B. Mariæ, 1256, not. 2
Sessio Christi ad dexteram Patris, 1215.
Simplicitas *divina,* 429 ; trinitate personarum non destruitur, 691 ; neque Verbi Incarnatione, 1046.
Sociniani, 598, 976.
Somnambulismus *magnslieus,* 822, 833.
Sors infantium sine baptismo decedentium, 914.
Spiritismus, 821, S23.
Spiritus S. est persona Patri Filioque consubstantialis, 613, 623, 641 ; ab utroque procedit, tanquam ab unico principio, 657 ; per modum amoris, 662 ; processio Spiritus S. a generatione Verbi differt, 062 ; Spiritus mittitur a Patre et Filio, 670; specialiter in anima justi habitat, 673; nomina propria Spiritui S., 729î missiones visibiles Spiritus S-, 674.
Status varii humanæ naturæ relate ad gratiam, 851 ; status naturæ puræ possibilis, 876.
Suarez, de conclusionibus theologicis, x91 ; de ultima fidei resolutione, 291 ; de obscuritate fidei, 311; de essentia divina, 420; de praedestinatione, 539; de numero praedestinatorum, 547 ; de unione hypostatica, 1021 ; de conciliatione libertatis cum impeccabilitate in Christo, xxo8;de motivo finali Incarnationis, 1124.
Subordinatianismo favent Gnostici, 626; S. Hippolytus, 628; Origenes, 031.
Superbia primum peccatum angelorum, 795 ; et Adami, 887.
Supernaturalis notio, 848; species, 849 ; ordo supernaturalis, 850.
Supralapsarii de praedestinatione, 297.
Symbolismus exponitur, 211 ; confutatur, 219.

Tentatio diabolica, 811.
Tertullianus, de Trinitate, 629; de peccato originali, 897; de unione hypostatica, 1008; de redemptione, ''55-
Thalhofer, de essentia sacrificii Christi, 12X0.
Theologia est scientia, 333; a fide distinguitur, 338; quo sensu philosophia utitur, 340; necnon historia profana, 352; et praesertim ecclesiastica, 353; pariter scientiis natu-

In boc Indice lectorem remittimus ad numéros marginales.

ralibus, 358; methodum adhibet positivo-scholasticam, 360.
Theophaniæ in Vet. Testamento, 583.
Theosophismus, 419, 598.
Thomas (S.), Doctor Angelicus, sæpissime allegatur, præsertim de existentia Dei, 405; de psychologici expolitione mysterii SS. Trinitatis. 708; de dotibus angelorum, 786 ; de peccato Angelorum, 796; de justitia originali, S78; de peccato Adami, S87; de peccato originali, 924; de unione hypostatica, 1013; de conve nientia Incarnationis, 1049; de mo tivo Incarnationis, 1215.
Thomistarum systema de revelatione motivo partiali fidei, 153; de conclusionibus theologicis, 192; de fidei obscuritate, 310; de scientia Dei, 479; de libertate Dei, 497; de praedestinatione, 542; de notione personæ, 576; de unione hypostatica, 1022, de necessitate hypothetica redemptionis, 1220; de motivo finali Incarnationis, 1225; de cultu imaginis crucis, 1309.
Traditionalists de cognitione Dei, 392-
Transformismus exponitur, 764; absolutus rejicitur, 766; moderatus tanquam hypothesis proponitur, 771.
Tridentinum de peccato originali. 890; de merito et satisfactione Christi, 1166; de redemptione et sacrificio Christi, 1208; et alibi passim.
Trinitatis *mysterium* definitur, 568; definitio explicatur, 569 ; ab haereticis diversimode impugnatur, 597 ; in Vetere Testamento adumbratur, 580; plene revelatur in Novo, 601 ; praxi Ecclesiæ probatur, 619; testimonio Patrum ante-nicænorum,022; ab Arianis impugnatur, 636; a Nicæno definitur, 637 ; a Macedonianis iterum impugnatur, 640; in C. Constantinopolitano iterum definitur, 641 ; a Tritheitis adulteratur, 642; et in C. Lateranensi IV explicitius proponitur, 562.
Tritheitae damnantur, 642.

Ubiquistae confutantur, 1042.
Unio animæ cum corpore, 513.
Unio hypostatica Verbi cum humana natura, 972 ; variis modis impugnata fuit, 973; Scriptura et Traditione demonstratur, 978 ; rationi non opponitur, 1044; sed maxime convenit, 1049 ; philosophice declaratur, 1013, 1016.
Unitarii de Trinitate, 598 ; de peccato originali, 889; de divinitate Christi, 976 ; de satisfactione vicaria Christi, 1137.

Vaticanum de fide, H2;de Deo et creatione, 386.
Verbum est persona a Patre distincta Patrique consubstantialis, 609, 623, 624, 637 sq.; v. Filius Dei.
Verbum hypostatice hvmanæ naturae unitum, 1001 ; non mutatur per Incarnationem, 1045; v- Christus, Incarnatio, Redemptio.
Veritas revelata formaliter, 178; virtualiter, 188; veritas fidei catholicæ,
Viennense conc. de unione animæ et corporis, 837.
Virgo B., 1247; vide Maria.
Virtutes in Christo, 1075.
Voluntas Dei, 484, vult se ut finem, 486 ; cetera ut media, 487 ; malum non intendit, sed permittit, 490; libera est in operibus ad extra, 494 ; voluntas beneplaciti et signi, 507 ; antecedens et consequens, 50S ; voluntas Dei salvifica, 526.
Voluntas in Christo Deo subdita, IIOI.
Voluntatis munus in fide, 270, 278.

In hoc Indice lectorem remittimus ad numéros marginales.